

Sacerdos

PRAELECTIONES THEOLOGICAE

QUAS IN COLLEGIO ROM. SOC. JESU

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EODEM COLL. THEOL. PROFESSOR.

EDITIO POST SECUNDAM ROMANAM DILIGENTIUS EMENDATA

ET NOVIS ACCESSIONIBUS AB IPSO AUCTORE LOCUPLETATA.

VOLUMEN IV.

CONTINET TRACTATUM DE DEO ET SS. TRINITATE



VIENNAE

TYPIS ET SUMPTIBUS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE,

MDCCCXLII.

TRACTATUS

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS



TRACTATUS

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PROOEMIUM.

1. Qui catholicæ religionis veritatem hactenus demonstravimus, iidem simul eorum omnium veritatem demonstravimus, quæ ad ipsam religionem pertinent, quæque ab ipsa traduntur. Siquidem tam apto hæc inter se vinculo tamque arcto connectuntur, ut unum idemque plane sint, neque alterum sine altero consistere queat. Itaque jam esset acta res tota, nec ad revincendos heterodoxos, modo sui compotes sint, modo cæca contradicendi libidine non abripiantur, quidpiam deberet ultra requiri. Verum quia non hujusmodi est religio catholica, ut, quemadmodum hæreticorum sectæ, latebris atque ambagibus velit obtegi *paratique semper*, juxta monitum Petri [1]), catholici homines sumus *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea*, *quæ in nobis est*, *spe*, libenter de illis dogmatibus singillatim disputare aggredimur. Unum curare debemus, ut, quam ipsa religio viam et rationem tradit, ab ea inter disputandum nusquam deflectamus.

2. Ordimur jam disputare de Deo, a quo sicuti rerum omnium ita et scientiarum, theologiæ vero maxime, initia sunt. Agemus primo de ejus existentia, unitate, essentia et attributis generatim; deinde singillatim de præcipuis attributis tum positivis tum negativis absolutis; tertio de intelligentia ac voluntate; ultimo de providentia, prædestinatione ac reprobatione. Quanquam autem hac de re multa philosophi communiter cum theologis tradant, quæ theologiæ studiosis latere penitus putandum non est; operæ tamen pretium nos facturos existimavimus, si saltem majoris momenti nonnulla hic in memoriam ipsis revocaremus, ut et altius in eorum animis illa defigantur, et cumulatius recentes errores conjunctis facultatis utriusque viribus profligentur.

1) I. Pet. III, 15. Juvat in hanc sententiam affere verba Tertulliani (*Adver. Valentin.* cap. III); „Abscondat itaque se serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cœca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ etiam domus simplex, in editis semper et apertis et ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti orientem, Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi; quia nec pudebit illum aures ei dedere, cum Deum recognoscere, quem jam illi natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quod unicum non putavit, quod in numero nominavit, quod in aliis adoravit."

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM.

3. Dei nomine intelligimus ens, quo nihil melius esse aut excogitari potest. Inquiremus autem primo an sit, deinde utrum unus an multiplex, denique, quantum humana imbecillitate possumus, quæ sit ejus essentia, quæ dotes et proprietates.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA

4. Qui Deum esse negant *athei* seu *atheistæ* vocantur, et quidem *positivi*, ut distinguantur ab iis, qui *negativi* passim audiunt, eo quod Deum esse ignorant, si tamen dari tanta ignorantia potest, quam saltem non ad longum tempus dari posse plures merito affirmant.

5. Dari autem plures atheos *practicos*, qui nempe ea ratione se gerunt, perinde ac si nullus Deus esset, heu nimium comperimus; ast non ita certum exploratumque est, utrum dentur athei *speculativi* seu *dogmatici* vel *theoretici*, qui nempe sibi, obluctante conscientia, persuadere ratiocinationis vi revera possint, Deum nullum existere. Cum tamen quovis tempore nonnulli fuerint, qui Dei existentiam impugnaverint, cogimur adversus istos hanc inire disputationem. Hi athei theoretici, qui, positis quibusdam principiis, scientifice impugnant existentiam Dei, vocantur *systematici*, ut discernantur ab iis qui nullo fundamento nixi id præstare satagunt, qui propterea *non systematici* audiunt.

6. Monendum vero est ex illis divinitatis hostibus alios directe atque aperta fronte ejus existentiam adortos esse, alios vero indirecte, larvata nempe ac subdola quadam ratione, quibus accensendi plerique ex iis sunt, qui vel non aliam ponunt Dei existentiam nisi *subjectivam* 1), vel Deum cum hac rerum universitate confundunt 2), tum ii, qui argumenta omnia, quibus

1) Tales plerique sunt ex iis, qui pertinent ad scholam criticismi germanici, vel ab eadem prodierunt, de quibus postea.

2) Quo in censu veniunt in primis spinozistæ, qui confundi non debent cum veteribus stoicis, qui etsi docuerint Deum animam mundi esse, Deum diverso sensu admittebant a spinozistis. Conf. Cudworth, *Systema intellectuale*, cum notis Moshœmii. Id ipsum constat ex Cic. *De nat. deor.* lib. II, ubi expendit diversas philosophorum sententias circa naturam divinitatis; necnon ex

Dei existentia demonstratur, tanquam non sufficientia rejiciunt, nec uspiam Deum inveniunt; illi nominantur athei *directi*, isti *indirecti*.

7. Atheos enumerandi diversa diversis ratio est; aliis valde multi, aliis valde pauci numero sunt; rursum sic opinantibus, aliis bonus inest animus, pravus aliis [1]). Nos vero neque tot esse ducimus, quot aliqui falso putant (loquimur autem de atheis theoreticis), neque adeo paucos seu fere nullos esse arbitramur, ut nonnulli autumant.

8. Quidquid tamen de eorum numero sit, in adstruenda Dei existentia duo scopuli nobis sunt devitandi. Alter eorum, qui autumant nullam instituendam esse de Dei existentia demonstrationem, utpote quæ sola fide tenenda sit, atque ex revelatione credenda, de qua nobis constat ex auctoritate generis humani [2]);

Lactantio, *Divin. instit.* lib. II, cap. 5, ubi eos refellit. Sed de his postea. His addendi sunt recentiores sansimoniani, qui pariter, ut videbimus, Deum non alium admittunt præter hanc rerum universitatem et societatem ipsam.

1) Inter eos, qui atheorum numerum extendere nituntur, eminent Bayle tum in suo *Diction. hist. crit.* tum in *Continuat. de ses pensees sur la comete*, et *Réponse aux questions d'un provincial*, part. II, et III, etc. cujus quidem in atheos propensio notissima est; nec non Jacobus Brucker in sua *Hist. philosoph.* tom. I; Jac. Frid. Raiman in *Hist. univ. atheismi*, Hildes 1725; Buddæus in suis *Thesibus de atheismo*, aliique non pauci. Imcaute etiam Nicole, ex jansenistarum coriphæis, scripsit; „Il faut que vous sachiez, que la grande hérésie du monde n'est plus le luthéranisme ou le calvinisme, que c'est l'athéisme, et qu'il y a toutes sortes d'athées, de bonne foi, de mauvaise foi, de déterminés, de vacillans, de tentés, etc." (*Lettre à une dame*, let. 25.) Conf. Feller, *Catechisme philosoph.* art. *Athée*. Reprehendendus etiam ejusdem vitii est Harduinus in libro, cui titulus; *Athei detecti*, inter opera ejus varia, fol. Amstel. 1738. Recenset autem in hoc opere inter atheos detectos Jansenium, Victorem seu Andream Martin, Thomassinum, Malebranche, Quesnel, Antonium Arnauld, Nicole, Pascal, Cartesium, le Grand, Silvanum Regis: in eundum finem scripsit opusculum: *Reflexions importantes*, etc. quod in eodem volumine reperitur. Sed et eum imitatus Bruchkerus, in *Hist. crit. philos.* tom. IV, part. II, p. m. 668, inter plures viros pietate insignes, quos summa injuria in atheorum numerum retulit, recensuit ipsum Harduinum, etsi Bruckerus alio omnino animo id fecerit; cæterum si Joannem Tolandum, Anton. Colius, et Ludovicum Mayer excipias, reliquos omnes, quos hic auctor ἀθεότητος accusat, singillatim vindicat Brenna mox citandus, lib. II, part. II, cap. 27. Inter eos vero, qui extenuare atheorum numerum certant, numerari ii debent, qui ab atheismi macula vel eos purgare nituntur, qui omnium fere consensu tales habiti sunt, e. g. Julius Cæsar Vanini, Spinoza, etc. eos enim purgat Wegscheider, §. 57, n. *b*. Consulatur de hoc argumento Brenna soc. Jesu, in opere *De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate*, 2. vol. in 4. Florentiæ 1773, parte I, cap. 26 et seqq. præsertim cap. 33, qui omnium plenissime de hoc argumento scripsit, ita ut vere dixeris ab eodem rem fuisse penitus exhaustam.

2) Ita auctor operis: *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, necnon Bautain, etsi diverso principio ductus, qui in suis responsionibus ad Joan. Fr. Mariam le pape de Trévern Episcopum Argentoratensem (Strasbourg) profitetur: „J'ai l'intime conviction, et comme chrétien et comme philosophe, que le raisonnement seul, sans la lumière de la foi, ne peut me donner la certitude sur cette première de toutes vérités" (existentiæ Dei). Mirum porro est quot paralogismos instruat ad hoc efficiendum. Conf. *Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain*, Strasbourg 1834, pag. 5. et seqq. Hic tamen auctor se scriptaque sua sedis apostolicæ judicio humiliter subjecit, et in epistola quam dedit episcopo suo 21 sept. an. 1837 non pauca ex iis quæ minus caute scripserat retractavit. Demum in monito præmisso operi cui tit. *Psychologie expérimentale* Strasbourg 1839. Hæc præclare scripsit: „Après avoir déféré lui-

atque hi quidem videntur nobis causæ proditores. Alter vero eorum est, qui nulla saltem stricte talem demonstrationem eadem de re fieri posse ajunt; quod pariter periculi plenum existimamus. Nam etsi daremus, ut plerique jure contendunt, non posse Dei existentiam ostendi ea demonstrationis specie, quæ dicitur, *a priori* seu per causam, vel ut alii dicunt ab antecedente, saltem prioritate ordinis 1), tamen extra dubitationis aleam est, posse Dei existentiam probari ea demonstrationis specie, quam *a posteriori*, vel etiam ea quam *a simultaneo* nonnulli vocant, cum nempe proceditur ab effectu ad causam, vel utrumque simul assumitur 2).

9. In delectu autem argumentorum ad finem, quem tendimus, obtinendum, temperamento quodam nobis opus est. Plura enim sive methaphisyca sive *ontologica*, ut vocant, sive physicotheologica antiqui et recensiores scriptores ad ostendendam supremi numinis existentiam congerunt, quæ omnia persequi constituti nobis limites non sinunt, quod et nimis operosum et supervacaneum præterea esset. Quare unum vel alterum ex solidioribus et clarioribus seligemus, auditores nostros remittentes ad eos scriptores, qui ex instituto unumquodque argumentum peculiariter enuclearunt. Neque enim ii sumus, qui vel prætermissa, vel non æque probata, hoc ipso ut minus apta ad rem conficiendam repudiemus, in quod vitium incurrerunt incaute nonnulli scriptores catholici, et passim incurrunt ex quadam animi perversitate neoterici scriptores e protestantium grege, quibus constitutum est omnia susque deque ferre 3).

même au jugement du Saint-Siége ses précédents écrits. Il a consulté à Rome des personnes graves par leur caractère comme par leur position, et il lui a été dit que, fort de ses intentions droites et de sa soumission à l'eglise il devait continuer son œuvre, en s'empressant de déposer ses nouveaux écrits au pied du souveraiu pontife. C'est ce qui fait en ce moment dans toute la sincérite de son ame, déclarant qu'il est pret à retrancher de cet ouvrage, ainsi que des autres, tout ce qui *pourrait paraitre contraire, de quelque manière ce soit, à la doctrine de l'eglise. L'auteur était catholique avant d'être philosophe, et ne veut être philosophe, qu' à la condition de rester catholique."* Utinam omnes ejusmodi exemplum imitarentur, ac illi præsertim quorum scripta ab apostolica sede damnata sunt nec turbas cierent, nec turbarent ecclesiam!

1) Juxta rigidiores quosdam philosophos demonstratio a priori eadem est ac ab antecedente prioritate saltem ordinis juxta nostrum concipiendi modum non vero quæ *ex causa* ad effectum procedit; quo sensu nemo est, qui contendat demonstrationem existentiæ Dei institui posse; sed eam solum ab attributis, ex ordine conceptis, fieri posse illi existimant.

2) Dicitur demonstratio *a simultaneo*, quod constet duabus demonstrationibus, *a priori* scilicet et *a posteriori* in unum coalescentibus.

3) Inter catholicos eminet l'Herminier, cui vitio vertitur, quod argumenta quinque, quibus S. Thomas p. 1, q. 2. art. 3, adstruit Dei existentiam, tanquam minus solida traducat, quæ tamen communi calculo probantur Ex protestantibus vero, præter antiquiores aliquot, recenseri debent ii omnes, qui autumant ideæ Supremi Numinis subjici ens reale, ut Fichte in opere: *Anweis zum seligen Leben*, id est, *Manuductio ad vitam beatam;* vel qui demonstrationem in solis rebus mathematicis et iis quæ sensibus objecta sunt locum

10. Animadvertendum denique est, non ideo in tuto rem totam futuram, si evicerimus existentiam Dei, nisi præterea ostenderemus Dei nomine venire objectum reale, cum a nobis tum a rerum mole distinctum. Nam recentiores athei illud nobis ultro jam concedunt; atqui tamen toto cœlo a nobis dissentiunt, cum nihil aliud Dei nomine intelligant nisi vel ideam pure subjectivam vel rerum omnium universitatem. Propterea objectum reale et a cæteris omnibus distinctum intellectum volumus in sequente propositione, etsi de hoc posteriori argumento postea ex professo dicturi simus.

11. His ad perspicuitatem dicendorum delibatis, esto jam:

PROPOSITIO I.

Deus existit.

12. Hæc propositio tum præambulum fidei est, ut loquitur S. Thomas [1]), quam independenter a revelatione solius rationis ope in Dei existentiæ cognitionem devenire possimus, tum ad fidem spectat, quum Dei existentia sit fundamentum totius re-

habere arbitrantur, ut Daub, *Theologumena* III et seqq.; Clodius, *Allgemeine Religionslehre*, etc. seu, *Doctrina universalis de religione*, 77 et seqq. 187 et seqq. *Idem*, *Von Gott in der Natur*, etc. seu *De Deo, in natura in historia humana*, Lips 1818; Marheinecke, *Die Grundlehre*, etc. hoc est, *Doctrina fundamentalis christianæ dogmaticæ*, Berolini 1819, §§. 23 et seqq. §. 121, ubi hæc habet: „Idea Dei, tum relate ad ejus essentiam, tum relate ad ipsius existentiam ea ratione tantum ostenditur, ut evincatur ex sensu intimæ vitæ;" et §. 123: „Originalis necessitas unitatis rationis humanæ cum conscientia Dei est argumentum præcipuum eorum, cui sic dicta argumenta innituntur;" et alibi passim; H. F. W. Heinrich, *Die Religion*, etc. seu, *Religio in intrinseca relatione ad scientiam*, Heidelberg 1822, pag. 97. „Quod demonstrandum assumiter, *inquit*, existentia nempe Dei, etiam pront cognoscitur jam est completum, dum hoc juxta suum conceptum coincidit cum notione cogitationis. Existentia igitur Dei certa est, et in certitudine et cognitione consistit ipsa existentia. . . . . cum adest Dei conceptus, Deus ipse est tanquam conceptus sui, est sua existentia;" vel qui affirmant Deum ipsum esse indicem sui, et per se ipsum, sive in conscientia quadam Dei, *immediate* per ipsum aut spiritum ipsius in hominis animo effecta, cognosci, ideoque aliis argumentis plane opus non esse, ut Ziegler, *Beiträge zur Geschichte*, etc. seu, *Documenta ad historiam fidei de existentia Dei in theologia*, Gottingæ 1797; Schleiermacher, *der christliche Glaube*, seu: *De fide christiana*, pag. 179 et seq. apud Wegsch. Horum plurimi ex criticismi schola prodierunt. Kantius enim principiis suis de postulato et autonomia imperativoque cathegorico rationis practicæ, de quibus inferius dicemus, non solum ex professo omnes plane rejecit probationes hucusque adductas, sed præterea ansam dedit, ut alii existentiam Dei solido carere fundamento putarent, alii in sola Dei idea subjectiva subsisterent, alii atheismum moralem profiterentur, alii autotheismum, etc.

1) P. I, q. 4. a. 2, ad 2, ubi addit: „Nihil tamen prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit." Cfr. Joseph Saenz de Aguirre, Ordin, Benedict. *Theologia S. Anselmi*, Romæ 1688. lib. I, disp. VII, sect. I et seq. præsertim vero sect. III, necnon Emmanuèl Sanz S. J. *Scholastes armatus*, Venetiis 1715; Tract. de Fide, part. III, disp. VI, qui id data opera fuse ostendunt omni argumentorum genere.

velatæ religionis, et ut talis perpetuo supponatur in omnibus christianæ fidei professionibus.

13. Sic vero 1° ejusdem veritatem ostendimus: A tota æternitate existit aliquod ens, illudque increatum, a se, necessarium et infinite perfectum, a quo entia contingentia originem et existentiam habuerunt; atqui nihil tale in hac rerum universitate est; aliud igitur præter hoc universum admittendum est ens quidpiam, nimirum princeps illa et infinita rerum omnium causa et origo, quam nos Deum nominamus [1]).

14. Primum majoris propositionis partem inficiari ne atheus quidem potest; aliquod enim ens ex tota æternitate fuisse necesse est, quia si nihil aliquando fuisset, nihil etiam omnino nunc esset, cum ex nihilo et a nihilo nihil prorsus oriri et effici possit. Hoc vero dato, reliqua necessario fluunt ac deducuntur. Ens enim, quod a tota æternitate extitisse oportuit, debet esse *increatum;* quandoquidem nulla sopponitur causa præcedens, a qua prodierit; et si ab aliqua causa prodiisset, jam non esset æternum, debet igitur esse *a se;* esse autem a se non idem est ac se ipsum produxisse, in quo manifesta est pugna, esset enim antequam esset, sed significat existere ex vi essentiali suæ naturæ, ita ut idea entis per se existentis sit idea entis, cujus existentia et essentia unum idemque sunt. Ens vero a se exigit, ut sit *independens*, *immutabile*, absolute atque omnimodo *necessarium;* si enim fingatur contingens, potuit esse et non esse, utpote ad utrumque indifferens; quæ igitur causa ipsum ad esse potius quam ad non esse determinavit? Præsertim cum ens contingens non habeat rationem suæmetipsius existentiæ.

15. Jam vero quod necessarium est, a se, atque a tota æternitate existit, id esse debet omni possibili perfectionum genere cumulatum et undequaque infinitum. Quid enim in primis potest enti increato et a se existenti limites aut modum imponere? Quid perfectiones certas ei definire, ita ut has quidem

1) Hoc argumentum, seu hanc demonstrationem, quam recte vocaveris *mixtam*, utpote quæ incipiat a posterioribus et desinat in demonstrationem a priori circa naturam Dei, ac ponat *necessitatem essendi* ut fundamentum existentiæ et attributorum Dei, præ cæteris clare evolvit Clarkius in tractatu, *De l'existence de Dieu et des attributs de Dieu*, 1756. Tertullianus in lib. *Contra Hermogenem* longe pressius ac magis energice, quam id præstitit Clarkius, ea omnia, quæ spectant ad hanc Dei demonstrationem, complexus est. Id ipsum ante Clarkium præstiterat Suarez, in sua metaphysica, tom II, dip. XXIX, sect. 3, n. I et seqq. Postea vero card. Gerdilius hoc ipsum argumentum fuse evolvit in dissertatione: *Dell' esistenza di Dio, e della immaterialità delle nature intelligenti*, opp. edit. rom. tom. II, §. IV, Ex hoc argumento patet statui existentiam Dei distincti a rerum universitate, ipsumque poni ut substantiam objectivam ac realissimam existentiæ, durationis et ordinis mundi absolutam causam, secus ac fit a neotericis, præsertim ex schola criticismi, qui ut diximus, ideæ divinæ realitatem e principiis rationis theoreticæ demonstrari posse negant.

habeat, plures majoresve non habeat, cum a nulla prorsus causa dependeat semperque extiterit? Præterea ens absolute atque omni modo necessarium, tantum est, quantum esse potest, ergo possibiles omnes habeat oportet entis perfectiones; sed perfectiones possibiles saltem intensive, sunt infinitæ. Nam infinitum est cui nihil addi potest; nihil autem addi potest, perfectionibus quæ competunt enti infinite perfecto; ergo ens necessarium perfectiones habet saltem intensive infinitas. Quo fit, ut ente necessario nihil excogitari possit melius, majus aut perfectius. Ab hoc ente propterea entia contingentia originem et existentiam habuerunt; quæ enim contingentia sunt, cum potuerint esse et non esse, *essendi*, si ita loqui fas est, rationem in se habeant, ideoque aliquando non fuerint, nec proinde ipsa sibi dederint existentiam, nonnisi ab ente necessario, a se, ab æterno existente originem atque existentiam habere potuerunt.

16. Propositio vero minor apertissime constat; nam omnia, quæ in hoc mundo sunt, contingentia sunt et mutabilia; quotidie pleraque nasci et extingui, multisque modis variari et variata fuisse videmus; ergo et mundus ipse, qui nihil aliud est, quam immanis entium omnium contingentium collectio seu complexio, quæ, quantacumque demum sit, tam contingens est, quam contingens est quælibet vel minima ejus pars. Plane absonum est aut mundum aut materiam, ex qua mundus constat, æternam, increatam, necessariam, immutabilem et omnibus perfectionum numeris absolutam dicere, ita ut nihil melius aut præstantius fingi possit atque excogitari; cum vel sola ipsa continua mutabilitas imperfectio sit omnium apertissima, certissimum propterea creationis et limitationis ejus indicium.

17. Rationem hanc, a gentilibus ipsis mutuatam, adversus atheos urgebant veteres ecclesiæ patres, *Viderunt*, inquit S. Augustinus [1]), *quidquid mutabile est, non esse summum Deum. Viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, quæ est quidquid illud est, non esse posse nisi ab illo, qui vere est, qui incommutabiliter est. Hæc omnia*, ait S. Joan. Damascenus [2]), *cum mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui creatorem increatum esse necessum est. Nam si ipse quoque creatus est, a quodam profecto creatus erit, sicque donec ad aliquid increatum venerimus. Increatus igitur*

1) *De civ. Dei*, lib. VIII, cap. 6 loquens de philosophis platonicis, ubi hoc ipsum argumentum longius protrahit et evolvit.

2) Hæc sunt verba ejus: *Τρεπτὰ τοίνυν ὄντα, πάντως καὶ κτιστά· κτιστὰ δὲ ὄντα, πάντως ὑπό τινος ἐδημιουργήθησαν· δεῖ δὲ τὸν δημιουργὸν ἄκτιστον εἶναι· εἰ γὰρ κἀκεῖνος ἐκτίσθη, πάντως ὑπό τινος ἐκτίσθη, ἕως ἂν ἔλθωμεν εἴς τι ἄκτιστον. „Ἄκτιστος οὖν ὢν ὁ δημιουργὸς, πάντως καὶ ἄτρεπτός ἐστι· τοῦτο δὲ τὶ ἂν ἄλλο εἴη ἢ Θεός; De orth. fide*, lib. I, cap. 3, pag. 126, edit. Lequien, 1712,

cum sit ille conditor, omnino nec mutabilis est. Hoc autem quid aliud nisi Deus fuerit? Sic cæteri Patres passim [1]).

18. 2° Argumento, ut vocant physico theologico eamdem propositionem evincimus, mirabili nempe istius universi dispositione, ordine ac pulchritudine: tanta enim est eorum, ex quibus adspectabilis hic mundus texitur, venustas et elegantia, apta et cohærens inter se omnium proportio partium; tanta tamque constans dissimilium contrariarumque rerum societas, convenientia atque harmonia; hisque singulis tanto consilio concreditum munus suum, præceptus suus finis est, ut nemo sanus aliquem hujus magnifici operis architectum et moderatorem esse, qui cuncta direxerit, suo quæque ordine disposuerit, singula ad suos fines destinaverit, non e vestigio conjiciat, non apertissime videat. Genus hoc argumenti, ad quod sæpe adeo scripturæ homines provocant [2]), præclare inter patres exposuerunt Justinus, Athanasius uterque Gregorius Nazianzenus atque Nyssenus, et Basilius apud Petavium [3]). Quod si ab externis objectis ad nos ipsos cogitationem convertamus, nihil opus habemus; subdit S. Basilius [4]), ex universitatis structura opificem indagare, sed in nobis ipsis veluti exiguo quodam mundo magnam conditoris nostri sapientiam intuemur [5]).

19. 3° Atque hinc factum est, ut mirabilis semper fuerit populorum omnium sive silvestrium et agrestium sive excultorum consensio in admittenda aliqua divinitate. *Nam nulla gens est,* ut ait Tullius [6]), *neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Qui quidem unanimis et præstans omnium gentium consensus, nunc jam ab omnibus admissus post tot dete-

1) Cons. Petavius tom. I, *Theol. dogm.* lib I, cap. 2. Vix est argumentorum genus a recentioribus philosophis velut novum invectum, quod ecclesiæ patres, sive græci, sive latini, non præoccupaverint.

2) Præsertim vero Psal. VIII et XVIII; Job. cap. III et a cap. XXXVII ad XLV, Is. XL, 21 et seqq. et XLII; Ps. XLV. 18; Jerem. XIV, 22; Sap. XIII, 1 et seqq; Eccli. I et XLIII; Matth. VI, 25 et seqq.; Act. XIV, 15, 17 et XVII, 24, 28; Rom. I, 19, 20,

3) Lib. I. cap. I.

4) In Homil. ad illud *Attendi tibi*, tom. I, pag. 352, edit. Paris. 1698: *Οὐδὲν δεήσῃ ἐκ τῆς τῶν ὅλων κατασκευῆς τὸν δημιουργον ἐξιχνεύειν, ἀλλ᾽ ἐν σεαυτῷ οἱονεὶ μικρῷ τινι κόσμῳ, τὴν μεγάλην κατόψει τοῦ κτίσαντός σε σοφίαν.*

5) Cons. Lessius, præcipue in opere *De Numine ejusque providentia*, lib. I, ubi totum istud argumentum præclare multiplici ratione evolvit; et Fénélon, *Traité de l'existence de Dieu.* Docti autem homines singillatim sibi sumpserunt aliquam partem hujus universi illustrandam, ut ex ea evincerent existentiam Dei, sic e. g. Fabricius scripsit *Theologiam aquæ;* Niewentyt, *Theologiam anatomicam, naturalem*, etc.; Derham, *Theologiam astronomicam et physicam;* Lesser, *Theologiam insectorum*, quam declarationibus et notis auxit Lionnet; nec non *Theologiam testaceam, Theologiam fossilium*; ac cæteris prætermissis, novissime prodiit opus egregium Guillelmi Whewel, *Astronomia et physica in suis relationibus ad theologiam naturalem*, cujus quidem compendium et analysin exhibent *Annali delle scienze religiose*, fasc. I, Luglio et Agosto, Roma 1835.

6) *De legibus*, lib. I. cap. VIII, edit. Taurin.

etas nationes [1]) ac exploratas accurato examine earum omnium ideas religiosas, argumentum vel saltem præsumptionem certissimam constituit de Dei existentia. Hic enim consensus *factum* est exploratissimum, quod spectari debet velut effectus quidam universalissimus, cujus causa assignanda est; jam vero nulla alia causa assignari potest, quæ effectui adeo universali et constanti explicando par sit, nisi vel inclinatio et dictamen ipsius naturæ, vel traditio quædam originalis vel utrumque simul. In quacumque hypothesi semper concludi debet cum eodem Tullio [2]): *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.*

20. Atque his argumentis contenti sumus, quorum vestigia sive in sacris literis, sive in operibus patrum videre est, quæque proinde apprime theologum decent. Qui plura cupit, apud probatos auctores, qui hac de re egere, unde sitim expleat abunde habet [3]). Interim ne difficultatum expositio quempiam obruat, eas in quasdam classes redigemus.

DIFFICULTATES.

Adversus argumentum deductum ex ente necessario et rerum contingentia.

21. *Obj.* 1° Nihil vetat, quominus dicamus hanc rerum universitatem non esse nisi seriem infinitam generationum et productionum, ita ut *corruptio unius,* ut fertur, sit *generatio alterius.* 2° Cum vero hæc successiva ac nunquam interrupta re-

1) Quod inter cæteros admittit impius auctor, operis: *Résumé de l'histoire des traditions morales et religieuses chez divers peuples*, par M. de S. Paris, 1825, pag. 3. et seqq, Fatetur admittendam esse existentiam et unitatem Dei, quia harum veritatum vestigia reperiuntur in *omnibus populorum traditionibus.*

2) *De nat. Deor.* lib. I, cap. 17, edit Taur. Præmiserat autem: „Quum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intellegi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus."

3) Argumentum ontologicum omnium primus proposuit S. Anselmus Cantuar. tum in *Monologio de divinitatis essentia,* cap. I et seqq., tum in *Prosologio de Dei exist.* cap. 2, ubi ait: *Id quo majus cogitari nequit non potest esse in intellectu solo,* cap. 3.; vid. Gaunilonis *Liber pro insipiente adversus Anselmi in prosologio ratiocinationem,* Anselmi operum I, 35 et seqq.; Anselmi lib. *Contra insipientem et apologet. contra Gaunilonem*, ibid. pag. 37. Totam Anselmi argumentationem sic breviter complexus est Vasquez in p. I. q. II, a. 3, disp. XX, cap. 4: „Deus est id, quo melius excogitari non potest; sed id, quo melius excogitari non potest, nequit esse in sola cogitatione, sic enim non esset melius; id enim melius est, quod in cogitatione et in re ipsa est; ergo Deus est in rerum natura." Ren. Cartesius *Medit. de prima philosophia*, med. V, et in epist. edit. Amstel. 1682. hoc argumentum probavit et suum fecit; quod postea pariter præstiterunt Wolf. *Theol. nat.* lib. I, pag. 24 et seqq.; Moses Mendelssohn, *Morgenstunden,* etc. hoc est, *Horæ matutinæ*, I, 2, anno 1786, aliique non pauci. Contra vero S. Thomæ p. I. q. II. a. I ad 2, ejusmodi argumentandi ratio non probatur. Simonnet, *tract. de Deo uno,* disp. I, art. 3, demonst. V, prop. I et seqq. eam demonstrationem fuse evolvit. Cons. etiam Jos. Saenz de Aguirre in opere: *S. Anselmi theologia*, etc. Romæ 1688, tom. I, disp. XII, sect. I et seqq.

productionum series hominis mentem fatiget, hinc est quod ad se expediendum ab hac difficultate ipse confungerit ad causam quamdam primam excogitandam [1]. 3° Si tamen in mundo admitti debent ejusmodi generationes ac productiones, in quo latet æquivocatio; proprie enim loquendo, universitas rerum non est nisi quoddam totum necessario existens, quod incessanter *evolvitur*, seu est idem *esse* immutabile in sua substantia, ac perpetuo mutabile ac varium in suis modificationibus. 4° Sane ex nihilo nihil fit. 5° Una substantia nequit aliam producere, totum æternum est ac necessarium, quod hodie est fuit hesterna die ac nudius tertius et ita porro atque indesinenter fuit. 6° Nihil destrui potest, nec proinde creari [2]; ergo.

22. ***Resp. Ad*** 1m, ***Neg.*** Quia implicat dari seriem ejusmodi generationum et productionum infinitam; esset enim actu finita et infinita; infinita quidem, ut supponitur, et finita, quia potest semper novum capere incrementum, ut patet; quia hodie plures quam heri generationes et productiones habentur, cras plures habebuntur quam hodie, et sic deinceps: vel dicendum infinitum exurgere ex numeris finitis, quod pariter implicat. Absurda igitur ejusmodi hypothesis est et impossibilis [3].

23. ***Ad*** 2m, ***Neg.*** Ideo enim hominis mens fatigatur, quia ipsa in serie illa cernit contradictionem et absurdum; responsio constat ex modo dictis.

24. ***Ad*** 3m, ***Neg.*** Universitatem rerum esse totum quoddam necessario existens, alioquin esset absolute perfecta et infinita, nullis vicissitudinibus obnoxia, ut ex dictis in probationibus constat cum disseruimus de ente necessario, quod omnem plenitudinem esse importat.

25. ***Ad*** 4m, ***Dist.*** Ex nihilo tum sui tum causæ, ***conc.*** sui tantum, ***neg.*** Hoc ipso enim quod ex nihilo nihil fiat, ac tam multa esse videamus, quæ nulla intrinseca necessitate existunt, concludimus; ergo aliqua causa est a qua prodierint.

26. ***Ad*** 5m, ***Dist.*** Finita, ***trans.*** infinita, ***neg.*** Sed de hoc cum adversus pantheistas agemus.

27. Cum vero falsum absolute sit existentiam actualem entis contingentis connexionem habere cum existentia sive præterita

1) Ita anctor operis: *Lettre de Trasibule à Leucippe*, pag. 162 et 178; *Pensées sur l'interprét. de la nat.*; *Encyclopédie*, art. *Imparfait*; *Syst. de la nat.* apud Bergier, *Traite de la religion*, tom. II, pag. 262.

2) *Elements de la philos. de Newton*, I part. c. I.; *encyclopédie*, art. *Production*, ibid. pag. 266.

3) Conc. card. Gerdil in *Dissertazione della esistenza di Dio e della immaterialitá delle nature intelligenti*, §. 3, n. 31, ubi Cl. auctor ostendit absurdam esse ac plane repugnare multitudinem sive seriem atomorum infinitam, et vocat *rigorosus*, demonstrationes, quas de hoc argumento D. Maclaurin opposuit Fontenellio, in suo tract. *Des fluxions* (card. Gerd. opp, edit. rom. tom. II); idem vero ipse ex professo demonstrat in opusculo: „Memoire de l'infini absolu considéré dans la grandeur (edit. rom. opp. tom. V) tum in alio: Eclaircissement sur la notion et la divisibilité de l'étendue géométrique pour servir de réponse à la lettre de M. Dupuis" ibid.

sive futura, hinc, *neg. conseq.* Alioquin existeret necessitate naturæ quod implicare vidimus.

28. *Ad* 6m, *Dist. antec.* A se vel a potentia finita, *conc.* ab alio, infinita nempe potentia prædito, *neg.*

29. *Inst.* 1° Totum non est contingens, ergo totum æternum et necessarium est [1]. 2° Nec obstat res omnes esse limitibus circumscriptas, nam licet essentiæ rerum æternæ sint ac necessariæ, non ideo omnibus perfectionibus præditæ sunt.

30. *Resp.* *Ad* 1m, *Dist.* Quatenus præter entia contingentia involvit etiam ens necessarium, *conc.* seposito ente necessario, totum non est contingens, *neg.* et sic nego consequentiam.

31. *Ad* 2m, *Neg.* ad probat . . . *licet rerum essentiæ,* etc. *dist.* in abstracto atque in se spectatæ seu in sua notione metaphysica, *conc.* id enim postulat ipsarum natura, in concreto seu existentes, *neg.* Si enim a se existerent, jam earum natura aliter postularet, prout postulat natura entis necessarii.

32. II. *Obj.* Tota vis allati argumenti in contingentia rerum omnium hujus universi fundatur; jam vero hæc nulla est, 1° quia ex eo, quod partes hujus universi contingentes sint, inferri nequit totum universum esse contingens, alioquin a distributivo ad collectivum sensum transitio fieret, quam argumentandi rationem utpote vitiosam logici rejiciunt; 2° eo magis quod ejusmodi argumentandi ratio falsa etiam deprehendatur in prædicatis essentialibus, quia etsi nulla sit essentialis determinata extensio, figura, modus alicui corpori, pessime concluderetur dari posse corpus absque ulla extensione, figura, etc. Vel etiam ex eo 3° quod singulæ hujus mundi partes corruptibiles sint, male concluderetur totum simul corrumpi posse, vel Deum posse totam entium possibilium collectionem producere, eo quod singula producere possit; ergo.

33. *Resp. Conc. maj. neg. min.; ad* 1m, prob. *neg.* Ad id vero quod subditur de vitiosa argumentandi ratione a sensu distributivo ad collectivum, *dist.* Est vitiosa, dum tribuitur collectioni quod non competit nisi partibus singillatim sumptis, *conc.* dum tribuitur collectioni quod æque competit partibus sive seorsim sive simul sumptis, *neg.* Exemplum est in exercitu, multitudine, summa etc. Certe male concluderetur si, quod competit exercitui, multitudini, summæ, eis negaretur, eo quod id non competat militibus, hominibus, numeris, sive unitatibus seorsim sumptis. Ast si tribuatur toti exercitui, etc. quod competit ita militibus, hominibus, numeris singulis, ut æque competat etiam simul sumptis, nullum deprehenditur vitium in ea argumentandi ratione; ut cum quis pronunciaret de toto

1) Ita Ocellus Lucanus antiquissimus philosophorum, quorum opera ad nos pervenerint, apud Bergier. loc. cit. pag. 268.

exercitu vel multitudine, quod sit mortalis; de summa, quod sit finita; sic massa bene dicitur aurea, si partes ex quibus conficitur aureæ sint. Quod quidem valet tam in prædicatis accidentalibus, quam in prædicatis essentialibus.

34. Ad exemplum petitum ab extensione, si sermo sit de corpore modo seu statu naturali existente, institueretur utique sophisma, quia aliud est dicere nullam *determinatam* extensionem vel figuram esse corpori essentialem, et aliud est affirmare nullam penitus esse essentialem, quod fieri non posse contendunt plures, quibus et nos assentimur.

35. *Ad* 3m, In eo quod dicitur de corruptione universali nulla inest pugna, quia reipsa tota collectio corruptibilis est.

36. Quod demum postremo loco allatum est de collectione omnium entium possibilium a Deo producenda, omnino negatur, non quidem propter naturam entium possibilium, quæ produci possent, sed propter impossibilitatem seriei et collectionis actu infinitæ, quæ manifesto implicat; daretur enim collectio infinita exurgens ex numeris finitis.

37. III. *Obj.* Non repugnat mundum æternum supponere, cum nulla intrinseca repugnantia ostendi possit de mundi æternitate, quam plures veteres philosophi docuerunt [1]); itaque neque repugnat ipsum supponere a se existentem; ergo.

38. ***Resp. Neg. antec.*** Repugnat enim ex dictis dari seriem sive actualem et simultaneam, sive successivam entium finitorum, quia infinitum coalesceret ex numeris finitis, quod implicat. Posito autem, quod mundus ab æterno esset sive conditus sive non, necessario deberet dari series infinita successiva [2]). Addatur, quod si mundus esset a se, ipse jam esset **Deus**,

1) Ex veteribus philosophis, qui non præcise mundum, sed materiam æternam posuerunt, eminent stoïci, quibus persuasum erat duo fuisse rerum principia, alterum agens, alterum patiens, Deum et materiam æternam. Cf. Justus Lipsius in *Physiologia stoicorum*, lib. I, diss. IV, pag. 9 et lib. II, diss. II, pag. 57 et seqq. Sic veteres et recentiores platonici mundum dixerunt æternum; cf. Joan. Laurent. Moshemii *Dissertatio de creatione ex nihilo*, §. 81 ad cap. 5. *Syst. intell. Cudworth.* Atque in genere iis omnibus hæc arrisit sententia, qui velut dogma posueruut illud principium: *Ex nihilo nihil fit;* cf. Cudworth op. cit. lib. V, sect. II.

2) Licet S. Thomas, p. I, q. XLVI, a. 2, contendat *sola fide* constare mundum non semper fuisse, ac propterea *demonstrative* probari non posse eum non semper exstitisse, attamen superius (q. VII, art. 4) ea posuit, quibus ejusmodi sententia destruitur. Etenim in hoc articulo pro certo ponit, impossibilem esse multitudinem actu infinitam sive per se sive per accidens, *Species multitudinis sunt*, ut ipse loquitur, *secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum.* Jam vero eadem ratio militat pro serie infinita successiva, quare, si implicat ex principio S. Doctoris series numerorum ac multitudinis infinita actualis, implicat pariter series successive infinita, quæ tamen daretur ex hypothesi mundi ab æterno conditi. Addendum præterea, S. Doctorem forsan non prævidisse, illos futuros aliquando, qui hac essent hypothesi abusuri ad sua propria placita adstruenda. Præclare cl. Card. Gerdil, disserens de hac S. Thomæ opinione, scribit: „Io so, che S. Tommaso non ha creduto rigorosamente dimostrata la ripugnanza dell' eternità del mondo, supponendo la creazione *ab æterno*, ma non ha detto, che non si potesse dimostrare

quod est absurdum; ac proinde negatur consequentia. Quod autem dictum est de mundo, dici pariter debet de materia; hac enim semel æterna supposita, jam incidimus in absurda modo recensita; semper enim eadem est ratio; quare non est cur diutius in his nugis refellendis commorari debeamus.

39. IV. *Obj.* 1° Dei idea subjectiva est, quæ deinde ratiocinando affingitur summi cujusdam Numinis enti reali, sed abusive et perperam; 2° neque enim demonstratio haberi potest nisi in solis rebus mathematicis, et in iis, quæ sensibus obvia sunt [1]); accedit, 3° quod ipse sui index est Deus, sive per seipsum, sive per conscientiam quamdam, a se aut a spiritu ipsi originarie in animo productam qua homini cognoscendum se exhibet. Quare argumentis aliis opus non est [2]); ergo.

40. ***Resp.* *ad*** 1m, ***Dist.*** Est idea subjectiva cui respondet objectum reale, *conc.* absque ejusmodi objecto, *neg.* Idea Dei seu notio supremi alicujus Numinis hoc sensu subjectiva dici potest, quatenus in hominis mente recipitur, non vero quatenus eidem notioni non respondeat objectum reale; rigorosa enim ratiocinatione homo ex effectu assurgit ad causam a se existentem, distinctam ab hoc universo, quam Deum dicimus; alioquin effectus poni deberent absque causa, quod omnino repugnat [3]).

41. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Id est, non potest haberi ejusmodi evidentia, qualis inest demonstrationibus mathematicis et physicis, *conc.* qualis competit metaphysicis, *neg.* Cum diversa sint axio-

in avvenire. Egli ragionava sulle nozioni filosofiche ricevute a' suoi tempi, e niuno, anche in filosofia, lo superò mai, nè per acutezza d'ingegno, nè per maturità di giudizio, nè per copia di dottrine. Ma in quei tempi le nozioni geometriche non erano sì strettamente legate alle teorie filosofiche, nè così dichiarate, come sono state dipoi per gli studii di tanti celebri moderni. Tra gli antichi teologi molti hanno sostenuta l'impossibilità del moto eterno.... però crederei, che considerata la questione sotto aspetto puramente scolastico non abbia da riguardarsi come opposto alla rispettabilissima scuola tomistica, il sentimento di coloro, che negano la possibilità del moto eterno: e posta la questione sotto altro aspetto, cioè considerate le ragioni dedotte dalla geometria comprovanti l'impossibilità dell'infinito assoluto nelle quantità ed in qualunque serie, è da credersi l'uso di sì fatti argomenti non solo non contrario, ma conforme allo spirito di S. Tommaso, il quale, più che altri mai, seppe rivolgere in favore della religione i lumi tutti che potea somministrare la ragione naturale." (*Saggio d'istruz. teol. de Deo uno*, tom. x, opp. edit. Rom.).

1) Cf. Cudworth, loc. cit. §. 62, 27.

2) Ita Frid. Jacobius, in op. *Von den göttlichen Dingen*, etc. seu *De rebus divinis earumque revelatione*, Lipsiæ 1811, pag. 33, 152, 175; qui persuasionem de Deo minime probatione niti affirmat, sed merum esse sensum (Gefühl, sentimento) et instinctum quemdam. Sic pariter Daub, *Theologumena*, III et seqq.; „Clodius, allgemeine Religionslehre, *etc. seu*, Doctrina universalis de religione, *Lipsiæ* 1818; Marheineke, Die Grundlehren, *etc. seu*, Doctrinæ fundamentales christianæ dogmaticæ," Berl. 1819, §§. 23 et seqq. §. 121 apud Wegsch. Verum auctores isti non advertunt, sensum religiosum præsupponere ideas religiosas, ex quibus postea sensus ille profluit; quia, nisi illæ præcederent, nunquam oriri ejusmodi sensus posset, per quem homo in communicatione ponitur cum Deo. Hæc philosophia, quæ omnia collocat in sensu, seu, si placet, in sensu religioso, *sensistica* nuncupatur.

3) Cons. Zallinger. S. J. in opere, quod inscribitur *Disquisitionum Philosophiæ Kantianæ libri duo*, Augustæ Vindel. 1799, præsertim lib. I, cap. 16 et 17.

mata, quibus innituntur demonstrationes mathematicæ, physicæ, metaphysicæ atque morales, diversæ etiam sunt demonstrationes iisdem superstructæ, diversæ, inquam specie tenus; cum cæteroquin in eadem certitudinis atque evidentiæ firmitate consistant omnes, utpote quæ in æque certis et æque ineluctabilibus principiis fundantur; quod philosophi etiam fassi sunt Wolfius, Lockius, Leibnitzius aliique [1]).

42. *Ad* 3^m, *Dist.* Mediate, *conc.* immediate, *neg.* Omnem enim cognitionem, quam de Deo in hac vita habemus, per creaturas nobis comparamus, quæ quidem cognitio *abstractiva* dicitur ut discernatur ab *intuitiva*, quam in altera vita speramus. Ad summum addi potest, quod verissimum est, nos in nobismetipsis experiri invincibilem quamdam propensionem genericam in Deum et quandam supremi hujus Numinis insitam indigentiam, quam ab ipso ortu nobiscum ferimus, perinde ac principia legis naturalis, quæ recte dixeris scripta in cordibus nostris, non autem ad exclusionem illius demonstrationis, quam ex creaturis conficimus; alioquin athei convinci non possent, affirmantes se ejusmodi pondus, ut ita dicam, ac propensionem seu instinctum, ut quidam vocant, in Deum minime persentire, vel comminiscentes ab eo se permoveri tantum ad sibi comparandam in hac vita felicitatem [2]).

43. *Inst.* Ens reale, sive objectum reale, ideæ subjectivæ de Deo respondere non potest, 1° quum ejusmodi ens debeat ex hypothesi esse infinitum, quæ notio negativa est. 2° Hinc homo ideis *anthropomorphisticis* sibi efformat et cudit ideam illam vagam et generalem Dei, quæ proprie non est nisi quoddam ens rationis ac imaginarium. Id magis patet exinde, 3° quod idea ista sic efformata non sit nisi congeries contradictionum, ut Deus nempe sit suimet ipsius principium et finis, utroque carens, neutrius egens, utriusque parens et auctor; quod sit ubique sine loco, immobilis absque statu, pernix sine motu, bonus sine qualitate, sine quantitate magnus, totus sine partibus, liber et immutabilis, infinite justus et misericors, etc. ergo.

44. ***Resp.*** ***Neg.*** *antec. ad* 1^m, *neg.* Notio enim infiniti positiva est, atque juxta aliquos philosophos anterior notioni *finiti*, quæ vere negativa est, quatenus dicit negationem ulterioris

1) Cons. Wolf, *Philos. pract.*, qui sibi assentientes nominat Lockium et Leibnitzium.

2) Hic notari debet nexus ac relatio criticismi germanici cum sensu religioso sansimonianorum, de quibus postea, et Benjamini Constant. Omnia enim recentiora ejusmodi irreligiosa et atheistica systemata ex eodem germine evolvuntur. Philosophia cœpit *subjectiva* esse cum *sensistis*, deinde *subjectiva* facta est cum *idealistis* anglis, quæ perfectionem demum suam nacta est in Germania. In Galliis deductæ fuerunt consecutiones practicæ, et *formam* (ut vocant) adepta est sæculo hoc nostro *sensus impietatis*. Cons. cl. Rosmini, *Frammenti di una storia della empietà*, Milano 1834, p. 117, n. 1.

extensionis et privationem infiniti, ut observat cl. Fenelon [1]); qui præterea censet non posse nos pervenire ad ideam finiti nisi per conceptum infiniti, perinde ac non possumus concipere ægritudinem, quin prius concipiamus valetudinem, cujus illa privatio est. Quare absurdum est negare realitatem infiniti admittendo existentiam finiti, prout absurdum est negare existentiam perfecti, dum admittitur existentia imperfecti. Quid est enim perfectum? Illud cui nihil deest. Quid est imperfectum? Illud cui aliquid deest, quod scilicet magis nihili naturam participat. Igitur si admittitur ut reale illud, cui aliquid deest, cur reale non erit illud, cui nihil deest? Ita ferme ratiocinatur Bossuet [2]). Quod si cum aliis, præsertim recentioribus, magis placet affirmare ideam infiniti ex entibus finitis originem trahere, semper tamen idea infiniti in suo conceptu erit positiva, ut ex dictis colligitur [3]).

45. *Ad* 2^m, *Neg.* Sed potius a perfectionibus, quas homo in se ac in creaturis cæteris experitur atque cognoscit, assurgit ad Deum velut omnium causam a se existentem; qui cum plenitudinem *essendi* in se necessario contineat, a se ipso pariter abigit omnes imperfectiones, quas tum in se tum in creaturis cæteris homo deprehendit tanquam *limitationes*, quæ cum ente necessario ac infinito consistere nullo modo possunt. Cæterum cum homo Deo tribuit eas perfectiones, quas in se velut ente intelligente inesse cognoscit, eas ipsi tribuit *eminentiori* modo, utpote ad causam referens perfectiones, quæ deprehenduntur in effectu; quod cum recta ratione ac sanæ philosophiæ principiis omnino congruit [4]).

1) *Existence de Dieu*, I part., ch. 4, §. 2: „On ne connaît le fini, *inquit*, qu'en lui attribuant une borne, qui est une pure négation d'une plus grande étendue. Ce n'est donc que la privation de l'infini. Or, on ne pourrait jamais se représenter la privation de l'infini, si l'on ne concevait l'infini même, comme on ne pourrait concevoir la maladie, si l'on ne conceveit la santé, dont elle n'est que la privation.

2) *Elevation sur les Mystères.* Cf. etiam dissertatio citata Card. Gerdil, et Maclaurin, *Traité des fluxions*, Introduct. p. 41, etc. Fuse etiam de hoc argumento agit Cudworth, op. cit. cap. v, §. 22 et seqq. cum notis Moshœmii, præsertim nota I ad hanc §; ubi observat distinguendam esse in vocabulis *finiti* et *infiniti* duplicem notionem et potestatem, grammaticalem nempe et philosophicam; posteriorem hanc idem esse apud philosophos ac naturam perfectissimam et absolutissimam: *finita* vero dici, quæ a summa perfectione distant. „Quo sensu, *ita concludit*, si accipiantur hæc nomina, infinitum haud dubie sensum habet positivum, finiti vero notio negativa est."

3) Cons. Baldinotti, Ord. Olivet. *Tentam. methaphysic.* Patavii 1817, cap. VII, de infinito, n. 611; ubi hæc statuit: „Notio infiniti non negans est; est ex finito, non quatenus sit amplificatio ejusdem, sed quia argumentando multiplici illatione eam deducimus ex finito; ipsa denique est notio rei, non meri nominis, non mere idealis, scilicet objectum extra mentem existens eidem respondet." Idem auctor propterea ibidem recte distinguit inter cognitionem alicujus rei ejusque comprehensionem; plura enim cognoscimus, quæ non comprehendimus, ut ex ipso argumento, in quo versamur, patet. Cf. ibid. n. 607 et seqq.

4) Anthropomorphismum inesse corruptis hominibus fere dixerim naturalem, et originem dedisse populis revelatione destitutis prolabendi in absurda commenta circa divinitatem vix negari posse videtur. Exinde enim factum est,

46. *Ad* 3[m], *Dist.* Apparentium, *conc.* realium, *neg.* Cum enim homo limitibus circumscriptus nequeat supremum ac infinitum illud ens mente comprehendere, debet ad proprios conceptus enunciandos illis verborum formulis uti, quæ videntur contradictoriæ, at reapse non sunt. Ac nemo quidem inter homines est, qui in suis de Deo conceptionibus apprehendat reales contradictiones, immo nemo est qui nesciat has in idea Dei locum habere non posse, etsi modum quandoque ignoret, quo diversæ divinæ proprietates inter se componantur. Ex hoc ad summum deducitur deistas, qui in Deum se credere profitentur, urgeri ab atheis iisdem difficultatibus posse, quibus permotos ipsi se profitentur ad abjiciendam religionem revelatam, eo quod ista mysteria contineat excedentia mentis humanæ captum, quæ juxta ipsos est sola credendorum ratio [1]).

DIFFICULTATES.

Adversus argumentum physico-theologicum.

47. I. *Obj.* 1° Ex fortuita atomorum combinatione mundi hujus ædificium atque structura oriri potuit. Nam 2° inter possibiles combinationes quæ a tota æternitate factæ sunt vel fieri

ut homines Deo tribuerint propensiones et cogitationes humanas, ipsaque humanas cupiditates. Ea origo est tot monstruosarum divinitatum, quas polytheistæ invexerunt, dum pluribus diis tribuerunt operationes, quæ divisæ sunt inter plura humana individua, perinde ac si unus omnibus par sive sufficiens minime fuisset iis præstandis. Hinc deus venationis, deus belli, etc. Sic respondebant sylvestres americani primis missionariis europæis, qui illuc appulerant; ita se gesserunt romani, græci, etrusci, etc. unicuique propriam provinciam demandantes. Adeo vero in divinitatibus sibi confingendis progressi sunt polytheistæ, ut ipsam deam scoparum Deverram coluerint, ac deum Sterculum seu Stercutium, de quo Lactantius, *Inst. Div.* lib. I, c. 20, circa finem; S. Augustinus, *De civ. Dei*, lib. XVIII, cap. 15; Prudentius, in *Peristeph.* vers. 449; Plinius, *Hist. nat* lib. XVII, n. 9, edit. Hard. Hac tendentia abusi sunt, qui indidem collegerunt ipsam divinitatis ideam repetendam esse, confundentes nimirum ea, quæ a recta ratiocinatione procedunt, cum iis, quæ nonnisi a depravata natura ac propensione proveniunt. Vid. S. Greg. Naz. *Orat. 35.* Sed longe magis mirandum est, nostros recentiores neotericos philosophos, Germaniæ præsertim ad scholam kantianam pertinentes ejusque propagines, prolapsos esse in alium quodammodo longe pejorem anthropomorphismum, dum non alium Deum admittunt nisi subjectivum, quem nonnisi ipsum hominem seu societatem esse demum collegerunt sansimoniani.

1) Hoc fassus est ipse J. J. Rousseau, qui, etsi rejiciat mysteria religionis revelate, eo quod mente comprehendi non possunt, parum tamen sibi cohærens, loquens de Deo, sic concludit: „Enfin plus je m'efforce de contempler son essence infinie, moins je la connais: mais elle est, cela me suffit; moins je le conçois, plus je l'adore. Je m'humilie, et lui dis: Etre des êtres, je suis, parce que tu es; c'est m'élever à ma source que de te méditer sans cesse. Le plus digne usage de ma raison est de s'anéantir devant toi; c'est mon ravissement d'esprit, c'est le charme de ma faiblesse de me sentir accablé de ta grandeur" (Emile, liv. IV, tom. 3). Cæterum jam ab aliis adnotatum est omnes difficultates, quas promovent deistæ adversus religionem revelatam, æque intorqueri posse ab atheis adversus eos.* Cons. cl. Bonelli, *Esame del deismo*, Roma 1831, cap. 4. pag. 3.

poterant, hæc continebatur; sic ex jactatis innumeris alphabeti literis tum Ilias Homeri, tum Virgilii Æneis effici potuerunt. Id multo magis credibile fit, 3° si cogitemus moleculis materiæ propriam inesse affinitatem, ut jam causa queat assignari, cur inter se coaluerint eo ordine ac dispositione, quam modo conspicimus; ergo.

48. ***Resp. ad*** **1m**, ***Neg.*** tum suppositum, tum assumptum propositi argumenti vere atheistis digni. Negavi suppositum de atomis a se existentibus, cum hoc repugnet, ut patet ex dictis de motu ipsis insito, et tamen necessario ad ejusmodi combinationes efficiendas; est enim materiæ proprietas inertia, quare moveri non potest nisi motu extrinsecus ei obveniente et communicato. Negavi præterea assumptum argumenti, quia cum omnia, quæ in mundo sunt, ad certum finem ordinata sint, non potuit his finis præstitui nisi ab intelligente ordinatore [1]).

49. ***Ad*** **2m**, ***Dist.*** Ab ente intelligente directas ac moderatas, ***conc.*** hoc secluso, ***neg.*** ob rationes allatas. Addatur, hominem mente atque intelligentia præditum fortuitæ combinationis effectum esse non posse. Hinc etiam responsio habetur ad confirmationem desumptam ex possibilitate Iliadis Homeri aut Virgilii Æneidos per fortuitam projectionem literarum. Hæc enim adeo absona sunt atque a communi hominum sensu abhorrentia, ut absque temporis jactura refelli non possint. Ad nos recreandos ab ejusmodi atheistarum nugis, præstiterit Tullii verba in medium afferre. ***Hic ego non mirer***, inquit, ***esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quædam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimet fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ literarum vel aureæ vel quales libet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant, ex corpu-***

1) Cons. Gerdil. diss. cit., ubi data opera ostendit impossibilem et absurdam esse hypothesim Epicuri eorumque omnium, qui eum secuti sunt, non solum quia in ea plura gratuito supponuntur, quæ nulla ratione admitti possunt, cujusmodi esset multitudo infinita atomorum; earum necessaria existentia, motus ipsis insitus et essentialis, gravitas absque centro, aliaque ejusmodi, quæ a sana philosophia abhorrent; sed etiam ex eo quod se ipsum destruat systema Epicuri. Si enim ponatur numerus atomorum infinitus, atomi commensurarentur spatio infinito, ideoque nec moveri possent, quod si ponatur finitus, nunquam inter se convenire ac cohærere atomi potuissent in spatio infinito, ut fatetur ipse Lucretius, qui ita canit:

Sic tibi si finita semel primordia quædam
Constitues, ævum debebunt sparsa per omne
Disjectare æstus diversi materiei.
. . . .
Esse igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam est.

Absurdum Epicuri systema non minus eleganter quam energice everterat ipse Tullius, *De nat. deorum*, lib. I.

sculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere atque casu, mundum esse perfectum? . . . Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? Quæ sunt minus operosa et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam admirabilem cœli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur [1].

50. *Ad* 3^m, *Dist.* Ab extrinseco seu a Deo communicata, *conc.* a se, *neg.* Ex nulla enim intrinseca necessitate ejusmodi materiæ moleculæ hac proprietate affinitatis pollent, eo ipso quod necessitate propria atque intrinseca minime existant.

51. II. *Obj.* 1° Argumentum deductum ex mundi structura et ordine non evincit existentiam Dei seu conditoris, sed tantum ordinatoris alicujus atque ædificatoris, nec moralem Dei naturam sufficienter exponit. 2° Tum præsertim eo nomine nutat, quod idea mundi visibilis ipsiusque finalitatis nonnisi subjectiva sit, id est, in mente nostra residens, et quod incertum semper maneat an res, sive objecta, ideis respondeant. Ita Kantius [2].

1) *De nat. deor.* lib. II, cap. 37, ed. Taur. Integer fere hic liber esset exscribendus, si omnia pulcherrime dicta atque ad rem nostram idonea referre quis vellet.

2) Kantius ponit ut fundamentum suæ philosophiæ *experientiam*. Experientia vero juxta ipsum respectu facultatum nostrarum binos fontes habet et duplici elementorum specie coalescit; oritur nempe a *sensibilitate* et ab *intellectu*, id est, a *passibilitate* et *activitate*, seu principio *passivo* et principio *activo*. Ipsa rursum componitur ex duplici elementorum specie, quorum alia sunt *subjectiva*, alia *objectiva*. Elementa subjectiva nullum habent valorem objectivum, nisi ut formæ objectivorum, ac propterea in collatione seu *combinatione* cum istis; extra ejusmodi collationem nullam habent realitatem. Hinc kantianismus definiri potest *idealismus transcendentalis ac realismus empyricus*, quoniam ipse nullam admittit realitatem a *priori*, sed in experientia tantum Elementa subjectiva, quæ inveniuntur in nostris conceptionibus empyricis, duplicis speciei sunt; alia sunt in objectis quatenus sentiuntur, alia quatenus cogitantur. Activitas intellectus consistit in *synthesi* et in *analysi*. Ex applicatione horum principiorum Kantius omnes demonstrationes hucusque datas existentiæ Dei rejicit: tum *ontologicam*, quia non existit nisi in conceptu nostro; tum *cosmologicam*, quia series contingentium est series phænomenorum (et cum ex contingentia phænomenorum deducitur *contingentia* totius universi in se spectati, juxta ipsum sophisma conficitur; causalitas enim juxta criticismum pertinet ad phænomena, non autem ad res in se ipsis spectatas); tum denique *physico-theologicam*, quæ ab ordine hujus universi progreditur ad evincendam existentiam Auctoris sapientissimi; quia hoc argumentum pariter supponit valorem realem principii causalitatis. His omnibus probationibus Kantius in sua *Critica rationis practicæ* sufficit alias deductas ab idea Dei legislatoris et felicitatis humanæ. Kantius igitur, sublatis, receptis communi calculo Dei existentiæ demonstrationibus, hanc solam suam substituit: Ratio practica necessariam ostendit societatem seu nexum felicitatis cum virtute; ad felicitatem tendimus quatenus entia moralia. Pro hac societate necessaria immortalitas, remuneratio aut pœna futura, Dei cum suis attributis existentia. Porro, prosequitur Kantius, cum debeat admitti id quod est neccesarii finis necessarium *medium*, illa habenda erunt ut vera, non vi *cognitionis*, sed *fide practica*. Est enim ratio practica *principium credendi*, non *cognoscendi*. Credere, ut ipse explicat, est aliquid admittere ut verum ex ratione sufficiente subjecti, non autem objecti; cognoscitur autem quod ratione subjecti et objecti certum est. Quare veritatis illæ sunt *postulata ra-*

52. *Resp. ad* 1^m, *Dist.* Et hoc ad propositum nostrum, evincendi nempe adversus atheos existentiam Dei, nobis sufficit, *conc.* non sufficit, *neg.* Etenim athei non solum conditorem negant, sed etiam ordinatorem intelligentia ac libertate præditum existere inficiantur; ideoque tot hypotheses excogitarunt ad reddendam rationem hujus universi tam affabre elaborati. Si igitur ostenderimus, prout ostensum est, hujus mundi dispositionem, pulchritudinem et ordinem necessario exigere quempiam ordinatorem a mundo ipso distinctum, causam jam vicimus. Et hæc quidem ex quadam, ut ita dicam, liberalitate erga impugnatores nostros et juxta eorum principia. Etenim falsum absolute est hunc mundum adspectabilem sive structuram universi non evincere nisi existentiam ordinatoris, non autem conditoris; tum quia in mundo homines sunt, quorum actus liberi non poterant præsciri, nisi ab intelligentia infinita, et tamen præsciri debuerunt; tum quia creatio atomorum omnino necessaria est, cum non potuerint esse a se ipsis. Cæterum huic præmisimus argumentum ex necessitate entis ac primæ causæ deductum. Si hæc simul uniantur; demonstratio absoluta evadit. Ad id vero, quod addit Kantius, argumentum istud cosmologicum non sufficienter exponere moralem Dei naturam, reponimus falsum id esse, spectata generalitate propositionis; etenim inter cætera, quæ complectitur hæc universitas rerum, homo ipse reperitur, in quo moralis Dei natura mirabiliter elucet.

53. *Ad* 2^m, *Neg.* Dato enim, quod idea mundi visibilis non sit nisi subjectiva (quod pariter ex dictis falsum est), attamen existit saltem in mente nostra ac proinde realis est. Jam vero si realis est idea ista, ex principio causalitatis, cujus viam a philosophis jam demonstratam supponimus, ab aliqua causa provenire debet. Et quoniam mens nostra in hujusmodi idea, teste intimo sensu, *passive* omnino se habet, causa illa ab ipsa mente distincta sit oportet; ac proinde aut erit Deus, aut certe ex causarum nexu ad primam necessariam causam, nempe Deum omnino nos ducet. Quod si Kantianus ideam illam a mente ipsa profluere, ejusque quasi formam ac legem esse contendet, profecto mentem ipsam, ejusdem ratiocinationis ope, ab aliqua causa provenire probabitur, et cum contingens ac finita sit, tandem ad primam causam necessariam, atque infinitam inde

tionis practicæ quæ ad scientias non pertinent; vi veritatis, vi objectiva carent, nec sunt demonstrabiles, neccessario tamen sunt cum rationis legibus connexæ. Cf. *Kritik der reinen Vernunft*, pag. 620. Ergo ex Kantio existentia Dei, immortalitas animorum, etc., pendent a mero *postulato*! Ergo ipsius demonstratio pure subjectiva est. Quid si diceretur homo ad solam felicitatem temporalem et sensibilem factus? Rueret ipsius demonstratio! Quomodo criticismus degeneret in rationalismum, idealismum, etc. ostendit Baldinotti, opera cit. in appendice ad suam metaphisicam generalem.

nobis erit assurgendum, itaque etsi non constaret, seu nullum daretur medium, quo demonstrari posset huic ideæ respondere res atque objecta externa, non minus firma subsisteret existentiæ Dei demonstratio (in hypothesi etiam adversarii). Dei porro existentia constituta, progredimur ad ejus proprietates rimandas, inter quas deprehendimus ipsius bonitatem ac veracitatem, ex quibus rursum concludimus reipsa existere objecta externa; quia repugnat summæ Dei veracitati ac bonitati ingerere invincibilem illam, quam experimur, inclinationem ad admittendam realitatem objectorum, quæ in sensus nostros agant, si hæc objecta revera non existunt; deciperemur enim perpetuo, in errorem necessarium incideremus, nec unquam de deceptione et errore moneremur. Hinc etiam inferas, nos ex principio quod Kantiani nisi desipere velint necessario admittere debent, directe Dei existentiam evincere, indirecte autem realem conformitatem inter ideas subjectivas et objectivas [1]).

54. III. *Obj.* 1° Præcipua vis argumenti ad ostendendam saltem existentiam supremi cujusdam ordinatoris sapientissimi innititur systemati *causarum finalium*; ast causæ finales nullæ dantur: ignorantia enim connexionis eventuum particularium cum systemate totius universi eas peperit; quæ proinde in dies magis evanescunt, quo scientia physica in dies proficit magis. Sana philosophia non videt in istis causis finalibus nisi expressionem ignorantiæ, in qua versamur causarum verarum, quæ nempe inhærent rebus ipsis [2]). 2° Sane deductio existentiæ Dei

1) Everso autem systemate fundamentali philosophiæ kantianæ, necessario ruunt quæ ipse deduxit; jam vero hoc præstitum a pluribus est, qui apertas contradictiones in philosophia kantiana ostenderunt. Consuli inter cæteros potest Galuppi, *Elementi di filosofia*, tom. III. *Dell' ideologia*, Messina 1827., lett. XI et XII, præsertim vero in suo *Saggio filosofico sulla critica della conoscenza*, vol. V. Nos enim hæc philosophis relinquimus. Cl. autem Rosmini (*Opuscoli filosofici*, Milano 1827, vol. I, pag. 108—109) ostendit Kantium ipsum ademisse suæ demonstrationi, seu potius *postulato* ex ratione practica de existentia Dei, omnem vim, eo ipso quod non admiserit hominis naturam fuisse sapienter constitutam, et convenientiam, quam inter felicitatem et virtutem deprehendimus, non esse nisi apparentem, et hinc nihil posse juxta rationem theoreticam, in hujus auctoris systemate, jure concludi. Etenim, ut posset affirmari quidquid nobis videtur, seu se se offert ut conveniens, debere aliquando evenire, necesse esset, juxta Kantium, transcendere finis omnes et limites humani intellectus. Inductionibus igitur rationis practicæ ac sua postulata talem nexum habent cum ratione theoretica, ut ab ipsa declarentur gratuita. „Raccogliamo almeno di buono, *jurat concludere verbis cl. auctoris*, da così desolante filosofia questa preziosa confessione, che l'esistenza di Dio è pur ciò, che riempie il vuoto della umana natura, ciò, che questa natura sente a se medesima neccessario, ciò, a cui incessantemente e irrepugnabilmente sospira: confessione che fa'il maggiore encomio alle filosofie, le quali insegnano essere questa esistenza dimostrabile, e che fa la maggior condanna del criticismo. Potrà l'uomo abbracciare un sistema che dichiara impossibile dimostrare ciò, che alla sua natura è assolutamente necessario di ammettere?... Adunque la prova morale, onde Kant vuole dimostrare la divina esistenza o non prova nulla, o se prova, prova insieme colla divina esistenza anche la falsità, e l'impossibilità del kantiano sistema."

2) Ita La Place, *Essai philosophique sur les probabilités*, Paris 1816, 3. edit. pag. 2.

ex causis finalibus supponit Ens supremum agere juxta præstitutos fines, prout agere nos consuevimus in actionibus nostris liberis ac deliberatis, quod est statuere Deum homini similem, seu anthropomorphismum; ergo 1).

55. ***Resp. ad*** 1m, *conc. maj. neg. min.* Adductam vero probationem ex ignorantia nostra verarum causarum, *dist.* Sana philosophia excludit principium perperam dictum causarum finalium, ex quo nonnulli philosophi sibi arrogarunt explicationem tot naturæ phænomenorum, *conc.* excludit veras causas finales, *neg.* Respui debet a sana philosophia illorum agendi ratio, qui per errorem excogitarunt causas finales ad explicanda nonnulla phænomena, quorum veram causam ignorabant, e. g. cum per horrorem a vacuo exponebant ascensum aquæ per anthlias aspirantes; et sic de cæteris ejusmodi dicatur, quæ utique evanuerunt, quo majores progressus physica assecuta est; de his porro hic non loquimur sed si sermo instituitur de causis, quæ producunt aliquos effectus ob determinatos fines, quasque propterea *finales* vocamus, tantum abest ut sana philosophia eas excludat, ut negare illas nemo possit, quin neget aliquas causas producere realiter eos effectus, quos producunt. Non solum proinde nulla haberetur contradictio inter causas physicas finales, potius causæ physicæ finalibus inserviunt. Quænam sane contradictio invenitur inter hanc espressionem: cor est potentia principalis, quæ impellit sanguinem in vasa; et aliam: cor est potentia principalis, quæ impellit sanguinem in vasa, ut per totam machinam animalem diffundatur? Propterea qui rejicit causas finales, statuere debet nec oculum ad videndum, nec aures ad audiendum, nec solem ad illuminandum, nec ignem ad calefaciendum, etc. facta esse, quæ quidem assertiones omnes sensui naturæ communi evidenter adversantur. Ut hoc magis patefiat, ponatur exemplum oculi. Nimirum oculus ita constructus est, ut ab ipso producantur illæ modificationes lucis, ex quibus visio consurgit; ergo, cum ejusmodi modificationes velut causam propriam agnoscant dictam structuram oculi, quarum quidem consecutio seu finis est visio, sequitur talem structuram seu oculum ita constructum causam realem esse cujusdam effectus ducentis ad quemdam finem, ac propterea causam finalem.

56. ***Dices:*** Fieri posset ut talis structura sic effecta fuerit, non ut inserviret lucis modificationi, sed ex accidentali rerum eventu seu casu.

57. ***Resp. neg.*** Quia ea, quæ casu fiunt, non sunt constantia et uniformia, prout cernimus tum in oculo tum in cæteris corporis nostri organis esse. Secus qui horologium spectaret horas indicans, dicere posset sphærulam, quæ constanter et

1) Hume, *Inquiry concern. human Understanding, sect.* XI, pag. 150, 160.

uniformiter movetur ad horas indicandas, id casu præstare, quod esset omnino absonum [1]).

58. *Ad* 2^{m}, *Dist.* Id est, esset ex liberis ac deliberatis hominis actionibus, quæ ad certum finem ponuntur, analogice assurgere ad Deum, *conc.* esset Deum similem prorsus homini efficere, *neg.* Nempe cum tot mirabiles effectus homo cernat in hac rerum universitate, qui præstitutos fines habent, atque intelligat ejusmodi fines non posse adscribi rebus ipsis materialibus, sed dispositioni alicui ipsis extrinsecæ, infert mentem aliquam, infinita sapientia præditam, quæ res ipsas ita disposuerit, seu fines illos peculiares ipsis præstituerit, et quidem libere, quum nihil repugnet diversum ordinem Deum potuisse statuere. Physici jam fatentur per se nullam esse intrinsecam rationem, corpora potius tellurem versus descendant, quam ascendant [2]).

59. *Inst.* Ex effectu tota causæ essentia cognosci non potest. Nam ex effectu non possumus nec plures nec alias proprietates vel qualitates causæ tribuere, quam eas, quas in effectu deprehendimus. Quare essentiam divinitatis ex finita rerum natura cognoscere non possumus [3]).

60. *Resp.* 1° Dato toto argumento, negamus aliquid inde contra nos deduci. Non enim hic agitur de essentia Dei cognoscenda, sed de existentia. *Resp.* 2° *Dist.* Ex effectu non possumus essentiam infinitam divinitatis cognoscere adæquate, *conc.* inadæquate, *neg.* [4]).

61. *Inst.* 1° Ex hoc argumento physico-theologico non exurgit nisi probabilis conjectura vel præsumptio existentiæ Dei; deberet proinde istud argumentum ab institutionibus theologicis expungi [5]). Et sane 2° si nulla certitudo haberi potest, nisi supposita Dei existentia, quæ tamen non habetur 3° nisi per fidem, et quæ est prima veritas, nunquam poterit ex ratione

1) Cons. Ruffini, *Riflessioni critiche sopra il saggio filosofico intorno alle probabilità*, etc. Modena 1821, part. II, pag. 35 et 54.

De causis finalibus etiam fuse agit Bergier, *Traité hist. et dogmat. de la vraie relig.* tom. II, ch. 4. art. 9, § I. seqq.

2) Cons. inter cæteros D. Hauy, *Traité élementaire de physique*, 3. edit. Paris 1821, tom. I, Introduction, p. 4, ubi citat Newtonis opus *Opticæ lucis*, lib. III, quæst. 28. Cons. etiam §. 4, *De la divisibilité*, n. 28 et art. II, *De l'attraction*, n. 29. Hoc ipsum clariori in lumine ponit J. B. Pianciani S. J. *instituzioni fisico-chimiche*, *Roma* 1833, vol. I, Introduzione, pag. 16 et seq. Sed legendus Newton ipse in op. *Philosophiæ naturalis principia mathematica*, edit. 2. pag. 284. et seqq. vol. in 4, Cantabrigiæ 1713, ubi plura magnifice scribit de Dei consilio, dominio, majestate, virtute, providentia, immensitate cæterisque ejusdem attributis. Attamen Leibnitzius accusat Newton, quod non satis alte de Deo senserit. Cfr. *Pensees de Leibnitz sur la réligion et sur la morale*, Paris 1819. Cujus quidem censuræ causam suo loco expendemus.

3) Hume, loc. cit. p. 151.

4) Quomodo ex ordine hujus universi pervenire possimus ad cognitionem existentiæ, non solum Ordinatoris sapientissimi, sed etiam conditoris, ostendit Suarez, *Metaph.* tom. II. disp. 29, sect. 2, §. 9.

5) Sic Ziegler, *Beiträge zur geschichte*, etc. nempe *Collationes ad hist. fidei exist. Dei in theol.* et Schleiermacher, *Der christ. Glaube*, etc. seu, *Fides christiana*, etc. I, pag. 170 seqq.

individuali confici demonstratio Dei existentiæ, cum nec de ipsa rationis individualis existentia, nondum supposita existentia Dei, certus qui esse possit; ac proinde ordinem inverteret, qui sic argumentaretur: ***Ego existo, ergo existit Deus, vel: Mundus existit, ergo existit Deus*** 1).

62. ***Resp. Ad*** 1m, ***Neg.*** Cum scripturæ perpetuo ad istud argumenti genus homines provocent. Sic in lib. Job. (XII, 7.) legitur: ***Interroga jumenta et docebunt te; et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?*** Tum in lib. Sapientiæ (XIII, 1. et seqq.): ***Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.*** Et alibi passim, adeo ut apostolus philosophos ***inexcusabiles*** vocet, eo quod Deum, ab ipsis lumine rationis cognitum ex iis, quæ facta sunt, non glorificaverint (Rom. I, 20.). Itaque non agitur tantum de probabilitate vel conjectura, sed de certitudine qua homo ex his, quæ facta sunt, Dei cognitionem habere potest; alioquin nec ***vani*** neque ***inex-***

1) Ita in vol. II, op. *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, edit. 4, Paris 1822. Juvat hic nonnulla in medium afferre ex iis quæ auctor hujus libri sparsim scribit de hoc argumento, ut melius ipsius principia cognoscantur: „Tout ce qu'affirme comme vrai une raison qui peut se tromper peut être faux, tout ce qu'elle affirme comme faux peut être vrai. Donc rien de ce qu'affirme une raison faillible n'est certain (Préf. pag. VII.) Qu'est l'autorité à laquelle tous les esprits doivent obéir? Est-ce l'autorité d'un ou de quelques hommes? Non; mais la raison générale manifestée par le témoignage ou par la parole, *Ibid. pag.* CXII (ast nonne *uni* vel *aliquot hominibus* Christus dixit: *Euntes docete?* Numquid omnes non tenebantur ipsis obedire?) Suis-je certain que je sens? Quelle autre preuve en ai-je que ma sensation même, ou plutôt je ne sais quelle croyance souvent trompeuse, etc. (p. 7 et 8). Toute certitude repose sur la connaissance de Dieu (pag. 41 note). Oublions un instant que Dieu est, comment pourrez vous être certain d'une existence impossibile, si Dieu n'est pas (n. p. 45). Il suffit que la raison individuelle puisse se tromper sur un seul principe, sur une seule conséquence, sur un seul point quelconque, pour que tout ce qui lui paraît évident devienne douteux (p. 106). Chercher la certitude de notre existence, c'est en chercher la raison qui n'est pas en nous, *ibid.* (Hic auctor ut in pluribus aliis locis confundit causam existentiæ cum certitudine hypothetica existentiæ. Haud dubie sensus intimus nobis præbet certitudinem completam existentiæ nostræ). Aucun être créé, s'il ne commençait pas à dire: Je crois, ne pourrait jamais dire: Je suis, p 223 (*Ego credo* perinde valet ac *ego sum credens*, ergo affirmatio: *Ego sum*, præcidit illam: *Ego credo)* Dieu pourrait-il tromper l'homme, ou lui révéler l'erreur? Il y a contradiction dans les termes, car on ne révèle que ce qui est, et l'erreur n'est pas," p. 128 n. (Auctor potuisset discere ex S. Thoma distinctionem inter errorem in rebus et errorem qui est in mente. Error in rebus *non est* seu non existit, ut fertur, a parte rei; ast error sæpe existit in mente; etenim judicium falsum est operatio mentis, ac proinde in ipsa est). Et hæc speciminis gratia attulisse sufficiat. Ex his tamen quilibet sibi potest ideam efformare vani et erronei illius philosophici systematis ac novæ ejusmodi philosophandi methodi, quam merito Gregorius XVI, in sua encyclica data sub die 26. Junii 1834, reprobavit. Ejus verba inferius referemus. Cons. Rozaven S. J. in op. *Examen d'un ouvrage intitulé, Des doctrines philosophiques*, etc. Avignon 1831, ch. 4.

cusabiles dicerentur, qui eum ignorant. Quare hoc argumentum a theologia amoveri non debet, quinimo est maxime theologi proprium; ut patres ipsi facto suo ostenderunt [1]).

63. *Ad* 2m, *Neg.* Hoc enim est commentum non minus antiquitati quam sanæ philosophiæ contrarium. Nam nisi logice saltem prius constaret de mei ipsius, seu, ut fertur, mei *ego* existentia, nulla omnino esset via, nullum suppeteret medium sive ad cognoscendum testimonium generis humani, ex quo juxta adversarios pendet certitudo existentiæ tum Dei tum meæ, quod est vere paradoxum, sive ad deprehendendam existentiam revelationis. Nec enim possum cognoscere ea, quæ sunt extra me, nisi per media, quæ sunt in me; sed si ista media fallacia et incerta sunt, quomodo potero mihi comparare certitudinem eorum, quæ extra me sita sunt? Addo scripturam contrarium omnino supponere, ut ex allatis testimoniis aliisque prope innumeris, quæ afferi possent, compertum fit. Idem dicendum de patribus et theologis, præsertim S. Thoma, qui quinque affert argumenta physico-theologica ad Dei existentiam evincendam [2]).

64. *Ad* 3m, *Dist.* Ut auctor ordinis supernaturalis, *conc.* ut auctor naturæ, *neg.* Nam, ut supra animadvertimus, tum per fidem, tum per rationem, Dei cognitio haberi potest [3]). Ad id quod subditur de Deo, quod sit prima veritas, *dist.* est prima veritas methaphysica, *conc.* logica, *neg.* Hinc *neg. conseq.* quæ præterea innititur falso principio, quod scilicet individualis ratio semper et in omnibus casibus fallax sit, quod pariter a sana philosophia respuitur, ut logici suo loco docent; sic ex dictis ruunt cætera omnia, quæ subjiciuntur.

DIFFICULTATES.

Adversus argumentum morale.

65. I. *Obj.* Incertum est factum, cui innititur argumentum morale. 1° Plures veteres populi ab antiquis scriptoribus athei perhibentur. 2° Plures recentiores viatores idem testantur de populis sylvestribus recens detectis. 3° Plures adhuc populi no-

1) Cfr. Petavius, *De Deo*, lib. I, cap. I et seqq.

2) I. p. q. 2. ag. 3.

3) S. Thomas, *Contra gentes*, lib. I, cap. 3: „Est autem, *inquit*, in his, quæ de Deo confitemur, duplex veritatis modus. Quædam namque vera sunt de Deo, quæ omnem facultatem humanæ rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum. Quædam vero sunt, ad quæ etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse, Deum esse unum, et alia hujusmodi, quæ etiam philosophi demonstrative de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis.” Ex his pariter refellitur Bautain, qui negat fieri posse, ut homo sola ratione possit sibi comparare Dei ejusque attributorum cognitionem. Cons. *Avertissement*, pag. 5, quæ assertio periculi plena est et contraria patribus, theologis, imo vel ipsi scripturæ, ut ex dictis constat. Recolantur tamen quæ paulo ante de Bautainio scripsimus.

bis incogniti sunt, nihil propterea de istis affirmari potest. Sed quod maximi faciendum est, 4° plures sive antiqui sive recentiores philosophi atheismum professi sunt; 5° porro philosophorum auctoritas præferenda est opinioni populorum, rudium præsertim ac barbarorum [1]; ergo.

66. ***Resp.*** ***Neg.*** *antec.* *Ad* 1^m, ***Dist.*** Athei perhibentur, at immerito, *conc.* vere ac merito, *neg.* Nemo enim ex antiquis illis scriptoribus, qui diversos populos velut atheos traducunt, eos invisit, sed falsis rumoribus decipi potuerunt, ex eo quod vel idola non colerent, vel numina diversa ab iis, quæ illi colebant, adorarent. Hac de causa judæos, christianos, gallos atheos proclamarunt. Præterea in eam ire sententiam potuerunt ex projectis moribus illorum populorum, ut sæpe etiam contigit. Cæterum adeo constans erat apud veteres factum istud, quod propugnamus, ut præstantissimi philosophi Plato, Aristoteles, Cicero, Plutarchus, Maximus Tyrius, Epictetus aliique eo usi fuerint ad Dei existentiam adstruendam. Epicurus ipse illud admittebat [2].

67. *Ad* 2^m, ***Dist.*** Absque ratione ac nimia animi levitate ducti, *conc.* rei veritate, *neg.* Etenim postea compertum est eos ipsos populos, quos nulla religione detineri antea dixerunt nonnulli, et divinitatem coluisse, et suos habuisse ritus, etc. [3]. Nunc extra omnis dubitationis aleam factum istud habent increduli ipsi, nec athei illud amplius inficiantur. Fatentur enim populum, quo magis rudis est ac sylvester, eo magis propensum esse ad deos sibi fingendos [4]; difficile omnino esse populum invenire, qui quamdam immortalitatis speciem animabus nostris non tribuat [5]. Ex quo concludunt deorum imperium inexterminabile esse.

68. *Ad* 3^m, ***Resp.*** 1° Ergo nihil ex ipsis adversus Dei existentiam concludi potest. ***Resp.*** 2° ***Dist.*** Ita tamen ut ex analogia concludere jure possimus eos a cæteris non dissentire, eo ipso quod cæteris populis similes sint, *conc.* secus, *neg.* Cum isti homines ab eadem origine proveniant, ac eadem naturæ propensione donati sint, nullum dubium subesse potest eos di-

1) Bayle, *Contin. des Pensées div.* a §. 7 ad 31, item *Rép. aux quest. d'un prov.* a cap. 95. ad 113; Voltaire, *Essai sur l'histoire générale*, tom. I, chap. 6, pag. 91.

2) Cicero, *De natura deorum*, lib. I, cap. 16: „Solus enim", *inquit*, vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habet sine doctrina anticipationem quamdam deorum? Quam appellat *πρόληψιν* Epicurus, etc." Et alibi.

3) Cons. Bergier, *op. cit.* tom. II, chap. 4, art. 12, §. 1 et seqq.; Feller, *Catechisme philosophique*, liv. I, chap. I, §. 7; Tournemine, *Réflexions sur l'athéisme*, ad calcem operis, quod inscribitur *Demonstration de l'existence de Dieu, par Fénélon*, édit. Lyon 1805.

4) *Syst. de la nat.* 2. part. chap. 10 et 11.

5) Ibid. tom. I, ch. 13, pag. 260, 275, 279, *Lettre de Trasibule.* p. 285.

vinitatis ideam pariter habere, prout semper compertum est illam habuisse omnes, quotquot detecti sunt. Quod si aliqui athei reipsa reperirentur, velut generis humani monstra spectari deberent, neque ex iis de humani generis sensu judicium effingi posset [1]).

69. ***Ad*** 4^m^, ***Dist.*** Qui fuerint vel sint athei practici, plures enumerantur, ***conc.*** dogmatici sive speculativi, ***neg.*** Pauci omnino isti recensentur, neque unquam sectam constituerunt [2]).

70. ***Ad*** 5^m^, ***Dist.*** Philosophorum re nempe et nomine, ***conc.*** nomine et quidem immerito sibi assumpto, ***neg.*** Auctoritatis philosophorum in iis, quæ ad sensum naturæ communem spectant, nec doctrinam exigunt, sunt minoris auctoritatis, quam populus ipse, si extrinsecum, ut ita dicam, nomen quoddam excipias. Quis enim philosophos dicat eos, quorum philosophia in sola impietatis professione consistit? His igitur naturæ monstris merito præferuntur rudes atque inculti populi, qui naturæ ductum, communem sensum et antiquam traditionem sequuti, veritatem conservarunt, quam illi nulla convictione ducti, imo reluctante conscientia obstinate rejiciunt. Nego præterea suppositum ex dictis.

71. II. ***Obj.*** Dato etiam facto, nihil inde deducitur, quia hæc Dei notio repeti potest 1° ex timore juxta illud Petronii dictum:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo
Fulmina cum caderent [3]);

Vel 2° ex ignorantia legum physicarum, qua factum est, ut Deo tribuerentur phænomena, quorum causa ignorabatur; 3° ex domestica institutione, 4° ex sacerdotum fraude; 5° ex legislatorum auctoritate; vel 6° ex quadam propensione homini naturali; ergo.

72. ***Resp. ad*** 1^m^, ***Neg.*** cum videamus apud omnes populos divinitatem coli conviviis, ludis, spectaculis, diebus festis, etc. Prima sacrificia, quorum mentio fit in historia, sunt illa, quæ obtulerunt Cain et Abel, quæ tamen pro objecto non habebant nisi gratiarum actionem pro acceptis beneficiis et testimonium erga Dei majestatem ac bonitatem. Addatur timorem potius causam esse, cur athei quærant sibi persuadere Deum non esse;

1) Certe Cotta apud Ciceronem, ***De nat. deor.*** lib. I, cap. 23, nullum gentium exemplum protulit atheorum, sed contentus fuit vagum ingerere dubium, ***equidem arbitror***, inquiens; ***multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit.***

2) Observat comes De Maistre in opere, quod inscribitur ***De l'Eglise gallicane***, lib. I, chap. 9: ***Pour l'honneur du genre humain l'athéisme jusqu' à nos jours peut-être, n'a jamais été une secte.*** Imo plures sunt, qui absolute negant exstitisse veros atheos positivos et ex vera persuasione. Cons. Tournémine loc. cit. et Feller pariter loc. cit.

3) In fragmentis, pag. 676, edit. Burmann. Petronius merito dictus est ***auctor purissimæ impuritatis.*** Ex hoc autem auctore mutuatus est Reynal, sive auctor operis, quod inscribitur ***Histoire philosophique et politique des deux Indes***, liv. VII, pag. I, suam religionis definitionem: „La religion est l'effet du sentiment de nos maux et de la crainte des puissances invisibles.

constat enim quo scelestiores homines sunt, eo magis illos dubitare de Dei existentia ob conceptum pœnarum metum. Ex quibus merito concludimus timorem potius atheismi originem esse, quam inductæ persuasionis Dei existentiæ. Profecto non timeretur Deus, nisi prius ejus existentia crederetur [1]). Dogma existentiæ Dei opponitur omnibus cupiditatibus; hinc oritur illa, quam recte comes de Maistre vocavit *theophobian* seu Dei horrorem, qua non parum laborant philosophi materialistæ.

73. *Ad* 2m, Pariter *Neg.* Alioquin quo populi cultiores fierent, minus in Deum crederent, attamen experientia contrarium evincit. Physici ac philosophi qui peritiores, iidem et religiosiores quoque fuerunt, ut exempla Newtoni, Euleri, Galilei aliorumque confirmant. Hinc celebre illud Baconis a Verulamio dictum: ***Leves gustus in philosophia movere fortasse posse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere*** [2]).

74. *Ad* 3m, *Neg.* In primis enim quæri posset, qui factum fuerit, ut domestica institutio, quæ in reliquis omnibus apud diversas nationes adeo varia est, in hoc solum fuerit adeo constans ac uniformis? Deinde dicimus non potuisse hujusmodi institutionem induci, nisi præcessisset cognitio existentiæ Dei.

75. *Ad* 4m, *Neg.* Aliter deberent prius supponi sacerdotes quam Deus, ad cujus cultum sacerdotes instituti sunt quod est absurdum. Sublata enim idea Dei nullum jam locum habere potest sacerdotium, quod ad Deum honorandum assumitur.

76. *Ad* 5o, Eadem ratione negatur, nisi enim prius in populis viguisset persuasio existentiæ Dei, nunquam potuissent legislatores eo medio uti ad populos in officio continendos cum idea Dei et religionis anterior sit qualibet societate [3]). Facta in-

1) Cl. Gerdilius agnoscit fontem et originem universalis consensionis omnium hominum circa divinitatis cultum in prænotione quadam anteriori justi et injusti, quæ includit prænotionem Dei supremi legislatoris. Præstat ipsius verba afferre: „Cantisi pure, *ait ipse*, quanto si vuole il celebre verso: *Primus in orbe Deos fecit timor;* il timor non avrebbe giammai potuto creare gli dei nella fantasia degli uomini, se non avesse già trovata la mente loro imbevuta delle nozioni del giusto e dell' ingiusto, per le quali conoscendo essi le loro scelleraggini e condannandole internamente, e degne stimandole di vitupero e di castigo, cominciassero a provare i crudeli rimordimenti della macchiata coscienza. Nè questo timore eccitato dalla coscienza del delitto più oltre sarebbe proceduto, nè ad altro avrebbe potuto indurre gli uomini, che a cercare un compenso contro la vendetta degli altri uomini, nè mai avrebbe avuto forza di ideare un punitore in cielo, se creduto non avessero, che l'iniquità è rea in se stessa, non solo da fuggirsi, perchè viene dagli altri uomini castigata per lo male, che ne ricevono, e se a questa nozione morale del giusto e dell'ingiusto non andasse naturalmente unita la *prenozione almeno confusa del supremo legislatore*, il quale prima dell'areopago e prima degli editti del pretore ha segnato ed impresso con eterni caratteri e vivaci la legge, che vieta l'omicidio, ed il tradimento, e rende odiosa allo scellerato stesso la propria malvagità. *Cons. in* Discorso preliminare delle disposizioni dello spirito nello studio della religione," pag. 77 et seqq. opp. edit. Rom. tom. IX. Cons. etiam Cicero, lib. I, *De legibus.*

2) *De augm. scient.* lib. I.

3) Cons. opusculum *Origine des lois, des arts. et des sciences*, part. I, liv. I,

super ac monumenta historica adversariis refragantur. Non desunt ex atheorum antesignanis, qui effutiant divinitatem maximum esse regum hostem [1]), nec potuisse propterea ab ipsis excogitari.

77. *Ad* 6m, *Dist.* Ex propensione homini naturali una cum persuasione, *conc.* ex sola propensione in sensu adversarii, *neg.* Nullum utique dubium est hominem in se experiri veram indigentiam religionis, ac proinde existentiæ Dei; non minus enim Deus cordi nostro necessarius est, quam cibus nostræ conservationi. Attamen hæc propensio non excludit imo supponit intimam persuasionem Dei existentis, quem omni classi et ordini cœli ac terra atque omnia et singula objecta perpetuo prædicant; siquidem fieri nequit, ut homo identidem extra se veluti raptus naturæ contemplatione secum non reputet conditam eam esse a suprema, omnipotenti ac sapientissima causa, quæ se prodit in maximis et in minimis objectis eorumque mirabili relatione, motu, legibus, etc.

78. III. *Obj.* 1° Errores non pauci universales fuerunt, uti eclipseon et meteorarum timor, opinio motus solis circa tellurem, astrologia judiciaria, polytheismus atque idololatria, aliaque non pauca; ex unanimi igitur populorum consensione frustra Dei existentia adstruitur; præsertim 2° cum nullus populus fuerit, qui rectam de Deo notionem habuerit, 3° ipsis judæis non exceptis [2]), qui neque ejus spiritualitatem, neque immensitatem agnoverunt, sed nationalem existimarunt, ut cæteræ gentes suos habebant. 4° Cum vero perinde sit male de Deo sentire ac Deum ipsum destruere, ex generali polytheismo jure iterum concluditur nullum esse argumentum, quod ex humano consensu deducitur.

79. *Resp.* *Ad* 1m, *Dist.* Universales et constantes, *neg.* universales, *subdist.* ita tamen ut eorum causa et origo cognoscatur, *conc.* ita ut ignoretur, *neg.* In primis igitur adnoto ejusmodi errores non fuisse adeo universales, prout universalis est

chap. I. Cons. etiam Feller op. cit. n. 91 et seqq.

1) Sic auctor libri cui nomen *Essai sur les préjugés*, pag. 387.

2) Rationalistæ in hac sententia sunt Judæis minime rectam Dei ideam fuisse, neque talem exhiberi in Veteris Testamenti libris. Quod ut pateat, operæ pretium ducimus aliquod ex ipsorum libris testimonium promere. Sic enim scribit Wegscheider, op. cit. §. 9, n. a: „Omnino modus, *inquit,* quo idea Numinis a diversis populis effecta est, magnopere pependit a reipublicæ forma, quæ apud alios populos alia extaret. Sic regimen patriarchale, quod apud Israëlitas primo obtinuit, facillime ad monotheismum eos perduxit, nisi hanc Numinis notionem ab Ægyptiis repetere malueris. Cæterum rarissime monotheismum existere omni modo purum, vel Judæorum docet exemplum, qui Deum tamen sibi *ἐγχώριον* (localem) aliarum gentium diis longe potentiorem (quod suo loco confutabimus), et ipsorum Christianorum incultiorum, qui partim *tritheismum* et cultum hominum sanctorum præ se ferunt, partim satanam ejusque angelos tanquam Deo hominibusque infensissimos metuant." Soli tandem rationalistæ purum in mundum monotheismum intulerunt. Sic etiam Kæfer, *Bibl. theol.* I, 58.

persuasio existentiæ Dei, multo minus constantes prout constans est sententia de Dei existentia, ut patet ex facto. Præterea novimus originem ejusmodi errorum. Sensuum illusio induxit opinionem de solis motu. Ignoratio causarum eclipseon, earum timorem injecit, ut cometarum improvisa apparitio, subitique aliarum meteorarum casus [1]), astrorumque opinata animatio ortum fortasse dederunt astrologiæ. Neque philosophi hac in parte sapientiores populo fuerunt [2]). Polytheismus atque idololatria, ut suo loco ostendimus, nonnisi serius inducta sunt, neque ita obtinuerunt, ut vestigia ubique non occurrant ideæ seu notionis cujusdam supremi Numinis, quæ semper conservata est ac nullibi penitus extincta [3]).

80. *Ad* 2m, *Dist.* Ita ut omnis vera Dei notio ab ipsis exulaverit, *neg.* ut novis fuerit processu temporis superstitionibus fœdata, *conc.* ut patet ex dictis. Addo hic agi de existentia Dei, non autem de recta vel erronea ipsius divinitatis notione.

81. *Ad* 3m, *Neg.* Grandiores enim Dei ideæ, sensus sublimiores divinitatis in judæorum scriptis reperiuntur: ea nostri poëtæ adeunt atque oratores, ut inde suas sententias derivent. Quod vero subdunt adversarii de angustis ideis judæorum circa ipsius spiritualitatem, immensitatem, etc., satis refellitur ex iis, quæ leguntur Jerem. XXXII, 17, et seqq., ubi sic propheta ad Deum orat: ***Ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento; non erit tibi difficile omne verbum. Qui facis misericordiam in millibus . . . fortissime, magne et potens . . . magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam***, etc. Et alibi: ***Numquid non cœlum et terram Ego impleo, dicit Dominus*** (Jerem. XXI, 24)? Hinc usitata apud illos jurandi formula: ***Vivit Dominus: in cujus conspectu sto;*** ut alia innumera omittam, integra siquidem scriptura fere esset exscribenda. Commentum porro recentiorum protestantium biblicorum est, quod dicitur de idea nationali Dei apud Judæos recepta, ac dolendum quod aliqui ex nostris idem adoptare non erubuerint [4]). Orta est hæc opinio ex eo, quod Deus se exhibeat velut specialem hebraici populi patrem ac defensorem; quod verissimum est, ob peculiare fœdus Deum inter ac populum illum initum. At hæc confundenda inter se minime sunt, cum immane distent. Quod attinet ad cæteras gentes, non moramur.

1) Ita ipse La Place in suo *Essai philosophique*, etc. pag. 4 et seqq., qui his abutitur ad suum finem.

2) Conf. Cicero, *De natura deorum*, lib. I, cap. 13 et seqq. edit Taur.

3) Cons. Feller, op. cit. n. 93.

4) Inter cæteros Fr. Oberthür in sua *Idea biblica ecclesiæ Dei,* vol. I, edit. alt. Solisbaci 1828, pag. 107, scribit: „Ipsi maximam partem Israëlitæ, Deum, quem unum, summum maximumque profitebantur, ut unum suæ gentis, et Palestinæ terræ Deum, potentiorem tamen quocunque alio aliarum gentium et terrarum numine sibi cogitasse videntur.

82. *Ad* 4m, *Neg*. Cum enim ex eodem principio a diversis diversæ sive bonæ sive malæ consecutiones deducantur, patet omnes principium illud admittere, quod pro se omnia suffragia ac generalem consensum habet. Quæcumque sint ideæ, quas sibi populi cuderunt circa divinitatem, certum est eos in ipsa admittenda divinitate conspirasse. Potest quis decipi in assignando vero horologii opifice, numquid propterea decipietur in alioquo opifice ejusdem statuendo? Omnes quærunt felicitatem; at non omnes conveniunt circa felicitatis objectum; alii enim in honoribus, alii in divitiis, in voluptatibus, etc. illud collocant: numquid propterea negari potest hominem ad felicitatem ferri? Falsum itaque est, quod ab atheistis assumitur, perinde esse diversas divinitatis notiones admittere ac nullam admittere. Quod Deus existat, vox naturæ est ideoque constans et uniformis; multiplices vero ac depravatæ de Deo sententiæ non sunt nisi peculiares uniuscujusque aberrationes, circa quas propterea populi dissenserunt, quæque non extitissent, nisi præcessisset idea divinitatis. Eadem ferme ratione ac omnes, qui christiano nomine censentur, conveniunt circa existentiam et veritatem christianismi, sectæ autem ac protestantismus sunt corruptiones peculiares christianæ professionis, et circa quas mirifica semper fuit inter sectarios discrepantia [1]).

CAPUT II.

DE DEI UNITATE.

83. Adversantur unitati Dei polytheistæ, sive plurium deorum cultores. An ejusdem erroris rei traduci debeant, qui vulgo *dualistæ* audiunt, seu assertores duorum principiorum, præsertim inter eos, qui ex christianis prodierunt, res valde implexa est, de quibus infra agetur. Tritheistæ pariter ejusdem perversitatis traducuntur, eo quod tres divinas personas, non solum relatione, sed natura præterea ac substantia realiter distinctas affirmarint.

84. Polytheismus licet antiquissimus sit, ac longe lateque diffusus, est tamen monotheismo posterior, ejusdemque corruptio, prout jam observatum est: veritas in his præsertim necessario est anterior errore, cum error in mente nostra non sit nisi corruptio veritatis. Documenta historica id apertissime evincunt [2]). Hinc assentiri non possumus nonnullis neotericis,

1) Cons. Segneri, *L'incredulo senza scusa*, part. I, cap. 3, §. 8.

2) Id luculenter ostendit liber Geneseos, in quo cultus unius Dei ab ipso mundi exordio obtinuisse traditur. Ex historia veterum populorum idem facile

qui temere affirmant etiam apud hebræos polytheismum præcessisse notioni existentiæ unius Dei.

85. Etsi vero idololatria proprie sumpta confundi non debeat cum polytheismo, ad eum tamen revocari solet ob superstitionum necessitudinem. Idololatria tum latiori tum stricto sensu accipi potest. Stricto enim sensu est cultus superstitiosus imaginum, quæ vel ut dii habentur, vel falsos deos repræsentant. Latiori et theologico sensu idololatria dicitur quicumque cultus, qui exhibetur tanquam Deo cuivis objecto sensibili, naturali vel manufacto.

86. Hæc peculiarem et accuratam disquisitionem postulant ob exortas ætate hac nostra quæstiones. Ut autem ea, qua par est, perspicuitate progrediamur, duo in primis distinguenda sunt, *objectum* et *subjectum* idololatriæ, seu spectari debet idololatria tum a parte rei, ut fertur, tum a parte colentium.

87. Ex parte *objecti* multiplex distinguitur idololatria; ac 1° *sabæismus*, seu *astrolatria*, seu cultus astrorum, ut sunt sol, luna, stellæ eorumque imagines (Exod. XX, 4, 5; Deut. IV, 16, 19; V, 8, 9); 2° *zoolatria*, seu *cultus animalium*, ut sunt quadrupedes, aves, insecta, pisces, serpentes, etc. (Rom. I, 23); 3° *anthropolatria*, seu cultus hominum, eorumque simulacrorum, qui robore, potentia aut prudentia pollentes, in alios vel benefici vel malefici, demum defuncti divis accensebantur [1]). Recentiori ævo, florente licet philosophiæ studio, scelestissimi quique reges et imperatores adhuc viventes templa obtinebant, in quibus a sacerdotibus sacrificiis colebantur [2]). 4° *Cultus rerum sensu carentium*, ut sunt terra, mare, venti, fluvii, ignis, lapides, plantæ, etc., ad quam idololatriæ speciem reducitur *feticismus*, seu cultus illorum idolorum, quæ ex lapide, ligno, etc. quisque sibi ut deos efformat. 5° *Dæmonolatria*, seu cultus dæmonum; pleræque enim gentes malignos spiritus deos credebant, eorumque imagines venerabantur, ut ægyptii Typhonem, et mehestani Ahrimanium et innumerabiles ejus dæmones. Diversa autem hæc numina cogi posse et quiescere et dormire et ad sacrificia, in aliis regionibus oblata, tanquam ad epulas proficisci credebantur [3]). Quumque diversi sexus finge-

colligitur. Jure propterea saltem hic, Jahn scribit: „Qui contendunt primam hominum religionem fuisse fetichismum, seu cultum creaturarum, et idololatriam, a priori confingunt historiam, et gratis sumunt homines in cognitionibus semper ascendere et nunquam descendere, quod universa historia, et præsertim historia religionis refellit quæ permultos descensus, et etiam hebræorum frequentes in idololatriam relapsus memorat." (*Archæol.* §. 400.)

1) Herod. lib. I, 131, 144; Cicero, *Quæst. Tuscul.* 1, 12, 13. *De nat. deor.* I, 42; III, 15, 23; Diodorus siculus, V, 74, 80; Fl. Joseph, *Archæol.* lib. IX, 4, 5. Hinc dii mortui passim in bibliis dicuntur.

2) Cfr. Joan. Alberti Fabricii, *Bibliographia antiquaria*, Hamburg. 1760, pag. 367.

3) Iliad. I, 423, 424, 609, 611; Lucianus in *Dial. de sacrificiis*; I Reg. XVIII, 27, 28.

rentur, pleraque etiam in matrimoniis vivere, imo adulteria patrare, et cum hominibus se commiscere existimabantur. 6° His addendus est *cultus imaginum rerum abstractarum*, famæ, concordiæ, pietatis, fidei, fortunæ [1]), nec non malorum, sive physicorum, ut febris, orbonæ, infortunii, etc. sive moralium, ut contumeliæ, imprudentiæ [2]). His omnibus velut diis altaria erigebantur et templa.

88. Ex parte *subjecti*, seu eorum qui fœdis his superstitionibus tenebantur, multiplex pariter distingui debet ratio tendendi in ejusmodi numina pro varia colentium opinione, cultura, ætate seu ævo rudiori et incultiori. Multitudo seu populus recensita objecta eorumque simulacra vel omnia vel saltem pleraque ut vera numina habebat, quibus sacrificia, preces, vota offerebat, ut ex dicendis constabit. Alii autem statuas ut sedes saltem deorum existimabant, in quas numina per consecrationem tanquam incantamentum cogerentur; hinc illis quoque motus humani tribuebantur [3]). Alii solem pariter, lunam ac sidera ut deos colebant, dum alii illa velut deorum sedes, aut symbola et emblemata venerabantur. Sequiori tamen ævo philosophi nonnulli pluralitatem deorum ut unius ejusdemque divinitatis symbola et attributa varia atque operationes spectarunt; seu verius, mythologiam et poëtarum commenta hac ratione exponere conati sunt [4]).

89. Ex levi hac polytheismi et idololatrici cultus adumbratione, sub duplici respectu considerati, colligitur 1° non omnes quidem ethnicos pari superstitionis gradu sorduisse, sed alios plus alios minus; 2° infertur non omnes simulacra ut deos habuisse, sed plures illa vel ut sedes deorum, vel saltem ut divina quadam virtute prædita existimasse; 3° quod consequens est, non omnes et singulos cultu absoluto, sed multos solum relativo cultu eis honorem impendisse; rudiores quosque sive multitudinem, nempe populum, tum in pluralitatem deorum credidisse, tum passim eorum effigies ac simulacra pro veris numinibus habuisse, iisque cultum tribuisse absolutum; 4° cum pleraque ejusmodi numina reali carerent objecto, vel saltem destituerentur objecto sensibus et vita prædito, cujusmodi e. g. erant omnia numina abstracta superius recensita, vel etiam Jupiter, Mercurius, Venus, etc., infertur reos idololatriæ proprie dictæ eos omnes fuisse, qui etiam solo cultu relativo eorum colerent simulacra.

90. Quoad priores idololatriæ species vix ulla est controversia; ast non modica viguit et viget circa reliquas postremas

1) Cic. *De nat. deor.* lib. III, 16, 23, 24; *De leg.* lib. II, cap. 8, ed. Taur.
2) Plin. *Histor. natur.* lib. III, 5.
3) Curtius, lib. IV, II; Diod. siculus, lib. XVI, cap. 46; Plin. *Hist. natur.* lib. XXXVIII, cap. 4; conf. Joan. Alb. Fabric. opp. cit.
4) Cfr. S. August. *De civit. Dei* lib. VI; Lact. *Div. Inst.* lib. V et VI.

duas. Protestantes enim plerique, ut faciliorem viam sibi sternerent ad accusandam ecclesiam catholicam idololatriæ in cultu imaginum, commenti sunt omnem ethnicorum cultum perinde ac cultum israëlitarum, qui accusati frequenter sunt in scripturis idololatricæ superstitionis, fuisse semper relativum, nusquam vero absolutum, atque israëlitas reos tantum in eo fuisse, quod effigies veri Dei contra legis præscriptum venerati fuerint, non autem quod falsa numina reipsa coluerint. Neoterici autem nonnulli scriptores his annis, protestantium vestigia hac in parte premere haud veriti, duo affirmarunt: 1° Ethnicos pluralitatem deorum minime admisisse, 2° eos idola non coluisse nisi ut diversa simulacra unius veri Dei, ut sic adstruerent *consensum communem* generis humani in unius Dei veritate admittenda.

91. Nostrarum igitur partium esse debet ostendere 1° ethnicos, imo et israëlitas infideles, passim polytheismi crimine se polluisse, 2° eosdemque idololatriæ proprie dictæ reos pariter passim extitisse.

92. Nunc vero præstat nonnulla breviter perstringere ex iis, quæ ad dualismum spectant. Doctrina de duobus principiis inter ethnicos antiquissima est ac longe lateque, inter orientales præsertim, diffusa [1]). Ortum fortasse duxit ex corrupta traditione lapsus angelorum, tentationis ac transgressionis primorum parentum. Nonnulli protestantes sibi visi sunt deprehendere dualismi vestigia apud judæos, maxime ab exilii Babylonici temporibus [2]); sed perperam. Ex christianis dualismum instaurarunt Cerdon, Marcion, Apelles et Manes, a quo Manichæi, qui per plura sæcula ecclesiam divexarunt. Oblivioni a non paucis sæculis datus erat dualismus, quum Bayle, lascivienti ingenio suo plus quam par esset indulgens, omni arte ac vafritie illius argumenta instaurare atque in novo lumine ponere aggressus est, tum in suo dictionario, tum in aliis operibus passim.

93. Tritheismus vix natus, opera præsertim cujusdam Philopponi, in sua obscuritate jacuit [3]). Ariani tamen ac sabelliani catholicos tritheismi jamdiu accusarunt. Gibbon veritus non est hanc ipsam calumniam sanctis patribus, acerrimis arianismi impugnatoribus, denuo impingere [4]).

1) Cf. Ramsay, *Discours sur la mythologie.*

2) Wegscheider, §. 7, n. 6, aliique apud ipsum, ibid.

3) Joan. Damasc. *De hæres.* n. 83, edit. Lequien. Ex recentioribus cfr. Petav. *De Trinitate*, lib. I, cap. 10, §. 9; Bergier, *Dict. de theol.* art. *Tritheisme*; sæculo superiori tritheismum renovarunt Petrus Faydit et Ant. Oehmbs. Hic posterior vulgavit Moguntiæ 1789 tractatum *De Deo uno et trino*, quem universitas coloniensis anno 1790 refutavit et damnavit.

4) *Hist. casus. imp. rom.* cap. 20 et 21, inter quos recenset profanus homo S. Gregorium Nazianzenum et S. Athanasium.

94. Ex his erroribus leviter delineatis ad quæstionis, quam suscipimus, explanationem patet numeris nostri esse 1° statuere Dei unitatem; 2° ex hac propositione veluti principio quodam generali constituto, propositiones reliquas tanquam totidem corollaria deducere, sive adversus polytheistas atque idololatras, sive adversus dualistas. Quod enim spectat ad tritheismum, quem non vacat hic speciali ratione refellere, de eo commodius agemus in tractatu de Trinitate, ubi catholicos et ecclesiæ patres ab impacta calumnia vindicabimus. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Deus unus est.

95. Hæc propositio de fide est, ut patet tum ex simbolo nicœno et constantinopolitano: ***Credo in unum Deum***, tum ex concilio generali lateranensi IV, cap. ***Firmiter***, ubi in fidei catholicæ professione dicitur: ***Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus.*** Sensus autem propositionis est, ut Deus unus dicatur *numerice*, non autem *specifice*, adeo ut nonnisi unicus et singularis naturæ Deus sit admittendus.

96. Ejusdem propositionis veritas non solum ex omnibus illis scripturæ testimoniis evincitur, in quibus perpetuo Dei unitas prædicatur, ut Deut. VI, 4, ***Audi Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est;*** et Marci XII, 29: ***Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est,*** et alibi passim; sed etiam ex ratione, seu ex ipsa notione Dei. Deus enim, ex dictis, est ens, quo nihil majus cogitari aut dici potest, est ens necessarium, a se, æternum, infinitum omnique perfectione præditum; jam vero quod ejusmodi est, non potest nisi unum esse, alioquin si plura ponerentur, ipse Dei conceptus ac notio destrueretur, quæ necessario unitatem includit, cum dii pares omnes et æquales in hypothesi pluralitatis deorum admitti deberent, vel alii aliis inferiores, quod non minus absurdum esset atque a Dei notione abhorrens.

97. Hinc merito Tertullianus sic Marcionem, pluralitatem deorum invehentem, energice perstringebat: ***Deum***, inquit, ***ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus***, ***et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum . . . Cum de isto conveniat apud omnes (nemo enim negabit, Deum summum, magnum quid esse, nisi qui poterit Deum imum modicum quid e contrario pronunciare, ut Deum neget auferendo quod Dei est). Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adæquetur***, ***id est***, ***ut non sit aliud***

summum magnum; quia si fuerit, adæquabitur; et si adæquabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum... Proinde Deus, cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronunciavit: Deus, si non unus est, non est... porro summum magnum unicum sit necesse est; ergo et Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit [1]).

98. Eadem ratione argumentantur Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Lactantius, Joannes Damascenus apud Petavium [2]), et S. Thomas tum *Contra gentes* [3]), tum in *Summa* [4]), ubi eamdem veritatem ostendit et ex Dei simplicitate et ex infinitate ejus perfectionis, ac denique ex unitate mundi, seu ex unitate, quæ elucet in ordinatione mundi. Quæ quidem aliaque ejusmodi argumenta evolveremus, nisi ageretur de re nunc temporis non necessaria, cum polytheismi error obsoletus sit, nec præterea vacet in hoc refellendo diutius immorari.

DIFFICULTATES.

99. Polytheismus non excluditur a sacris literis, imo quodammodo iis insinuatur. 1° Deus enim iis nominibus designatur, quibus indoles religionis judaicæ antiquioris *polytheistica* panditur, cujusmodi est nomen אֱלֹהִים (Elohim) apud hæbreos usitatum in plurali numero. 2° Historia docet cæteras religionis species, in Asia repertas, polytheismo superstructas fuisse, et 3° ipsos israëlitas, cultus religiosi mosaici quasi quodam jugo oppressos, quavis data opportunitate ad idololatriam reversos esse [5]). Quare 4° in veteris testamenti libris non una eademque Numinis idea pura, sed ea potissimum obtinuit notio, quæ Deum prædicat mundi creatorem (Gen. I, 1; Ps. XCVI, 5; Is. XL, 28), naturam celsissimam (Ps. CXLV, 3), alii naturæ nulli, neque aliorum populorum diis comparandam (Exod. XVIII, 11; Deut. III, 24; Jos. XXIII, 7; Ps. LXXXVI, 8, 9; CXL, 5 et seqq.; Isaïæ XIX, 2), omnium rerum, et sensu quidem peculiari israëlitarum eorumque reipublicæ summum dominum atque moderatorem (Exod. VI, 3; Jos. XXIV; Jud. II, 24; Ps. XX, 2, 7 et aliis locis), quem propterea יְהוָה *Jehovah*, quod nomen Dei

1) *Contr. Marcionem*, lib. I, cap. 3, edit. Rigalt.
2) *De Deo.* lib. I, cap. 4.
3) Lib. I, cap. 42.
4) Part. I, quæst. 9, art. 3.
5) Ita Wegscheider §. 52, n. d.

israëlitis ἐγχώριον (*indigetis* seu *localis*) proprium recte vocaveris [1]; ergo.

100. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Neg.* Nemo enim est qui nesciat in linguarum usu non tam ad vocum etymologiam vel nativam significationem, quam ad sensum, quo usurpari consueverunt, attendi debere, ut innumeris exemplis petitis sive a linguis antiquis sive recentioribus ostendi facile posset. Cum autem falsum sit adversariorum principium de indole polytheistica israëliticæ religionis antiquioris, cujus ipsi nullum afferunt documentum, hinc jure negamus hoc indicatum fuisse per Dei nomina plurali numero expressa. Sane Moyses, loquens de populo israëlitico, dum adhuc in sua infantia esset, aperte contrarium supponit, imo exprobrat infidelitatem ejusdem populi in cultu, quem idolis ac diis gentium præstitit, velut novitatem, dicens; *Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ingnorabant, novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum, Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*... Hinc Moyses semper unicum Deum exhibet in creatione, in patriarcharum cultu, a quibus hebræi originem traxerunt, eum vocando Deum Abraham, Isaac et Jacob, cui jamdiu sacrificia obtulerant Abel et Cain ac postea Noë [2]).

101. *Ad* 2m, *Neg.* Historiam docere cæteras religionis species fuisse superstructas polytheismo, quum potius contrarium doceat. Etenim historia omnium antiquissima est mosaica; jam vero historia mosaica aperte tradit in mundo prius obtinuisse monotheismum, nec nisi post diluvium saltem positivis documentis ostendi potest inolevisse inter homines polytheismum, et quidem per successivam defectionem, quæ magis crescebat, quo magis homines recedebant a primæva institutione per veri Dei oblivionem. Hinc videmus tum in Ægypto tum in Chananitide longius conservatam notionem unius Dei, ut patet ex Gen. XII, 18, ubi Pharao agnoscit se a Deo plecti ob usurpatam sibi uxorem Abraham, tum ex cap. XIV, 18 et seqq. ubi Melchisedech rex Salem ut cultor unius Dei exhibetur; rursum ex cap. XX, 3, 4, 11, Abimelech regem Geraræ monotheistam fuisse patet; ut alia documenta omittam, quæ tum in libris mosaïcis, tum in libris Job, Josue et Judicum expendi possunt [3]). Itaque non monotheismus polytheismo superstructus est, sed contra polytheismus, uti protestantismus, sive hæreses sub nova lege, deficiendo a vera religione pullularunt.

1) Ibid.

2) Cons. *Ueber den Monotheismus*, etc. seu *De monotheismo tanquam primitiva religione humanitatis tentamen*, per Franc. Xav. Fritz. etc. in *Ephem. Theol.* edit. D. J. Pletz, anno 6, fasc. III.

3) Ex libro Job, qui fortasse est omnium antiquissimus, patet monotheismum etiam apud gentiles adhuc plene viguisse.

102. *Ad* 3^m^, *Neg.* Suppositum, israëlitas nempe propter legis suæ oppressionem, ad idololatriam reversos esse, ut patet ex dictis; ipsi enim potius cæterarum gentium scandalo, quod ob ipsorum oculos semper versabatur, trahebantur facili irritamento ad illorum deorum cultum, qui omnibus cupiditatibus favebat, habita præsertim ratione rudioris ac materialis indolis illius populi, qua factum est, ut observat S. Augustinus [1]), ut illo rituum apparatu, velut, sepe, divina providentia circumcingeretur, ne difflueret ad ritus finitimarum nationum; et his non obstantibus forsan defluxisset, nisi Deus speciali ratione ei prospexisset.

103. *Ad* 4^m^, *Dist.* In sensu exclusivo quorumcumque aliorum deorum, *conc.* alio sensu, *neg.* Lex enim mosaica luculentissime unum et solum Deum prædicat et alium quemcumque excludit; palmaria sunt verba, quibus sic Deus loquens inducitur (Deut. XXXII, 39 et seqq.): *Videte quod Ego sim solus, et non sit alius Deus præter me; Ego occidam et Ego vivere faciam, percutiam et Ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere; levabo ad cœlum manum meam, et dicam; vivo Ego in æternum:* quibus magnifice non solum unitas, sed et omnipotentia et æternitas Dei prædicatur. Notandum porro est ex legis præscripto israëlitas istud Moysis canticum memoriæ mandare debuisse, nunquam propterea potuerunt absurdam opinionem adoptare de diis municipalibus, ut vocant, ac patriis aliarum gentium; æque luculenta sunt verba, quibus ibid. IV, 35, Moyses sic populum compellat: *Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum.* Ut cætera brevitatis studio prætermittam, quæ ex reliquis sacris voluminibus, prophetarum præsertim, qui popolum revocant ad legis præscripta, depromuntur.

104. Quod si interdum videtur institui comparatio inter Deum hebræorum aliarumque gentium deos, ejusmodi comparatio non fit nisi juxta persuasionem illarum gentium, quæ in suis diis gloriabantur, non autem in rei veritate, quum viderimus apertissime alios deos explodi. Adde passim in scripturis deos gentium *dæmonia* vocari, ut Levit. XVII, 7: *Et nequaquam ultra immolabit hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt;* tum Deuter. citato cap. XXXII, 17: *Immolaverunt dæmonio;* Psalm. XCV, 5: *Omnes dii gentium dæmonia*, et alibi passim. Aperte negant scripturæ deos gentium deos esse, ut Deut. XXXII, 21: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat deus;* IV Reg. XIX, 18: *Non enim erant dii...Nunc igitur Domine Deus noster salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus;*

1) Tract. IX in Joan.: „Sacrificia illa populo pro ejus carnalitate et corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur, quominus in idola deflueret."

et alibi sæpe. Cum hæc igitur de diis gentium passim in scripturis veteris testamenti prædicentur, qua ratione dici potest secundum israëlitas fuisse illos vere deos, licet inferiores Deo, quem ipsi colebant?

105. Atque hinc pariter excluditur, quod ultimo loco asserebatur, judæos Deum suum ut indigetem seu localem ac patrium, *ἐγχώριον* יְהוָֹה habuisse ad instar aliarum gentium. Fieri utique potuit, ut rudes nonnulli, in idololatriam proni, hanc fortasse opinionem adoptarint, sed aliud est loqui de singulis, aliud de spiritu ac sensu totius gentis, ut adversarii faciunt, qui et in eo peccant, quod ex analogia aliarum gentium argumentum ducunt ad hebraicam nationem, quasi et ipsa imbuta fuerit eodem errore, in quo gentes cæteræ versabantur, quæ pessima quidem est argumentandi ratio. Nonne ridiculum se præberet, qui vellet adscribere ecclesiæ catholicæ absurda, quibus protestantismus scatet? Hæc tamen methodus est biblicorum rationalistarum, quibus et inter cætera fixum atque statutum est Deum hebræorum fuisse localem; cum tamen nulla gens sit, quæ tam alte de Deo senserit, ejusque in gentes omnes dominatu, quam natio judaïca, quemadmodum patet ex psalmis, in quibus gentes passim invitantur ad laudandum Deum.

106. *Inst.* Nec pauca nec levia sunt hujus opinionis fundamenta in sacris bibliis; Deus enim 1° plurali numero, Gen. I, 26, loquens inducitur: ***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;*** tum ibid. cap. II, 18: ***Faciamus ei adjutorium simile sibi;*** et cap. III, 22: ***Ecce Adam quasi unus ex nobis***, et alibi. Hanc etiam 2° Christus ipse indicat illis verbis: ***Ego dixi: Dii estis***, quibus (Joan. X, 34) ipse se comparat; atque 3° apostolus, I Cor. VIII, 5: ***Si quidem sunt dii multi et domini multi.*** Sane 4° si non repugnat juxta christianam doctrinam plures esse personas divinas realiter distinctas, nec repugnat plures deos esse, qui plus minus eamdem divinam naturam participent [1]); ergo.

107. ***Resp. Neg. antec. ad*** 1m, ***prob. Dist.*** Ad insinuandam pluralitatem deorum, ***neg.*** ad indicandam pluralitatem personarum in Deo, ut patres exponunt, vel alia de causa, ***conc.*** Cum Moyses constanter monotheismum absolutum velut primarium legis articulum ponat, non potuit profecto iis verborum formulis uti, quæ favere possent polytheismo, a quo perpetuo nititur abducere israëliticum populum; quare vel dicendum in prædictis locis, in quibus Deum plurali numero loquentem in-

1) Argumenta, quæ in favorem polytheismi desumi possent ex miraculis atque vaticiniis et oraculorum responsis, jam diluimus in tractatu *De vera religione*, part. I, n. 226 et seqq.

ducit, insinuare pluralitatem personarum in Deo, ut ecclesiæ patres communi consensu exponunt atque interpretes catholici, et antiquiores ipsi protestantes [2]), quod nos pro certo habemus, cum nulla alia expositio satisfaciat [3]); vel aliam rationem fuisse, quæ nos lateat, promiscue usurpandi numerum pluralem pro singulari. Cæterum alter textus ex Gen. II, 18, desumptus hebraice est numero singulari: אֶעֱשֶׂה־לּוֹ *faciam ei*, etc.

108. *Ad* 2ᵘᵐ, *Neg.* Christus enim se comparat judicibus vel prophetis, ad quos sermo Dei factus est, et quidem relate ad solam denominationem, non autem ad naturam divinam ut patet ex contextu, et nos suo loco ostendemus.

109. *Ad* 3ᵘᵐ, *Dist.* Qui tales dicantur ex ethnicorum hominum opinione, *conc.* qui tales sint, *neg.* Non alium esse sensum apostoli contextus evincit.

110. *Ad* 4ᵘᵐ, *Neg.* paritatem. Personæ enim in Deo non distinguuntur in natura, quæ una eademque in omnibus est, sed in relationibus; dii autem totidem distinctis naturis ac diversis necessario constant. Sed de hoc argumento in tractatu de Trinitate.

PROPOSITIO II.

Ethnici vel politheismo proprie dicto vel idololatrico cultu absoluto vel passim utroque simul se commacularunt.

111. Hæc propositio est tum adversus illos protestantes, qui in solo relativo imaginum ac idolorum cultu crimen idololatriæ constituunt, atque inficiantur idola ipsa per se ethnicos coluisse, tum adversus illos neotericos, quos supra indicavimus, qui nullum unquam viguisse polytheismum proprie dictum adstruunt, neque idololatriam absolutam.

112. Evincemus autem ejusdem propositionis veritatem tum ex sacris literis, tum ex monumentis ecclesiasticæ ac profanæ antiquitatis quoad utramque partem. Diximus autem *vel* poly-

1) Cons. *Critici sacri*; vol. I, ad hæc loca.

2) Clericus hic adnotat emphasin quamdam in illa locutione *faciamus*, etc. Rosenmüller eam repetit ex linguæ consuetudine, nam et in aliis linguis mos est, ut interdum plurali numero, de se loquentes, singuli utantur homines. Sic Job. XIII, 2, 3; II Reg. XIV, 14, ubi David in eadem orationis serie singularem et pluralem munerum promiscue de *se uno* adhibet, II Reg. XVI, 20. Adversum autem 22, cap. 3 Geneseos: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc. manifestum est, inquit, Deum, dum prima pluralitatis persona loquitur, sibi conjungere cæteros dæmones אֱלֹהִים. At, præterquam quod allati textus ad rem non sunt, ut cuilibet eos attente percurrenti palam fiet, ne unus quidem adduci potest, in quo Deus de se plurali numero loquatur, si eos excipias, in quibus non solum ecclesiæ patres, et veteres ipsi protestantes, verum ipsi rabbini non obscure insinuant pluralitatem personarum induci, ut inter cæteros ostendunt Martini in *Pugione fidei*, et Galatinus *De arcanis cath. veritatis*, et post ipsos, Cl. Drach, *Deuxième Lettre d'un Rabbin converti*, sect. IV, pag. 75 et seqq. Paris 1827.

theismo, *vel* absoluto idolorum cultu, ne quis putet nos contendere omnes prorsus ethnicos in ea perstitisse sententia, idola per se deos fuisse; scimus enim non omnibus rudem hanc stetisse opinionem.

113. Jam vero ethnicos in primis polytheismum proprie dictum admisisse, seu coluisse plures deos proprie dictos, 1° omnia illa ostendunt scripturarum oracula, quæ objurgant infideles de pluralitate deorum, cujus rei documentum luculentissimum exhibent acta apostolorum cap. XIV ubi ex occasione miraculi patrati a Paulo et Barnaba, Lystrienses *levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, et vocabant* ***Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium;*** in turbas vero ac in sacerdotem, qui illis sacrificare volebat, insilientes, dixerunt apostoli: *Viri, quid hæc facitis?* ***Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram***, etc... *qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Ex quibus habemus ethnicos in multitudinem seu pluralitatem deorum reipsa credidisse, eum errorem præteritis generationibus communem fuisse, et ad revocandas eas ab ejusmodi errore apostolos esse missos a Christo Domino. Hoc autem ethnicos præstitisse, absque respectu ad verum Deum, luculentissime declarat apostolus, scribens ad galatas: ***Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis*** (Gal. IV, 8,). Sic in veteri testamento Achior (Judith. cap. V) meminit multitudinis deorum, quos chaldæi colebant. 2° Idem evincunt omnia loca, in quibus dii gentium nominantur dii alieni, dii patrii uniuscujusque gentis, quæ innumera prope sunt. 3° Illa pariter evincunt testimonia, quibus arguitur infidelitas hebræorum, qui, cum a Deo recederent, ut sequerentur gentium deos, dicuntur *fornicari, adulterari*, etc. Hisce objurgationibus plenæ sunt scripturæ, ac præsertim prophetarum volumina [1]), metaphora ducta exinde quod, derelicto uno veroque Deo gentis israëliticæ sponso sive marito, diis falsis per summam infidelitatem adhærerent.

114. Quod præterea idololatriæ crimen consisteret in cultu absoluto idolorum, id pariter luculentissime evincitur 1° ex iis locis, quibus reprehenduntur idololatræ, dicentes ligno: ***Pater meus es tu***; *et lapidi*: ***Tu me genuisti*** [2]) quod coluerint ***opera manuum suarum, opera manuum hominum***, ut in prophetis passim, ac præsertim Isaiæ cap. XLIV, ubi graphice describitur stupiditas idololatriæ, dum faber lignarius exhibetur

1) Exod. XXXIV, 15, 16; Lev. XVII, 7; XX, 5, 6; Jud. II, 17; VIII, 27, 33; Psalm. LXXII, 27; CV, 39; Isaïæ XXIII 17; Jerem. III, 1, 6,8; Ezech. VI, 9; XVI, 15 et seqq. Oseæ I, 2.

2) Jer II, 27.

faciens idolum, et deinde *curvatur ante illud et adoret illud et obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu* [1]. 2° Ex iis in quibus admonentur hebræi idola gentium deos non esse; quo spectat integrum caput VI Baruch, *Videbitis*, inquit, *in Babylonia deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus: videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis;* et, recensitis diversis idololatrarum ritibus ac multiplici idololatriæ specie, eadem semper ratione concludit: *Sciatis quia non sunt dii, nec timueritis eos.* 3° Demum, cæteris omnibus omissis, quæ in eamdem rem afferri possent, facta ipsa id ostendunt in scripturis recensita, ex quibus seligimus historiam idoli Bel et draconis (Daniel. XIV). Bel enim credebatur Deus vivens, quem propterea non solum cultu absoluto prosequebantur babylonii, sed præterea apponebant ei per singulos dies escas, vinum, etc.; idem dicatur de dracone, quem ut Deum immortalem colebant et adorabant (ibidem); ut alia prætercam. Ex his interim patet negari non posse, nisi fides scripturæ detrahatur, ethnicos tum plures deos coluisse, tum idola pro veris diis habuisse, ac tanquam deos absoluto cultu veneratos esse.

115. Nunc præstat tandem propositionem documentis ecclesiasticis et profanis ostendere et confirmare. Ac primo quidem ecclesiæ patres, qui profecto longe melius quam nos paganorum theologiam ac religionem cognoscebant, quum plures ex ipsis ex paganismo ad christianam veritatem venerint, et assidue adversus ethnicorum errores ac superstitionem tunc vigentem pugnaverint, aperte utrumque propositionis nostræ assertum testantur. Ipsi enim non minus confutant eos, qui simulacra sive metallica sive lignea sive lapidea ut deos colebant, quam eos qui divinitatem tribuebant Jovi, Apollini, Veneri, Minervæ, qui non fuerunt nisi homines, eosque, qui cum illis antiquis philosophis sub istis diversis nominibus, mundum ejusque partes intelligebant. Quare vero? Nisi quia inter ethnicos omnes harum superstitionum ac idololatriæ species inveniebantur. Hinc aliqui sectabantur in religionis negotio fabulas poëtarum, alii sensum philosophorum, plerique demum existimabant simulacra ipsa veros deos esse, ita ut philosophi ipsi præclarissimi traherentur a multitudine ad simulacrorum cultum, quasi revera dii essent, ut testatur Origenes, loquens de Platone et Socrate [2]. Hinc Minutius Felix in *Octavio*, disserens de idolo pro

1) Cf. Exod. xx, 23; xxxiv, 17; xxxii, 4; Sapient. capp. xii-xv; Isaïæ ii, 8 et seqq.: Dan. v, 4; Jer. x.

2) Hæc sunt ejus verba, (*Contra Celsum*, lib. vi, n. 4): Ἀλλ' οἱ τοιαῦτα περὶ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ γράψαντες καταβαίνουσιν εἰς Πειραία, προσευξόμενοι ὡς θεῷ τῇ Ἀρτέμιδι· καὶ ὀψόμενοι τῶν ὑπὸ ἰδιωτῶν ἐπιτελευομένην πολυήγυριν . . . ἀλεκτρυόνα τῷ Ἀἰσχληπιῷ ἀποδιδόντες . . . καὶ ἔστιν ἰδεῖν τοὺς ἐπὶ σοφίᾳ μέγα φρονοῦντας καὶ θεολογίᾳ, ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ

Deo habito, inquit: *Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur. Nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremo Deus est, cum homo illum voluit et dedicavit.* Eadem ratione loquitur S. Justinus [1]). Athenagoras vero in *Legatione pro Christianis*, cap. XVII, non solum defendit christianos ab accusatione illis impacta, quod idola ut deos non angnoscerent, sed præterea confutat hunc errorem ostendendo Deum, et idola infinito inter se intervallo distare, deinde cap. XVIII exponit *nonnullorum* explicationem: *Sed quoniam aliqui dicunt ejusmodi simulacra imagines tantum ac repræsentationes sive effigies deorum esse,* etc. [2]). ideoque idola coli cultu relativo, respondet alia ratione. Ex hoc habemus ethnicos plerosque idola absolute coluisse, nonnullos cultu relativo, admittentes tamen pluralitatem deorum. Id ipsum testantur Tatianus [3]), Lactantius [4]), Theophilus Antiochenus [5]), Tertullianus [6]), Prudentius [7]), S. Athanasius [8]). Sed præstat audire Arnobium exponentem sensa sua circa idola, cum paganus esset: *Venerabar* inquit, *o cæcitas! nuper, simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos: elephantorum ossa; picturatas veternosis in arboribus tænias si quando conspexeram, lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco; et eos ipsos divos, quos esse mihi*

ανθρώπου προσκυνεύοντας εἰς τιμὴν, φασιν ἐκείνου. ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καταβαίνοντας μετ᾽ Αἰγυπτίων ἐπὶ τὰ πετεινὰ, ἢ τετράποδα, ἢ ἑρπετὰ, id est, „sed illi, qui de summo bono talia scripserunt, in Piræum descendunt, Dianæ ut Deo preces oblaturi, interfuturique festo ab imperita multitudine celebrato .... gallumque persolvunt Æsculapio .... illos videre est de sua sapientia theologiaque gloriantes pervolvi ad pedes imaginis corruptibilem hominem repræsentantis, ejus colendi gratia; et interdum cum ægyptiis ad volucrum, quatrupedum, reptiliumque cultum se dejicere."

1) *Apol.* I, cap. 9.

2) *Ἐπεὶ τοίνυν φασί τινες εἰκόνας μὲν εἶναι ταύτας, θεοὺς δὲ, ἐφ᾽ οἷς αἱ εἰκόνες, κ. τ. λ.*

3) *Orat. adv. Græc.* cap. 9, tum XXXIII et XXXIV; ipse Tatianus se profitetur testem ocularem.

4) *Div. Inst.* lib. II, capp. 2 et 4.

5) *Ad Autolyc.* lib. II, cap. 2, ubi loquens de simulacris affirmat, quod ii ipsi, qui ea confecerunt, *accedunt, ut ea adorent, et ea Deos esse existimant; Ἔρχονται μετὰ σπουδῆς καὶ παρατάξεως ... εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ ἡγοῦνται θεοὺς αὐτούς*. Quid clarius?

6) *Apol*, n. XIII et seqq. ubi ostendit plus pati deos ethnicorum, dum fabrefiunt, quam Christianos dum tormentis subjiciuntur: „Ungulis, *inquit.* deraditis latera christianorum, at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ et uncinæ et scobinæ. Cervices ponimus: ante plumbum et glutinum et gomphos sine capite sunt dii vestri . . . ignibus urimur; hoc et illi a prima quidem massa, etc. *Instant ibidem ethnici:* Sed nobis dii sunt."

7) *I Cathemerin.* in hymno VIII, kal. Januarias:

Nam cæca vis mortalium,
Venerans inanes nænias,
Vel æra, vel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.

et rursum in *I Peristephanon*, hym. in laudem Vincentii mart.

8) *Orat. cont. gent.* 22, 23, 15, edit. Maurin. ubi pariter expresse tradit artifices opera sua ut deos salutare, *θεοῖς προσαγορεύει*; cfr. etiam S. Greg. Naz. *Orat.* XXXV.

persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus [1]. Nunc quærendum subest, utrum potius credendum sit ita testantibus de re, quæ sub oculos ipsorum cadebat, et cujus ipsi pars fuerant, an recentioribus quibuscumque contrarium effutientibus.

116. Demum ne longiores simus in re non necessaria, finem huic propositioni facimus duorum ethnicorum testimoniis, quorum unus est Horatius, cujus versus jam retulimus in tractatu de vera religione, ex lib. I, sat. VIII: *Olim truncus eram*, etc.; alter est Seneca, qui in libris moralibus ita de paganis scribebat: *Simulacra deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem aut adstant, illis stipem jaciunt, victimas cædunt; et cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecerunt, contemnunt*, etc. [2].

117. Si igitur verus polytheismus dicendus est, in quo pluralitas deorum proprie talium admittitur et creditur; si polytheistico cultu, qui deos in simulacris venerantur commaculati sunt dicendi; si rei idololatriæ stricte sumptæ censendi sunt, quotquot vel credunt numina idolis inclusa, vel idola ipsa ut deos habent; cum ex documentis, sive ex scriptura sive ex omni antiquitate sacra et profana depromptis, evidentissime constet ita se gessisse ethnicas gentes, concludendum igitur est ethnicos vel polytheismo proprie dicto, vel idololatrico cultu absoluto, vel passim utroque simul se commaculasse, quod demonstrandum nobis assumpsimus, tum adversus protestantes, tum adversus neotericos scriptores.

118. Quanquam hi postremi advertere præterea deberent ad concilium tridentinum, quod sess. XXV, in decreto de sacris imaginibus, mandat: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collo-*

1) *Adv. gent.* lib. I. n. 13. Et hoc etiam dictum sit adversus eos, qui *usum loquendi* unicam, aut saltem præcipuam legem statuunt ad exponenda sacra biblia, et tamen patres deserunt, quando ipsorum commentis adversantur.

2) Apud Lactant. loc. cit. cap. 2. Cfr. P. Baltus, *Suite de la réponse à l'hist. des oracles*, I. part. chap. 11 et 12. Integrum confici posset volumen ex apertissimis patrum testimoniis, qui exprobrant gentibus cultum deorum et simulacrorum, et quidem absolutum. Nec minus clara sunt monumenta, quæ nobis suppeditant auctores profani. Diogenes Laertius in vita Stilponis, lib. II, refert hunc philosophum exilio mulctatum fuisse ab atheniensibus, eo quod dixerit Minervam Phidiæ non esse divinitatem Cfr. historia, quam refert Flav. Joseph, *Archæol.* lib. XVIII, cap. 3, n. 4, pag. 877 et seqq. edit. Havercamp, de muliere, quæ putavit se cum Deo congressam, etc. Cons. Bergier *Dict.* art. *Idole*, *Idolatre*, etc. Cavendum tamen ab editione Vesuntina anni 1826, cui nescio quis e schola neoterica addidit notas ad disseminandam novam doctrinam, prout præstitit in hoc articulo, in quo Bergier aperta fronte contradixerat iis, quæ postea neoterici auctores invexerunt.

cabant. Ergo ex conc. Trid. gentes putabant inesse idolis aliquam divinitatem vel virtutem, aliquid petebant ab ipsis, fiduciam in iisdem figebant spemque suam in idolis collocabant, ideoque verum ac proprie dictum polytheismum, veram ac proprie dictam idololatriam profitebantur.

DIFFICULTATES.

119. I. *Obj.* 1° Idololatria non est negatio alicujus dogmatis, sed violatio præcepti, et quidem omnium primi, ejus nempe, quod præscribit Dei adorationem et quidem solius Dei. Sic. 2° idololatrarum crimen consistit juxta apostolum in eo quod, *cum cognovissent Deum*, *non sicut Deum glorificaverunt*, *aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis . . .*, *et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori.* (Rom I, 21, 25.); quo 3° congruit cum eo quod idem apostolus, scribens ad thessalonicenses, de ipsorum conversione ait: *Conversi estis ad Deum a simulacris*, *servire Deo vivo et vero;* ad Thess. I, 9, et I ad Cor. XII, 2: *Scitis*, *quoniam cum gentes essetis*, *ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* 4° Homo enim, utpote sensuum suorum servus,in se experiebatur indigentiam sibi Deum verum, unicum, æternum et invisibilem repræsentandi sub aliqua imagine, ut ipsa ιδωλολατρειας (idololatriæ) vox exprimit, *cultus* nempe *imaginum*, atque ita 5° honoratus est creator in operibus suis splendidioribus, quæ facta sunt totidem symbola divinitatis [1]).

120. *Resp. Ad* 1^m, *Neg.* Idololatria enim est tum negatio dogmatis, scilicet unius Dei, tum violatio præcepti prohibentis deferre creaturæ adorationem uni Deo debitam, vel etiam falsis diis cultum debitum Deo vero. Ex allatis enim documentis, sive ex scriptura, sive ex patribus atque scriptoribus paganis, constat idololatras passim in errore versatos fuisse pluralitatis deorum, ideoque dupliciter peccasse et in dogma et in præceptum. Paulus enim et Barnabas non unus, sed duo dii, Jupiter et Mercurius, existimati sunt [2]).

121. *Ad* 2^m, *Dist.* Respectu paucorum philosophorum, *conc.* respectu multitudinis ac populorum, *neg.* Patres enim atque interpretes, exponentes hunc locum conveniunt in eo restringendo ad philosophos, qui utique cum Deum cognovissent naturali ratione ex pulchritudine hujus universi, nec eum glorificaverunt, nec ejus unitatem et veritatem prædicaverunt, sed se potius in

1) *Essai sur l'indifférence en matiére de Religion*, tom. III, pag. 74 et 75.

2) Cfr. Euseb. *De Præp. evang.* lib. v, cap. I et seqq. usque ad cap. 16, ubi non solum de numinum ac simulacrorum multitudine, sed et de ipsorum cultu late ac fuse disserit, perpetuoque supponit coli simulacra lapidea ac lignea ut vera numina. Cfr. etiam Card. Gerdil. in suo *Saggio d'instruz. teolog.* opp. edit. rom. tom. x, pag. 279, seqq.

cultu externo et publico accommodaverunt multitudini colenti plures deos, prout ipsis exprobrat S. Augustinus, et patet ex historia [1]). Hanc esse mentem apostoli eruitur his ex verbis, quæ omisit adversarius: ***Et dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.***

122: ***Ad*** **3ᵐ**, ***Dist. Antec.*** Ducebamini ad simulacra falsorum deorum, *conc.*, unius veri Dei, ***neg.*** Id ipsum dicatur de alio textu epistolæ ad corinthios; in hac enim ipsa epistola (I Cor. VIII, 5) apostolus expresse scribit; ***Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi) nobis tamen unus Deus;*** et loquitur juxta errorem et sensum gentium.

123. ***Ad*** **4ᵐ**, ***Neg.*** idololatrarum crimen præcise constitisse in efformandis et colendis imaginibus symbolicis unius veri Dei. Alioquin catholici, qui pariter Deum in imaginibus symbolicis seu formis, sub quibus Deus interdum apparuit patriarchis et prophetis, repræsentant, essent idololatriæ turpissimæ rei, prout eos accusant hæretici [2]); quod impium et absurdum est. Falsum præterea est vocem *ἰδωλολατρείας* designare seu exprimere, ut adversarius autumat, ***cultum imaginum***; significat enim cultum vel servitutem ***falsarum imaginum***, quibus nempe nullum reale objectum respondet, ut fuse ostendit Bellarminus adversus Henricum Stephanum aliosque hæreticos, hanc ipsam etymologiam *ἰδώλου* obtrudentes [3]).

124. ***Ad*** **5ᵐ**, ***Neg.*** Sed, ut patet ex dictis, idololatræ, veri Dei obliti, non creatorem, sed falsos et inanes deos honoraverunt.

125. ***Inst.*** **1°** Saltem sub multitudine diversarum formarum idololatria reducebatur ad cultum spirituum, qui per hoc universum diffusi sunt, et ad cultum hominum, qui post mortem ad eum excellentiæ atque potentiæ gradum evecti putabantur quo spiritibus cœlestibus appropinquarent [4]). Hic **2°** ostensum est idololatriam nil aliud unquam fuisse, quam cultum spirituum bonorum et malorum, et cultum hominum illustrium, id est, quoad rem ipsam nil aliud quam cultum ***angelorum*** et ***sanctorum*** [5]). Sane **3°** difficile potest intelligi paganos alligasse his diversis spiritibus veram notionem divinitatis. Si enim res bene perpendatur, **4°** nonne unitas necessario includitur in hac notione? Dici propterea oporteret homines credidisse pluralitatem unius seu unici Dei [6]); neque enim pagani credidissent plu-

1) S. Aug. *De civ. Dei*, lib. VI, cap. 10. Cons. P. Baltus in opere, *Jugement des SS. pères sur la morale de la philosophie païenne*, liv. I, chap. 7, vol. I, in-4. Strasbourg 1719, ubi innumeris prope documentis ostendit philosophos fuisse idololatras ac docuisse pluralitatem deorum, et tum factis tum scriptis passim cohonestasse idololatriam apud populum.

2) Cons. Bellarm. *De reliquiis et imaginibus sanctorum*, lib. II, cap. 13.

3) Ibid. cap. 5.

4) *Essai sur l'indifférence* loc. cit. pag. 82.

5) Ibid. pag. 107 et 108.

6) Ibid. (pag. 110 et 111): „il est difficile que l'on s'entende soi-même, quand on prétend que les payens attachaient à

res *deos*, si non habuissent notionem *Dei* [1]). In hanc 5° propterea sententiam conspirant catholici, protestantes, et philosophi, ut patet sive ex Beausobre [2]) sive ex Voltaire [3]). Quare 6° poterat quis esse idololatra, etsi nullam negaret veritatem, neque Dei supremi existentiam, ut judæorum exemplum ostendit, neque providentiam, neque præcepta justitiæ [4]); Ergo.

126. ***Resp. Ad*** 1^m, ***Dist.*** Id est, aliqua species idololatriæ, ***conc.*** idololatria universim sumpta, *neg.* Cultus spirituum et heroum erat utique unus ex ramis idololatricæ superstitionis, sed non constituebat totam idololatriam. Scriptura enim testatur ethnicos coluisse, et quidem cultu absoluto, solem, lunam, lapides et lignum, et ab ipsis petiisse beneficia, liberationem a malis, etc. Hæc porro erat idololatria multitudinis; recolantur probationes.

127. ***Ad*** 2^m, ***Neg.*** Si enim hoc ostensum esset, demonstratum pariter fuisset scripturam sanctam nos decipere, dum affirmat homines coluisse deos, qui oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, habent os et non loquuntur; neque dixisset pariter psalmista; ***Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis*** [5]).

128. ***Ad*** 3^m, ***Dist.*** Si admitteretur, ut contendit adversarius, ethnicos alligasse veram notionem divinitatis diis suis, ***conc.*** tunc enim haberetur contradictio in terminis; si contra admittitur, ut admittendum revera est, una cum omnibus patribus et theologis, ethnicos veram amisisse divinitatis notionem, dum admiserunt plures deos, *neg.* Etenim omnes patres ac theologi demonstrarunt, sive ex scriptura, sive ex factis et documentis luculentissimis, viguisse polytheismum proprie dictum apud veteres paganos, prout etiamnum existit apud nostræ ætatis idololatras. Quo posito, necessario jam sequitur polytheistas reipsa veram divinitatis notionem amisisse; alioquin in ejusmodi absurdam opinionem nunquam delapsi fuissent, ut admitterent pluralitatem deorum. Quod si idea unius Dei supremi nunquam penitus obliterata est, repeti id debet a testimonio, quod vocat Tertullianus animæ naturaliter christianæ, sive a rationis lumine, quod nunquam extinctum est. Verum homines non semper, imo habitualiter non attendebant ad ejusmodi conscientiæ dictamen, et ad illas veritatis veluti reliquias quæ ab ipsis penitus in corde servabantur; insuper, dato etiam quod attende-

ces divers esprits la vraie notion de la divinité. Qu'on veuille bien y réfléchir: l'unité n'entre-t-elle pas nécessairement dans cette notion? Il faudrait donc dire que les hommes croyaient à la pluralité d'un Dieu unique.

1) Pag. III, n. 8: „Comment les païens croyaient-ils à plusieurs dieux, s'ils n'avaient pas la notion de Dieu?"

2) In historia manicheismi, lib. IX, cap. 4, tom. II, pag. 654 et 655.

3) In *Dictionario philosophico*, art. *Religio*, quæst II pag. 113 ad 115.

4) Pag. 152: *On pourait être idolâtre sans nier aucune vérité.*

5) Psalm. CXIII, 8.

rent, nihilominus ehu nimis compertum est homines non semper sibi cohærere [1]).

129. *Ad* 4ᵐ, *Dist.* In se, *conc.* subjective, seu prout apprehenditur ab humana mente, dum a vero deflectit, *neg.* Hoc solum ad summum eruitur, eorum errorem non fuisse invincibilem, quia si cupiditatibus liberi et præconceptis judiciis vacui attendissent ad veram Dei notionem, potuissent suum errorem detegere, ut plures reipsa philosophi eum detexere. Hinc evanescit illa battologia de fide in pluralitatem unius Dei, quia supponit quod est falsum, polytheistas nempe semper notionem veram divinitatis habuisse. In altera observatione, quod ethnici non credidissent *deos* absque notione *Dei*, permiscet auctor quem impugnamus, Dei existentiam cum vera notione divinitatis; primam utique omnes admittebant gentes, alteram autem, generatim saltem, amiserant.

130. *Ad* 5ᵐ, *Dist.* Protestantes, ut inde possent insimulare ecclesiam catholicam idololatriæ in cultu imaginum, et philosophi, nempe increduli, qui nihili faciunt scripturam et patres, *conc.* catholici, *subdist.* ex iis nempe qui non verentur a scripturæ, patrum, concilii tridentini auctoritate et communi sententia recedere, ut propria et singularia inventa sectentur, *trans.* cæteri, *neg.* Nam catholici theologi refellerunt protestantes contendentes cultum idololatricum non fuisse nisi relativum, ut patet ex eorum tractatibus de cultu sanctorum, incipiendo a Bellarmino usque ad nos. Proinde adversarius noster habeat sibi consentaneos Beausobre et Voltaire; nos autem cum communi catholicorum doctrina, innixa auctoritati scripturæ, patrum et concilii tridentini contrarium tenemus, abhorrentes ab ejusmodi novitatibus [2]).

1) Hujus erroris refutationem jam præoccupavit doctissimus Suarez. *De religione*, tom. I, tract III, lib. I, cap. 4, n. 12), qui cum sibi objecisset gentiles, inter deos majores et minores unum supremum, quem Jovveem appellabant, agnovisse, cui soli verum cultum tribuebant, ita prosequitur: „Respondeo de facto ipso satis constare gentes errasse, sacrificando pluribus diis, ac subinde unum quemque ex illis diis tanquam verum Deum, seu quod idem est, sub aliqua ratione supremæ excellentiæ colendo. Unde verisimile est credidisse unumquemque Deum in aliquo munere seu præsidentia et efficacia circa res aliquas habere supremam vim et potestatem, etiamsi alii dicerentur majores, alii minores, juxta dignitatem rerum, quibus præsidebant; vel certe multi gentilium, præsertim commune vulgus, cæca quadam ignorantia et falsa traditione ac fide ducebantur, putantes singulis rebus vim quamdam invisibilem ac supremam præsidere, ideoque supremo cultu esse colendam sine ulla relatione ad unum supremum creatorem et gubernatorem omnium, nec discurrebant, quomodo id fieri posset, aut quomodo sine uno supremo numine et progenitore mundus posset subsistere."

2) Præ oculis habendum est gravissimum monitum Gregorii XVI, qui in sua encyclica emissa, VII, Kal. Jul. 1834, adversus opusculum: „Paroles d'un croyant". „Probe autem, *inquit*, intelligitis, venerabiles fratres, nos hic loqui etiam de fallaci illo, haud ita pridem invecto, philosophiæ systemate plane improbando, quo, ex projecta et effrænata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ inanes, futiles incertæque, nec ab Ecclesia probatæ, adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri, ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.

131. *Ad* 6m, *Dist.* Eadem nempe ratione, qua quis potest esse islamita, non negando interius christianismum, *conc.* alias *neg.* Idololatria erat evidenter professio polytheismi, et per consequens negatio unitatis Dei; nec dubitari potest quin multitudo sive massa idololatrarum professa fuerit interius, non secus ac exterius, polytheismum, alioquin dicendum foret universam terram totidem hypocritis quot polytheistis plenam fuisse. Ad exemplum vero judæorum, quos affirmat auctor noster tenuisse unius supremi Dei existentiam, una cum cultu idololatrico, dico hoc aperte repugnare scripturæ testanti, et quidem sæpe, illos idololatras Deum deseruisse. Sic Deut. XXXII, 18: ***Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui;*** et Psalm. CV, 19 et seqq.: ***Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et obliti sunt Deum, qui salvavit eos;*** Jer. II, 5: ***Elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem*** (id est, idola), ***et non dixerunt: Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti? . . Effunde iram tuam in gentes, etc.;*** Jud. X, 6: ***Filii Israël . . . servierunt idolis, Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis et Moab, et filiorum Ammon et Philistiim: dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum;*** ibid 10: ***Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim,*** et V, 16: ***Alienorum deorum idola projecerunt, et servierunt Domino Deo.*** Quæ quidem omnia, hisque similia, cum assertione componi nequeunt.

132. II. ***Obj.*** 1° Haud ita stupidi fuisse ethnici dicendi sunt, ut non intelligerent Deum alium esse quam ligna et lapides, 2° patet ex eo, quod ipsi mutarent simulacra pro arbitrio, cum tamen deos non mutarent, unique Deo multa simulacra ponerent. 3° Quod si prophetæ passim judæis et gentilibus fornicationes cum ligno et lapide exprobrare non desinebant, ratio est, quod Deum in ligno et lapide carnaliter venerabantur [1]). Hinc, 4° cum gentiles a christianis tantæ stupiditatis arguerentur, respondebant se non ita hebetes fuisse: ***Nam neque nos aera, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa constant, eas esse per se deos, et religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris*** [2]). ergo.

133. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Omnes, *trans.* plerique, seu multitudo, *neg.* Contra factum et documenta conjecturæ nihil valent. Porro factum istud certissime constat ex dictis in probationibus; nunc addimus auctoritatem S. Augustini, qui in libro ***De doctrina christiana***, cap. 7: ***Fateor***, inquit, ***altius demersos esse, qui opera hominum deos putant, quam qui opera Dei;***

1) Ita Calvinus, *Inst.* lib. I, cap. II, §. 9 et seqq.

2) Apud Arnobium lib. VI, n. 10, in *Bibliot. patrum* Gallandi, tom. IV.

et infra: *Illi simulacra venerantur vel tanquam deos vel tanquam signa et imagines deorum.* En igitur cultum absolutum idolorum, quem multorum fuisse idem testatur S. doctor in Psal. CXIII, et epist. 49, et cultum quorumdam relativum, non quidem Dei, sed *deorum.* Tertullianus, *Apologet.* cap. XII, asserit deos gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus quam patiantur christiani, cum occiduntur, quod eos nolint adorare [1]).

134. *Ad* 2m, *Dist.* Si homines sibi semper constarent in erroribus suis, *conc.* secus, *neg.* Quanquam nihil vetat quominus ethnicos, qui eo stupiditatis devenerant, ut ligna et lapides putarent deos, eo pariter devenisse, ut sibi persuaderent se posse deos sibi efformare vel destruere. Addatur multitudinem ut plurimum ex habitu et consuetudine agere, quin attendat ad consecutiones et ad rectitudinem cujuspiam facti, cui ab infantia assuevit, neque nos debere ex ideis, quas habemus, judicare de agendi ratione ethnicorum in tanta præsertim cæcitate ac perversitate, quanta detinebantur tunc temporis.

135. *Ad* 3m, *Neg.* ex duplici capite; 1° quidem, quia falso supponit Calvinus, qui hoc asserit, judæos vel gentiles reipsa plures non coluisse deos; quod tamen ut ex dictis patet, perspicue falsum est; 2° quia pro certo sumit sive judæos sive ethnicos per illa simulacra non intendisse nisi veri Dei imagines sibi fingere, quod pariter est aperte falsum; alioquin non dedisset Elias (III Reg. XVIII, 21) optionem israëlitis Deum sequendi, quem ipsi maluissent, dicens: *Usquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum;* quæ prorsus inepta fuisset, si æque verus Deus esset sive Deus Israëlis sive idolum Baal. Confer præterea Deut. XXXII, 17; Jud. X, 6. Neque dicerentur israëlitæ serviisse *diis alienis*, si in simulacris verum Deum coluissent [2]).

1) Integrum textum superius dedimus. Alia plura recolantur apud Bellarminum, loc. cit. cap. 13.

2) Sic enim loc. cit. libri Judicum legitur: „Filii Israël . . . fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis Baalim et Astaroth, et diis Syriæ ac Sidonis, et Moab filiorum Ammon et Philisthiim; dimiseruntque Dominum et non coluerunt eum". Cæcus sit oportet, qui non videat hic non agi de effigie unius veri Dei, ut autumant adversarii. Sic III Reg. XV, 13. Asa rex Juda: „Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi . . . . et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron." Non puto dicturos esse adversarios ejusmodi simulacrum Priapi fuisse effigiem veri Dei. Quare vel ipse Jahn, qui tamen, hac etiam in parte, neotericorum biblicorum protestantium vestigiis insistit, fatetur duplicis generis occurrere in bibliis simulacra, alia Jehovæ et alia deorum, quæ præsertim in historia regni Israël, II Reg. (nobis IV Reg.) X, 29; XIII, 2, 11: XIV, 24. Quod tamen falsum est, cum in citatis locis tantum sermo sit de vitulis aureis erectis a Jeroboamo, quos Jahn pro certo sumit non fuisse nisi simulacra unius veri Dei, scilicet Jehovæ, contra expressum testimonium libri III Regum XIV, 9, ubi propheta ex Dei nomine graviter objurgat Jeroboam ob vitulos ab illo erectos, vocatque eos non, ut autumat Jahn, simulacra veri Dei, sed *deos alienos et conflatiles;* sic enim ait: „Operatus es mala super omnes, qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares . . ." Nunc quærere præstat, num Jahn, po-

136. *Ad* 4[m], *Dist.* Hoc respondebant *nonnulli*, ut vidimus ex Athenagora, et quidem ut a christianorum argumentis se subducerent, *conc.* omnes, ac independenter ab ejusmodi exprobationibus, *neg.* Rubere utique suffusi, nonnulli ethnici hanc evadendi rationem invenerunt, ac mythologiam exponere diversimode nisi sunt, sive de diversis Dei attributis, sive de mundi partibus; ast sero nimis. Interim multitudo pergebat idola sua colere sive ut numina, sive ut numinum sedes; hinc loc. cit. prosequitur Arnobius: *Non improba neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardus necnon et prudentissimus credere deos, relictis sedibus propriis, id est cœlo, non recusare nec fugere habitacula inire terrena, quinimo jure dedicationis impulsos, simulacrorum coalescere junctioni. In gypso ergo mansitant, atque in testulis dii vestri; quinimo testularum et gypsi mentes spiritus atque animæ dii sunt.* En semper polytheismum et idololatriam proprie dictam [1]).

PROPOSITIO III.

Absurdum est dualistarum systema, ac malorum origini explicandæ impar.

137. A remotissima antiquitate et apud plures orientales populos, persas præsertim, obtinuisse dualismi systema historica monumenta evincunt [2]). Ab orientali theologia ejusmodi doctrinam in christianam religionem derivare conati sunt basilidiani, valentiniani, carpocratiani, cerdoniani, ac marcionitæ, qui totidem erant gnosticorum surculi. Manes, a quo manichæi, in Zorostri schola enutritus, tertio sæculo in finem labente [3]), persarum dogma-

tius quam scripturæ contrarium asserenti, fidem adhibere debeamus. Idola, proprie sic dicta, diversis nominibus occurrunt, quæ interdum permutantur. Communia omnibus nomina sunt סֶמֶל et תְּמוּנָה *effigies et simulacrum*; ast פֶּסֶל vel פָּסִיל proprie est sculptile, etc. Jahn, *Archæol. bibl.* pars III *sacra arch.* §. 127, p. 481 edit. Vien. 1805.

1) In actis mart. sæpissime mentio occurrit pluralitatis deorum, quos christiani colere recusabant, atque idcirco morte mulctabantur; inter cætera unum seligo exemplum, ex *Hist. eccl.* Eusebii, lib. VII, cap. II, edit. Valesii, ubi refert, ex publicis actis martyrium SS. Dionysii, Fausti, Maximi, Marcelli et Chæremonis. Cum Æmilianus præfectus adhortatus esset christianos ad deos colendos, Dionysius respondit: „Non omnes ab omnibus coluntur dii; eos singuli colunt, quos arbitrantur deos. Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano et Gallieno sacratissimis augustis imperium tradidit, colimus et adoramus . . . Æmilianus iterum dixit: Quis vero vos prohibet, quominus et hunc, si quidem Deus est, cum iis qui natura sunt dii, adoretis: deos enim colere jussi estis; eosque, quos cuncti norunt deos; *textus habet:* „*Τίς γὰρ ὑμᾶς κωλυει καὶ τοῦτον, εἴπερ ἐςὶ Θεὸς, μετὰ τῶν κατὰ φύσιν θεῶν προσκυνεῖν; θεοὺς γὰρ σέβειν ἐκελευέσθητε· καὶ θεοὺς οὓς πάντες ἴσασι.* Et en, quomodo plures ut quidem *natura* dii ex communi sententia admitterentur et colerentur.

2) Plutarchus in tract. *De Iside et Osir*, pag. 190.

3) Cfr. Bergier, *Diction. théol.* art. *manichéisme.*

ta amplexus est, ac magorum instituta cum religione christiana conciliare est aggressus. At cito ab ecclesia pulsus fuit. Manichæismus diu perduravit [1]); non tamen omnes Manetis discipuli ipsius principiis adhæserunt, sed, ut fieri consuevit inter hæreticos, in diversas sententias abierunt [2]).

138. Etsi vero duorum principiorum dogma error fundamentalis fuerit harum sectarum, aliter tamen ab aliis exponebatur; ac mira semper extitit inter eas sectas discrepantia, tum circa naturam, tum circa originem et operationes entium istorum. Alii enim ex his sæctariis contendebant esse improducta ambo, ac proinde æterna atque independentia ab invicem; alii autem principium mali productum asserebant [3]).

1) Ibid. Notum est, in occidentales etiam partes, medio ævo longe lateque diffusos manichæos fuisse, qui deinceps sub albigensium, et postea henricianorum, petrobruisianorum, poplicanorum, catharorum, etc. nomine rursum prodierunt; qui, etsi fundamentalem articulum de duobus principiis visi sunt deseruisse, attamen semper proprios ejusdem sectæ errores, sive circa incarnationem, sive circa sacramenta, tum quoad aversionem a cultu sanctorum, crucis et imaginum, odium adversus ecclesiæ catholicæ doctores servaverunt. Cum vero ex iisdem sectariis prodierint postea protestantes, qui gloriantur ejusmodi parentibus, ratio patet, quare plures ex ipsis manichæorum susceperint patrocinium, inter quos eminet Beausobre in sua *Histoire critique de manichée*. Indidem etiam apparet, quænam sit genealogia protestantismi. Cfr. Bergier loc. cit.; cons. Alticotius S. J. in opere *De antiquis novisque manichæis*, cap. XI, pag. 81. Theodoretus refert errores Manetis, *Hæreticarum fabularum*, lib. I, hær. XXVI, et S. Epiphanius, *Adversus hæreses*, lib. II, hæresi LXVI, edit. Petavii; ubi n. 25 refert manichæi impia dogmata ex Archelai episc. Mesopotamiæ scriptis, qui eum coram ita confutavit, ut veterator debuerit fugam arripere. Cons. notas Petavii in hær. LXVI. Laur. Zacagni disputationem Archelai cum Manete protulit in sua *Collect. monument.* P. I. Vera dogmata manichæorum tradit etiam S. August. in libris adversus manichæos editis, præsertim vero in libris *adversus Faustum;* Titus Bostrensis in libris tribus, qui inveniuntur in *Bibl. patrum*, tom. IV, pag. 433, edit. Lugdunensis.

2) Theodoretus apud Bergier art. cit. supra LXXII sectas manichæorum recensuit, quæ sibi invicem adversabantur.

3) Certum videtur, omnibus perpensis, plerumque veteres dualistas, manichæis non exceptis, saltem nomine tenus, unum Deum admisisse, non autem duos, ut vulgo traditur; id constat tum ex ipsorum professione, tum ex antiquorum auctoritate. Etenim Faustus apud S. Augustinum (*Contra Faustum* lib. XX, cap. 2) protestatur manichæos unum Deum colere: „Nos, *inquit*, Patris quidem omnipotentis et Christi Filii ejus, et Spiritus Sancti unum idemque, sub triplici appellatione, colimus numen." Titus Bostrensis in *Biblioth. patrum*, tom. IV, pag. 297, fatetur manichæos odisse principium malum, etsi par Deo facerent. Sic enim scribit: „Non solum malum collocat (Manes) in ordine æquali Deo, tanquam hoc honorare velit, quod scilicet odit." Hinc neque S. Augustinus unquam exprobrat manichæis quod adorarent principium malum, quamvis ipsis exprobraret quod de principio malo Deum facerent, ei tribuendo potestatem quæ soli Deo competit; at hoc ex consequenti, ut ajunt. Imo non videntur veteres dualistæ ex alia divinitatis idea, quam animo conceperant, eo devenisse, ut duo constituerent principia. Nempe ipsis horrori erat Deo, sive mediate sive immediate, mali originem adscribere, excogitarunt propterea principium, diversum a Deo, cui mala tribuerent. Id testatur S. Epihanius, *Hæresi* LXVI, nec non S. Hieronymus in *Commentariis in Nahum*, cap. 5, cujus verba hæc sunt: „Inde Manichæus, ut Deum a conditione malorum liberet, alienum mali induxit auctorem." Eadem habet Titus Bostrensis, loc. cit.; idipsum colligitur, relate ad valentinianos et marcionitas ex scriptis, quæ S. Irenæus et Tertullianus adversus hos hæreticos ediderunt. Ex quo colligimus recentiores novatores deteriores esse gnosticis et manichæis, dum veriti non sunt Deum mali auctorem prædicare.

139. Verum quæcunque demum fuerit germana illorum doctrina, quæ obscuris tenebris involuta est; in utraque hypothesi facile est ejusmodi systema evertere.

140. Etenim, ex dictis in propositione, 1° Dei notio necessario poscit, ut unicus sit et singularis; si autem duo principia ponerentur increata et independentia, necessaria proinde ac æterna, quorum unum esset omnium bonorum principium, alterum autem malorum, jam duo dii essent, ideoque ipsa Dei notio destrueretur. Præterea 2° pugnat cum eadem Dei notione, ut duo ponantur principia independentia, quorum videlicet unum non pendeat ab altero, duo enim dii darentur æquales, neuter summus esset, ac proinde neuter Deus. 3° Si ambo necessaria et absoluta essent hæc principia, et æquali potestate prædita, in pari conflictu nihil operarentur. Atque ut alia absurda prætercam, quæ ex tali hypothesi sequerentur, quæque veteres ecclesiæ patres urgebant adversus diversos recensitos sectarios [1]), ex revelatione scimus, unum Deum esse rerum omnium conditorem et principium, cui auctori scripturæ tribuunt omnia mala physica, ut legitur Deut. XXXII, 39: *Videte quod Ego sim solus, et non sit alius Deus præter me; Ego occidam et Ego vivere faciam, percutiam et Ego sanabo;* et Isaïæ XLV, 6, 7: *Ego Dominus, et non alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; Ego Dominus faciens omnia hæc;* Tob. XIII, 2: *Quoniam tu flagellas et salvas, deducis ad inferos et reducis.* Malum autem morale oritur ab ipsa creatura deficiente a lege seu regula morum.

141. Quod si ponatur dependens ac productum mali principium, jam Deo bono subest, nec quidpiam moliri potest, nisi quatenus a Deo ipsi permittitur, ipsumque dualistarum systema hoc ipso evertitur. Addo ex ignorantia bonæ philosophiæ, ac præsertim physices, absurdam hanc doctrinam esse ortam.

142. Ex his porro rationum momentis altera etiam propositionis pars necessario colligitur, inutile nempe ac impar prorsus esse dualistarum systema malorum origini explicandæ. Etenim, eo semel constituto, cum utrumque principium ex naturæ necessitate ageret, nulla ratio assignari posset, cur tot numero et gradu bona ac mala essent, si pari virtute seu vi agerent ejusmodi sibi adversantia principia; quod si alterum alteri prævaleret, vel sola bona vel sola mala reperirentur; nisi velimus ex condicto ac inito fœdere sic temperare bonorum malorumque distributionem, ut paria hæc effluant et exurgant, quod absonum omnino est et absurdum in iis, quæ necessitate naturæ agere supponuntur.

143. Ast præterea in tanto, quo versamur scientiarum physicarum progressu, inutile deprehenditur ejusmodi commen-

1) Cons. S. Epiph. loc. cit. et S. Aug. tom. VIII, opp. edit. Maur.

tum, quod nonnisi ex earum ignoratione profluxit; nemo enim in præsentia est, modo vel a limine physices disciplinas salutaverit, qui nesciat ex earumdem legum physicarum simplicitate ac unitate oriri phænomena, quæ inter se videntur contraria, ita ut ejusdem legis vi, qua producuntur effectus nobis salutares, prodeant ii, qui nobis nocent [1]). Hinc non duplex, sed unum idemque est proximum principium, et quidem physicum, boni ac mali, seu illorum phænomenorum, quæ nos relative bona ac mala vocamus.

144. Et hæc quoad bona vel mala physica. Quod enim attinet ad bona vel mala moralia, ut jam adnotatum est, hæc nonnisi a bono vel malo usu libertatis proveniunt; et si de malo speciatim sermo sit, hoc oritur ex creaturæ insito malo metaphysico, quod in limitatione consistit, quo fit ut errare et deficere a regula possit [2]).

145. Cum igitur undequaque repugnet dualistarum systema, cum impar omnino sit explicandæ malorum origini ac prorsus inutile, sequitur, omnes difficultates, quæ ab adversariis, Bayle præsertim, urgentur adversus mali permissionem, ad summum non nisi mentis nostræ angustias evincere, quæ assequi nequit, quomodo Deus infinite bonus voluerit sic universum constituere, in quo tot mala, sive physica, sive moralia dominantur. Nos ex facto colligimus sic Deum potuisse se gerere, salva sua bonitate, justitia et sanctitate. Etenim ex una parte notio nobis insita Dei velut entis sanctissimi, perfectissimi et optimi destrueretur, si supponeremus quidpiam ipsum potuisse aut posse, velle ac permittere, quod repugnaret summæ bonitati ac sanctitati; ex altera, tot mala, tum moralia, tum physica, quibus premimur, experimur. Concludendum igitur est non repugnare Deum optimum atque sanctissimum ista velle aut permittere,

1) E. g. calor, vitæ animantium et stirpium necessarius, non raro et molestas sensationes et alia parit incommoda. Caloris effectus est evaporatio, et ex hac procedunt pluviæ, rores, fontes, etc.; Sed ex hac etiam grandines, inundationes, etc.; id ipsum dicatur de effectibus electricitatis, chimicarum affinitatum, etc.

2) Malum metaphysicum significat carentiam perfectionis illius, quæ non est debita naturæ entis, ex Suarez *Metaph. disp.* XI. sect. IV, n. 3, qui ibid. observat *acceptionem istam mali impropriissimam esse*, nec malum istud patres et philosophos usque ad ipsius tempora considerasse, quia observarunt, in communi usu loquendi, non appellari malam rem aliquam per hoc dumtaxat, quod careat perfectione aliqua. Hæc enim est conditio naturæ cujuscumque creatæ; sed per hoc quod careat perfectione sibi debita." Quis, *inquit S. Thom.* (I. p. q. XLVIII, a. 3), dicat, rem aliquam esse malam, quia non habet bonum alterius rei, ut hominem esse malum, quia non habet fortitudinem leonis? „Wolfius fuse ostendit ex illo malo nihil inferri posse contra bonitatem Dei (*Manichæ.* Sect. III, n. 16, p. 379). Cfr. Leibnitzius (*Essai de Theodicee*, p. I, n. 21, pag. 132), quem secutus est Ant. Genuensis (*Elem. metaph.* part. III, cap. 4, prop. 25). Wolfius loc. cit. hujusmodi malum vocavit malum metaphysicum; Kingius vero (*De origine mali*, cap. 2, n. 20), et Moshœmius (in notis ad Cudworth, cap. 4, §. 13) vocant *malum imperfectionis*, Hooke (*Princ. relig. natur.* tom I, sect. I, art 2) *malum defectus*, alii demum *imperfectionem negativam*. Cfr. Spagni in opere *De bono, malo et pulchro*, Romæ 1766, *De malo*, sect. I, art 3.

etsi rationem minime assequamur, qua duo hæc componi inter se possint.

146. Duo præterea præ oculis semper habenda sunt ad dissolvenda Baylii sophismata: 1° Deum non teneri ad optimum, alioquin tolleretur ipsius libertas, et omnes pariter creaturas suas rationales ac intelligentes in summo beatitudinis seu felicitatis apice constituere debuisset, quod absurdum est. Quod si ad summum istum perfectionis ac felicitatis gradum evehere creaturas suas non tenetur, nulla ratio sufficiens assignari potest, propter quam in hoc potius, quam alio perfectionis gradu sistere debeat; cum et ipse quocumque tandem sistat, altiorem tenere perpetuo queat, et creatura, quemcumque assecuta fuerit, eminentiorem quem non obtinuit, optare semper possit [1]). Hinc eo ipso quod gradus isti indefiniti sint, et Deus ad summum non teneatur, ita liber est, ut æque possit in quolibet istius scalæ, ut ita dicam, gradu consistere.

147. 2° Animadvertere debemus, nos neque posse, neque debere, ut judicemus de iis, ad quæ Deus tenetur, mensuram ac normam capere ab eo, quod præstare tenetur creatura finibus circumscripta. Hæc enim bona *quandoque* [2]) censeri

1) Hanc theoriam clarissimo in lumine posuit Alex. Zorzi in suo *Prodromo della nuova enciclopedia italiana*, Siena 1779, art. *Libertà*, n. 20, 21, 22, 23. Sic enim loquitur n. 20: „Io convengo che Dio sia necessariamente determinato al migliore, o vogliam dire all'ottimo, dove l'ottimismo v'è ed è possibile. Ma dove l'ottimo non v'è, o non è possibile, allora è che Dio può scegliere qualunque dei due o più termini, rappresentati necessariamente dal divino intelletto con un perfetto equilibrio. A maggior chiarezza io distinguerò due casi diversi. Il primo quando i termini della scelta sieno rappresentati come perfettamente simili. Qui l'ottimo non vi è: questo *caso* da alcuni filosofi chiamasi *parallelo*. Il secondo quando i termini compongono una serie infinita, in cui il termine che siegue sia sempre migliore di quello, che lo precede. Qui l'ottimo non è possibile: e questo lo chiamerò appunto il caso della serie infinita. *Deinde exposito primo casu, pergit ad secundum, dicens:* Iddio vuol creare il mondo. Ma un mondo assolutamente ottimo, e vale a dire un mondo infinitamente perfetto, è impossibile. Basta dunque che Dio dia al mondo, che vuol creare, un grado di perfezione finita . . . Presentasi dunque questa serie positiva infinita all'intelletto divino. E poichè i due limiti di essa, il zero e l'infinito sono impossibili, resta che la volontà divina scelga l'uno de'termini medj, che noi spiegheremo appunto coi numeri naturali. Ma quale ne sceglierà? Sia per esempio il cinquanta. E perchè non il cinquantuno, che certamente è migliore? E se il cinquantuno, perchè non il cinquantadue, che d'un grado lo supera? E se questo, perchè non il cinquantatrè, anzi il cento, il mille, e così all'infinito? Quindi è chiaro, che quantunque tutti i termini della serie sieno trà lor disuguali, nondimeno come non è possibile sceglierne uno tanto buono, che non ve n'abbia sempre un migliore, così ugualmente, tranne però i due limiti, divengono indifferenti di una indifferenza perfetissima d'equilibrio, del pari che se tutti fossero uguali. Iddio però potea scegliere qualsisia degli universi possibili: e che uno ne abbia scelto, l'esistenza del mondo lo manifesta."

2) Dixi *quandoque:* nam non videtur admitti posse principium absolutum Bergier, qui statuit, seu pro certo sumit, bonam non censeri creaturam, quæ in alteram *totum bonum quod potest* non conferat. Cum enim nulla lege vel obligatione, sive naturali vel positiva, quispiam teneatur *totum quod potest bonum* in alterum conferre, non video, quomodo aliquis dici non possit bonus, si omne bonum quod potest alteri non præstat. Quod si homo non tenetur ad optimum, multo minus tenetur Deus.

nequit, si quidquid potest boni in alteram creaturam non conferat, præsertim si vel peculiari lege vel obligatione naturali ad id obstringatur; cujusmodi sunt ii omnes, quibus aliorum cura demandata est vel a natura ipsa vel ab aliqua lege positiva, ut omnes provisores particulares. Deus enim utpote infinite bonus ac potens, hoc ipso non adstringitur ad bonum omne, quod tribuere potest, conferendum, nisi velimus admittere absurdum illud jam expositum, absolutum nempe *optimismum*, qui limites figeret ejus omnipotentiæ, ultra quos ipse progredi non posset; Deus præterea cum sit provisor universalis, potest permittere defectus in partibus sui operis propter bonum totius universi [1]).

148. Huc accedit discrimen ingens inter Deum et creaturas, quum Deus possit ex malis bona eruere, quod assequi nequit simplex creatura; hinc illud Augustini effatum: *Melius enim* (Deus) *judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere* [2]).

149. Quæ si probe teneantur, difficile jam non erit, per eorum applicationem adversariorum objectis occurrere, eaque singillatim disjicere.

DIFFICULTATES.

150. I. *Obj.* a veteribus dualistis: Æternum ac summum aliquod mali principium divinæ ipsæ scripturæ agnoscunt; 1° sic Amos III, 6: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit;* 2° Ecclesiastici XXXIII, 15: *Contra malum bonum est . . . duo et duo et unum contra unum;* et rursum ibid. XLII, 25: *Omnia duplicia, unum contra unum*; quare 3° Christus Joan. XII, 31: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* et Apostolus II. Cor. IV, 4: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium;* ergo.

151. *Resp. Neg. antec.* Scriptura enim tota in eo est, ut inculcet absolutum monotheismum. *Ad* 1m, Dico hic Amos loqui de malo pœnæ, ut exponit S. Augustinus [3]), et patet ex contextu et scopo prophetæ, qui est arguere hebræos de patratis sceleribus, propter quæ Deus in eos animadversurus prædicatur illis afflictionibus et calamitatibus, quibus premebantur.

1) Quo sensu mundus præsens possit dici optimus, fuse exponit Andr. Spagni in *Diss. de mundo*, prop. III, sect. I, in 4, Romæ 1770. Cf. S. Thom. p. I, q. XXII, art. 2.

2) *Enchiridii*, cap. 27.

3) *Lib. contra Adimantum manich.* cap. 26: „Malum, *inquit,* hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur; quod facit, peccatum est; quod patitur, pœna ... ita homo male facit quod vult, ut male patiatur, quod non vult."

152. *Ad* 2m, *Resp.* In allatis Ecclesiastici textibus sermonem esse de bonis ac calamitatibus, quibus universa hæc terra nostra, imo et hominum vita, quadam veluti permixtione constituitur, quæque proveniunt ex ipsa rerum natura, seu conditione creaturarum, quæ suis limitibus circumscribuntur, ac proinde *relative*, ut expositum est, possunt esse vel bonæ vel malæ [1])

153 *Ad* 3m, Nempe diabolus, ad quem debellandum venit Christus, quique mentes infidelium excæcat, seu suasionibus suis eos male dispositos a veritate retrahit, *conc.* princeps ac Deus proprie dictus, *neg. Dicitur autem diabolus*, inquit S. Thomas [2]) *esse deus hujus sæculi, non creatione, sed quia sæculariter viventes ei serviunt; eo modo loquendi, quo apostolus utitur* (Philip III): *Quorum deus venter est.*

154. II. *Obj.* Si unicus et quidem bonus Deus admittatur, jam explicari non potest existentia mali moralis. Si enim 1° Deus bonus est, vel non debuisset concedere suis creaturis libertatem, qua abusuras ipsas præviderat, cum tanta ipsarum pernicie temporali et æterna, ac tanto dedecore suo, quum culpa sit maximum ipsius dehonestamentum; vel ipsas iis 2° saltem debuisset munire gratiæ præsidiis, quibus creaturæ rationales instructæ, tum liberæ essent, tum a peccato immunes. Ea 3° nobis insidet Dei boni, imo optimi, idea, ut intelligi a nobis nequeat, quomodo, cum possit a creaturis suis mala omnia avertere, non solum non avertat, sed malis omnibus temporalibus et æternis eas penitus obrui permittat. 4° Quod si dicatur Deus non sibi proposuisse ut finem, in condendis creaturis liberis, bonum peculiare ipsarum creaturarum, sed gloriam suam, quæ major exurgit ex mali moralis permissione ob exercitium suorum attributorum, præcipue vero misericordiæ atque justitiæ, ejusmodi effugium multiplici ratione intercipitur; tum *a*) quia indignum Deo bono est quærere gloriam suam tanto creaturarum suarum detrimento; tum *b*) quia eamdem, imo longe majorem obtinere ac consequi posset gloriam ex felicitate earumdem creaturarum, patefaciendo quid ipsis contingere potuisset, si in alio rerum ordine eas collocasset; tum *c*) denique quia nullo modo admitti potest Deus conferens libertatem cum præviso ipsius abusu, quin ipse particeps censeatur et auctor saltem remotus ejus mali, cujus ipse causam, licet deficientem, posuit; quemadmodum auctor et particeps necis filii censeretur pater, qui dedisset ei ensem, cum prævisione, imo sola

1) Cf. Tertull. *Adv. Marcion.* lib. II, c. XIV: „Quæ quidem (pœnæ) illis, *inquit*, mala sunt, quibus rependuntur: cæterum suo nomine bona, qua justa et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna." Energice idem prosequitur capitibus sequentibus.

2) I. p. q. LXV, art. I

probabilitate ipsius abusus; quemadmodum mater, quæ ad choreas filiam duceret, ex quibus vel suspicari potuisset ejusdem filiæ seductionem, et ita porro [1]); ergo.

155. ***Resp. neg.*** *antec.* ut patet ex dictis in probationibus. Satis est enim ad mali moralis existentiam explicandam defectibilem creaturæ intelligentis conditionem supponere; porro eo ipso, quod nulla creatura esse possit infinite perfecta, ei malum metaphysicum jam necessario adhæret, quod in ipsa limitatione consistit. Ex hac autem limitatione sequitur omnem creaturam rationalem ignorantiæ et errori obnoxiam esse posse ex parte intellectus, et deficientiæ ab honestate ex parte voluntatis: quo fit ut certa regula morali indigeat, qua possit tuto finem suum assequi. Jam vero creaturæ rationales, ut sunt essentialiter intelligentes, ita sunt essentialiter liberæ, adeoque etiam adversus vitæ regulam, benignissime eis a Deo datam, agere possunt. Hoc vero malum morale est. Malum igitur morale non est nisi per creaturam liberam, nec exigit nisi causam deficientem seu defectibilem et limitatam. Hic igitur totus controversiæ cardo evolvitur, utrum nempe Deus potuerit creaturam intelligentem ac limitatam condere, et utrum bonitate sua adigatur ad eam exteriori aliquo præsidio ita muniendam, ut deficere illa non possit. Nos primum affirmamus, alterum negamus. Affirmamus primum, quia nihil impedit, quominus Deus optimus possit efficere, quod non repugnat, et in se bonum est et quod exposcit ipsa creaturæ notio atque conditio. Alterum negamus, quia nulla lege Deus optimus adstringitur ad largiendum bonum aliquod extrinsecum, quod scilicet non exposcit ipsa creaturæ notio atque conditio. Quod si Deus ejusmodi bonum addit, id ex mera liberalitate facit, quæ proinde nullam importat obligationem, et diversos gradus habere potest, ut ipsa liberalitatis idea evincit. Sed jam ad singulas probationes.

156. *Ad* 1^m^, *Neg.* ob allatas rationes. Cum agatur de re in se bona, et qua bene utens creatura potest semper ulteriorem felicitatem acquirere. Nec Deus tenetur ob abusum accidentalem, licet prævisum, ac prævisam inde provenientem perniciem, abstinere a donis suis conferendis. Dedecus vero ac dehonestamentum se tenent ex parte creaturæ, ad quæ propterea reparanda Deus decrevit pœnas, sive temporales, sive æternas, pro offensæ seu dehonestamenti modo.

157. *Ad* 2^m^, ***Neg.*** ut pariter patet ex dictis. ***Potuisset*** quidem Deus id præstare, sed non ***debuit***, ut adversarii affirmant et non probant; alioquin evincerent Deum ***debuisse*** creaturas omnes intelligentes statim condere in gradu supremo felicitatis

1) Bayle, *Dictionnaire*, art. *Pauliciens*; eadem refricat in aliis art. *Manichéens*, *Origène*, *Marcionites*.

ac beatitudinis, nec potuisse alia ratione e nihilo eas educere, quod est absurdum. Dixi *debuisse* in tali supremo beatitatis gradu collocare; quia, cum malum metaphysicum sit defectio ulterioris boni ut vidimus, quicunque inferior gradus felicitatis supponatur, semper erit malum respectu ulterioris gradus, quem creaturæ illæ assequi potuissent.

158. *Ad* 3m, *Neg.* Hæc enim non est nisi idea præpostera atque ἀνδρωποπαθικη, a nobis nempe desumpta, ex nimio nostri amore (φιλαυτία) proveniens, quam ad Deum transferimus, et qua fit ut nos ipsos velut centrum spectemus, ad quod omnia referri debeant. Nihil vero nostra refert, si intelligere nequeamus quomodo Deus, quem natura seu essentia bonum esse ratio ipsa dicat, possit permittere, nec a nobis avertat tot mala, quibus obruimur; nobis sufficit ostendere id non repugnare, quod evincimus sive a *priori* sive a *posteriori*, ut ajunt. Si nunc quæ partium nostrarum sunt executi fuerimus, divina gratia adjuti, olim videbimus aperte, quod nunc nonnisi in speculo et in ænigmate videmus.

159. *Ad* 4m, Respondeo nos minime adstringi ad hanc potius quam aliam assignandam rationem, qua Deus permotus sit ad hunc providentiæ ordinem præ alio amplectendum; potest hæc esse, possunt esse aliæ, quas ignoramus; possunt etiam plures esse. Hoc certum ac ratum apud omnes esse debet Deum, utpote sapientissimum atque sanctissimum, fines habuisse dignos se, dum præ tot aliis innumeris, qui ipsi præsto esse potuerunt, hunc potius ordinem eligere statuit; quinam autem præcise sint illi fines, nonnisi conjecturaliter, atque, ut dicitur, ex congruentia, determinare valemus, licet omnes demum in gloriam ejus cedant, a qua ipse præscindere nequit, quum omnium supremus finis sit [1]).

1) Diversas vias inierunt, qui Bayle impugnare aggressi sunt, inter quos eminet King archiepiscopus dublinensis, Jacquelot, La Place, Leibnitzius, Le Clerc, P. Malebranche; quorum varia systemata seu principia videri possunt apud Bergier, *Dict. theol.* art. *manichéisme*. Apposite observat And. Spagni op. cit. *De malo*, diss. II, sect. VII, n. 129, non posse determinatam vel nos determinatas detegere in particulari rationes adæquatas, per quas Deus rectissime permittit peccata; certe vel ipse S. Augustinus cum in hanc rationem inquirendam meditatus fuisset, illam esse supra captum suum professus est, dicens: *Altitudinem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor* (*De Genesi ad lit.* lib. XI, c. 4, n. 6); et alibi passim (*Epist. ad Paulin.* CXLIX, alias XXXIX, n. 18; *De Genesi ad lit.* lib. XI, cap. 10; *De dono perseverantiæ*, cap. 10). Hoc ipsum fasi sunt non pauci heterodoxi, quos citat et sequitur Joan. Christoph. Wolfius, *Manich.* sect. III, n. 20; et ex nostris Michael de Elizade S. J. *Forma veræ religionis*, q XXXIX, n. 727 et seqq.; Alfonsus de Sarasa S. J. *Ars semper gaudendi*, tom. I, tract. VI, aliique. Quare nihil melius in hac re quam illud Scaligeri usurpare: *Nescire velle, quæ magister optimus docere non vult, erudita inscitia est.* Quod si proferri tanquam determinatæ nonnullæ rationes possunt, ut etiam solent, illæ adæquatæ dici nequeunt, sed partiales atque, ut eas vocat Card. Bellarminus (*De amiss. gratiæ*, lib. III, cap. 2), *probabiles*. Has expendit singillatim Spagni libro cit. n. 130 et seqq., ostenditque

160. Nec tamen sequitur, quod primo loco *a)* inferebatur, ***indignum Deo esse quærere gloriam suam tanto creaturarum suarum detrimento.*** Deus enim in hypothesi non quærit seu intendit simpliciter gloriam suam ex creaturarum suarum detrimento, sed supposita istarum malitia, quam impedire non tenetur, eruit inde gloriam suam.

161. Non secundum *b)*, quia quid magis conferat ad gloriam Dei nostrum non est dijudicare, quia prorsus ignoramus an in hoc scilicet potius quam in altero systemate majorem gloriam esset consecutus. Hoc autem Deus longe melius quam nos novit.

162. Non tertium *c)* denique, quia particeps criminis non est, nisi qui, cum possit et debeat prævisum abusum impedire, non impedit, cujusmodi esset provisor particularis, non autem Deus, qui ex dictis non tenetur, utpote provisor generalis, qui potest in particularibus defectus aliquot pati ob totius universi bonum, ut bene jam adverterat, post S. Augustinum, S. Thomas [1]; et sic responsio patet ad exempla patris, matris, magistri, etc. aliaque non pauca, quæ lasciviens Baylii ingenium excogitavit, in quibus idem semper latet sophisma, in eo positum, quod concludat ab eo, ad quod tenetur provisor particularis et limitibus circumscriptus obstrictusque moralibus legibus, ad provisorem generalem, infinita potentia ac bonitate præditum, qui non tenetur ad totum illud quod potest [2].

163. *Inst.* Deus non potuit condere creaturas rationales nisi ad felicitatem; ergo, licet absolute non teneatur totum malum ab ipsis avertere, tenetur tamen *hypothetice*, cum alias finem suum obtinere non possit.

164. ***Resp. Dist.*** *antec.* Id est, ad felicitatem per bonum usum illorum donorum, quibus illas cumulavit, *conc.* quacumque

omnes inadæquatas esse, sive quæ prolatæ sunt ab antiquis, sive quæ afferuntur a recentioribus.

1) I. p. q. XXII, a. 2: „Aliter, *inquit*, de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali, quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius;" et alibi passim.

2) Pictetus *Cont. l'indifférent.* ch. x, p. 134, adnotat permissiones allatas illius patris, et regis, etc. sistere tandem in ultimo quodam et præcipuo motivo certe vitioso, in præpostero affectu; tum esse imprudentes, cum neuter certus esse possit de felici exitu remedii, de quo cogitat; rex autem ille, qui permitteret scelera, ut haberet in quibus exerceret justitiam, crudelis animi esset. At in Deum perfectissimum non cadunt nisi fines sanctissimi et ipso digni, et licet puniat malos, non tamen permittit esse malos ad finem puniendi et omnia habet in sua potestate, ut etiam de malis bona possit elicere. Quod est fateri, ut observat Spagni n. 135, illas non esse adæquatas rationes permissionis peccati, sed tamen esse aliquas, quæ saltem satis opportunæ sunt ad revocandum in mentem, inter attributa Dei non esse solam bonitatem, nec a Deo mundum conditum esse, ut hanc tantummodo creaturis intelligentibus manifestaret, quod tamen præter rationem videtur sæpius supponere adversarius.

ratione obtinendam, *neg.* Sane Deus creaturas rationales non potuit condere nisi ad felicitatem ex intentione sua, ac proinde eas instruxit mediis, tum naturalibus, tum supernaturalibus, quibus ipsæ bene utendo *possint* felicitatem adipisci, si velint; sed si istæ illis abutuntur ad suam perniciem, sibi solis, non autem Deo; infelicitatem quam sibi consciscunt, adscribere debent. Sed de hoc postea.

165. III. *Obj.* 1° Contrariorum eadem est ratio, ergo si bonum summum existit omnis boni causa, existit etiam summum malum omnis mali causa. Sane 2° effectus malus non potest produci a causa bona eadem ratione, qua effectus bonus produci non potest a causa mala. Hinc 3° cum bonum et melius dicantur relate ad optimum, malum et pejus dici debent relate ad pessimum. Demum 4° cum tam bona quam mala talia sint per participationem, debent utraque reduci ad illud, quod est per *essentiam* tale cujus naturam ipsa participant; ergo.

166. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** In iis quæ contraria sunt per oppositionem positivam, *conc.* quæ contraria sunt per oppositionem *negativam* seu *privativam*, *neg.* Ex eo enim quod sol necessarius sit ad aërem illuminandum, non efficitur aliquam similem et oppositam causam requiri ad tenebras producendas, quæ offunduntur sola lucis absentia et privatione. Hinc cum malum sit boni privatio, quæ negativa est, nonnisi causam finitam et imperfectam, quæ a recto ordine deflectere possit, expostulat, et malum ita bono inhæret, ut sine ipso bono nec esse, nec intelligi queat.

167 ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Non potest produci a causa bona quatenus bona est. *conc.* quatenus a bono deficit, ut expositum est, *neg. et nego paritatem* cum effectus bonus sit positivus.

168. ***Ad*** 3m, ***Dist.*** Sed diversa ratione, *conc.* eadem ratione, *neg.* Bonum enim et melius dicuntur relative ad optimum per *accessum*, malum autem et pejus per *recessum*, nempe a bono vel optimo.

169. ***Ad*** 4m, ***Dist.*** Bonum tale est per participationem, *conc.* malum, *neg.* Neque enim malum dicitur per *participationem*, sed per *privationem* vel negationem boni, ut diximus [1]).

CAPUT III.

DE ESSENTIA DEI, EJUSQUE PERFECTIONIBUS GENERATIM.

170. Deum existere ac unicum esse ostendere operosum non est; quid vero Deus sit, et cujusmodi ipsius natura in se sit,

1) Cons. S. Thom. I, p. q. XLIX, art. 3, ad 3: „Bonum, *inquit*, per accessum ad terminum perfectum attenditur; privatio autem per recessum a termino. Unde non dicitur malum per accesum ad summum malum; sicut dicitur bonum et melius per accessum ad summum bonum."

sive quæ essentia propriaque ejus conditio, definiri omnino explicarique non potest. Hinc receptum illud S. Augustini dictum, cui patres reliqui consonant: ***Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid Deus non sit, quam quid sit*** 1).

171. Dum igitur theologi inquirere solent in Dei essentiam ejusque perfectiones, pro intelligentiæ humanæ modulo id faciunt, quatenus nempe ab humana mente Deus concipi potest, non autem omnino quatenus re ipsa est.

172. ***Perfectiones*** autem, ***nomina***, ***attributa*** dicuntur illæ dotes, quæ Deo necessario insunt, atque ab ejus essentia profluere quodammodo mente nostra concipiuntur, eamque jam constitutam veluti perficere ac modificare.

173. Cum vero Deus sit perfectionum infinitum pelagus, ac simplicissimus in se ipso, nec, ut videbimus, apprehendi a mente finita possit nisi per conceptus peculiares, dum instituitur quæstio a theologis, quodnam sit constitutivum Dei metaphysicum, id debet intelligi de ratione et ordine, quo progredi mens debet in serie divinarum perfectionum vel attributorum, et de perfectione ejusmodi investiganda, quæ spectari possit ut cæterarum veluti fons et origo, vel etiam, si placet, basis et fundamentum, quod cæteras regat atque sustentet, qua ab aliis entibus Deus maxime secernatur, quæque propterea constituat ipsam Dei essentiam.

174. Essentiæ enim nomine intelligitur id, quod primum in ente concipitur, et est ejusdem proprietatum fons et origo, atque per quod ens a reliquis entibus omnino distinguitur, seu in suo esse proprie constituitur.

1) In Psal. LXXXV, n. 12. Cons. Petavius, *De Deo* lib. I, cap. 5, ubi refert a S. Edmundo Cantuariensi in *Speculo* cap. 27, quatuor tradi modos, qui arripiendæ Dei notitiæ nobis usui esse possunt, quorum duo sunt interiores, alii exteriores. Prioris generis sunt revelatio atque ratio: revelatio tum fit, cum vel arcanis instinctibus, vel miraculis docentur homines, ratione vero cognoscitur, cum argumentis ad id utimur. Exteriores modi duo sunt, scriptura et creatura. Rursum ab antiquis passim duplicem distingui theologiam, hoc est disputationem, quæ de divinitate ipsa instituitur: unam symbolicam et mysticam sive arcanam, alteram demonstrativam. Prior est, quæ sub figuratis quibusdam descriptionibus ac similitudinibus, quæ symbola vocantur, abstrusarum rerum significationes continet; ut cum uterus, et cor, et manus, et oculus affinguntur Deo. Posterior, quæ de Deo revera, non figurate, affirmat aliquid aut negat, ut cum eum bonum ac sapientem dicimus, aut infinitum vel invisibilem. Hæc notare constitui juxta veterum placita, ut magis innotescat, quam ab ipsis deflexerint 1. Neoterici illi, qui contendunt non aliter posse nos ad Dei existentiæ cognitionem pervenire, quam per revelationem; illos superius recensuimus. 2. Illi qui autumant in statu puræ naturæ, seu seclusa revelatione, homines nunquam perventuros in Dei existentis notitiam, quod passim in Germania traditur. 3. Quam abutantur nonnulli revelationis voce, quæ interdum apud veteres occurrit, quando de Dei cognitione sermo est, cum alio omnino sensu ab eo, quem neoterici eidem voci affingunt, illam usurpaverint. 4. Id ipsum dici debet de symbolica Dei notitia, quæ a veteribus accipitur significatione diversa ab ea, quæ nunc temporis obtinet apud nonnullos, qui hoc pallio se tegere nituntur. Cons. Estius in *Sententiarum* lib. I, dist. 5, §. 6.

175. Circa hanc quæstionem quatuor præcipuæ sunt theologorum sententiæ. Prima illorum est, qui *nominales* nuncupantur, juxta quos Dei essentia consistit in cumulo omnium perfectionum [1]); altera est illorum, qui contendunt eam ponendam esse in *infinitate radicali* seu in *exigentia* omnium perfectionum [2]); tertia nonnullorum *thomistarum* est, qui opinantur eam sitam esse in *intellectione actuali* vel, ut aliis placet, radicali [3]); quarta demum, quam sectantur thomistæ reliqui, ac communis est inter theologos, statuit Dei essentiam in *esse a se* (*aseitatem* vocant), vel clarius in existentia a se, in existentia necessaria, seu necessitate essendi.

176. Cum instituti nostri non sit in quæstionibus scholasticis diutius immorari, contenti erimus communiorem, quamque veriorem existimamus adstruere sententiam, de cæteris non solliciti. Quod quidem præstabimus, quum Deo vindicaverimus prout ordo postulat, omnes prorsus perfectiones, ut inde ex his illa ordine prior statuatur, quæ spectari possit, nostro cogitandi modo, velut cæterarum fons et origo, ac constitutivum, ut vocant metaphysicum Dei, seu Dei essentia metaphysica.

177. Notandum porro est perfectiones generatim bifariam dividi. Prima pars complectitur eas, quas veteres scholastici vocabant *simpliciter simplices*, quasque nos absolute *simplices* vocabimus; altera vero complectitur perfectiones *secundum quid*, quas nos dicemus *mixtas*. Perfectio *simplex* ea est, quæ nullam in suo conceptu involvit imperfectionem, ac melior est sua opposita et quacumque alia cum qua est incompossibilis in eodem subjecto; perfectio *mixta* ea est, quæ vel aliquam in suo conceptu importat imperfectionem, nec est perfecta nisi in aliquo genere tantum, non autem absolute, vel saltem talis est, ut sit incompossibilis in eodem subjecto cum alia perfectione sive meliore sive æquali. Quod ut aliquo exemplo clarius fiat, ducto ab ipso S. Anselmo, hujus distinctionis auctore in *Monologio*, cap. XV (alias XIV): esse sapientem, melius est suo opposito, quia absolute melior est sapiens quam non sapiens; quod pariter dici debet de bonitate, justitia, etc.; contra, esse aurum non est perfectio nisi in auro, non autem in omni genere, quia esset imperfectio in homine, qui si aureus esset, vita et sensu careret. Advertit autem idem S. doctor (cap. 5) hanc distinctionem non habere locum nisi in substantiis [4]).

1) Horum auctor est Guillelmus Occamus, de quo cfr. Feller, *Dict. hist.*

2) Hanc passim scotistæ tuentur.

3) Cons. card. Gotti., Tract. *De Deo*, tom. II, q. 3, dub. 3.

4) Præmiserat enim initio capitis, „De relativis quidem nulli dubium, quia nullum eorum substantiale est illi, de quo relative dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relative, non est ejus significativum substantiæ. Unde hoc ipsum, quod est summa omnium, sive

178. Inesse autem possunt alicui subjecto perfectiones duplici potissimum modo, nempe vel *formaliter* vel *eminenter* (quatenus sub hoc vocabulo comprehenditur etiam quod dicitur *virtualiter* et *æquivalenter*). Tunc aliquæ perfectiones censentur inesse alicui subjecto formaliter,. cum proprie et secundum suum conceptum ac definitionem de eo enuntiantur; ut cum dico: Deus est bonus, sapiens, etc. vel in Deo est bonitas, sapientia, etc. Eminenter autem, quando nonnisi improprie de illo enuntiari possunt, quum non inveniantur in subjecto prout sunt, sed modo longe perfectiori, seu cum subjectum, cui inesse aliqua ejusmodi perfectio dicitur, potest aut illam producere aut idem præstare per altioris ordinis perfectionem; sic e. g. Angelus eminenter dicitur continere rationem, quia longe meliori modo assequi potest per suam intelligentiam, quod homo per rationem assequitur.

179. His ita declaratis, tria hic præstare debemus: nempe ostendere 1° Deo inesse omnes perfectiones; 2° quanam ratione Deo perfectiones inesse dicantur; 3° quæ demum ex perfectionibus, quæ in Deo sunt, censeri debeat Dei metaphysicum constitutivum, seu per quam censendum sit constitui Dei essentiam. Quod enim spectat ad modum, quo se habeant divinæ perfectiones ad divinam essentiam, disseremus, cum de attributis in particulari, ac præcise cum agemus de Dei simplicitate. Sit igitur

PROPOSITIO I.

In Deo sunt omnes perfectiones.

180. Deus enim de se ipso loquens (Exodi XXXIII, 19), dicit Moysi: *Ostendam omne bonum tibi.* Jam vero omne bonum Deus dici absolute non posset, nisi perfectiones omnes in se contineret. Huc quoque spectant, quæ de Deo passim scripturæ prædicant, Psal. 144: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis;* tum Baruch III, 25: *Magnus est et non habet finem.* Cum autem scriptura magni tudinem Deo tribuit, non in sensu magnitudinis extensæ per omnia spatia tribuit, sed cujuslibet perfectionis, ut sapientiæ, potentiæ, majestatis, naturæ, etc. Quare optime S. Joannes

major omnibus, quæ ab illa facta sunt, vel aliquid aliud quod similiter relative dici potest, manifestum est, quoniam non ejus naturalem designet essentiam. Si enim nulla earum rerum unquam esset, quarum relatione summa et major dicitur, ipsa nec summa nec major intelligeretur; nec tamen idcirco minus bona esset, aut essentialis suæ magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur. Quod ex eo manifeste cognoscitur, quoniam ipsa quidquid boni vel magni est, non est per alium quam per se ipsam."

Damascenus, *De fide orthod.* lib. I, cap. 9, de Deo loquens: *Nam totum* ESSE ait, *velut immensum quoddam et nullis terminis difinitum essentiæ pelagus complexu suo ipse continet* [1]. Hoc ipsum jampridem affirmaverat S. Greg. Naz. *Orat. in Natalitia*, iisdem bene verbis dicens: *Universum* ESSE *in se ipso, nunquam inceptum, nunquam desiturum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus* [2]. Sic patres reliqui.

181. Sed et ratio ipsa hoc suadet: Deus enim est ens quo nihil melius excogitari potest. Ergo necessario omnes omnino perfectiones in se contineat necesse est; alioquin jam aliud eo majus excogitari posset, nimirum quod omnes possideret.

PROPOSITIO II.

Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter.

182. Talis enim Dei est idea, ut ipsi tribui debeant omnes perfectiones, quæ cum ejus natura componi possunt, ac removeri ab eo debeat quidquid imperfectionem in suo conceptu involvit, et cum simplicissima ipsius natura consistere nequit. Quum autem ex præcedenti propositione Deus in se contineat perfectiones omnes, dicendus est diversa ratione possidere perfectiones simplices, diversa perfectiones mixtas, priores nempe formaliter, posteriores eminentiori quodam modo, prout naturæ divinæ congruit.

183. Ac primo quidem Deum vere et proprie seu formaliter illas continere perfectiones simplices, patet ex ipsius perfectionis simplicis notione, quam dedimus. Simplex enim perfectio ea dicitur, quæ et sua opposita et omni alia incompossibili melior existit. Ergo omnes perfectiones simplices vere et proprie Deus in se continet; secus enim non esset quidquid optimum cogitari potest. Hinc omnes perfectiones simplices Deum denominant, et Deus dicitur substantia, spiritus, sapiens, justus, etc.

184. Quod autem nonnisi *eminenter* contineat perfectiones mixtas, ex earum ipsa notione pariter eruitur; mixta enim perfectio ea est, quæ involvit aliquam imperfectionem, vel saltem est incompossibilis cum perfectione meliori sive æquali; hinc si

1) *Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον.* Pag. 142, edit. P. Le Quien, Paris 1712.

2) *Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον.* Edit. Billii *Orat.* XXXVIII, n. II, pag. 615.

Deus vere et proprie perfectiones istas in se contineret, jam non possideret perfectiones simplices, cum quibus in eodem subjecto perfectiones mixtæ consistere nequeunt. Sic si Deus esset corpus, non esset spiritus; si vero spiritus non est, jam nec est quidquid optimum cogitari potest. Hinc perfectiones mixtæ Deum non denominant; quare Deus non dicitur corpus, animal, rationalis, etc.

185. Cum tamen omnes perfectiones, quæ in creaturis elucent, Deo insint, sequitur eas non alia ratione in eo esse, nisi quatenus potest illas producere, ideoque eminenter seu virtualiter continere; sive quia nulla est, cui Deus non æquivaleat tum in *essendo*, ut dicunt, tum in operando. Quare eas continet æquivalenter, quia potest illud producere et præstare, quod illæ præstant, per altioris ordinis perfectionem, producit enim illas per suam omnipotentiam; et quod illæ pro modulo suo nec sine multis imperfectionibus præstant, præstat ipse absque ullo defectu et cum singulari excellentia; ac propterea, quod illæ possunt, ipse potest per perfectionem longe eminentiorem; hoc est autem continere eminenter.

186. Deus igitur perfectiones simplices formaliter, mixtas vero continet eminenter, quatenus, ut dictum est, istæ aliquam imperfectionem in suo conceptu involvunt. Ex dictis autem pronum est unicuique colligere Deum esse infinitam omnis perfectionis et entitatis simplicissimam et eminentissimam complexionem. Omnis, inquam, perfectionis non solum increatæ, sed etiam creatæ, quia quidquid est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis, non solum existentis, sed etiam possibilis in creaturis, id totum infinite perfectius et copiosius continetur in Deo, et quidem per unam simplicissimam rationem suæ deitatis, per quam est omnia formaliter vel eminenter. Hinc merito S. Anselmus loc. cit. infert omnia illa, quæ divinitati tribuuntur, significare, non qualitatem vel modum, sed substantiam ejus, et ab ipsa omnia summo modo concludi: *quidquid igitur eorum*, inquit, *de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas.* Quem propterea summe revereri summeque diligere debemus [1]).

1) Cf. Less. *De divinis perfect.* lib. I, cap. 6. Præter singularem in dicendo claritatem id sibi peculiare vindicat piissimus hic auctor, ut lectorum corda mire accendat ac in Deum moveat; præsertim in suis recollectionibus precato-

DIFFICULTATES.

187. *Obj.* 1° Relationes divinæ non sunt perfectiones simplices, sed mixtæ seu secundum quid; atqui in Deo formaliter sunt. Falsum igitur est perfectiones mixtas non esse in Deo nisi eminenter. Præterea 2° ex dictis perfectiones divinæ profluere intelliguntur ab essentia; ergo in illa formaliter non continentur.

188. ***Resp.*** ***Ad*** 1^m, ***Dist.*** *antec.* Quatenus in eodem subjecto consistere simul nequeunt, *conc.* quatenus imperfectionem involvunt in suo conceptu, *neg.* Diximus autem perfectionem mixtam esse, quæ vel imperfectionem in suo conceptu importat, vel saltem in eodem subjecto cum alia consistere nequit; hoc porro tantum posteriori sensu inter perfectiones mixtas recensentur divinæ relationes; eadem enim persona non potest habere paternitatem et filiationem, quæ duæ proprietates se invicem excludunt. Non desunt qui relationes perfectiones esse negant, cum relatio non dicat neque perfectionem neque imperfectionem, sed modum seu habitudinem unius ad aliud, sed de hoc in tract. de Trinitate.

189. ***Ad*** 2^m, ***Dist.*** Profluere intelliguntur, si distincte considerentur, *conc.* si generatim, *neg.* Hoc enim sensu sunt formaliter ipsa divina essentia.

PROPOSITIO III.

Essentia Dei metaphysica videtur constituenda in eo quod sit ens a se ac independens, seu in existentia a se.

190. Essentia enim metaphysica seu metaphysicum Dei constitutivum, ex communi doctrina, quatuor debet in se con-

riis, in quibus, dum summam colligit eorum omnium, de quibus præcedentibus capitibus late disseruerat, egregias precationum formulas exhibet. Ut hujus rei specimen habeant auditores nostri, partem hic referre placet recollectionis quam materiæ, de qua agimus, subjicit: „Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara sint mihi omnia tua, et tu Deus meus plusquam omnia. Quid enim sunt cætera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt et vanitas omnes divitiæ et deliciæ, omnisque gloria hujus mundi, quæ misere oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona quæ in te sunt, cognoscere et persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine divitiarum, voluptatum et honorum delusi, nihil horum inveniunt cum excitantur, sed cum dolore animi vident se misere deceptos, ita accidit omnibus hujus mundi amatoribus, vitæ istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius sæculi expergiscente. Nihil igitur illorum amem aut æstimem, sed te solum et bona tua, quæ in te recondita, quæ tu ipse es, quibus fruentur æternum qui, hisce caducis contemptis, tibi inhæserint. Amem te super omnia, et semper serviam tibi; quia infinite melior es omnibus, et dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur et impendatur."

ditiones complecti: nempe 1° ut sit quidpiam intrinsecum enti, 2° ut ipsum ab aliis omnibus secernat, 3° quod primo concipiatur, 4° demum ut cæterarum omnium perfectionum spectari possit veluti fons et origo. Atqui in *aseitate*, seu in existentia a se, quatuor ejusmodi conditiones reperiuntur, quæ ad essentiam metaphysicam constituendam requiruntur et sufficiunt. Nam ratio entis a se est quidem intrinsecum Deo, ut patet, nihil enim ea prius cogitari potest; nihil præterea est quod Deum magis a creaturis distinguat, quæ *esse*, acceperunt ab alio; omnia demum attributa ex hoc quasi principio dimanare concipiuntur. Ex eo enim quod Deus intelligitur esse ens a se statim necesse est, ut omnibus perfectionibus cumulatissimus nullisque terminis circumscriptus intelligatur. Quare S. Thomas, cum docuisset Deum esse ipsum *esse* per se subsistens, ex hoc colligit, eum omnes perfectiones continere, quia omnis perfectio pertinet ad rationem *essendi* [1]); ac postea cum S. Joan. Damasceno statuit ex omnibus Dei nominibus, quæ de Deo dicuntur, præcipuum et Deo maxime proprium esse QUI EST, totum enim in se ipso comprehendens, habet ipsum *esse* velut quoddam pelagus substantiæ infinitum [2]).

191. Hæc sane sententia magis consentanea videtur tum sacræ scripturæ tum sanctorum patrum doctrinæ. Deus enim ipse suam naturam nomenque sibi proprium expositurus (Exodi III, 14) ait Moysi: ***Ego sum qui sum: sic dices filiis Israël:*** QUI EST *misit me ad vos* [3]). Quæ verba expendens S. Hilarius, ***De Trinitate***, lib. I: ***Admiratus sum***, inquit, ***plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo***

1) I. p. q. IV, a. 2. Cfr. Suarez, *Metaph.* tom. II, disp. XXX, sect. I et seqq.

2) Ibid XIII, a. 2. Adeo Dei proprium *esse a se* Tertullianus pro certo habet, ut inde arguat adversus Hermogenem materiam æternam non esse. En quomodo ipse ratiocinetur, cap. 4: „Hinc denique incipiam retractare, *ait*, de materia, quod eam Deus sibi comparet, proinde non natam, proinde non factam, proinde æternam, sine fine propositam. Quis enim alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium, quia etsi alii adscribatur (nempe si et alii adscribatur), jam non erit Dei proprium, sed commune cum eo cui et adscribitur . . . Quod si Deus est, unicum sit necesse est, ut unius sit. Aut quid erit unicum et singulare, nisi cui nihil adæquabitur? Quid principale, nisi quod super omnia? Nisi quod ante omnia, et ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, et solus habendo unus est. Si et alius habuerit, tot jam erunt dei, quot habuerint quæ Dei sunt" . . . et ita prosequitur cap. 5, 6, 7, edit. Rigaltii.

3) Hebraice vero legitur ad literam אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero;* LXX verterunt: Ἐγώ *εἰμι ὁ Ὤν*, et vulgatus noster, reddidit: *Ego sum qui sum*, Aquila et Theodotion hebræa ad verbum reddiderunt: *Ἔσομαι ὅς ἔσομαι.* Onkelos, Syrus et Persa, textus hebræi verba retinent, Arabs uterque habent: *Ego sum æternus*, *qui non desinit.* Paraphrastes Jonathan nempe et Targum hierosolymitanum liberius verba illa exposuerunt. Sensus semper idem est. Cfr. Rosenmüller.

quam esse intelligitur, quia ad ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti; ac S. Bernardus, *De consideratione;* lib. IV, c. 6: ***Si bonum**, **si magnum**, **si beatum**, **si sapientem**, **vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur**, **quod est*** EST. ***Nempe hoc est ei esse**, **quod hæc omnia esse.*** Sic patres reliqui, sive græci sive latini, quorum testimonia profert Petavius [1]), qui præterea ostendit hanc ipsam inhæsisse sententiam philosophis ipsis ac judæorum doctoribus [2]).

192. Et hæc quidem pro instituti nostri ratione dicta sufficiant; qui enim plura de hoc argumento cupit, adeat ipsos scholasticos.

1) *De Deo*, lib. I, cap. 6.

2) Ib. Mirum proinde est Beausobre, *Histoire de Manichee*, etc. liv. III, ch. 3, §. 4, scribere potuisse: „Supposé que Denys d'Alexandrie ait connu cette vérité (aseitatem nempe proprietatem esse divinitatis propriam et incommunicabilem), il est néanmoins constant que les philosophes l'ont ignorée, et qu'elle a échappé à la pénétration du plus subtil de tous les Pères. Je veux parler de S. Augustin." Ergo juxta hunc criticum hanc veritatem metaphysicam ignorarunt philosophi omnes antiquitatis et patres omnes sive græci sive latini. Petavius tamen loc. cit. in medium profert hujus veritatis assertores Platonem in Timæo, Plotinum, Numenium, Plutarchum; ex judæis Philonem; ex patribus laudat Clementem Alex., Gregorium Nazianzenum, Dionysium Alex., Hieronymum, Hilarium, Dionysium Areopagitam nuncupatum, Maximum Mart., Damascenum, aliosque, quorum ibidem testimonia et argumentandi ratio videri possunt. Quoniam vero Beausobre commemorat S. Augustinum, ex eo afferemus testimonium. In tract. in Psal. CXXI, interrogat: „Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet. Non omnino non est, sed non summe est." Fuse etiam de hoc disserit S. Doctor tract. XXXVIII, in Joan. tum alibi sæpe. Recolantur verba adducta ex Tertulliano.

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PARS ALTERA.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM.

193. Divina attributa alia sunt *absoluta*, quæ ad divinam referuntur naturam, alia *relativa*, quæ referuntur ad personas. De his suo loco. Ex attributis autem absolutis alia dicuntur *negativa*, non quasi reipsa negativa sint, sed quia vocibus exprimuntur negativis, ut infinitas, immensitas, immutabilitas etc. Quæ tamen notionem positivam præseferunt, alia *affirmativa* vocantur, quod vocibus affirmantibus prædicantur, ut bonitas, justitia, etc., alia demum *respectiva* dicta fuere, utpote quæ ad operationes referantur, cujusmodi sunt scientia, omnipotentia, providentia etc. Hæc sunt præcipuæ divinorum attributorum divisiones, quibus alii alias addiderunt plus minus imperfectas [1]). Nobis hic satis erunt, ne ex copia ejusmodi divisionum confusio potius quam claritas oriatur.

194. Nimis longum esset de singulis attributis instituere sermonem, et quæstiones agitare, illa propterea tantum expendemus, in quibus maxime erratum est, simplicitatem nempe, immutabilitatem, libertatem, infinitatem, immensitatem, æternitatem.

CAPUT I.

DE SIMPLICITATE DEI.

195. Simplex dicitur quod caret omni compositione, quæ est distinctorum unio, potest autem esse hæc compositio vel physica vel metaphysica vel logica. Compositio *physica* est ea, quæ constat partibus realiter distinctis, cujusmodi e. g. sunt corpora omnia; *metaphysica* compositio ea est, quæ exurgit ex potentia et actu, essentia et existentia, natura ac personalitate; *logica* demum, quæ coalescit ex genere et differentia.

1) Præter *positiva* attributa ac *negativa*, etc. recensentur *quiescentia* seu immanentia (ἀνενέργητα), et *operativa* seu transeuntia (ἐνεργητικὰ); *primitiva*, ex quibus alia scilicet deducuntur, et *derivata*: *metaphysica*, quæ ad Dei substantiam infinitam spectant, et *moralia*, quæ ad ejus intelligentiam et voluntatem referuntur; *communicabilia*, quæ, licet diverso gradu, creaturis communicari possunt, ut sapientia, bonitas, etc., et *incommunicabilia*, ut omnipotentia; *propria*, ut æternitas, *metaphorica*, ut misericordia, ira, *moralia*, ut sanctitas, justitia etc.

196. Circa Dei simplicitatem non pauci quovis tempore erraruut. Ac 1° quidem ex ethnicis illi omnes, qui idola ut deos habuerunt, quos plerosque fuisse ostendimus, vel qui numina corporea admiserunt. 2° Ex christianis, qui humanam formam Deo tribuerunt, *anthropomorphitæ* propterea dicti; quam quidem quæstionem indifferentem ad fidem esse contendunt sociniani et arminiani [1]). 3° Cum veteribus stoicis recentiores pantheistæ, Spinoza duce, qui in sua *ethica* pantheismum geometrica methodo exponere ac demonstrare aggressus est, et nihil adstruit nisi materiam æternam, improductam et immensam, quam Deum vocat, cui paucis ab hinc annis judæus Salvator adstipulatus est [2]). 4° Ii qui realem distinctionem commenti sunt inter divinam essentiam et attributa, qui quidem error vulgo Gilberto Porretano tribuitur, nonnullis reclamantibus [3]). Hunc eumdem errorem adoptarunt græci schismatici passim, agente potissimum Gregorio Palama episcopo thessalonicensi,

1) Beausobre, *Histoire de Manichée*, etc., liv. III, ch. 2, pag. 484, censet, non esse hæresim perniciosam concipere naturam divinam velut lucem extensam. Sic enim ait: „Tout ce qui peut me convenir, c'est de peser à la balance de l'équité et de la religion la question, si c'est une hérésie dangereuse de concevoir la nature divine comme une lumière étendue. Voici ce qui peut en faire douter, etc.".

2) *Histoire des Institutions de Moïse*, tom. III, seconde partie, chap. I, *Jehovah*. Hic auctor tamen negat se admittere pantheismum, sed contendit non esse admittendum nisi *Infinitheismum*, sive existentiam universalem. Sic enim propriam sententiam promit loc. cit. pag. 180: „Maintenant réunissons tous les êtres et toutes les intelligences secondaires connues et inconnues; ajoutons un même accord, une même tendance, une même harmonie, voilà l'existence universelle. Mais n'est-ce point le pantheisme? Mais alors chaque chose n'est-elle pas Dieu? Le mot *pan* signifie *tout*, et l'expression *un tout* indique une oeuvre faite, terminée, bornée. Or l'être universel n' a pas de bornes dans notre esprit; . . . au lieu du mot *pan* plaçons le mot *infini*, faisons, si l'on veut, l'infinithéisme, et soudain la première objection (du panthéisme) disparaît." Ast parum refert denominatio, cum agatur de re, utrum nempe Deus ab universo distinctus sit nec ne, seu an ipsa rerum universitas Deus sit. Sane ipsemet in nota fatetur, ad rei summam quod spectat, in unum convenire pantheismum et infinitheismum, imo et spinozismum.

3) Critici inter se divisi sunt circa veros Gilberti errores (quos ipse tamen revocavit in concilio remensi); alii enim, ut Vasquez, Frassen, etc. longe probabilius esse arbitrantur, Gilbertum non distinxisse inter Dei essentiam atque attributa, sed solum essentiam et proprietates a persona realiter distinctas esse contendisse. Atque hi innituntur tum auctoritate Othonis frisingensis tum actorum concilii remensis, quæ ex codice vaticano vulgavit Vasquez. Alii autem communiter cum Petavio, Nat. Alex. censent, Gilbertum utramque distinctionem propugnasse, tum inter essentiam et attributa, tum inter essentiam et proprietates atque personam; hi autem citant auctoritatem S. Bernardi et Gaufredi monachi. Cons. Petavius, *De Deo*, lib. I, cap. 8, §. 4 et seqq. et Nat. Alex. *Synopsis in sæc.* XI et XII, cap. 4, art. 9, pro posteriori hac sententia; pro priori cfr. Vasquez, qui tamen disp. CXVI, in 1 part. sancti Thomæ, cap. 2, errorem de discrimine inter essentiam et attributa adscribit Gualtero, contenditque Gilbertum solum dixisse „concretum, *Deus*, aliquando poni pro persona, aliquando pro natura: cum ponitur pro natura, concedebat (Gilbertus) Deum esse ipsam deitatem et unitatem; cum vero ponitur pro persona, dicebat, non esse concedendam illam propositionem, *Deus est natura divina*, in casu nominandi. Similiter veritatem et alia attributa abstracta non prædicabat de persona, nec de Deo quando pro persona ponebatur; ex quo ille solam distinctionem realem, seu ex natura rei inter personam ex una parte, et essentiam atque attributa ex alia constituebat. Deinde disp. CXX, cap. 2, refert acta concilii remensis, quæ ibidem legi possunt.

qui virtutem Dei, ἐνεργείαν, operationesque a divina essentia realiter distinguebat, ac commentus est quamdam lucem ab ea promanantem, qualis Christo affulsit in monte Thabor [1]). Sic abbas Joachim realem distinctionem invehere visus est inter divinam naturam divinasque personas, cujus proinde libellus in concilio latheranensi IV, anno 1215, proscriptus est. 5° In oppositum scopulum inciderant anomæi, qui sæculo quarto Eunomium et Aëtium sequuti, nullam, nec rationis quidem, distinctionem inter Dei essentiam ejusque attributa, atque inter attributa ipsa admittebant, ut sic facilius aditum sibi aperirent ad impugnandam Verbi divinitatem.

197. Hi sunt præcipui errores circa Dei simplicitatem ab Ecclesia damnati. In hac tamen Dei proprietate adstruenda variæ sunt theologorum sententiæ sibi invicem adversantes. Nam alii quibusdam visi sunt accessive ad sententiam Gilberti Porretani, alii autem ad anomæorum errorem; quod ut intelligatur, juvat breviter exponere istorum theorias ac opiniones.

198. Distinctio est negatio identitatis; ea enim distinguuntur, quæ non sunt idem. Aliquid autem potest non esse idem cum alio, vel in se, vel in conceptu nostro. Si in se aliquid unum seu idem cum alio non sit, tunc distinctio, quæ intercedit inter duo vel plura, dicitur *realis*; si autem aliquid unum cum alio non sit nisi in conceptu nostro tunc dicitur distinctio *rationis*, seu mentalis, cogitationis.

199. Rursum aliquid potest non idem esse cum alio in se, vel quia separata sunt, ut Petrus et Paulus, vel saltem separari possunt, ut anima et corpus; vel relative opponuntur, ut pater, et filius; et hæc est quæ dicitur distinctio *realis major;* aliquid præterea in se potest non esse idem cum alio solum ratione modi, quatenus modus distinguitur a re, qualis intercedit inter animam ejusque cogitationem, corpus ejusque figuram; et hæc distinctio dicitur *modalis*, seu distinctio *realis minor.* Præter duas has Joan. Duns Scotus tertiam invexit, nempe inter duas vel plures ejusdem rei proprietates, quarum una non est alia, saltem in sua ratione formali, ut ajunt; e. g. in homine animalitas; rationalitas in Deo essentia et attributa, atque attributa alia ab aliis, ut misericordia, justitia, etc. et hæc dicta fuit distinctio *realis minima*, vel etiam *formalis* aut *scotistica.*

200. Distinctio mentalis bifariam dividitur, quarum nempe una sit pure arbitraria, ut cum quis distinguit inter Petrum et Cepham, et est sine fundamento in re, et vocatur distinctio *rationis ratiocinantis*; altera est quæ a sola quidem mente fit, sed cum fundamento in re, quæ licet in se una sit ac summe simplex, æquivalet tamen pluribus in se distinctis, nobisque

1) Cfr. Petavius loc. cit. cap. 12 et 13, ubi fuse exponit illius errores, et quæ circa ipsos gesta sunt.

fundamentum distinctionis suppeditat propter varios effectus, quos producere potest: e. g. granum potest spectari ut semen, ut alimentum, ut corpus, etc., et si de Deo sermo sit, cum ipse diversa possit efficere, cumque eminenter, ut dictum est, simplicissima ratione in se contineat perfectiones, quæ distinguuntur in creaturis ansam dat menti nostræ eas seorsum considerandi per distinctionem, quam scholastici vocarunt *rationis ratiocinatæ*, vel etiam *virtualem*.

201. Hi vero cum inter se divisi fuerint, et alii, ut scotistæ, voluerint in Deo admittendam esse inter essentiam et attributa, et inter attributa ipsa distinctionem *realem formalem*, ideo accusati sunt, quod in sententiam concesserint Gilberti Porretani; alii vero ex adverso, ut nominales, cum voluerint in Deo negare distinctionem inter divinam essentiam et attributa atque inter ipsa attributa, quæ dicitur *virtualis*, et *rationis ratiocinatæ*, in suspicionem venerunt erroris anomæorum. Attamen omnis erroris suspicio ab utrisque a præstantissimis theologis sublata est [1]. Sed de his satis multa, et ne theologiæ candidati illarum quæstionum jejuni omnino sint, et ad doctrinam catholicam pro re, quam agimus, vindicandam.

202. Quam quidem doctrinam tuentes adversus recensitos errores hoc ordine progrediemur: 1° adstruemus summam in Deo simplicitatem; 2° adoriemur eos, qui Deum corporeum esse docuerunt, et eos, qui velut adiaphorum habent ejusmodi articulum; 3° refellemus pantheismum vel spinozismum; 4° errorem impugnabimus Gilberti et socinianorum; 5° errorem eunomianorum, ita tamen ut ab erroribus jamdiu obsoletis breviter nos expediamus, insistamus autem in iis refellendis qui adhuc ætate nostra vigent.

PROPOSITIO I.

Deus est omnino simplex.

203. Hæc propositio est de fide, ut patet ex definitione concilii lateranensis IV, cap. *Firmiter*, ubi profitetur, quod in Deo sit: *una essentia, substantia*, seu *natura simplex omnino*.

204. Hoc sensu omnimoda simplicitas adstruitur, ut omnes recensitæ compositiones, quæ se tenent a parte rei, excludantur a divina natura.

205. Sic autem ejus veritatem in primis evincimus: Deo competit summa simplicitas, si nulla in ipsum cadat compositio sive physica, sive metaphysica, sive logica; atqui nulla prorsus ejusmodi compositio in Deo est vel esse potest, ergo.

1) Cons. Frassen *Scotus academicus*, tract. I, disp. III, art. I, quæst. 3. Venetiis, 1744.

206. Ac 1° quidem omnem physicam compositionem, quæ exsurgit ex partibus realiter distinctis, cujusmodi in corporibus habetur, removet scriptura a Deo, Christus enim de Deo loquens ait; ***Spiritus est Deus*** [1]. ***Spiritus*** autem vocem Christum usurpasse stricto sensu quatenus ea opponitur cujusvis generis corpori, patet ex ipsius scopo, nempe instruendi mulierem samaritanam circa cultum Deo exhibendum ubique locorum, et quidem in ***spiritu***, ut ibidem addit, ***et veritate***, quasi diceret, ut observat Maldonatus, cum Deus nullum prorsus habeat corpus, ideo non corpore, sed spiritu adorari Deum oportere [2]. Quo sensu etiam apostolus ait: ***Dominus autem spiritus est*** [3], et alibi passim [4].

207. Scriptura præterea eas proprietates de Deo prædicat, quæ cum physica compositione consistere nulla ratione possunt; cujusmodi sunt infinitas, immensitas, æternitas.

208. 2° Omnem aliam compositionem metaphysicam ac logicam a Deo pariter scriptura abigit, dum nomina abstracta sic Deo tribuit, ut ipsum denominent: ita passim Deus dicitur ***sapientia***, ***justitia***, ***bonitas***, ***via***, ***veritas***, ***vita*** aliaque ejusmodi; jam vero nisi esset omnimode simplex omnisque prorsus compositionis expers, Deus sapientia, justitia, etc. subsistens dici minime posset, sed ille potius qui habet sapientiam, justitiam, etc.; ergo.

209. Hanc autem doctrinam confirmant patres et ratio multiplex, quæ ab ipsis assignatur. Ac 1° patres colligunt Deum omni compositione carere ex eo, quod juxta communem omnium sensum sit id, quo nihil ne fingi quidem potest cogitarique perfectius; atqui Deus talis non esset, nisi simplex omnino existeret, compositio enim semper arguit aliquam imperfectionem. Ita S. Ambrosius [5], S. Augustinus [6], S. Bernardus [7] aliique. 2° Id ipsum inferunt ex eo quod Deus sit primum ens, necessarium, æternum, a se existens, quia omni composito componentem priorem esse necesse est; Deus autem quidquid est, natura est. Ita inter cæteros Tertullianus [8], S. Cyrillus Alexandrinus, S. Gregorius Nyssenus, Richardus Victorinus. 3° Ex

1) *Πνεῦμα ὁ Θεός*, Joan. IV, 24.

2) „Hoc enim, *inquit*, agebat Christus, ut probaret Deum nullum prorsus habere corpus, ideoque non corpore, sed spiritu adorari oportere. Quæ Christi ratio nihil efficeret, si Deus aliquod, quamvis subtile, quamvis tenue haberet corpus." Quam quidem rationem mutuatus est ab Origene *De principiis*, lib I, cap. I, num 4.

3) *Ὁδὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν*· II. Cor. III, 17.

4) Sap. 1, 5, 6, et VII, 23, etc.

5) *De fide*, lib. I, cap. 16, num. 106: „Deus, *inquit*, naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ."

6) *De Trinitate*, lib. V: „Intelligit omnia et sentit mente, non corpore, quia spiritus est Deus; „atque ibid. summam simplicitatem Dei fuso commendat.

7) *De consideratione*, lib V, cap. 7, num 16. *Quæris quid* (Deus sit)? *Summa simplicitas*. Et ibid. num. 17: *Non est compositus Deus*, *merum simplex est*.

8) *Contra Marcionem*, lib. II, cap. 6: „Nam bonus natura Deus solus. Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura."

eo quod *id quod habet, est*, ut loquitur S. Augustinus, et cum eo SS. Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, aliique [1]). 4° Ex eo quod Deus sit infinitus et immutabilis. Quidquid enim Deus est, infinitum est, ideoque partibus constare nequit; sic, quod immutabile est, nullum subire potest modificationum fluxum aut vicissitudinem, quæ in compositis necessario inest, ut argumentantur SS. Maximus martyr, Athanasius, Greg. Nyssenus, Cyrillus [2]). Hæ autem fere rationes sunt, quibus S. Thomas, *contra gentes*, lib. I, c. 18, ostendit nullam in Deo esse compositionem.

210. Ex quibus sic concluditur: In Deum nulla compositio cadere potest, ergo est omnino simplex, et quod consequens est, Deus est sua essentia, suum esse, actus purissimus, seu totus actus, atque ita simplicissimus, ut nihil cum eo comparari possit, cum quidquid Deus non est, aliqua compositione metaphysica saltem ac logica constet. Quæ argumentandi ratio nonnullorum etiam patrum est.

211. Hoc posito fundamento, jam pronum est refellere errores omnes, quotquot assertæ veritati adversantur.

PROPOSITIO II.

Absurda et hæreticalis est sententia eorum, qui Deum corporeum esse censent.

212. Absurdam dicimus eam sententiam, primo quidem adversus anthropomorphitas, et quotquot Deo corpus quodcumque tribuerunt; hæreticalem præterea adversus socinianos illos, qui illam veluti indifferentem habent, vel saltem veluti talem olim habitam fuisse arbitrantur.

213. Primum vero sic adstruimus: Dei natura seu essentia ex dictis est omnino simplex, prout non solum auctoritas, sed et ratio ipsa suadet; ergo absurdum est Deum corporeum asserere prout etiam repugnat Deum infinitum, æternum, immensum atque absolute perfectum partibus realiter distinctis constare, ac partibus necessario finitis compositum esse. Hinc scriptura objurgans eos, qui simulacris Deum sibi effingebant, ait: *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* (Isaïæ XL, 18). Optime propterea Origenes, *Periarchon*, lib. I, cap. I, n. 6, scripsit: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid et inferius esse credatur; sed ut sit ex omni parte* μονὰς *et, ut ita dicam,* ἑνὰς *et mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est.*

1) Apud Petavium, lib. II, cap. 2, §. 2 et seqq.
2) Ibid. §. 9 et seqq.

214. Alterum pariter sic ostendimus: Ad fidem indifferens error ille censeri nequit, qui inter hæreses recensitus est, cujusque fautores ecclesia constanter velut hæreticos habuit; atqui. Etenim dum prodiit, quarto ecclesiæ sæculo labente, anthropomorphismus, illico velut absurda hæresis a patribus, qui ecclesiæ sensum exprimebant, proclamatus est. Ita S. Hieronymus, lib. ***Contra Joan. Jeros.*** n. **11**, eum vocat ***Stultissimam hæresin;*** Theodoretus, ***Hæretic. fabul.*** lib. IV, cap. X: ***Stultam sententiam*** [1]; Cassianus, ***collatione*** X, cap. II et seqq.: ***Ineptam hæresin*** appellat, ***gravem errorem***, ***qui in perpetuæ mortis discrimen injiciat, et gentilem blasphemiam ab omnibus detestandam.*** Hinc factum est, ut anthropomorphitas, qui pervicaci sententia huic errori adhærere voluerunt, inter hæreticos recensuerint; ita quidem S. Augustinus [2], S. Philastrius [3], S. Epiphanius [4], S. Joan. Damascenus [5], Isidorus pariter ac Rabanus in suis hæreticorum catalogis audianos, quo nomine anthropomorphitas designabant, inter hæreticos numerarunt. Theophilus alexandrinus antistes iis fortiter restitit ac paschalibus suis epistolis universæ ecclesiæ eos denunciavit; ita vero profligati sunt, ut vix eorum reliquiæ superfuerint [6]. Exploratum igitur est errorem antropomorphismi semper ab ecclesia ut putidam hæresin spectatum fuisse, non minus rationi quam fidei adversantem, adeo ut S. Augustinus, epist. CXX (alias CXXII), cap. II, n. 7, non dubitaverit eum vocare ***quamdam idololatriam;*** qui propterea, libro de ***Fide et Symbolo*** cap. VII, verba illa symboli: ***Sedet ad dexteram Patris,*** explanans scribit: ***Nec ideo, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est . . . ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*** [7]. Quod vero diximus de corpore humano debet

1) Loquens enim de Audæo, qui Deum humana forma esse docuit, ait stulte (*μωρίᾳ*) ipsum intellexisse, quæ in scripturis per accommodationem de Deo dicta sunt: et paulo infra eumdem rationis inopia laborantem traducit, *καὶ ἀλογιστεῖ νοσῶν*; eumdem tamen ab hoc errore alii purgant.

2) *Hæresi* LXXVI, et *hær.* LXXXVI.

3) Lib. *De hæres.* in *Biblioth. patrum* De la Bigne, tom. v, col. 50, *De imagine et similitudine Dei in homine hæresis.*

4) *Advers. hær.* lib. III, hæresi LXX, n. 2 et seqq. edit. Petav.

5) *De hæresibus*, n. 70, eos tantum schismaticos vocat, ut S. Epiphanius, eorumque vivendi rationem commendat: at Petavius in notis ad citatam hæresim cum Theodoreto observat eos postea defecisse. Cur vero S. Epiphanius schismaticos tantum dixerit audianos, ex S. Augustino habemus, cujus auctoritas inferius adducetur.

6) Sæculo v. Faustum regiensem, et sæc. x Ratherium monachum adversus anthropomorphitas scripsisse refert Trithemius; sane ex sermone I, de quadragesima ubi Ratherius refellit anthropomorphitas, colligitur sæculo x nonnullos presbyteros vicentinæ diœceseos ejusmodi errorem instaurasse. Cf. Zaccaria S. J. in adnot. ad loc. cit. Petavii *De Deo*, lib. II, cap. I.

7) Cf. Petav. loc. cit. ubi innumera prope affert patrum sive græcorum sive latinorum testimonia ad eamdem adstruendam doctrinam, seu *juxta patrum fidem*, ut loquitur Gennadius, libro *De Viris illust.* in *Teoph. de Dei nempe incorporea natura.*

pariter intelligi de quacumque alia substantia corporea, cujusmodi e. g. esset lux, quam manichæi velut partem constitutivam Dei dixerunt, imo ipsum Deum.

DIFFICULTATES.

215. I. *Obj.* adversus primam propositionis partem. 1° Scriptura hominem exhibet conditum ad imaginem et similitudinem Dei; porro homo non solum anima, sed et corpore constat, igitur ad totum compositum hæc Dei similitudo referri debet; quod 2° non pauci ecclesiæ patres admiserunt. 3° Scriptura tribuit præterea Deo humana membra, os, oculos, etc.; tribuit corporis proprietates magnitudinem et extensionem; etenim Job. XI, 8, Deus dicitur *excelsior cœlo ... profundior inferno ... longior terra mensura ejus*, *et latior mari;* tribuit affectiones humanas, iræ, pœnitentiæ, zeli, patientiæ, vindictæ etc.; ergo.

216. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Quoad animam, *conc.* quoad corpus seu integrum hominem, *subd.* respectu potestatis et dominii, quod ad instar regis super omnia animantia ac super universam terram exercet, in quo homo præfert imaginem Dei supremi Domini, *conc.* respectu lineamentorum corporeorum, *neg.* Apposite Philo judæus de iis, qui abjecte adeo de Deo sentiunt, scripsit, *Cochlearum more*, *in id*, *quod mortale est*, *subeuntes*, *vel ut herinaceos in sese conglobatos et circumvolutos*, *de beato et incorruptibili Deo talia sentire*, *cujusmodi de se ipsis judicant* [1]).

217. *Ad* 2m, *Dist.* In sensu nuper exposito, aliove cum catholica doctrina consentaneo, *conc.* in sensu anthropomorphitarum, *neg.* Patres igitur, qui etiam quoad totum hominem Dei similitudinem agnoverunt, vel 1° ea ratione loquendi intellexerunt potestatem, qua homo regis cujusdam more in naturæ creatæ res pollet, ut diximus [2]); vel 2° opinati sunt Deum in creatione seu formatione hominis humanam formam assumpsisse tanquam typum et exemplar, ad quod opus suum exigeret [3]); vel denique 3° putarunt etiam quoad corpus hominem Deo esse similem respectu habito ad futuram divini Verbi incarnationem [4]). Hac ratione quæ apud patres obscure dicta, vel

1) *Ἀλλ' εἰς τὸ θνητὸν εἰσδυόμενοι, καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ αὐτοὺς ὥσπερ ἐκεῖνοι σφαιρηδὸν εἰλούμενοι, καὶ περὶ τοῦ μακαρίου καὶ ἀφθάρτου, καὶ περὶ αὐτῶν δοξάζομεν.* *De sacrificiis Caïni et Abelis* p. 146, edit. Paris, 1640.

2) Cf. Petavius, *De opific. sex dier.* lib. II, cap. 3 et seqq.

3) Ibid. cap. 4.

4) Ibid. Hinc Prudentius in *Apotheosi contra unionitas*, id est, sabellianos hæreticos :

Christus forma Patris; nos Christi forma et imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.

dure, quæque non consentanea reperiri possunt iis, quæ alibi iidem patres de summa Dei simplicitate prædicant, et explicantur et emolliuntur et cum reliquis optime componuntur.

218. *Ad 3m*, *Dist.* Improprie seu metaphorico sensu, *conc.* proprie, *neg.* Deus enim homines alloquens, horum imbecillitati se quodammodo accommodavit, iis verborum formulis utens, quæ vel humana membra, vel corporum proprietates vel affectiones exprimerent, ut intelligerent Deum solo nutu ac voluntate præstare, quæ homines utpote corporei suis membris, affectionibus proprietatibusque operantur. Cæterum ne quis humanæ menti subesset error, ea de se prædicat, quæ cum ejusmodi affectionibus vel proprietatibus consistere nequeunt; ut cum dicit Jerem. XXIII, 24: *Numquid non cœlum et terram Ego impleo, dicit Dominus;* et Sap. I, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis;* et his similia, quibus referti sunt sacri libri. Quare merito S. Epiphanius: *Affectiones*, inquiebat, *in Deo esse aliquas dicere, summæ esse impietatis, eo quod divinum Numen nullis affectionibus est obnoxium et his omnibus superius est, quæ peculiari cognitione ac cogitatione comprehendimus* [1]).

219. II. *Obj.* adversus alteram propositionis partem. Quod revelationi non opponitur, imo eidem potius congruit, de hæresi damnari non potest. Jam vero 1° scriptura, ut ipse observat Origenes [2]), contrarium non definivit, *incorporei* seu *ἀσωμάτου* vox, ut idem adnotat, in scripturis non reperitur. 2° Scriturarum loca, in quibus Deus *spiritus* dicitur non solum Dei substantiam incorpoream non evincunt, sed evincunt potius contrarium. 3° Exploratum enim est hanc vocem apud veteres aliam significationem habuisse, quam apud nos, ut eruitur ex pluribus exemplis scriptorum, sive ecclesiasticorum sive profanorum, qui per spiritum non aliud intelligebant nisi corpus subtilius. Alioquin, si ratum habuissent veteres *incorporeitatem* proprietatem spiritus esse, nunquam in eam devenissent sententiam, ut sibi persuaderent *spiritus esse corporeos* [3]); ergo.

220. *Resp. conc. maj. neg. min. Ad 1m*, *Dist.* Expresse, *trans.* æquivalenter, *neg.* Nam eo ipso quod scriptura Deo tribuat proprietates, quæ cum corpore componi nequeunt, cujusmodi sunt immensitas, infinitas, etc., patet ab ea tribui Deo simplicitatem summam. Origenes autem loc. cit. nihil aliud edi-

1) Hæresi LXXVI, in confut. cap. 14, Aëtii pag. 953, edit. Petavius. *Πάθη ολως ἐν Θεῷ διηγεῖσθαι ἀσεβέςατον· εἴσω γὰρ παθῶν οὐδ' ὅλως περιέχεται τὸ θεῖον· ἀνωτάτω δὲ ὂν τῶν τοιούτων, τῶν ἐν ἡμῖν, εἰς μεριςτικὰς ἐννοίας ὑποπιπτόντων.*

2) *De principiis*, lib. I, cap. I.

3) Ita Beausobre loc. cit.

cit, nisi conceptis terminis Deum in scripturis minime vocari ἀσωμάτου, quod non abnuimus [1]).

221. *Ad* 2^{m}, *Dist.* Si scriptura de Deo loquens præterea non adderet ea, quæ spiritum proprie dictum, seu prout nos hanc vocem accipimus, denotant, *trans.* secus, *neg.* Jam vero non ex sola ac nuda spiritus voce colligimus Deum incorporeum ac symplicem prædicari, sed ex cæteris proprietatibus modo recensitis, quæ nonnisi substantiæ simplici ac vere spirituali conveniunt, atque ex scopo et contextu.

222. *Ad* 3^{m}, *Dist.* Prout exploratum pariter est, veteres non eadem significatione usurpasse vocem *corporis* ac nos usurpamus, *conc.* in eodem sensu, *neg.* Non inficiamur latiori sensu interdum a veteribus vocem *spiritus* acceptam fuisse, at non minus certum est diverso etiam sensu ab iisdem vocem *corporis* adhibitam esse. Aliquando per hanc vocem exprimebant quod nos *substantiam* vocamus [2]), aliquando designabant naturam non omnimode simplicem, cujusmodi Deus est omnis compositionis tum metaphysicæ tum logicæ expers [3]), quo sensu interdum veteres dixerunt corporeum quidquid Deus non est, ideoque non absolute, sed comparative, quo sensu spiritus corporeos dixerunt. Quare hæc dissimulavit Beausobre?

223. *Inst.* Eo majori indulgentia digni sunt, qui Deum corporeum ac lucem extensam crediderunt, 1° quod nullam ideam substantiæ spiritualis habeamus; 2° quod ex ejusmodi errore Dei corporei nullum detrimentum religio patiatur; cultus enim, amor Dei, obedientia ei debita integra subsistunt; 3° quod ii, qui divinam naturam lucem esse extensam sibi persuasum habebant, nec eam minus sanctam, aut puram aut invisibilem crediderunt; nec idcirco minus perfecti christiani fuerunt Tertullianus, Melito, etc. etsi Deum corporeum esse crediderint; 4° quod vel subtilissimus inter antiquos theologus, cujusmodi profecto communi omnium suffragio fuit S. Gregorius Nazianzenus, aperte fateatur, *orat. XXXIV*, naturam divinam esse prorsus incomprehensibilem, atque ineffabilem, cum attributa

1) Et hic juvat specimen exhibere malæ fidei, qua religionis catholicæ hostes proferunt veterum auctoritates. Beausobre affert auctoritatem Origenis, nec advertit 1, hic Origenem non ex propria sententia ea affirmare, sed proferre objectiones adversariorum. 2 Origenem fuse ea refellere quæ sibi objiciuntur. 3 Ostendere vocem *spiritus* in scripturis opponi corporalibus. En ejus verba loc. cit. n.2: „Consuetudo est scripturæ sanctæ cum aliquid contrarium corpori huic crassiori et solidiori designari vult, spiritum nominare, sicut dicit: *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* In quo sine dubio per literam corporalia significat, per spiritum intellectualia, quæ et spiritualia dicimus;" et ita prosequitur 4. n. 4. ex professo ostendit in verbis Christi *Deus spiritus est,* nomen spiritus ita usurpari a Christo Domino ut illud opponat corpori, ut jam a nobis superius observatum est.

2) Ut de Tertulliano exploratum est. Cf. Natalis Alex. *Hist. eccles.* sæc. II, diss. IX, art. 71; Witasse, Tract. *De Deo,* quæst. VI, sect. II, pag. 452, edit. Paris. 1718; Boucat, *De Deo* diss. III, art. 3; Vasquez in I part. disp. XXI, cap. I.

3) Ut Methodius, Gennadius, Theophilus Alex., Cassianus, Hilarius apud Petav. *De Deo,* lib. II, cap. I, §. 14.

negativa nullam nobis divinæ essentiæ ideam præbeant, et dicant quid Deus non sit, minime vero quid sit; voces autem quibus utimur ad aliquid de Deo significandum semper menti nostræ ideam offerunt alicujus rei sensibilis, *adeo ut impossibile sit* enti corpore prædito entia simplicia cogitare, nullo adhibito rerum corporearum adminiculo [1]); ergo.

224. *Resp. ad* 1m, *Dist.* Nullam habemus substantiæ spiritualis ideam adæquatam, *trans.* inadæquatam, *neg.* Nos enim juxta aliquos philosophos, præsertim antiquiores, devenimus in cognitionem entis seu substantiæ spiritualis et simplicis per remotionem partium ac modificationum, eorumque omnium, quæ in compositionem, quæcumque demum ea sit, confluunt, et diversos gradus simplicitatis hac via concipimus, donec perveniamus ad simplicitatem summam, quæ nonnisi in Deo est. Cum igitur ideam satis claram habeamus compositi, nihil prohibet quominus per eam abstrahendo efformemus nobis ideam saltem inadæquatam ejus substantiæ, quæ simplex omnino sit, quæque præterea sit spiritualis, si ejus actus sint ejusmodi, ut nullo modo possint competere entibus materialibus. Juxta philosophos recentiores idea entis simplicis, qualis est idea *nostri ego* est prima idea, et est velut fundamentum recentioris philosophiæ [2]).

225. *Ad* 2m, *Neg.* Illud enim religio ex falsa ejusmodi opinione detrimentum patitur, quod patitur a quocumque alio errore, qui adversatur veritati, cujus religio expressio est. Si valeret Beausobrii ratio, consequeretur inter hæreses minime esse recensendos arianismum, eutychianismum, nestorianismum, aliasque sexcentas monstrosas ejusmodi sententias, quæ fidei dogmatibus, seu veritatibus speculativis a Deo revelatis adversantur.

226. *Ad* 3m, *Trans.* Numquid propterea hæresis talis esse cessabit, si, qui illam profitentur, in cæteris fidei articulis a veritatis tramite non abscedant? Quod spectat ad illos, qui erroneæ ejusmodi opinioni adhæsisse dicuntur, et nihilo tamen secius perfecti christiani extiterunt, distinctione opus est; si enim ita de Deo senserunt *rustica simplicitate* ducti, cujusmodi nonnullos monachos fuisse affirmavit S. Hieronymus, epist. XI, ad Pammachium, tunc utique materialis hic error nihil officiebat ipsorum sanctitati; ast si ita sensissent postquam illis patefacta est contraria ecclesiæ doctrina, profecto nec sancti nec perfecti christiani esse potuissent, sed formales hæretici. Nulla enim est vera sanctitas sine vera fide.

1) Sic Beausobre loc. cit. pag. 458 et seqq.

2) Cf. Galluppi, *Elementi di filosofia*, tom. III, *Dell' ideologia*. Messina 1824, c. I et seqq.

227. Quod attinet ad Melitonem, Tertullianum, etc., quos Beausobre pro certo habet credidisse in Deum corporeum, res adhuc incerta est. Sunt qui eos hujus erroris accusant, et sunt qui eosdem ab hac macula longe probabilius liberant; ad ulteriora nos properantes, non est quod in critica hac disquisitione immoremur, cum fidei nostræ dogmata ab unius alteriusve privata opinione non pendeant, præsertim cum in hypothesi adversarii (quam non admittimus) citati auctores errore potius mentis quam voluntatis in ea sententia versati fuissent [1]).

228. *Ad* 4[m], Dicimus Gregorium Nazianzenum in adductis locis nihil aliud docuisse, quam quod cæteri omnes patres ante et post ipsum docuerunt, ac omnes etiamnum theologi docent, naturam nempe divinam esse incomprehensibilem atque ineffabilem, nec nos posse ad invisibilia ejus, ut loquitur apostolus, nisi per visibilia, ac per ea, quæ ab ipso Deo facta sunt [2]), ad ipsum assurgere. Quid inde colligi possit pro adversarii sententia non video, quin potius ex iis, quæ difficilia nostro intellectui sunt, colligi debet absoluta necessitas, quæ omnibus incumbit, acquiescendi infallibili ecclesiæ magisterio.

229. *Dices*: Anthropomorphitæ tolerati sunt, neque inter hæreticos recensiti a S. Epiphanio, teste S. Augustino, *hæresi* L; ergo.

230. ***Resp. Dist.*** Quamdiu ignorantia ac simplicitate erraverunt, *conc.* postquam eis ecclesiæ contraria doctrina innotuit, *neg.* Alioquin in catalogo hæresum et hæreticorum illi patres atque scriptores ecclesiastici anthropomorphismum ejusque sectatores minime recensuissent. Rudiores porro illi monachi tolerati ad tempus sunt, quod, ut ibidem scribit S. Augustinus: ***Rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici.*** Sic Cassianus, ***coll. X,*** cap. 2, ***Simplicitatis errorem*** vocat illorum monachorum opinionem [3]).

1) Consul. auctores a nobis citati supra in nota (2), pag. 82, qui eruditissime ab hac criminatione eosdem vindicant.

2) Rom. I, 20. Cæterum satis est vel leviter percurrere *orationem* XXXIV S. Gregorii Nazianzeni, quæ est secunda de theologia, a n. 10 ad 24, ut quisquam intelligat non alienum esse sensum S. Doctoris ab eo quem indicavimus. Addit autem fieri prorsus non posse ut ii, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum rerum ac sensilium adminiculo, rebus iis, quæ animo ac ratione intelliguntur seu percipiuntur, omnino conjungantur. Semper enim, inquit, obiter sensile aliquid incidit, quantumvis maxime nostra mens ab iis rebus, quæ in aspectum cadunt, se se surripiat et in seipsam collecta, cum rebus cognatis atque oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur. Ast per hoc non inficiatur nos non posse habere ideam rerum abstractarum, vel substantiarum simplicium, sed loquitur tantum de eo quod evenire consuevit. Ibidem enim Deum omnino simplicem, et cujusvis compositionis expertem esse, ex professo demonstrat.

3) S. August. *De hæresibus*, ubi de *Vadianis.*

PROPOSITIO III.

Systemata pantheismi atque autotheismi absurda sunt.

231. Majoris perspicuitatis gratia nonnulla ad dicendorum intelligentiam præmittenda censuimus.

232. 1° Pantheismus veterum stoicorum confundi non debet cum spinozismo proprie dicto. Veteres enim stoici etsi mundum hunc, quem æternum cum plerisque philosophicis sectis supponebant, Deum dicerent, distinguebant tamen duas substantias in Deo, spiritualem atque intelligentem, quæ esset ad instar animæ, quæ molem intus pervaderet, regeret, vitam motumque præberet, tanquam partem constitutivam totius esse divini, nempe Dei, et substantiam corpoream velut partem alteram constitutivam ipsius Dei exteriorem atque passivam [1]). Spinoza vero non adstruit in Deo, quem identificatum supponit cum hac rerum universitate, nisi unam substantiam, cujus proprietates et attributa ac modificationes sunt intelligentia, immensitas, infinitas, etc., ideoque intelligentiam concipit, non ut partem constitutivam ipsius Dei, sed solum ut ejusdem attributum [2]).

233. 2° Pantheistæ recentiores plus minus accedunt ad Spinozæ systema circa unicam substantiam, quam activam et passivam simul adstruunt; diversa tamen ratione ac diversa via pro ratione diversa philosophandi in idem conspirant.

234. Etenim qui sectantur philosophiam *realisticam*, ut vocant, affirmant Deum esse *universum absolutum*, *chaos*, *indifferentiam puram* inter objectivitatem et subjectivitatem, *complexum naturæ totius* et *animal universale*, quod hoc universo empyrico se quasi vestivit ex quo omnia, seu *transeuntes apparitiones*, *vibrationes* et totidem bullæ in *universalis vitæ oceano* promanant. Ita Schelling ejusque sequaces [3]).

235. Qui vero philosophiam *idealisticam* profitentur, docent Deum esse illud *ego universale*, quod ex intuitu nostri ipsius *ego* deducitur, quodve nec *substantia* potest dici, quia con-

1) In hoc consentiebant stoici, ut principium aliquod primum rerum omnium ponerent, etsi dissentirent inter se in hoc principio determinando; siquidem alii illud ignem vel aquam, etc. esse dicebant; consentiebant præterea in eo quod assererent principium illud, quodcumque demum fuerit, a ratione regi in operando, et divinam rationem, ut loquitur Seneca, toti mundo ac partibus ejus insertam, vel ut ajebat Zeno *Θεὸν εἶναι πνεῦμα διῆκον δι᾽ ὅλου τοῦ κόσμου*, id est, *Deum esse spiritum universum mundum permeantem*. Cf. Cudworth, *Syst. intell.* cap. 4, §. 25.

2) Ex antiquis præiverant Spinozæ *eleatici*, qui, duce Xenophane, quidquid existit, æternum dixere, infinitum atque unum esse; nempe mundum, quem Deum vocabant.

3) Vid. Joan. Imre, *Amicum fœdus rationis cum experientia*, Pestini 1827, part. I, *Cosmologia*, cap. I, §. 6 et part. III, *Theol.* cap. I, §. 1.

ceptus substantialis est finitus, nec *existens*, quia existentiæ forma spatii et temporis semper adhæret: utrum vero illud *ego universale* sit *ordo mundi moralis*, an *ideale purum*, determinari non posse autumant. Ita Fichte cum suis asseclis 1). Ex hoc principio exsurgit *authotheismus* seu *suitheismus*, cum Deus non sit nisi *ego absolutum* et *individuale*, seu personale *sublimatum*.

236. 3° Tum ex *transcendentali realismo* et *rationalismo*, tum ex *idealismo* et *intuitismo transcendentali* originem suam habuit sansimonianismus, cujus doctrinæ summa consistit in neganda seu destruenda omni divinitate ac religione, in quarum locum substituit pantheismum atque autotheismum universalem totius generis humani 2), quod sansimoniani unire satagunt in unam familiam æqualium personarum, exclusa omni inæqualitate vel privilegio orto ex nativitate. Iidem præterea sansimoniani omnia moralitatis principia evertunt, et id demum respective bonum vel malum statuunt, quod eorum fini confert, vel respective adversatur. Uxores in familiis æquales statuunt maritis, ideoque quærunt mulierem emancipatam vel emancipandam 3). Continuum prædicant progressum et perfectibilitatem, quivis singillatim passus, ut ajunt, humani generis et progressus, est aliquis gradus ad perfectionem; atque ita velut progressu habentur e. g. prætensa Lutheri reformatio, rebelles motus Galliæ ante annos XL, recentia seditiosorum tentamina ad omnem ordinem evertendum 4). Sed hæc juxta ipsos non erant nisi

1) Ibid. part. III, tom. cit. Fichte assentiuntur Jacobi et Koppen. Cum ab his quæreretur, num *ego illud* sit creator ex nihilo, rex adorandus, etc., reposuerunt: *Cum illius* non ego (scilicet mundi, nam sic ipsi distinguere solent, et vocant *ego proprium* seu individuale animam; vocant vero *non ego* mundum et ea quæ mundo sunt, in quæ impingens *τὸ ego proprium* limitatur a *non ego*) et *individualis ego* (animæ nostræ) *aliter conscii non simus, nisi præexistente τῷ* ego universali, *quod illa ponat producatque, consequens est illud creatorem omnino esse.* Id est, ponunt creationem non ex nihilo, sed tanquam emanationem *τοῦ ego universalis.* Admittunt quoque illud *ego universale* dominum esse, ast detestantur ejusdem dominum *in τὸ ego nostrum* velut tyrannidem, despotismum, superstitionemque paganam et judaicam, qua Deus deorum creditus cultusque est. Ecquis risum teneat dum hæc perlegit?

2) Inferius afferemus textus ex ipsis libris sansimonianorum ad hæc ostendenda. Secta sansimoniana ob nimias fatuitates, quas prædicabat, ab initio vix digna attentione videbatur; cum vero latius latiusque serpat (anno 1835), et emissarios effuderit in dissitas regiones, Syriam, Ægyptum, etc. ad virus suum diffundendum, ideo operæ pretium duxi ejusdem systema ob oculos lectorum ponere.

3) Ita in libello cui tit. *Religion saint-simonienne, communion générale*, pag. 32, Paris 1831, „Parmi nous plus de privilèges de sexe et de naissance: l'inférieur n'est plus *l'esclave* du supérieur, ils sont associés; l'homme n'est plus le maître de la femme, ils sont mariés; un peuple n'est plus le tributaire d'un autre peuple, ils forment une seule famille; car Dieu est tout ce qui est." Ista est ratio quare caput seu princeps sectæ *patris* nomine donetur, qui nunc est quidam Enfantin nuncupatus. Etsi vero secta cooperatrices habeat, ut patet ex libro *Religion saint-simonienne, La Presse*, pag. 26, nondum tamen communem matrem invenit.

4) Inter cætera in libro cui titulus: „Religion saint - simonienne, *Enseignement central*, pag. 34, hæc leguntur: „Saint - Simon sentit l'inspiration pro-

opera incompleta, perfectio rerum Sansimoni reservata fuit ejusque discipulis! Ex eodem progressu vel perfectibilitate non desperant fore ut homines aliquando æternum vivant in his terris. Christi religio juxta eos bona fuit; pro illa Christi ætate fuit progressus, quia tunc necesse erat hominibus prædicari mortificationem cœlumque promitti; nunc autem genus humanum altius provectum est, et homines abstinentia non amplius opus habent, cum omnes vocentur ad felicitatem [1]).

237. Cum sansimoniani Deum ac religionem omnem rejiciunt, simulacrum tamen divinitatis per autotheismum retinent ac religionis, quam cum politica confundunt, seu identificatam cum politica autumant. Quod apprime notandum est, ut detegatur eorum loquendi ratio, quæ sub involucris et ambagibus verborum latet. Usitato nempe dicendi modo plerumque utuntur, sæpe enim disserunt de revelatione, religione, Deo, Trinitate, Messia, etc. Miracula admittunt, sacerdotes etc. at longe diverso sensu ab eo, quo nos iisdem vocabulis utimur [2]), ut ex expositione illius systematis quisque percipere potest.

gressive, et dit: toute l'humanité est là, lorsque j'aurai réconcilié le catholicisme et le libéralisme (qui videtur pariter scopus auctoris: *Paroles d'un croyant*) et que j'aurai fait disparaître ces deux formes exclusives, j'aurai réconcilié l'humanité avec Dieu, c'est-à-dire avec elle-même, avec le monde (en Deum sansimonianorum societatem et mundum), j'aurai trouvé la vraie religion." Cfr. etiam *Organisateur* 19 Maji, 1830, *Sur la vie et le caractère de Saint-Simon*, ubi dicitur, quod Moyses *promiserit* hominibus fraternitatem, Christus *præparaverit*, San-Simon *perfecerit* (*réalisée*). Hinc est quod ipsius discipuli, qui Christo Domino negant appellationem *hominis Dei*, *Filii dilecti æterni Patris*, etc., has denominationes transtulerint in San-Simonem. Et in op. cit. *Enseignement central*, pag. 27, dicitur: *Chaque pas de l'humanité qu'elle parcourt est un progrès.*

1) *Enseignement central*, Paris 1831, loc. cit. „L'abnégation n'était plus nécessaire, parce que les temps étaient venus, où tous sans exception devaient être appelés au bonheur."

2) Quod Deum objectivum rejiciant patet ex eorum confessione: „Nous ne craignons donc pas de le dire avec vous, que tout ce qui n'est pas athéisme aujourd'hui est ignorance et superstition; que toutes les doctrines, qui ont dirigè les peuples, ont successivement pris et quittè," et tamen perpetuo sansimoniani loquuntur de Deo ac de religione; sed Dei nomine significant hominem et societatem; sed voce religionis et dogmatis intelligunt *scientiam*; loquuntur de *Trinitate*, ast ea voce significant *activitatem externam*, *intellectum et imaginationem*, quarum prima præest *industriæ*, secunda *scientiis*, tertia *bonis artibus*, inter quas collocant religionem sansimonianam, quam filiam vocant *imaginationis*, filiam augustam *veri*, etc. et triplicem manifestationem nuncupant: „Cette triple manifestation de l'activité humaine (*Doct de Saint-Simon*, 1 année, 3 séance) et alibi (55 séance): Beaux arts, sciences, industrie; voilà donc la trinité philosophique de Saint-Simon." Loquuntur de Messia, sed sub Messiæ nomine designant quemlibet humanæ libertatis assertorem et propagatorem; sic enim scribunt in art. cit. (*Commun. génér.* pag. 37); O jeunes filles, vous le savez, la vierge Juive (Virgo Judæa, sic enim impii hujus ætatis sanctissimam Virginem Mariam appellant) était belle, heureuse et bénie, parce que d'elle pouvait (*poterat*, non negant ipsi Christum natum esse de Maria Virgine; ast Christus poterat quidem esse Salvator mundi, sed juxta ipsos non fuit nisi pro quodam incœpto progressu solum ulteriori. San-Simoni ejusque sequacibus perfectio operis, ut vidimus, reservata fuit) naître le Sauveur du monde, vous aussi, vous êtes bénies, heureuses et belles, car, peut-être, serez vous les mères des chefs aimans, qui réuniront un jour tous les peuples dans une même communion." Hinc desperandum non est aliquando gnostico-

238. 4° J. Salvador judæo-philosophus seu incredulus in sua historia institutionum Mosis spinozismum, pantheismum transcendentalem et absolutum, sive ex Germaniæ et Angliæ philosophis, sive ex sansimonianis, complexus est. Incredulitati adjecit perfidiam judaicam, dum recensita paradoxa cohonestare nisus est doctrina mosaica. Contendit enim Mosem docuisse alium Deum non esse nisi *esse absolutum*, *ego universale*, autotheismum societatis, religionem politicam. Impius propterea hic auctor ceu organum sansimonianismi spectari potest.

239. Longa res esset aberrationes istas humani intemperantis ingenii persequi velle; ut igitur statutam propositionem evincamus, quæ complectitur recensita systemata omnia, partim ex *idealismo* anglico profluentia, partim ex *criticismo* germanico atque ex *sensismo*, in quo Deus statuitur idea *subjectiva* et *idealis*, minime vero objectiva et realis, nisi ad summum ut *postulatum* rationis practicæ quæque recte cum cl. Rosmini *formas impietatis* vocaveris hujus sæculi [1]), sic ex generalibus principiis jam vindicatis rem conficimus:

rum et Montani deliria fore resuscitanda. Loquuntur de sacerdotibus et theurgis; sed quinam sunt? en nexum doctrinæ sansimonianæ ex art. *Enseignement central*, Paris 1831, pag. 27: „Beaux-arts, science et industrie et qui constituent dans l'ordre Saint-Simonien la religion, le dogme et le culte; et alors l'association sera composée exclusivement d'artistes, de savans et d'industriels, ou plutôt de prêtres, de théologiens et de théurgiens." *Itaque* artes liberales *sunt* religio, scientia *est* dogma, et industria cultus; artifices *sunt hujus novæ religionis* sacerdotes *vel* presbyteri, sapientes *vero* theologi; physici et chemici, theurgi" etc.; fœminas etiam ad sacerdotium evehunt; pudet omnia referre quæ de natura novi hujus sacerdotii tradunt; inter cætera: „Presbyter, *ajunt*, et presbyterissa exercent suum ministerium cum omni vi seu attractione pulchritudinis propriæ; etenim futurum sacerdotium non mortificat carnem suam, nec velo obtendit faciem suam, non se operit cinere, nec corpus lacerat, nec discerpit flagelli ictibus, ipsum pulchrum est, sapiens est." *Vid. Le Globe.* Sane omnes obscœnitates renovant veterum hæreticorum seu carpocratianorum et gnosticorum, piccardorum medii ævi sive pseudo-mysticorum. Reliqua expedit præterire, præsertim cum ex his jam satis pateat, quænam indoles sit novæ religionis, quinam fructus quos peperit philosophia sensistica, idealistica et critica protestantium quænam, consectaria demum pantheismi et autotheismi. Definiri propterea sansimonianismus posset; „Secta quæ pantheismum et autotheismum seu verius atheismum profitetur sub larva terminologiæ catholicæ."

1) In op. *Frammenti di una storia dell'empietà*, Milano 1834, pag. 115; qui præterea pag. 110 hæc præclare scribit: „Un sentimento religioso e ribellante stà nel fondo del cuore umano, e questo sentimento senza ristare si dispiega e si disviluppa, e or prende forme di una nuda superstizione, or di una nuda e nauseante incredulità, e queste forme si corrompono, e si rigenerano in un continuo movimento, che le affatica, e le fa cangiare senza riposo." Quibus paucis verbis cl. auctor complexus est originem et progressus omnium impietatum, quæ sub diversis formis et nominibus a mundi exordio hactenus obtinuerant, ac deinceps obtinebunt usque ad mundi finem. Prius polytheismus, postea scepticismus et atheismus, sive apertus sive larvatus, ac post religionis christianæ exordium tot hæreticorum sectæ, usque ad lutheranos, ac deinceps usque ad rationalistas et sansimonianos. Aliis verbis at eodem sensu magnus Augustinus hoc ipsum longe ante expressit, in lib. XIV. *De civ. Dei*. cap. 28, dicens: „Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Do-

240. 1° Deus ex demonstratis in prop. I. est ens objectivum, reale, extramundanum; 2° Deus præterea ex dictis est ens infinite perfectum ab omni corporea concretione semotum, et omnino simplex; 3° Deus est ens a se necessarium independens. Hinc inferimus *a*) ergo Deus non est idea mere subjectiva; *b*) ergo Deus confundi nulla ratione potest cum hac rerum universitate, finita, limitibusque undique circumscripta ac pluribus scatente imperfectionibus, corporea, partibus extra partes positis constante; *c*) ergo Deus non est homo infirmus, non solum physicis, sed et moralibus defectibus undique obnoxius. Absurdus proinde est sive pantheismus, sive autotheismus, tum idealis tum materialis.

241. 2° Ad spinozismum speciatim quod attinet, cum nitatur definitione ambigua et contradictorius sibi sit, hoc ipso ejusdem falsitas deprehenditur. Spinoza enim sic definit substantiam: ***Per substantiam intelligo id quod in se est, et per se concipitur; hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*** (prop. III). Jam vero sub verbis illis: ***Id quod in se est,*** duplex latet sensus; vel enim significant *id quod per se est*, quemadmodum scholastici dicunt substantiam esse *per se*, quia non indiget subjecto cui inhæreat, quam sic ab *accidente* et *modificatione* distinguunt, quorum proprium est alteri inhærere subjecto, ut rotunditas e. g. in cera est; vel significant *id quod est a se.* Si primo sensu accipit Spinoza vocem illam *in se*, optima est ejus definitio, sed ex ea nulla ratione colligere potest conclusiones suas; quod si eam intelligit altero sensu, ejus definitio falsa est, et hac sublata definitione fatiscit fundamentum illius systematis, ac proinde tota superstructa moles ruit. Hoc autem posteriori sensu accipit Spinoza illud *in se*, ut ex ejus deductionibus patet. Idipsum dicatur de explicatione quam subdit datæ definitioni, in qua eadem latet æquivocatio: ***Cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*** Vel enim accipit Spinoza conceptum illum *absolute*, vel *relative*; si accipit absolute, ita ut conceptus unius substantiæ formaliter non includat conceptum alterius rei, e. g. ut conceptus horologii formaliter haberi possit absque conceptu artificis, recta est; sin vero velit excludere conceptum relativum ad artificem, a quo elaboratum est horologium, est falsa; et tamen hoc posteriori sensu illum accipit Spinoza. Idipsum dicatur de ejus axiomatibus, quæ perpetua æquivocatione laborant [1]).

mino gloriatur ... ideoque in illa sapientes ejus, secundum hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona, aut utrinsque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum non ut Deum honoraverunt, vel gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, id est, dominante superbia sua, se se extollentes, stulti facti sunt." etc.

1) Cf. Gerdil, *Della esistenza di Dio e della immaterialità delle nature intelligenti*, tom. II. opp. edit. Rom. pag. 285 et seqq.

242. Dixi præterea sibi esse contradictorium ejusmodi systema; etenim juxta Spinozam non est nisi una substantia infinita, in qua tamen inesse fatetur plura attributa infinita, inter quæ recenset cogitationem et extensionem. Sic porro definit attributum (prop. X): *Attributum per se concipi debet*, seu, ut clarius mentem suam aperit in epist. II et IV ad Oldenburgum: *Notandum*, ait, *me per attributum intelligere omne id, quod concipitur per se et in se, adeo ut ipsius conceptus non involvat conceptum alterius rei*; sed ex ejus propositione III, quam modo expendimus (*Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat)*, eadem est notio substantiæ ac attributorum ejusdem substantiæ; ergo cum ipso fatente plura dentur attributa, hoc ipso plures dantur substantiæ, ideoque quod consequens est, substantia una est et multiplex, quod involvit contradictionem. Spinozæ demum systema aliudve pantheisticum et autotheisticum quodcumque absurdum esse inde patet, quod per illa fatum impium, falsum perniciosumque inducatur; ex iis enim sequitur Deum actionum quarumvis, etsi scelestissimarum, auctorem esse, immo et patratorem; quod quidem *impium* esse nemo non videt; *falsum* insuper propterea, quod dimanat ex falsis conceptionibus de *substantia, Deo* et *mundo*, ut suo loco philosophi seu metaphysici ostendunt; eo autem nomine *perniciosum*, quod libertatem humanam et cum ea moralitatem ac religionem penitus labefactet ac subruat [1]) Quibus si addatur repugnare Deum simul esse activum et passivum, voluptatibus simul et doloribus obnoxium, stupidum simul esse et ingeniosum, oriri ac interire, aliaque innumera, quæ persequi longum esset, eo magis cuique ejusmodi systematum absurditas atque stultitia patebit.

243. Post hæc inutile videretur, absurda et impia hæc deliramenta hominum, qui *evanuerunt in cogitationibus suis*, in tanta, ut plenis buccis crepant, scientiarum luce, scripturarum auctoritate refellere; quoniam vero, ut vidimus, non desunt, qui impietates istas Moysi adscribere non verentur, coronidis gratia nonnulla addere placet, ad postremum hoc effugium ipsis præcludendum.

1) Sic enim disserit in sua ethica: „In natura nullum datur contingens, omnia sunt per necessitatem naturæ divinæ determinata, ita quidem, ut certo modo existere et agere debeant; omne enim quod est, in Deo est, Deus autem contingens esse non potest, quia necessario existit. Debent itaque etiam modi naturæ divinæ inde necessario oriri; hi vero modi sunt substantiæ extensæ et cogitantes, utpote Dei attributa; hinc Deus non tantum causa earum activitatis est, quæ necessario esse debent . . . Homines sunt in relatione ad Deum, id quod argilla in manu figuli, qui eadem ex materia tum vasa pretiosa tum vilia format." En quomodo hic impius Dei nomine abutatur, et loquendi ratione delectetur scripturali!

244. Porro, qui Deum exhibet æternum atque in tempore hoc universum e nihilo educentem, rebus his mundanis atque homini præsertim providentem ac prospicientem, bonorum ac malorum justum retributorem, cordium inspectorem, mirabilium effectorem atque futurorum liberorum eventuum præmonitorem; qui Deum exhibet legislatorem sapientissimum et auctorem religionis sanctissimæ, præcumque ac sacrificiorum ad se placandum aut ad beneficia obtinenda, etc. non solum fatalem pantheismum vel autotheismum non docet, sed illos plane destruit atque evertit; atqui ejusmodi est Deus, quem Moyses in suo Pentateucho perpetuo exhibet. Enimvero satis est mosaicos aperire codices, ut illico quivis Deum inveniat, qui *in principio creavit cœlum et terram;* vocem vero בָּרָא (bara) eductionem ex nihilo significare, tum ex vi ipsius vocis eruitur, ut suo loco ostendemus [1]), tum ex sensu traditionali totius ju-

1) *In tractatu de Deo creatore.* Quoniam vero et plurimum pantheistæ recentiores abusi sunt notionibus *essentiæ* et *possibilitatis*, perinde ac si istæ non solum modo *eminentiore* (ut superius a nobis dictum est, cum ageretur de perfectionibus divinis et Dei simplicitate), sed *reali* existerent in Deo, adeo ut cum essentiæ *reales*, quæ Deo inesse supponuntur, transeunt ad existentiam, non sint nisi Deus ipse foras se prodens, vel Dei ipsius modificationes, in quo fundatur systema emanationis, ex quo profluit pantheismus; juvabit notiones subjicere claras et distinctas *essentiæ* et *possibilitatis*. Atque ut incipiamus a possibilitate, 1. illud dicitur possibile, quod esse potest, seu quod non repugnat. Hæc possibilitas, quæ consistit in non repugnantia notarum, interna vocatur et immediate fundatur in principio contradictionis: illud est possibile quod contradictionem non involvit. 2. Quod possibile est, simul est cognoscibile; sed omnino distinguenda est *cognoscibilitas* a *cognitione*, vel *cognoscibile* a *cognito; cognitum* supponit intellectum, *cognoscibilitas* vero non item. Nam *cognoscibile* illud est, quod cognosci potest, si existat intellectus præditus sufficienti perfectionis gradu ad rem hujusmodi intelligendam; an autem talis intellectus existat, sola cognoscibilitas non dicit. Si vero adsit intellectus sufficienti perfectione præditus, res quidem cognoscetur, sed tamen non efficietur, nec producetur ab intellectu, et cognoscibilitas semper ratione prior erit ipsa cognitione; objectum cognitionis præsupponendum erit logice ante actualem cognitionem: *Sicut bonum*, inquit S. Thomas I. p. q. XVI. a. I., *nominat id in quod tendit appetitus*, *ita verum nominat id in quod tendit intellectus.* Secus si cognoscibilitas et possibilitas producerentur ab intellectu, si intellectus est infinite perfectus, objecta producta quoque infinite perfecta esse deberent, ut patet in *Verbo*, quod procedit per intellectum. Nec est quod quis regerat: intellectus cognoscit omnia juxta exigentiam suæ naturæ, cognitione infinita quidem ex parte subjecti cognoscentis, sed finita ex parte objecti cogniti. Hoc sane optime dicitur, inde enim sequitur objectum non pendere ab intellectu, qui illud præsupponit. Deus intellectu ad intra nihil producit (seu gignit) nisi Verbum, ad extra non producit nisi voluntate libera, *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit*, Psal. CXIII, non omnia, quæ *intellexit.* 3. Principium contradictionis, quod est fundamentum rerum possibilium, debet saltem in ordine cognitionis et disputationis, seu logice et *ratione prius* supponi ante existentiam Dei; nam secus quid prodesset adversus atheum evincere existentiam Dei, cum Deus, non supposito principio contradictionis, *idem non potest simul esse et non esse*, posset adhuc non existere, tametsi demonstretur ejus existentia? Deus esset etiam in ordine ad nos *prima veritas* quæ certo cognoscitur, quod est falsum, etsi nonnulli hoc dixerint, ut vidimus superius (n. 61. p. 32.) 4. Pejus adhuc esset, si possibilitas illa rerum *formaliter* acceptarum, seu prout sunt in se, confunderetur cum intellectu divino vel cum essentia divina; tunc enim, ut ex dicendis inferius clare patebit, delabi-

daicæ gentis (II. Mach. VII, 28). Justis præmia, malis pœnas decernit (Gen. III, IV, etc.), legem sancit (Exodi XX, et seqq). Tota Josephi historia, ut de reliquis taceam, non est nisi historia, ut ita dicam, divinæ providentiæ, quæ mirifice elucet in variis sanctissimi hujus patriarchæ eventibus. Ne singula vaticinia persequar, quid significant vaticinia Abrahamo ejusque posteritati facta, quæ plenum exitum sortita sunt? Licet profecto asserere, tot esse in pentateucho mosaico argumenta adversus monstrosum et impium Salvador systema, quot capita, imo pene dixerim quot verba, Mirum est, in tanta tot sæculorum

mur in pantheismum. 5. Possibilitas, de qua hactenus diximus, est possibilitas interna; sed præter eam consideranda est etiam possibilitas externa. Hæc nihil aliud est nisi virtus causæ producendi id quod est interne seu intrinsece possibile; et hæc causa nihil aliud est, nisi omnipotentia Dei. 6. Externa possibilitas supponit internam; nam Deus producere non potest id quod repugnat, e. g. circulum quadratum. Atque hinc S. Thomas, I. p. q. XXV, art. 3, *O*, ait: „Relinquitur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute... possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto... impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto." 7. Sed jam de essentiis rerum. Possibilitas latius porrigitur quam rerum essentiæ, seu quod idem est, essentiæ rerum debent esse possibiles, sed non omnia possibilia pertinent ad rerum essentias; possibilis est homo proceræ staturæ, sed proceritas non pertinet ad essentiam hominis: *Numquid homines non sunt parvuli?* inquit S. Augustinus. 8. Essentiæ rerum duplici modo considerari possunt, nempe, ut scholæ loquuntur *formaliter* et *eminenter*, hoc posteriori modo sunt ipsæ infinitæ perfectiones divinæ, et sunt identificatæ cum Deo; *formaliter* sunt quales in ipsis inveniuntur, seu sunt id per quod unaquæque res in suo esse constituitur; si essentias rerum hoc modo consideratas confundamus cum essentia Dei, en iterum nos in pantheismo! Reipsa essentia hominis existentis una est eademque; homo in utroque statu est animal rationale, nam per existentiam non destuitur essentia, sed essentia per existentiam ex mera possibilitate transit in actum, ac propterea existentia dicitur ultimum possibilitatis complementum. Hæc autem quæ hic dicta sunt de eadem essentia in duplici statu considerata, possibilitatis nempe et existentiæ, confundi non debent cum quæstione a philosophis agitata, num *essentia actualis* distinguatur realiter ab existentia, quod recentiores negant; hæc enim inter se toto cœlo distant. 9. Sicut possibilia et essentiæ rerum duplici modo considerari possunt, ita et duplici modo cognosci possunt. Sicut Deus eminenter essentias rerum omnesque possibiles perfectiones continet, ita omnes cognoscit in se ipso, sive in sua essentia. Sed eas cognoscit etiam in seipsis, quia in seipsis sunt cognoscibiles; posito enim objecto cognoscibili et intelligentia infinite perfecta, certe nihil aliud requiritur ad aliquid cognoscendum; species enim intelligibiles, quæ olim a scholasticis requirebantur ad aliquid videndum seu cognoscendum, a recentiori philosophia expunguntur. Ex harum notionum confusione plures hac nostra ætate, in Germania præsertim, errores, nec leves, prodierunt. Cfr. Storchenau S. J. *Instit. metaphys.* lib. I. sect. I. cap. I, sect. 3, cap. 4, n. 165, scholion 2. Cum vero S. Thomas loc. cit. I. p. q. XVI. a. I. affirmat veritatem esse in intellectu non autem in rebus, id affirmat in ordine ad causam exemplarem, cujusmodi sunt ideæ, ut vocant, archetypæ in Deo, et artefacta in mente artificis, ut ibidem explicat; quo sensu etiam alibi docet scientiam esse causam rerum, quod et nos tuebimur. Seu ut aliis placet, loquitur S. Doctor de veritate *logica* quæ profecto non est in rebus sed in intellectu, non autem de veritate *metaphysica*. Hinc Vasquez. in 3. p. s. Thomæ Tom. II. q. LXII. ar. 4. Disp. CXXXII. cap. 6. pag. 208. edit. Lugdun. 1620. col. 2. circa initium hæc habet: Essentiæ rerum ordine rationis sunt ante omnem Dei scientiam, et voluntatem: quare licet possit cuilibet rei tribuere, aut non tribuere existentiam, non potest illius naturam intrinsecus immutare."

serie, neminem ex tot tantisque veteris synagogæ viris, et sanctitate et doctrina præstantibus, deprehendisse, quod demum Salvador, ut suis gratificaretur sansimonianis reperit; imo nec Philonem nec Flavium Josephum quidquam tale unquam suspicatos esse.

245. Concludamus igitur pantheismi, cujuscumque demum formæ, atque autotheismi systemata absurda omnino esse atque a mosaicorum librorum documentis prorsus aliena.

DIFFICULTATES.

246. I. *Obj.* Si una substantia non potest produci ab alia, si non potest dari nisi una substantia infinita, si denique ad naturam substantiæ pertinet existere, planum est non posse dari nisi unam substantiam, eamque infinitam, ac necessario existentem, quæ non potest esse nisi Deus. Atqui rem ita se habere patet ex eo quod si una substantia posset ab alia produci, ejus cognitio a cognitione causæ suæ deberet pendere, et eamdem involvere, adeoque non esset substantia, quæ non aliud est nisi quod in se est,, et per se concipitur, seu cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Ita si hæc substantia non esset infinita, ideo esset, quia ab alia ejusdem naturæ terminaretur; cum autem non possint dari duæ substantiæ ejusdem generis, patet non posse aliquam substantiam ab alia ejusdem generis substantia terminari, ac propterea esse unicam substantiam eamque infinitam, Quod demum ad naturam substantiæ pertineat existere ex dictis sequitur: si enim substantia non potest produci ab alia, erit itaque substantia causa sui, id est, ipsius essentia involvet necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere; ergo.

247. ***Resp. Neg. min.*** Ad probationem . . . ***Quæ non aliud est nisi quod in se est,*** etc. ***Dist.*** Id est, quod ***per se*** est, seu quod non indiget subjecto, cui inhæreat, ***conc.*** id est, quod ***a se*** est, seu a seipso existentiam habet, ***neg.*** Cum vero tota vis subsequentium probationum ab hac æquivocatione pendeat, hac sublata, sponte sua ruit totum argumentum. Ideo vero hic contexuimus seriem demonstrationis Spinozæ, ut clariori in lumine poneremus sophisticam ipsius argumentandi rationem.

248. Eadem latet ambiguitas in definitione *infiniti.* Etenim cum per infinitum intelligi possit illud, quod ab alia substantia ejusdem naturæ limitari non potest, cujusmodi a pluribus concipitur spatium, Spinoza huic notioni calide substituit aliam, quod nempe infinitum illud sit, quod ab alia natura ejusdem generis terminari non potest, quo in sensu æque infinita esset atomus Epicuri, quæ sola existeret, etsi exiguissima eo ipso

quod sola in hypothesi existeret: nam si sola atomus esset, vel solus existeret pulvisculus, ab alia substantia ejusdem generis non limitaretur, seu terminaretur, esset tamen limitatus a se, et in se [1]).

249. *Inst.* Si præter Deum alia admitteretur substantia, ideo esset, 1° quia divina substantia non omnes existendi modos præseferret, quod est absurdum, cum divina substantia perfectissima sit, seu omnes perfectiones in se contineat; 2° finita insuper esset divina substantia, quia ab alia diversa circumscriberetur, ac 3° deberet ab alia differre; in divina autem substantia, quæ simplicissima est nulla ejusmodi differentia concipi potest, per quam ab alia realiter distinguatur. Quibus omnibus 4° robur accedit, tum ex eo quod si præter Deum alia existerent, jam Deus perfectior esset una cum iisdem substantiis, quam si esset solus seu sine illis, tum ex eo quod tunc Deus, utpote aliarum substantiarum causa, deberet in se continere has substantias formaliter, prout causa continet in se effectum cujus causa est; quæ omnia sunt absurda.

250. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Vel formaliter vel eminenter, ut suo loco expositum est, ***conc.*** formaliter, ***neg.*** et sic cæteræ difficultates sponte sua evanescunt.

251. ***Ad*** 2m, ***Neg.*** Tunc enim circumscriberetur, si cum substantia divina alia ejusdem naturæ coexisteret, non autem si diversæ naturæ sit, quæque a Deo omnino pendeat, tum in existentia, tum in omnibus suis attributis et perfectionibus, ac in Deo ipso subsistat.

252. ***Ad*** 3m, ***Conc. antec. neg. conseq.*** Etenim differunt profecto a Deo creaturæ omnes eo quod limitatæ, circumscriptæ ac ab alio sint, Deus autem simplicissima infinita essentia est atque a se existens.

253. ***Ad*** 4m, ***Neg.*** Cum enim omnia quæ a Deo sunt, quod habent habeant ex eo, qui perfectiones omnes quæ in creaturis sunt ipsis communicat per participationem, ut loquitur S. Thomas, ideoque in se Deus longe nobiliore modo et has perfectiones aliasque omnes possibiles continet [2]).

254. Quod postremo loco additur de causa continente in se effectum, jam disjectum est ex iis, quæ diximus de ratione formali, ac virtuali seu eminenti, qua Deus in se omnia continet.

255. II. *Obj.* cum Salvador. 1° Ex consideratione hujus universi gignitur in humana mente idea cujusdam existentiæ infinitæ; et 2° quidem infiniti positivi, quod omnes includit characteres, quos theologi in Deo recensent, cujusmodi sunt ***unitas, æternitas***, ***invisibilitas.*** 3° Hoc autem ***esse*** universale ac

1) Cfr. Gerd. diss. cit. l. c.

2) I. p. q. IV. a. 2. „Cum Deus, *inquit*, sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum."

æternum activum simul et passivum, Abraham et Moses vocarunt Jehovah [1]). 4° Idea *Entis absoluti*, quod dici posset infinitheismus, fundatur in facto, analogia, historia et convictione [2]). Sane 5° Moses id expressit per vocem Jehovah, quæ a radice haja (הָיָה), seu hava (הָוָה) deducitur, quæque significat *esse* seu *illum qui est* aut existentiam essentialem. Præter hoc 6° plura alia nomina secundaria habentur ad Deum designandum inter quæ *schaddai* (שַׁדַּי) *sufficiens* sibi ipsi, *et* El (אֵל) *fortis*, Adonai (אֲדֹנָי) *principium*, Elion (עֶלְיוֹן) *excelsus* 7° Elohim (אֱלֹהִים), quod est ab eloah (אֱלוֹהַּ) *vis*, quod licet in plurali adhibeatur, hoc nomen semper inservit singulari, ita ut indicet omnes vires in unam collectas, et exacte referat ideam Dei, intelligentiæ generalis, opificis, magni ædificatoris, quum distinguantur in hac rerum universalitate natura ac Deus „vires, seu potius virium unio fecit terram" inquit Genesis [3]); quemadmodum vero Elohim politicum reducitur ad *esse* generale, quod est populus, sic Elohim theologicum desinit in unitatem Jehovah. Deus igitur ex Mose non est nisi *esse*, seu verbum *esse* absolutum, cujus creaturæ non sunt nisi tempora et modi. Ergo.

256. ***Resp. Ad*** 1^m^, ***Dist.*** Gignitur idea existentiæ infinitæ distinctæ ab ipsa rerum universitate, ***conc.*** identificatæ cum ipsa, ***neg.*** Nemo enim, qui sanæ mentis sit, nec velit cum pantheistis ac spinozistis insanire, sibi hanc ideam cudit, quæ rectæ rationi adversatur, cum ejusmodi existentia universalis in sensu auctoris sit fecunda parens omnium absurditatum, quas recensuimus in Spinozæ confutatione; sed ratio spectando hanc rerum universitatem velut effectum, assurgit ad causam necessariam, a se existentem, etc. quæ cum suis effectibus contingentibus, limitatis, mutabilibus confundi non debet.

257. ***Ad*** 2^m^, ***Dist.*** Quod est ipse Deus, et in quem propterea solum recensiti characteres unitatis, æternitatis, indivisibilitatis conveniunt, ***conc.*** Quod constituatur a rerum omnium congerie, ut auctor noster autumat, ***neg.*** alioquin oriretur unitas absoluta ex tot unitatibus, seu partibus et elementis, quibus hoc universum coalescit, æternitas in entibus successivis, cujusmodi sunt homines, bruta, plantæ, etc., indivisibilitas tandem ex ipsa divisibilitate, quæ omnia absurda sunt et repugnant.

258. ***Ad*** 3^m^, ***Neg.*** Hoc enim non est nisi deliramentum adversarii. Abraham non cognovit nomen Iehovah, quod prima vice Deus Mosi manifestavit, etsi divinus hic scriptor hac voce

1) *Hist. des instit. de Moïse*, t. III 2 part. l. I. ch. I p. 177.

2) Ib. p. 184.

3) Ib. p. 185.

utatur in conscribenda Genesi; Moses autem Deo isti fictitio tribuisset omnia mirabilia, ac mundi ipsius creationem in hypothesi Salvador, etsi nemo alius hoc deprehenderit præter incredulum istum.

259. *Ad* 4m, *Neg.* Hoc enim monstrum potius excluditur tum a facto ipso, tum ab analogia, tum ab historia, ac convictione. Hæc enim omnia nos ducunt ad Deum distinctum ab omnibus objectis, quæ nos circumstant, admittendum et cognoscendum: nec nisi pauci athei larvati hac idea entis absoluti in sensu auctoris convinci potuerunt, omnibus gentibus reclamantibus [1]).

260. *Ad* 5m, *Neg.* prorsus; licet enim vox Iehovah denotet *Eum qui est*, seu *qui erit*, ut patet ex sensu, quo Moses, seu potius Deus ipse eam usurpavit, non aliud tamen exprimit nisi eum qui necessitate naturæ existit ad distinctionem eorum omnium, quæ non habent nisi existentiam participatam, accidentalem, atque ut ita dicam, precariam; quæ, quidquid sunt, ab eo habent, qui essentialiter est, nempe Deo, qui hæc omnia ex nihilo condidit, ipso referente Mose, ut mox dicemus.

261. *Ad* 6m, *Dist.* Ad designanda diversa ejusdem supremi Numinis attributa, *conc.* ad designandum portentum ab auctore excogitatum, *neg.* Cum videat Salvador causæ suæ officere nomen *Adonai*, quod dominum significat et hominibus etiam passim tribuitur, ipse vertit, *principium*: at in hac significatione ex centum triginta quatuor locis, in quibus juxta masorethas Deo tribuitur, nunquam invenitur [2]).

262. *Ad* 7m, *Neg.* Elohim indicare, ut adversarius contendit, virium collectionem, sed Deum ipsum designat, cui promiscue tribuitur tum singulari numero tum plurali juxta indolem hebraicæ linguæ. Sane in plurali adhibetur passim ad designandam rem prorsus singularem; ita scilicet affirmatur de unico angelo, Judic. XIII. 22. de uno vitulo quem ut Deum hebræi venerati sunt, Exod. XXXII 31; de uno idolo, ut Dagone, Judic. XVI 17; de uno Moyse, quando Deus eum constituit *Deum Pharaonis* Exod. IV. 16. VII 1; de arca 1 Reg. IV 7. et alibi; quæ cum res singulares sint, plurali tamen numero per hanc vocem efferuntur. Quod si demus adversario *Elohim* reipsa indicare collectionem virium, tunc reponimus non indicare collectionem abstractam, sed ens, quod unum est, et est collectio virium omnium in summo gradu, nempe intelligendi, volendi, creandi, movendi, destruendi etc. Ridiculam pariter se prodit ejus versio seu potius commentatio primi geneseos versiculi: *Vires, seu potius virium unio fecit cœlum et terram;* quænam

1) *Qu'on ouvre l'histoire de l'Inde, inquit Salvador* l. c. p. 177, *on retrouvera par tout cette conception; mais accompagnée des plus fausses conséquences.* Hæc quidem ipse, quin tamen ullo documento probet assertionem suam. Ex historia religiosa omnium populorum contrarium potius evincitur.

2) Cf. Buxtorfius ad vocem אֲדֹנָי.

vires fecissent cœlum et terram? An hujus universi attractio universalis aut affinitas chimica? Ast nondum erat juxta Salvador. Adde verbum bara בָּרָא ut suo loco ostendemus vere et proprie significare eductionem ex nihilo. Restat igitur ut Moses descripserit mundi creationem a Deo factam, qui ab hoc universo distinctus sit. Hoc vero sublato fundamento ex se cadunt, quæ Salvador nugatur circa Elohim politicum et theologicum, ac suum *esse* substantivum cum suis modis et temporibus, quin diutius in his refellendis immoremur [1]).

263. *Inst.* Talem fuisse Mosis mentem facile ex ipsius scopo colligitur, qui alius non fuit nisi per unius entis ideam ostendere naturam politicæ constitutionis populi israëlitici, et cum hac idea omnia componuntur, quæ tum Moses ipse tum cæteri prophetæ *Deo* tribuunt. Cum enim homo sit symbolum maxime

1) Hæc mutuatus est, ut diximus, Salvador partim ex Schelling, qui in *epist. philosoph. De dogmatismo et criticismo* aperte docet pantheismum affirmans: „Ego includere omnem existentiam et realitatem; quia si extra ipsum aliquid daretur, hoc esset absolutum; quod est absurdum. Hoc igitur *Ego* est infinitum, indivisibile et immutabile. Si substantia est aliquod absolutum, *Ego* est unica substantia, vel si darentur plures substantiæ, daretur *Ego* extra *Ego* quod esset contradictorium; quod est, in *Ego* est, extra *Ego* nihil est; si *Ego* est sola substantia, quidquid est, non est nisi accidens *Ego* „Ex quo concludebat quod *Deus est Ego non Ego*, in praxi est *Ego* absolutum, quod destruit *Non Ego*;" partim a sansimonianis, qui pariter docent Deum esse quidquid est. Sic in libello *Religion Saint-simonienne. Communion générale Paris* 1831. p. 10 in allocutione sequitur: „Le Père Enfantin: chers enfans, *Dieu est tout ce qui est.* Tout est en lui, tout est par lui, nul de nous est hors de lui, mais aucun de nous est lui Chacun de nous vit de sa vie, et tous nous communions en lui; car il est tout ce qui est." Hic singuli dicuntur non esse Deus, quia singuli non sunt tota rerum universitas, sed sunt ejus partes tantum, atque ex eo quod Deus sit omne quod est, infertur nos omnes communicare in ipso. His paria habet Salvador, qui, ut respondeat sibi propositæ difficultati „mais alors chaque chose n'est-elle pas Dieu?" respondet pag. 181. „On ne peut conclure de ce que chaque chose, chaqueêtre doué ou non doué d'intelligence, tient à l'etre absolu et dépend de lui, que cette chose ou cet être doive s'appeller Dieu. Chaque citoyen en partieulier est-il le peuple? chaque membre de l'être humain est-il l'homme etc.?" Et hinc infert easdem consecutiones, quas ex eodem principio deducunt sansimoniani. Hi enim inferunt religionem esse politicam, dogma effici scientiam. Etenim, in lib. *Religion Saint-Simon. Enseignement central (extrait de l'Organisateur) Paris* 1831. p. 31. 32. ita legitur; „J'aurai réconcilié l'humanité avec Dieu, c'est-à-dire avec elle-même et avec le monde, comme rien ne se trouve en dehors de Dieu, la politique devient la religion, la science devient le dogme." Et hæc ipsa docet Salvador, qui pag. 183. inquit: „Tout signale donc l'existence d'un point central de l'immensité: d'un *moi* de l'être infini; d'un foyer incalculable de la législation universelle, d'où s'chappe éternellement ce qui donne la vie à toute ehose, et vers lequel tout est ramené, etc." Possem pluribus hanc assertionem prosequi, sed, ne nota nimis prolixa sit, ista sufficiant ad evincendum, non a Mose, sed tum a criticismo germanico, tum a sansimonianis suas ideas hunc incredulum Judæum philosophum hausisse. Dixi a sansimonianis, quorum doctrinæ, ut ex dictis patet, mysteriis erat initiatus, licet ejus opus prodierit in lucem anno 1829, productiones vero sansimonianorum e suis tenebris non cœperint erumpere nisi anno 1830 et seqq. Hoc ideo animadverti, ne quispiam me anachronismi accuset dum a sansimonianis affirmavi Salvador doctrinam suam mutuatam esse, cum notum sit, longe ante hanc epocham cœpisse Sansimonem virus suum effundere et sectam instituere.

idoneum magni istius entis, plerique veterum, licet persuasi essent Deum incomprehensibilem esse et absque forma, eum tamen repræsentarunt ut membrum humanitatis. Legislator hebræus monet talem non esse verum existendi modum magni entis, vulgus tamen non percipit nisi quod sensus percellit, hinc est quod prophetæ exhibeant Deum ut loquentem, audientem etc. et sic facile est cæteras omnes metaphoras exponere. Ac 1° veritas est expressio *ejus qui est*, seu expressio legum entis generalis, quibus homo semper subjectus est. Hinc dicitur quod veritas *revelet* se homini; et homo recipiat *verbum* metaphoricum Jehovah, ex quo promanant locutiones: ***Æternus vult*, *quærit*, *jubet*;** et quo magis homo ad veritatem accedit, dicitur *amicus **Jehovæ***, quo magis recedit, fit *inimicus*; hinc rursum *voluntates* Jehovah, etc. [1]). 2° Sic per epitheta humanitatis propria, præcipue leges, quibus humanitas indiget, in totidem attributa Iehovah commutata sunt. Atque inde Deus *bonus*, *fidelis*, *potens*, *vindex*, *timor **Jehovah*** etc. dictus est sive ex bonis, quæ in mundo sunt, sive ex cœlorum extensione, sive ex malis, quæ premunt scelestum, vel bonis quæ amicum veritatis consequuntur. 3° Species locutionum afficit relationes inter Jehovah et populum. Vocatur Deus Abraham, quia ab hoc patriarcha agnitus; Deus Israël, quia Moyses constituit populum assumendo hoc principium unitatis ut basim, et idem istud proponendo tanquam objectum publici cultus. Cum vero homo juxta doctrinam hebræorum activus et passivus sit in suis relationibus cum Jehovah, hinc factum est, ut Deus exhibeatur modo electus a populo, modo populum eligens. Nemo proinde rem adeo magnam et sublimem satis mirari potuerit, quod scilicet dogma integrum Mosis duobus verbis concludatur ***Jehovah Echad*** יְהֹוָה אֶחָד *esse* unum est, non existit nisi *unum esse* [2]). Ergo.

264. ***Resp. Neg.*** talem fuisse scopum Mosis, et nego cætera, quæ obtrudit nuperus hic judæo-philosophus tum contra apertam Mosis narrationem, tum contra sensum universæ gentis suæ cujusque ætatis, ex quibus ne unus quidem suspicatus unquam est pantheismum insinuari seu, ut ipse vocat, infinitheismum sive in libris Moysis, sive in libris prophetarum. Deus certe, quem Salvador, fingit, nec erat colendus nec timendus multo minus dignus pro quo tot ac tanta paterentur judæi sive ante sive post Christum, ut reipsa perpessi sunt, ne ab eo deficerent sive ante sive post Christi adventum. Mitto argumenta, quæ sive ex divina providentia, quæ perpetuo elucet circa hujus populi conditionem, sive ex miraculis et vaticiniis deducuntur; ea enim, etsi rejiciantur ab hoc incredulo, testatissima tamen sunt, nec elu-

1) Ibid. pag. 190. 2) Ibid. pag. 188.

di possunt, ut suo loco ostendimus. Demum semel admissa absurda hac ab adversario primum excogitata hypothesi, sequeretur Mosen, et seriem prophetarum, doctores omnes et sacerdotes hebraicæ gentis fuisse deceptores et seductores, et integrum populum per ingentem sæculorum seriem non fuisse nisi ludibrium hujus deceptionis, qui ullus unquam eam detexerit vel suspicatus de ea fuerit. Falsum præterea est quod de infortuniis vel felici sorte asserit auctor, quæ vitam vel male vel recte actam comitantur; imo hæc fuit continua prophetarum querela, quod sæpe infausta bonis, fausta malis acciderent, ut patet ex Psal. LXXII, 5-16; Jerem. XII, 1 et seqq.; Habac. 1, 4, et alibi passim. Ergo nullus timor concipi potuisset ex ipsorum pravitate. Quare, ne in hoc systemate refellendo prolixior sim, cum Moses prædicavit Dei unitatem, non prædicavit nisi unitatem summi Dei creatoris cœli et terræ, omniumque provisoris et conservatoris; objectum unicum adorationis et cultus proposuit, totque hunc cultum munivit præsidiis; ne populus aliarum gentium scandalo deciperetur, atque ad polytheismum, et idololatriam prolaberetur; et sic vera conservaretur religio usque ad adventum Christi, a quo ad omnes gentes pervenire debebat.

265. ***Dices***; Nonne pantheismi vestigia occurrunt in illis Ecclesiastici verbis, XLIII, 29. (Deus) ***est in omnibus*** seu ut fert græcus textus *ipse* (Deus) ***est omne*** [1]) nec non in verbis Pauli rom. XI. ult. ***ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*** [2]) et clarius adhuc Act. XVII, 28. ***In ipso vivimus, movemur et sumus: sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: ipsius enim et genus sumus*** [3])? Nihil igitur in medium protulit Salvador, quod ipsi scriptores sacri non dixerint.

266. ***Resp. Neg.*** His enim testimoniis aliisque similibus non aliud docetur nisi Dei immensitas, qua fit ut omnia in ipso sint et ipse in omnibus rebus, ut res a se conditas conservet et regat, vitam tribuat et actionem, quod paulo infra ostendemus [4]). Hoc sensu exponi pariter debent nonnulla patrum dicta, quæ prima fronte difficultatem facessere videntur; ut cum Origenes lib. II de principiis c. I. n. 3° ***sicut corpus nostrum,*** inquit, ***unum ex multis membris aptatum est, et ab una anima continetur; ita et universum mundum velut animal quoddam immensum atque immane opinandum puto, quod quasi***

1) *Αὐτός ἐστι τὸ πᾶν.*

2) *Ἐξ αὐτοῦ, καὶ δἰ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.*

3) *Ἐν αὐτῷ, ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν· ὡς καὶ τίνες τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· τοῦ γὰρ καὶ γένος εσμέν.*

4) Verba autem Ecclesiastici juxta expositionem Calmet non aliud continent nisi sermonis hactenus instituti conclusionem, qua adstruitur Deum esse principium et finem rerum omnium. Vel ut clarius exponit Cor. a Lapide *Deus est omne* quia ipse est *τὸ ὄν*, id est ens primum, essentiale, immensum: a quo omnia alia entia necessario et essentialiter pendent, adeo ut, si per impossibile non esset Deus, impossibile foret omne aliud ens.

ab una anima, virtute Dei, ac ratione teneatur. Quod etiam a s. scriptura indicari arbitror per illud, quod dictum est per prophetam (Jeremiam c. XXIII): ***Nonne cœlum et terram Ego repleo, dicit Dominus...? Sed et illud, quod ait Paulus, cum apud athenienses concionaretur, dicens: quoniam in ipso vivimus, movemur et sumus.*** Germana enim Origenis mens ex verbis immediate sequentibus eruitur, cum subdat: ***Quomodo enim in Deo vivimus et movemur et sumus, nisi quod virtute sua universum constringit et continet mundum?*** Eadem ratione exponitur auctor Dionysius Areopagita nuncupatus, de quo consuli potest S. Thomas [1]).

PROPOSITIO IV.

Admitti nequit ulla realis distinctio inter Deum ejusque attributa sive absoluta sive relativa, neque inter attributa absoluta a se invicem.

267. Si enim cujusmodi daretur distinctio, admitti in Deo deberet realis compositio; atqui hæc compositio in Deum cadere non potest, qui ex prop. I, est omnino simplex: excludi igitur a Deo debet omnis realis distinctio sive inter divinitatem ejusque attributa absoluta ac relativa, sive inter attributa absoluta a se invicem.

268. Hæc autem doctrina tum in scriptura, tum in patribus fundatur. In scriptura quidem, quæ Deum perpetuo exhibet simplicissimum; id inter cætera evincunt testimonia illa, in quibus de Deo prædicantur nomina abstracta, cujusmodi sunt *sapientia*, *vita*, *veritas*, aliaque id genus multa, quibus plena sunt sacra eloquia. Ex patribus, quorum loca ingenti numero affert Petavius [2]), nos unum vel alterum in medium proferre contenti erimus. Sit ex græcis S. Greg. Nazianzenus, qui ***unum,*** inquit, ***tria, et tria unum, in quibus deitas, vel, ut exactius dicam, quæ tria sunt deitas*** [3]). Sic etiam S. Joan. Damascenus: ***Deus,*** inquit, ***est simplex, et non compositus. Quod autem e multis et differentibus constat, est compositum. Quare si increatum, principii expers, incorporeum, immortale, sempiternum, bonum, procreandi vim habens, et ejusmodi alia, substantivas esse dicamus differentias Dei, tot ex rebus ille conflatus, non erit simplex sed compositus, quod extremæ im-***

1) Lib. I cont. gentes c. XXVI.
2) *Toto* lib. II, *ac præcipue* c. VII.
3) Ἒν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης· ἢ τὸ γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης. Or. XXXIX apud eund. loc. cit.

pietatis est [1]). Ex latinis S. Augustinus epist. CXX, alias CXXII, c. III, n. 13 scribit: ***Nunc vero tene inconcussa fide Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse Trinitatem, et tamen unum Deum; non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis, et inseparabilis Trinitas.*** Demum S. Bernardus sic perstrigebat Gilbertum: Si divinitas non est reipsa Deus ***erit aliquid quod non est Deus, aut nihil .... Quod si aliquid est, quod non est Deus; aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, quia Deus est? Restat ut aut majorem fatearis aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque catholicus refugit sensus*** (serm. 80. in cant. n. 6) [2]).

269. Cui quidem rationi a S. Bernardo adductæ præter alia argumenta et hoc addi potest: si proprietates divinæ ab ipsa substantia realiter distinguantur, aut substantiæ sunt, aut accidentia; si substantiæ, ergo plures erunt substantiæ in Deo, quod repugnat. Accidens aut qualitas in Deo esse non potest. Ergo.

270. Et sic confutati manent tum græci palamitæ, qui *ἐνέργειαν* sive virtutem in Deo distinguebant ab ipsa divina substantia, et cum ipsis sociniani; nec non Gilbertus porretanus, qui divinas proprietates, et abbas Joachim, qui divinas personas a Dei substantia realiter distinguebat. Consulatur S. Thomas 1 p. q. 3 a. 3.

DIFFICULTATES.

271. *Obj.* 1° Non magis officit simplicissimæ naturæ divinæ realis distinctio inter Dei essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, sive inter attributa absoluta a se invicem, quam eidem efficiat distinctio realis personarum a se invicem, quæ profecto nullam infert compositionem in Deo; ergo falsum est per realem distinctionem inter divinam substantiam et attributa destrui simplicitatem Dei. Sane 2° si res ad trutinam revocetur, certo patebit ex difficultatibus vel incommodis, quæ solent urgeri adversus ejusmodi distinctionem, nec unum facile

1) *Τὸ θεῖον ἁπλοῦν ἐςι, καὶ ἀσύνθετον· τὸ δὲ ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων συγκείμενον, σύνθετόν ἐςιν· εἰ οὖν τὸ ἄκτιςον, καὶ ἄναρχον, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀθάνατον, καὶ αἰώνιον, καὶ ἀγαθὸν, καὶ δημιουργικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα αὐσιώδες διαφορὰς εἴποιμεν ἐπὶ Θεοῦ ἐκ τοσούτων συγκείμενον, οὐχ ἁπλοῦν ἔςαι, αλλὰ σύνθετον· ὅπερ ἔσχάτης ἀσεβείας ἐςί.* Lib. I de fide c. IX.

2) Ex quibus verbis inferunt critici passim Gilbertum reipsa admisisse distinctionem realem inter divinitatem et attributa; prius enim dixerat idem S. Bernardus: „Recedant a nobis, charissimi, recedant novelli, non dialectici sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus; sed et sapientiam, qua sapiens; et justitiam, qua justus; postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed divinitas non est Deus."

existere, quod pari jure intorqueri non possit adversus ipsam realem proprietatum relativarum distinctionem. Quod 3° cum probe intellexerint patres græci, Basilius, uterque Gregorius Nazianzenus atque Nyssenus, disputantes adversus Eunomium, nec non Cyrillus Alex. lib. II, thesauri c. II, ex professo docent in Deo distingui, imo et differre substantiam ab ejus operatione ac vi, *ἐνεργείᾳ*, quo nomine, non solum actionem, sed attributa etiam comprehendunt. Ergo.

272. ***Resp. ad*** **1m**, ***Neg.*** assumptum, ac nego præterea paritatem; prior enim distinctio nequit concipi nisi in substantia ipsa divina, ac propterea admitti non potest, nisi admittatur in divina substantia compositio; posterior autem distinctio, nempe personarum, non cadit in substantiam, quæ una eademque ac tota est, tum in tribus personis simul sumptis, tum in earum qualibet, sed solum inter proprietates personales, quæ non dicunt nisi rationem peculiarem se habendi unius ad alteram per mutuam relationem, ex quibus proinde nunquam potest ulla oriri compositio.

273. ***Ad*** **2m**, ***Neg.*** iterum, ut ex modo dictis patet.

274. ***Ad*** **3m**, ***Dist.*** Docent distingui et differre substantiam ab ejus operatione et vi, cogitatione, vel ut ipsi loquuntur, *κατ᾽ ἐπίνοιαν*, ***conc.*** re, ***neg.*** ut manifestum fit ex ipsorum scopo se se opponendi Eunomio, qui hanc rationis, seu cogitationis distinctionem inficiabatur [1]).

275. I. ***Inst.*** Patres non solum ratione ac cogitatione, sed re distinctam divinam substantiam asserebant ab ipsius attributis, ut 1° eruitur ex Dionysio vulgo areopagita, cujus celebre est effatum ***de unita et distincta theologia;*** hoc est, ut scribitur c. II, de divinis nominibus, ***de eo quod secundum unitatem et secundum differentiam de Deo***, ***dicitur*** ita ut ex ipsius mente ad unitatem referatur substantia, ad ea autem quæ sunt ***secundum differentiam***, referantur Dei operationes et attributa, quatenus extra Deum se se porrigunt ad creaturas, quod de substantia, quæ incommunicabilis est juxta ipsum, dici non potest. 2° Dionysio consonat S. Joan. Chrysostomus, qui in ea Christi verba, ***Philippe***, ***qui videt me***, ***videt et Patrem meum***, hæc habet: ***videamus præterea***, ***quidnam Philippus intueri velit. An sapientiam Patris? An vero bonitatem? Minime; sed hoc ipsum quid tandem sit Pater***, ***ipsam***, ***inquam***, ***essentiam*** [2]). Quibus verbis aperte secernit divinam essentiam ab ejus attributis. Nec latini patres a græcis hac in parte dissentiunt: etenim S. Augustinus lib. VII, de Trin. c. IV, n. 9, docet

1) Cf. Petav. l. I, cap. 13.

2) *Ἄλλως δὲ ἴδωμεν τί ὁ Φίλιππος ζητεῖ ἰδεῖν· Ἆρα τὴν σοφίαν τοῦ Πατρος; ἄρα τὴν ἀγαθότητα; οὐχί· ἀλλὰ αὐτο τὸ τί ποτέ ἐςιν ὁ Θεὸς, αὐτὴν την οὐσιαν.* Hom. LXXIV, in Joan. alias LXXII., num. I, tom. VIII, pag. 435, edit. Montfauc.

quod *aliud est Deo esse, aliud Patrem esse, vel dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium et dominus ad servientem creaturam dicitur*, et ib. c. II. *Non eo Verbum*, inquit, *quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum, cujus Verbum est, sicuti filius ad patrem, sapientia vero eo quo essentia.* Sic patres cæteri. Ergo.

276. ***Resp. Neg. antec. Ad 1m, prob. Dist.*** Ita ut Dionysius ad *unitam* theologiam referat totam divinam substantiam una cum attributis tum absolutis tum relativis, et ad *distinctam* referat personas realiter inter se distinctas, ***conc.*** ita ut ad *unitam* solam referat substantiam divinam, prout secernitur ab attributis in sensu adversariorum, ad *distinctam* autem referat operationes et attributa, ***neg.*** Hanc vero esse mentem hujus auctoris, quo potissimum græci abutuntur, aperte patet ex eo, quod in eodem c. II, in quo verba citata habentur, illud unum, seu unitum ἡνώμενον, definiat esse quodcumque absolute, ac tribus personis convenit, illud vero *distinctum differensque* διακεκριμένον esse quod proprium est, ut esse Patrem, esse Filium.

277. Sic etiam ad unitam theologiam revocat, quæcumque a tribus personis in creaturas proficiscuntur: *Ut est*, inquit, *substantiæ communicatio, vitæ ac sapientiæ largitio, aliaque bonitatis dona, quæ causa est omnium rerum, ac principium.* Ad distinctam autem theologiam refert Christi incarnationem, et administrationem omnem, quæ ab illo solo, proprieque suscepta persona excludit reliquas duas [1]).

278. ***Ad 2m, Neg.*** vel ***Dist.*** Prout hæc distincte a mente nostra concipiuntur, ***conc.*** prout reipsa in se sunt, ***neg.*** et sic explananda sunt cætera ejusmodi patrum dicta, ut ex dicendis in sequenti propositione clarum fiet; ac ne longius rem protrahamus, eodem modo est exponendus S. Augustinus in iis, quæ objiciuntur locis, ut verba ipsa recitata ostendunt, in quibus vult evincere alia ratione divinam substantiam dici Deum, alia Patrem; cum in primo sensu accipiatur vox Dei absolute, in altero revelative, quod et de Dei sapientia ac Verbo ejus filio valet Maximinus enim arianus pluralitate personarum earumque distinctione derogari contendebat divinæ simplicitati, hoc autem negat S. Augustinus ex eo, quod licet plures distinguantur, seu potius a mente nostra apprehendantur divinæ proprietates, quia divina essentia pluribus æquivalet, non propterea ejus simplicitati detrahitur; sic enim disputat: ***Numquid bonitas et sapientia et clementia et potentia partes sunt unius virtutis, quam simplicem esse dixisti? . . . Non dico, inquis. Non sunt ergo partes, et tamen quatuor sunt, et una virtus est,***

1) Cf. Petav. ib. §. 5 et seqq.

eademque simplex est. Si ergo in una Patris persona et plura invenis et partes non invenis, quanto magis Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et propter individuam deitatem unus est Deus, et propter uniuscujusque proprietatem tres sunt personæ, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt?

279. II. *Inst.* Si proprietates personales saltem non distinguantur realiter a divina substantia, intelligi nequit qua ratione Pater communicando hanc ipsam substantiam reliquis duabus personis, non communicet ipsis has easdem proprietates; quod si communicat, non amplius divinæ personæ distinguuntur realiter inter se, quod est contra Trinitatis dogma. Ergo.

280. ***Resp. Neg.*** Optime enim intelligitur, si teneatur doctrina ecclesiæ catholicæ, qua instruimur dari inter divinam essentiam et attributa distinctionem virtualem sive rationis, quæ sufficit ad reddendam rationem de eo, quod una eademque res possit sub uno respectu communicari, non autem possit sub alio. Quare eo ipso quod Pater communicet Filio substantiam suam, debet necessario distingui realiter a Filio; alioquin nec Pater esset, nec Filius: id ipsum dicatur de Spiritu Sancto. Etsi vero directe non communicet Filio paternitatem, communicat tamen, ex eo quod ipsi totam substantiam suam communicet, a qua proprietates relativæ reipsa non distinguuntur. Sed de his in tractatu de Trinitate.

PROPOSITIO V.

Admitti debet rationis seu cogitationis distinctio inter divinam essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, et inter attributa absoluta a se invicem.

281. Quid veniat per distinctionem, quæ virtualis seu rationis dicitur, seu secundum cogitationem, *κατ᾽ ἐπίνοιαν,* ut eam græci vocant, satis enucleavimus initio hujus capitis. Adstruitur autem hæc propositio adversus Eunomium, qui, sublata hac distinctione, sic nitebatur Verbi divinitatem impugnare. Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, secundum substantiam est; hinc *ingenitum esse* Patri secundum substantiam est, sicut et *genitum esse* Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse et genitum esse; diversa est ergo substantia Patris et substantia Filii, aliaque huic similia conficiebant eunomiani argumenta, seu potius cavillationes, quas recenset S. Epiphanius [1]).

1) Cf. S. Epiph. qui lib. III, adv. hæres., hær. LXXVI, edit. Petav., quæ est anomæorum, triginta sex in medium profert argumenta Aëtii ex hac sola vo-

282. Sic vero propositionis enunciatæ veritatem ostendimus: Ea ratione de Dei essentia ejusque attributis cogitare ac loqui debemus, qua sese nobis Deus ipse exhibuit, ac de se locutus est; atqui Deus, imbecillitati nostræ consulens. sese nobis exhibuit tanquam quid multiplex, ac de se suisque attributis locutus est tanquam de multis; ergo eadem ratione de Deo cogitare nos et loqui opus est. Porro cogitare et loqui de multis in Deo secundum rem distinctis omnino prohibemur, de multis itaque id facimus distinctis secundum unum mentis conceptum [1]). Sane in scripturis Deus modo perhibetur ut omnipotens, modo ut sapiens, modo ut justus, ut misericors, etc.; et Christus de se ipso loquens, Joan. XVI, 15, ait: ***Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.*** Ad quæ Christi verba alludens S. Greg. Nazianzenus, orat. XLIV, inquit: ***omnia quæcumque habet Pater sunt Filii, præterquam quod ingenitus est*** [2]). Atque eodem modo cæteri patres loquuntur, qui virtualem hanc distinctionem in Deo adversus Aëtium et Eunomium propugnant, Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, Basilius, Cyrillus Alex. aliique apud Petavium lib. I, cap, IX et seqq.

283. Ex quibus discimus 1° hanc rationis distinctionem provenire ex fecunditate tum mentis, tum rei contemplandæ, nempe Dei, qui etsi unus ac simplicissimus natura sua sit, pluribus æquivalet objectis inter se distinctis, atque ex multiplici ejus efficientia, quæ ad plura eaque distincta objecta se porrigit, unde in mente nostra plures oriuntur ac distinctæ notiones; seu, ut accuratius loquar, inde mens nostra fundamentum sumit multiplices ac diversas sibi cudendi ejusdem rei notiones. Discimus 2° hanc notionum differentiam, quas in Deo mens nostra apprehendit, diversos gradus habere, ac plusculum distare proprietates relativas ab essentia absolutisque proprietatibus, quam hæ ipsæ ab essentia distent et inter se; e. g. majus esse discrimen inter essentiam et paternitatem, quam inter bonitatem et eamdem essentiam; quamvis neutrubi secundum rem, sed secundum *ἐπίνοιαν* ac rationem, differentia sit [3]). Discimus

ce *ingeniti* conficta, quibus suas singillatim adjicit confutationes. Aëtii impietatem in ejusmodi argutiis instituendis adversus Trinitatem imitatus postea est Crellius Socinianus, cujus opera extant in *Bibliotheca fratrum polonorum*.

1) Quod receptum esse ab ipsis profanis auctoribus, qui de Deo rebusque divinis scripserunt, ostendit Petavius, l. I, c. IX. Hinc merito S. Hilarius hoc statuit principium l. V. de Trin. *non loquendum aliter de Deo est, quam ut ipse de se locutus est.*

2) *Πάντα ὅσα ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας.* n. 14.

3) Cf. Petav. ibid. c. 10 §. 10. Adi etiam S. Thom. in lib. I, *Sentent.* distinct. II, q. I, art. 2, ubi constituto principio: „quod quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a creatore; et quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo et sine aliqua imperfectione" concludit, „Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, est hujusmodi, quorum quodlibet est divina essentia, et ita omnia sunt unum re, et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio sapientiæ non est ratio bonitatis, in quantum hujusmodi, reliquitur quod sunt di-

3° hanc necessario admittendam esse cogitationis distinctionem, ne, de Deo loquentes, inducamus notionum, ac verborum confusionem, quæ necessario oriretur, si unam pro alia promiscue usurparemus e. g. dum paternitatem nominamus, intelligeremus sapientiam et alia ejusmodi, in quo magna perversitas haberetur.

DIFFICULTATES.

284. I. *Obj.* 1° Falsa est distinctio illa, quæ conformis et consentanea non est rei veritati, sive suo objecto; jam vero talis est distinctio rationis, quippe quæ tota residet in mente nostra, non autem in Deo. Quin imo, 2° observat Eunomius, si in comprehensione unius notionis altera non includitur includitur opposita, e. g. si in notione ingeniti non includitur notio incorruptibilis, jam includeretur notio corruptibilis, et sic Deus qua ingenitus est, esset corruptibilis, adeoque simul corruptibilis esset et incorruptibilis, incorruptibilis nempe in se, et corruptibilis in apprehensione mentis nostræ, quod est absurdum. Demum, 3° qui communi cuivis aliquid, quod sit proprium, adjungunt, ut inde complexum nescio quid coalescere prædicent, vel mentiuntur vel non; datur optio; Si mentiantur, quid tandem attinet voces sine subjecto usurpare? Si vera dicunt, composita igitur erit unaquæque Trinitatis persona, cui illam personæ vocem accommodamus; ergo.

285. *Resp. Ad* 1m, *Dist. maj.* Si affirmando aut negando id fieret, *conc.* si per meram abstractionem aut mentalem apprehensionem, *neg.* Etenim cum mens nostra contemplatur aliquod objectum sub uno potius respectu quam sub alio, nihil affirmat vel negat de objecto ipso, sed hæret tota in obtutu illius, quod per se et sine altero spectat. Eodem modo mathematicus, cum, abstrahendo a materia physica alicujus objecti, considerat tantum dimensiones vel longitudinis vel latitudinis vel profunditatis, nihil detrahit objecto, nec negat nec affirmat esse aurum vel argentum etc.; physicus, dum spectat materiam tantum, nullo habito respectu ad ejusdem dimensiones; chymicus, cum ab utrisque præscindit nec rimatur nisi molecularum affinitatem, nihil derogant rei veritati, neque propterea singulæ istorum considerationes falsæ et non consentaneæ objecto ipsi dicuntur; idem autem dic de modo seu ratione, qua mens nostra Deum contemplatur, et evanescit difficultas.

286. *Ad* 2m, *Neg.* ut patet ex modo dictis. Dum enim mens aliquam proprietatem in Deo considerat, alias non excludit, sed ab iis tantum præscindit.

versa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei." Recolendus totus articulus.

287. *Ad* 3m. Idem esto responsum. Nec enim in his argutiis convellendis diutius immorari præstat. Mens enim quæ apprehendere non potest uno appulsu, quod singulare et simplex in divina hypostasi est, distinguit inter divinam essentiam, quæ tribus personis communis est, et proprietatem, qua unaquæque persona est, eam apprehendit ut complexam seu compositam, ut sibi ejusdem aliquam ideam efformet, quin inferat hanc compositionem proprie dictam in ipsa divina hypostasi esse. Cum itaque juxta captum mentis nostræ sic rem concipiamus, nec dici potest, quod verum dicamus ex parte rei, nec quod mentiamur dum proprium communi adjungimus.

288. II. *Obj.* Patres passim tradunt 1° cum diversas de Deo notiones vocabulis exprimimus, eamdem divinam substantiam nos designare; ita S. Basilius ep. LXXX, et S. Athanasius in *Decretis nicænæ synodi* decr. IV, c. 8, et alibi. 2° Cohærenter ad hanc patrum doctrinam concilium rhemense sub Eugenio III, celebratum, adversus Gilbertum porretanum decrevit: *In theologia inter essentiam et personam ratio non distinguat.* Ergo.

289. *Resp. Ad* 1m, *Dist. antec.* Eamdem exprimimus substantiam velut subjectam materiam, fundamentum et objectum reale harum notionum, *conc.* eamdem exprimimus substantiam in diverso ac formali conceptu mentis nostræ, *neg.* Citati proinde patres non aliud sibi volunt, cum dicunt diversas notiones, quas nobis de Deo ejusque proprietatibus efformamus, eamdem divinam substantiam designare, quam notiones istas demum desinere in unum idemque simplex objectum, quod Deus est, quod pro fecunditate sua nobis præbet fundamentum earumdem notionum, non autem contendunt has easdem diversas notiones in suo conceptu formali non esse nisi unam eamdem notionem, etiam cum ad Dei substantiam referuntur, ut patet ex ipsorum scopo defendendi divinitatem Verbi adversus arianos et eunomianos [1]).

290. *Ad* 2m, *Dist.* Ratio non distinguat inter essentiam et personam realiter, seu in sensu Gilberti, *conc.* mente, *neg.* Gilbertus enim tria docebat: 1° duplicem esse rationem distinguendi, unam mathematicam, alteram theologicam; 2° rationem mathematicam eam esse, quæ logice distinguit ea quæ non sunt in se distincta, rem videlicet eamdem et simplicem diver-

1) Cf. Petav. l. I, c. XI, §. 11, qui id ostendit, adductis veterum testimoniis. Cum S. Thom. I, p. q. XIII, art. 4, sibi objecisset: „magis est unum quod est unum re et ratione, quam quod est unum re et multiplex ratione, *respondet ad* 3: Quod hoc ipsum ad perfectam Dei unitatem pertinet: quod ea, quæ sunt multipliciter et divisim in aliis, in ipso sunt simpliciter et unite. Et ex hoc contingit, quod est unus re et plures secundum rationem: quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant."

sis et inadæquatis conceptibus repræsentando: rationem vero theologicam eam esse, quæ non distinguit nisi ea, quæ sunt in se distincta; 3° essentiam et personam in divinis distingui secundum rationem theologicam, non secundum mathematicam tantum, hoc est distingui realiter, non vero tantum logice. Hanc autem realem distinctionem damnat synodus, in eaque damnanda ipsis Gilberti verbis utitur 1).

CAPUT II.

DE DEI IMMUTABILITATE AC LIBERTATE.

291. Duas has divinas proprietates simul complexi sumus, quia nulla est difficultas in illis seorsim constituendis, ast non exigua est in iisdem simul conciliandis, eo magis quod, quæ opponuntur divinæ immutabilitati, magna saltem ex parte peti soleant ab ipsius libertate, et contra, quæ opponi solent divinæ libertati, ex capite immutabilitatis ipsius ut plurimum eruantur.

292. Ut enim in omni alia fere quæstione, sic circa Dei immutabilitatem et libertatem oppositi inter se errores exorti sunt. Stoici siquidem Deum mutationi obnoxium sentiebant, teste Origene *contra Celsum*, lib. III; Hermogenes e contra adeo Deum immutabilem statuit, ut ipsi, referente Tertulliano in lib. adv. eumdem, ademerit libertatem. Sociniani, media quadam via incedentes, Deum immutabilem esse affirmant quoad substantiam, mutabilem vero in suis decretis, seu in voluntatis actibus, ut sic ipsi sartam tectamque asserant libertatem. Nos vero juxta catholicæ doctrinæ regulam Dei immutabilitatem tum ratione substantiæ, tum ratione actuum vindicare debemus, nec non ejusdem libertatem.

293. Ad præcavendas difficultates, observandum est immutabilitatem nihil aliud esse nisi negationem transitus cujuscumque de statu in statum, seu ab uno modo se habendi ad alium tum respectu sui, tum respectu loci, tum respectu temporis, tum denique respectu cujuscumque rei ab extrinseco positæ, ac proinde immutabilitatem eo plures gradus habere posse, quo magis ejusmodi transitus excludit, et cum de Dei immutabilitate disseritur, intelligendum esse de omnimoda immutabilitate.

294. Item considerandum est libertatem, prout hic accipitur, esse immunitatem a quacumque tum intrinseca tum extrinseca necessitate, seu ut vulgo dicitur, libertatem arbitrii et indifferentiæ, qua Deus possit agere vel non agere, vel hoc vel oppositum. Removeri autem duo a Dei libertate defectus debent, qui

1) Cf. Simonnet, *tract. de Deo*, disp. III, art. 4.

in libertate nostra reperiuntur, id est suspensio judicii, quæ in Deo omnia sciente adesse nequit; et possibilitas eligendi inter bonum et malum, quæ pariter Deo inesse nequit, qui, ut loquitur Augustinus: ***Peccare non potest, sicut negare se ipsum non potest.*** Quæ postrema species libertatis a theologis vocatur ***contrarietatis***, prout duæ primæ species dicuntur ***contradictionis*** et ***specificationis***, quæ si immunis fuerit a necessitate intrinseca, dicitur ***libertas indifferentiæ seu a necessitate;*** si ab extrinseca tantum vi, libertas nuncupatur a ***coactione.*** Deo igitur adstruere debemus libertatem indifferentiæ, specificationis et contradictionis. His positis, sit

PROPOSITIO.

Deus est immutabilis et liber.

295. Hæc propositio est de fide, ut ex expressa ipsius definitione patet quæ data primum est a concilio nicœno I, in decreto de fide: ***Eos qui dicunt erat aliquando, quando non erat ... aut mutabilem, et convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia*** [1]). Qua definitione relata, hæc subjicit S. Ambrosius: ***Arius dicit mutabilem et convertibilem Dei Filium. Quomodo ergo Deus, si mutabilis, cum ipse dixerit: Ego sum, et non sum mutatus*** [2])? Ac rursum in conc. later. IV, in cap. ***Firmiter***, ubi Deus definitur ***incommutabilis.*** Circa libertatem vero Dei ecclesiæ fides patet ex ipsius ad Deum orationibus, quæ inutiles prorsus essent, non supposita in Deo libertate.

296. Luculenter porro Dei immutabilitatem apertissima scripturarum testimonia evincunt; Num. XXIII, 19. ***Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur;*** tum psal. CI, 28. ***Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient;*** sed præcipue Malach. III, 6. ***Ego Dominus, et non mutor.*** In novo autem testamento: ***Apud quem***, ait Jacobus apostolus, ***non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*** (cap. I, 17); quæ quidem enarrans apostoli verba S. Gregorius M. ***Ipsa***, inquit, ***mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit; nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercedit*** [3]).

1) S. Ambrosius, *De fide* lib. I, cap. 18, n. 120, edit. Maur. alias cap. 9.
2) Ibid. cap. 19 n. 131.
Eadem fidei definitio refertur in frag. II, *S. Hilarii* n. 27, *edit. D. Constantii Ord. Ben.* Verum de his fragmentis editis primo a Nic. Fabro, ac postea a D. Constantio, non unum est criticorum judicium. Plura sunt argumenta intrinseca et extrinseca, quæ ea generatim saltem, Hilarii non esse, cui adscribuntur, evincunt. De his opportuniori loco dicemus.
3) *Moralium* lib. XII, cap. 33, *edit. Maurin.* n. 38, al. c. 17.

297. Quæ cum adeo aperta sint, inutile prorsus est patrum testimonia congerere ad hanc veritatem adstruendam, quam ratio ipsa suadet. Ex triplici enim capite S. Thomas Dei immutabilitatem deducit; 1° ex eo quod Deus sit purus actus nihilque habeat in potentia, quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia, ad illud ad quod mutatur; 2° ex eo quod sit omnino simplex omnisque compositionis expers, quæ necessario innest in eo quod mutatur, dum successive res est sub diversis terminis, uno recedente et altero succedente; 3° ex eo quod sit infinitus, comprehendens in se omnem perfectionis plenitudinem [1]); imo Deo soli ostendit competere absolutam immutabilitatem [2]). Ad has autem rationes referri possunt cætera argumenta, quibus patres utuntur apud Petavium [3]) ad hanc evincendam Dei proprietatem, quæ sic breviter S. Fulgentius complexus est, dicens, Deum „nec melioribus rebus nec deterioribus *commutari*. Neque enim habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est, et sicut est, ita est, non in se habet non esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non est. Et hoc, quod sic est, non initio prævenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil sibi deest, quia totum in illo est, nihil ei superest, quia nihil præter illum est [4])."

298. II. Nec minus solide in Deo inesse libertatem constat. Libertate enim, cum sit maxima intellectualis naturæ perfectio, et quidem absolute simplex, profecto carere non potest Deus utpote perfectissimus. Hinc, cæteris omissis, David (ps. CXXXIV, 6) de Deo pronunciat, quod *omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis*. Cum autem Deus sit actus purissimus, ut in deliberando nihil Deo perfectius esse potest et absque hæsitatione, cum ipsi perspecta sint omnia, eligit quidquid vult, ita nec in agendo eam indifferentiam habere potest, quæ passiva dicitur et suspensionis, sed ab omni æternitate de rebus in tempore faciendis sempiternum habuit consilium et actionem, eamque plene liberam, ita ut aliter potuerit velle, quam quod voluit. Hinc apostolus: *Omnia*, inquit, *operatur (Deus) secundum consilium voluntatis suæ* (Ephes. I, 11), id est, *pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio*, ut explicat S. Ambrosius lib. II, de fide c. VI, n. 48; idem tradunt cæteri patres adversus

1) I, p. q. IX art. I.

2) Ibid. art. 2; cf. etiam Lessius, *De divinis perfect.* lib. III, c. I, 3.

3) Lib. III, cap. I. Patres enim inferunt Deum prorsus immutabilem esse 1 quia nihil Deo contrarium; 2. quia Deus est id, quod est; quia 3. est a se, vel a nullo, sive æternus; 4. id ipsum conficiunt ex ipsius infinitate; 5. ex ejusdem perfectione; 6. denique quia est ipsissimum bonum.

4) *Ep. ad Theodorum Senatorem* cap. 4, n. 4.

quosdam philosophos, qui Deum agere ex necessitate naturæ opinati sunt, ut hinc etiam inferrent mundum necessario et consequenter ab æterno productum [1]).

299. Ad ea porro dispellenda, quæ ad hujusmodi sententiam tuendam veteres illi afferebant, animadvertendum est cum S. Thoma p. I. q. 19. a. 3. quod licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea quæ vult propter bonitatem suam, quia bonitas ejus potest esse sine aliis; pro nutu ergo voluntatis suæ eas creaturas produxit, quæ essent bonitatis suæ participes, et quidem eo gradu et numero quo illi magis placuit; postquam vero eas voluit, ex necessitate easdem amat, ex necessitate inquam, hypothetica, quæ cum libertate amice consistit.

300. At qua ratione omnimoda Dei immutabilitas cum summa ejus libertate amice consistere potest? Hoc sacrum plane ænigma recte vocaveris, cui solvendo præstantissimi theologi impares se professi sunt. Quid tamen verosimilius conferre nobis videatur ad ejus solutionem, in explanatione difficultatum afferemus.

DIFFICULTATES.

301. I. *Obj.* Deus de non operante fit operans, ut patet in creatione; novas acquirit denominationes, Domini e. g., Salvatoris etc. quod magis elucet in Incarnatione, qua factus est homo [2]). Ergo Deus mutari potest.

302. ***Resp. Dist. antec.*** Aliquid dando seu extrinsece, ***conc.*** aliquid accipiendo vel acquirendo, ***neg.*** Itaque tota mutatio est ex parte creaturarum, quæ a non esse ad esse transeunt, non autem in Deo, qui in producendis creaturis elicit actum illum, quem ab æterno habuit, per exercitium suæ omnipotentiæ in tempore. Sic novas acquirit denominationes extrinsecas et relate ad creaturas, quæ incipiunt dominum habere in sua ipsarum productione; cæterum ipse natura sua Dominus est, suppositis creaturis. Idem dic de Incarnatione, per quam humana natura assumpta est ad unionem hypostaticam a divini Verbi persona, quatenus cœpit sustentare ac terminare humanitatem; quæ quidem terminatio ac sustentatio neque nova perfectio est, neque motus ad novam perfectionem, qua Deus in se immutetur aut perficiatur, sed merum exercitium virtutis illius infinitæ, quam habet in ratione suppositi, vi cujus eodem prorsus modo in se permanens potest rationales crea-

1) Cfr. Petav. lib. V, c. 4.

2) Notandum hic obiter est has easdem difficultates promovisse Celsum adversus doctrinam de Incarnatione apud Origenem lib. IV *contra eumd.* n. 21. *edit. de la Rue monachi maurini*

turas facere suas, eas sibi assumendo et evehendo ad hypostaticam unionem. Verum de hoc argumento in tract. de Incarnatione.

303. II. *Obj.* Deus habet cognitiones et volitiones contingentes et liberas; atqui ejusmodi cognitiones et volitiones sunt intrinsecæ Deo, et ab ipso, realiter saltem, minime distinctæ. Deus igitur mutari intrinsece potest.

304. ***Resp.*** ***Dist. maj.*** Objective seu relate ad creaturas, ***conc.*** subjective, seu relate ad se, ac in se ipsis spectatas, ***neg.*** Cognitiones et volitiones istæ sub duplici respectu considerari possunt, et in se ipsis, seu ut præfertur, in sua entitate, et prout ad terminum suum referuntur seu in earum objecto. Si in se ipsis ac in sua entitate spectentur, utpote intrinsecæ seu intimæ Deo, cum quo identificantur, necessariæ sunt et immutabiles, si vero spectentur prout referuntur ad ea, quæ extra Deum sunt, seu in ipsarum objecto, liberæ sunt, contingentes ac mutabiles, sicut contingentia et mutabilia sunt ejusmodi objecta, ad quæ referuntur. Notandum autem est Deum habere ejusmodi cognitiones et volitiones per unicam et simplicissimam tendentiam, seu actum intellectus et voluntatis in objecta contingentia indistinctum ab intellectu et voluntate in objecta illa tendentibus, modo plane divino, utpote æterno, invariabili atque incapaci cujuscumque successionis, ignorantiæ, levitatis alteriusve imperfectionis.

305. Quod ut melius intelligatur præ oculis habenda est doctrina S. Thomæ, quo, in obscurissimo hoc argumento, nemo hucusque verosimilius aliquid protulit. Porro voluntas Dei, inquit ipse l. I. cont. gent. c. 82. n. 4. „uno et eodem actu vult se et alia, sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis; habitudo autem ad alia est secundum convenientiam quandam non quidam necessaria et naturalis. Neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria [1]). Quod autem est voluntarium, neque naturale, neque violentum, neque necesse est esse." Hinc juxta S. Thomam non diversa, sed una eademque est actio, qua Deus seipsum vult, et vult creaturas. Attamen hac eadem actione Deus seipsum necessario vult, creaturas vero libere, cujus rei rationem tradit in quæst. XIX superius laudata; „cum enim, inquit, bonitas ejus, quæ est proprium suæ voluntatis objectum, sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se velle non sit necessarium, sed liberum et voluntarium." Eadem itaque divinæ voluntatis actio est necessaria et

1) Ex hoc autem S. Doctoris textu deprehendimus juxta ipsius mentem, ei, quod voluntarium est non solum opponi id, quod est violentum, sed etiam necessarium et naturale, secus ac adstruant janseniani; tum liberam divinæ voluntatis actionem, qua creatas res respicit, non differre a necessaria, qua se ipsum vult et amat, nisi habitudine quadam et convenientia, qua causa cum re a se effecta congruit, tanquam termino quodam, in quem libera Dei actio dirigitur.

et libera: necessaria et immutabilis est, si in seipsa spectetur, et consideretur intrinsecum et primarium ejus objectum, nempe divina bonitas; libera vero et mutabilis est, si referatur ad id, quod extra Deum respicit tamquam secundarium objectum, hoc est, si considerentur creaturæ ad quas porrigitur, et vult tantum secundum quandam convenientiam [1]).

306. *Inst.* 1° Deus potuit habere alias cognitiones et volitiones ab iis, quas habet; imo 2° diversa ratione fertur semper in objecta, prout ista diversa ratione se habent; e. g. modo cognovit Incarnationem futuram, modo præsentem aut præteritam; Petrum vel diligit ut justum, vel postea odit ut peccatorem, et ita porro. Ergo perpetuæ, non solum extrinsecæ, sed sibi intrinsecæ mutationi obnoxius est.

307. ***Resp. Ad*** 1^m^, ***Dist.*** Absque mutatione ac transitu de una cognitione aut volitione in aliam sive diversam sive contrariam, *conc.* cum ejusmodi transitu, *neg.* ac *neg. conseq.* quia omnis mutatio dicit essentialiter mutationem a termino a quo ad terminum ad quem transitur, ac proinde transitus de uno ad aliud mutatio definitur.

308. ***Ad*** 2^m^, ***Neg.*** Quia Deus unico actu æterno simplici, invariabili ac realiter indivisibili fertur in omnia objecta voluntatis, ac intellectus sui secundum omnes modos ipsorum, seu diversam rationem qua se habere possunt. Æternitas enim ejus licet in se indivisibilis sit ac simplicissima, virtualiter tamen complectitur omnia tempora, et omnia objecta, quæ in tempore sunt juxta ipsorum varietates ac diversos status, quibus obnoxia sunt. Deus autem est sua æternitas. Hinc uno eodemque actu cognoscit Incarnationem ut futuram pro eo tempore, quo futura est, præsentem pro eo tempore, quo est præsens, præteritam denique pro eo tempore, quo præterita est; sic uno eodemque actu odit Petrum pro eo tempore, quo injustus est, et quia injustus est, et amore prosequitur pro eo tempore, quo sanctus est, et quia est sanctus; hinc sequitur totam mutationem extrinsecam et objectivam esse, nulla vero ratione intrinsecam et essentialem.

309. Non est cur diutius easdem difficultates diversa ratione prosequamur; satis erit ad omnia, quæ objici possint, posita atque statuta principia applicare, ut earum solutio habeatur [2]).

1) Juxta ejusdem S. doctoris principia cum bonum voluntatis sit finis, hinc illa omnia, quæ appetit et vult, vel appetit et vult ut finem, vel appetit et vult propter finem. Appetit et vult finem necessario; appetit et vult ea, quæ sunt propter finem libere, si absque ipsis finis æque haberi possit. Divina voluntas est conjuncta immediate fini, possidet nempe bonitatem suam qua fruitur; hinc necesse non habet appetere alia propter finem, si ipse est finis suus, nec vult nisi secundum quandam convenientiam liberam. cfr. I. lib. con. gent. cap. LXXX.

2) Ejusmodi difficultates longe protrahit et evolvit Tournely *Tract. de Deo* quæst. VIII art. unico concl. Cfr. etiam

CAPUT III.

DE INFINITATE, IMMENSITATE ATQUE AETERNITATE DEI.

310. Tria hæc pariter attributa sub uno capite complexi sumus non solum ob communem fontem, ex quo necessario dimanant, nempe ex quo Deus sit ens a se, verum etiam ob eorum inter se connexionem.

311. Præter alios multos circa has perfectiones errant sociniani, qui 1° inficiantur Dei essentiam infinitam esse in omni genere perfectionis [1]; 2° asserunt Deum immensum dici posse ratione virtutis et operationis, non autem ratione essentiæ suæ [2]; 3° Deum eo tantum sensu æternum statuunt, quod principio et fine careat, non autem omni successione ac temporum differentiis [3]. Adversus quos errores has statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Deus est infinitus absolute et in omni genere perfectionis.

312. Infinitas definiri potest summa et absoluta perfectio; *summa* quatenus omnem perfectionem continet; *absoluta*, quatenus nec modum agnoscit, nec mensuram [4]. Deum igitur hoc

Petav. l. IV. c. 4; nec non Suarez Metaph. disp. XXX sect. VIII et IX, ubi fuse mentem S. Thomæ exponit.

1) Sic in *Fragm. catechismi cracoriens.* qui extat in tom. I *Biblioth. fratr. polon. Irenopoli* 1656. cap. II. p. 685, ubi Faustus Socinus negat, ex eo quod infinita sit Dei potentia, inferri posse infinitam esse ejusdem essentiam, qui deinde statuit nihil se prorsus habere quod de hac re statuat.

2) Ibid.

3) Ita Socinus in *Prælect. Theolog.* tom. I. *Bibl. frat. polon.* c. 8, p. 545, ubi ut respondeat ad tertiam rationem calvinistarum affirmat: „Nihil esse in hominis potestate sed omnia ex Dei decreto pendere, vel certe necessaria esse ex Dei prænotione seu præscientia" negat Deo præscientiam liberorum futurorum, negat præterea Deo omnia esse præsentia in æternitate, in qua nulla sit successio, et addit: „Tempus enim æternum est, quidquid theologi nostri contra disputent, semperque et fuit et futurum est, ut et præteritum aliquid et præsens, et futurum sit. Nec vero in mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit, sed tantummodo temporis mensura quædam... quamobrem ipsius quoque Dei respectu aliquid præteritum, aliquid vero præsens, aliquid etiam futurum est."

Merito proinde Leibnitzius de socinianis in *ep. ad Landgravium de Hesse-Rhinfels*, 1691 pronunciat: „Ils ont une idée très-basse de Dieu: il semble, qu'ils l'attachent à un certain lieu, qu'ils lui refusent la préscience comme contraire à la liberté humaine." Cfr. *Pensées de Leibnitz*, Paris 1819, p. 247 et seq. vel edit. Bruxell. 1838, tom. 2, p. 364.

4) Cfr. Suarez, lib. II *de Deo* c. 1, ubi rejectis diversis theologorum placitis circa notionem infinitatis, n. 5 concludit Deum dici infinitum in ratione entis et quidem intensiva, ita ut infinitas, quæ de Deo prædicatur sit nega-

sensu infinitum esse in ratione entis, ut præfertur, et quidem infinitate intensiva sic breviter ostendimus.

313. Deus ex dictis est ens a se; ergo est infinitus. Etenim si Deus est ens a se, ac proinde necessarium, a nulla causa potuit limitari ac circumscribi: non a se, quia sibi non dedit *esse;* non ab alio quia a nulla causa *esse* accepit [1]). Debet ergo Deus esse plenitudo entis, adeoque infinitus, et quidem in omni perfectionum genere [2]). Accedit quod si Deus esset finitus, jam non esset id quo nihil melius excogitari possit, quod prorsus abhorret ab ipsa notione Dei. Hinc de eo in psalmo CXLIV v. 3, dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis.*

DIFFICULTATES.

314. *Obj.* 1° In scripturis interdum minus proprie aliquid infinitum dicitur e. g. Num. XXXII, 1, de filiis Ruben et Gad dicitur: *Erat illis in jumentis infinita substantia*, et alibi. Nihil igitur vetat hanc vocem eodem sensu accipi, cum Deum *infinitum* esse dicunt, 2° ad exponendam scilicet summam divinæ virtutis efficaciam atque præstántiam. Sane 3° si Deus esset absolute infinitus vel excluderet cæterorum entium existentiam, quæ cum ente absolute infinito consistere nequeunt; vel 4° complecteretur etiam istorum entium perfectiones in se. Sic 5° creaturæ omnes essent æqualiter perfectæ, quia omnes æqualiter a Deo distarent; quæ quidem omnia hisque similia absurda sunt. Ergo.

315. *Resp. Ad* 1m, *conc. antec.* et *neg. conseq.* Ex subjecta enim materia, ut dicitur, quando vox aliqua proprie vel improprie usurpetur, dignosci potissimum debet. Improprie autem adhiberi in exemplo adducto aliisque similibus patet, quia ea, de quibus dicitur, *infinitatem* proprie dictam non patiuntur, imo excludunt; dum vero Deo applicatur, eam proprie sumen-

tio limitationis in ipsius essentia. Hinc Deus dicitur infinitus simpliciter, proprie, et quasi a priori, quia tantæ perfectionis est, ut non possit in ea habere superiorem, nec æqualem, qui sit distinctæ naturæ; unde, prosequitur ipse, in hac negatione limitationis, continetur illa infinitas, quæ intelligitur in continentia omnis perfectionis possibilis, vel cogitabilis, continentia, inquam, formali vel eminentiali, cum summa perfectione, possibili in quacumque perfectione, et modo habendi illam; tum in hac negatione etiam includitur, continere sub se sine ullo termino omnia, quæ quocumque modo perfecta cogitari possunt, etiamsi in infinitum in eis procedatur in gradu majoris et majoris perfectionis sine termino. Et hæc ad mentem S. Th. 1 p. q. 7, a. 1.

1) Cons. S. Th. loc. cit.

2) Cfr. Less. lib. 1. Ex his quæ dicta sunt de infinitate Dei facile colligi potest eam Deo convenire ex notione entis necessarii; tum non esse infinitum, quod non est necessarium; demum infinito seu Deo nihil propterea addi vel detrahi posse, Deumque non posse vel deficere vel proficere eo ipso quod incrementi vel decrementi incapax sit, quia quod est, necessario est.

dam esse ratio ipsa evidenter ostendit. Addo, falso supponi ex scripturis nos Deum infinitum ostendere, eo quod *infinitus* dicatur, nam nuspiam in scripturis Deus *infinitus* dicitur, sed hanc proprietatem scriptura Deo tribuit per negationem, negando scilicet terminum ullum inveniri in ejus perfectione, ut patet ex adducto loco ps. CXLIV.

316. *Ad* 2m, *Dist.* Et hoc ipso evincitur Deum absolute infinitum esse, *conc.* detrahitur huic perfectioni, *neg.* Dei enim virtus et efficacia est ipsa divina substantia. Addatur absurdum esse tribuere infinitam efficaciam ei, qui non sit absolute infinitus.

317. *Ad* 3m, *Dist.* Excluderetur cæterorum entium existentia, si Deus diceretur infinitus, *extensive*, seu per modum quantitatis, *conc.* Si intensive, prout expositum est, *neg.* [1]).

318 *Ad* 4m, *Dist.* Sive formaliter sive eminenter, *conc.* formaliter, *neg.*

319. *Ad* 5m, *Dist.* Si creaturarum perfectio desumenda esset a distantia perfectionis divinæ, *conc.* Si a pluribus aut paucioribus perfectionis gradibus, quos a Deo creaturæ acceperunt, *neg.*

PROPOSITIO II.

Deus est immensus rebusque omnibus et locis intime præsens essentia sua.

320. Deum immensum esse de fide est; expresse enim definitum id fuit in conc. later. IV. cap. *Firmiter*, ubi concilium profitetur se credere Deum *immensum* esse; addi debet symbolum athanasianum, in quo dicitur: *Immensus Pater*, etc.

321. Ut facilius propositio intelligatur observandum est: I. immensitatem confundendam non esse cum *infinitate*; ista enim dicit negationem termini in perfectione essentiali, ut superius declaravimus; illa dicit negationem termini in substantiali præsentialitate, ut scholæ loquuntur. Seu infinitas afficit universe excellentiam perfectionis essentialis Dei, immensitas afficit præcise modum existentiæ divinæ essentiæ, quatenus ex se et eodem modo permanens possit esse intime præsens omnibus rebus et locis non solum præsentibus sed' etiam possibilibus in infinitum.

322. II. Non esse confundendam immensitatem cum *ubiquitate*, ut ajunt; nam immensitas est attributum absolutum, Deoque necessarium; at esse ubique non convenit illi absolute, sed

1) Cfr. Suarez loc. cit.

solum, ut dicitur, hypothetice, seu ex suppositione creaturarum existentium, quarum productio Deo libera fuit; quare ut cætera discrimina prætercam, liberum Deo fuit, habere vel non habere ejusmodi denominationem existentis ubique [1]).

323. III. S. Thomam p. I, q. 8. art. 3, divinam immensitatem sic exponere: ***Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi.*** Primum et secundum omnes fatentur; at postremum, in quo peculiari ratione Dei immensitas consistit, post nonnullos veteres judæos, valentinianos, gnosticos, manichæos, anthropomorphitas, in dubium passim, ut diximus, revocant sociniani, nec fidei caput esse contendit Beausobre [2]). Catholica itaque veritas vindicanda est, quæ docet Deum omnibus adesse per essentiam, ita ut omnia substantia sua intus repleat, exteriusque circumscribat, ac teneat.

324. Sic igitur rem ex sacris literis in primis conficimus: Baruch III, 25, Deus expresse dicitur ***Excelsus et immensus;*** Job. XI, 8, Deus asseritur ***Excelsior cælo, profundior inferno, longior terra, et latior mari;*** unde ajebat David psalm. CXXXVIII, 7 et seqq. ***Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum, ades***, etc. Sed omnium apertissime hoc S. Paulus docuit actor. XVII, 28, ubi, cum asseruisset Deum non longe esse ab unoquoque nostrum, rationem adjecit, dicens: ***In ipso enim vivimus, movemur et sumus;*** quibus verbis profecto Dei immensitas, ejusque ubique præsentia substantialis, ut ajunt, adeo diserte significatur, ut plane supervacaneum sit alia congerere.

1) Petavius l. III c. VII §. 5. opportune observat: „Ne temere statim hæresis inscribatur iis, qui Deum ubique esse negent, videndum prius quo id sensu faciant. Potest enim subesse duplex. Nam si eo illud affirmant, quod rem nullam spiritualem substantia sua esse in loco putant, sed actione sola, quod de angelis ac spiritibus etiam creatis theologi veteres, ac post eos S. Thomas ejusque discipuli sentiunt, reprehendendi non sunt; certe fidei ad causam trahenda res non erit. Sin ideo defendunt, quod vel totam, quam late patet universitatem rerum occupari ab illius substantia non credunt, vel a quibusdam ob fœditatem ac turpitudinem eximunt, atque, ut verbo dicam, si alicubi esse substantiam Dei, velut in cœlo, statuunt, alibi non esse docent; quæ Vorstii aliorumque sententia fuit, manifestæ hæresis tenentur."

2) Cf. Pet. ib. §. 2. et seqq. ubi recensit adversarios hujus divinæ proprietatis, eos qui male de ea senserunt, inter quos memorat etiam Augustinum Steuchum Eugubinum.

Beausobre vero in sua *histoire critique de manichée* lib. III, chap. 4. n. 4, cum fassus esset errorem, quo asseritur limitibus circumscribi essentiam Dei relate ad spatium, admissum a manichæis juxta ipsorum principia tamen subdit, prout jam præstitit circa naturam Dei corpoream: „C'était sans doute une erreur considérable, que de nier l'immensité substantielle de la Divinité; mais il faut pourtant convenire que, tant qu'on lui conserve celle de connaissance et de pouvoir, la religion demeure dans son entier;" quod deinde fuse prosequitur.

325. Secundo ex patribus id ipsum concluditur, quorum summa in eo concordia est, inquit Petavius [1]), ac theologorum omnium, nullo certo loco definiri Dei substantiam; qui præterea adnotat duos apud veteres usu contritos esse divinæ immensitatis declarandæ modos. Nam aut asserunt sic intra omnia Deum esse, et implere omnia, ut etiam extra omnia sit; aut non contineri locis omnibus ac substantiis, sed ea continere complectique omnia [2]). Nobis satis sit verba Theophili antiocheni adducere, quibus eleganti similitudine ejusmodi rerum omnium complexum ac comprehensionem explicat: ***Quemadmodum***, inquit, ***punicum malum corticem habens, quo comprehenditur, intus habet mansiunculas loculosque plures, membranis interceptos, ac multa grana in seipso locata continet; sic universa creatura a Dei spiritu comprehenditur, et spiritus, qui comprehendit, cum creatura comprehenditur a manu Dei*** [3]).

326. Sed tertio huic veritati ratio ipsa suffragatur, quam urget S. Thomas loc. cit. art. 1. Deus enim ubique semper agit virtute et operatione, ut omnibus continue seu jugiter det esse, sive res existentia perseverantes faciat, atqui Deus agit virtute et operatione a substantia sua minime distincta; ergo sicut virtute et operatione ubique Deus est, ita etiam substantia et essentia sua Deus rebus omnibus adest intime omnino præsens [4]).

DIFFICULTATES.

327. I. ***Obj.*** 1° Scripturæ passim Deum in cœlo esse inculcant; ferri de loco in locum ambulando, descendendo etc.; in terris autem commorari in templo, in arca etc. 2° Quæ quidem sententia inhæsit veteribus hebræis et patriarchis ipsis ac pro-

1) Loc. cit. §. 7.

2) Ita apud eumdem S. Athanasius, qui *epist. ad Serap.* Filium (quod universe de Personis omnibus intelligit) et *ubique esse*, ait, *et extra omnia*, *πανταχοῦ ἔςι, καὶ ἔξω πάντων ὤν*. S. Hieronymus in Isaiam, cap. 66, Deum *et forinsecus et intrinsecus esse* dicit. Ambrosiaster in *Commentario in epist. ad ephes.*: „Deus, *inquit*, non solum implet omnia, sed et excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet." S. Augustinus, *serm.* I. De verbis apost. „Quid est, *inquit*, omnipotens Deus? Quid? Nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia præter omnia?" *Et eleganter Prudentius*: „Extraque et Intus implet ac superfluit."

3) *Ὃν τρόπον γὰρ ῥοὰ ἔχουσα φλοιὸν τὸν περιέχοντα αὐτὴν, ἔνδον ἔχει μονὰς, καὶ θήκας πολλὰς διαχωριζομένας διὰ ὑμένων, καὶ πολλοὺς κόκκους ἔχει τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας· οὕτως ἡ πᾶσα κτίσις περιέχεται ὑπὸ πνεύματος θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον σὺν τῇ κτίσει περιέχεται ὑπὸ χειρὸς θεοῦ.*

4) Cfr. Less. *De perfect. divin.* lib. II, cap. I et seq. Sic *S.* Th. p. I, q. 8, art. 4. ostendit: „Quod proprium sit solius Dei ubique esse, quia quæcumque loca ponantur, oportet, quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum se ipsum." Si igitur secundum seipsum Deus ubique est, id est ubique totus, prout enti seu substantiæ omnium simplicissimæ competit, patet testimonia sive scripturarum, sive patrum, quæ videntur prima fronte ubiquitatem solum de Deo prædicare, reipsa ejusdem evincere immensitatem, vi cujus Deus ubique est et omnia continet. Recte propterea antiquus quidam philosophus Deum dixit sphæram incomprehensibilem, cujus centrum ubique, ambitus et circumferentia nusquam.

phetis; Rebecca enim (Gen. XXV, 22) *perrexit ad consulendum Dominum;* sic Jacob (ibid. XXVIII, 16) *cum evigilasset de somno ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam;* et (Joan. I, 3) *Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini;* Ergo.

328. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Figurate et improprie, vel ratione peculiarium effectuum, quibus se Deus speciali ratione manifestat, *conc.* proprie et ad exclusionem aliorum locorum, *neg.* Multiplici sensu Deus in cœlo esse dicitur, vel alibi; nempe in cœlo speciali manifestatione gloriæ suæ beatis; sicut et in justis per gratiam, quam cordibus eorum infundit; in Christo per unionem hypostaticam, qua humana natura divinæ unitur, ab eaque regitur ac sustentatur; in ecclesia per auxilium, quo illam protegit; in arca, in templo ad cultum excipiendum; in omnibus denique rebus ut *causa essendi*, quemadmodum loquitur S. Thomas. Item descendere dicitur Deus, ambulare, accedere, quatenus aliquid præstat in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam suam quodammodo ostendit, ut inquit S. Augustinus [1]).

329. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Rudioribus et imperitis quibusdam, *trans.* omnibus ac patriarchis præsertim atque prophetis, *neg.* Hoc enim nulla probabili ratione asseritur. Nec obstat quod Rebecca legatur *perrexisse* ad consulendum Dominum; non enim alio sensu hæc dicta sunt nisi ad exprimendum Rebeccam animo vel affectu se contulisse seu determinasse ad consulendum Deum [2]). Sic etiam Jacob locutus est de speciali manifestatione Dei, ut patet ex somnio seu visione illic habita [3]). Jonas denique ideo fugisse dicitur a facie Domini in Tharsis, quatenus ei morem non gessit, atque a mandato Dei se subtraxit, phrasi seu dicendi modo in scripturis usitato [4]).

1) *Contra Adimantum*, cap. 13, n. 2, et alibi passim.

2) Ita exponit Origenes, *Homil*, XII, *in Genes*, n. 2, ubi post satis prolixam disputationem concludit: „Sic igitur sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora." Edit. maurin. tom. II. pag. 92.

3) Cfr. Calmet in hunc locum.

4) Cfr. Petrus Four. Ackermann: *Prophetæ minores perpetua annotatione illustrati*, Vien. 1830, qui in Jonam 1-3 hæc habet: „E conspectu Jehova, id est, ad detrectandum munus propheticum sibi a Deo impositum; sperabat enim ex tam remotis regionibus (Tartesso colonia Phœnicum in Hispania Boetica) se a Deo non revocatum, nec remissum iri in Niniven. Sanctius. . . . Ex his, et ex vers. 9 ad 12 patet, quam contorta sit eorum interpretatio, qui statuunt, Jonam putasse, se fuga in regionem peregrinam mandatum hoc eludere posse, quum Jehova tantum in Israëlitarum terra, tanquam ejus Numen tutelare præsens sit. Hoc errore si imbutus fuisset, existimasset quoque eum non adesse in Assyria; ita quamprimum ex Joppe portu solvisset, ejus suffugisset territorium. Quare in Hispaniam cogitavit? Fugere a facie Domini Jonam nihil aliud esse putant Chaldæus, Theodoretus, Theophilactus, etc. quam impositum prophetandi munus effugere (Christianus Castrus); et recte, nam ut observat Drusius: *Stare coram Domino*, ministerium significat dominicum, quod qui obire detrectat, is fugere dicitur a conspectu Domini."

330 II. *Obj.* 1° Patres non pauci negant Deum ubique esse, ut Clemens Alex. *Stromatum*, lib. II et V; Tatianus, *Orat. contra græcos*, qui Dei essentiam *materiam permeare* inficiati sunt; S. Joan. Chrysost. homil. V *in epist. ad coloss.* et Lactantius, lib. *De opificio Dei* c. 16. 2. Vel Deum nullibi esse pronunciant, vel in cœlo sedem habere, quibus consonat S. Augustinus, qui et ipse in lib. LXXXIII, *Quæstionum*, quæst. X, Deum nuspiam esse dicit [1]; ergo.

331. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Negant Deum ubique esse extensione aut diffusione sensu stoïcorum, quos oppugnabant, *conc.* immensitate, locum ei definitum circumscribendo, *neg.* Stoïci enim, adversus quos patres illi disputabant, arbitrabantur Deum esse animam mundi, quæ pervadit materiam, agitatque molem, quæque mundum ipsum informat; alii autem existimabant Deum veluti spatiosa quadam magnitudine per multa diffundi; hinc citati patres Deum hac ratione consistere negabant, cum Deus ita sit per cuncta diffusus, ut non sit quantitas, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens et continens mundum, non tamen per spatia locorum, ut in dimidia mundi parte dimidiatus, ut ita dicam, sit, sed in cœlo totus, et in terra totus, et nullo arctatus loco, sed in se ipso ubique totus. Quod exprimunt scholastici, dum ajunt Deum esse inextensum *formaliter*, extensum autem *virtualiter*, quatenus Deus, qui in se ipso indivisibilis est, et nullo modo extensus, suæ tamen immensitate virtutis, a sua substantia indistinctæ, attingit omnia, quæ sunt in loco, et est in omnibus rebus *causans omnium esse*, ut loquitur S. Thomas. Cæterum idem Clemens Alex. *Stromatum* lib. VII [2], ait: ***Persuasum est ubique Deum adesse, non autem certis et definitis locis esse conclusum;*** et Chrysostomus homil. XXXVIII. *in acta apost.* n. 3, affirmat Deum ***propinquum esse his, qui sunt ubique terrarum*** [3]; ac demum Lactantius, ***Institutionum divinarum***, lib. VII cap. III, affirmat ***Divinum Spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri*** [4].

332. *Ad* 2m, ***Dist. Circumscriptive,*** ut ajunt, quasi in loco, contineretur aut dimetiretur a loco, *conc.* ad exclusionem immensitatis, *neg.* Cum igitur patres dicunt Deum nusquam esse nil aliud intelligunt, quam Deum a nullo loco comprehendi, sed esse supra res omnes, easque continere, et sibi ipsi locum esse [5]

1) Apud Petav. lib. III, cap. 8. et seq.

2) *Τοιοῦτος ὁ πάντῃ παρεῖναι τὸν θεὸν πεπεισμένος, οὐχὶ δὲ ἐν τόποις τίσιν ὡρισμένοις. κ. τ. λ.* Mirum sane est potuisse Clementi Alex. absurdam ejusmodi sententiam affingi, qui loc. cit. *Strom.* a num. 4 ad 8 perpetuo hoc utitur principio petito ab immensitate Dei ad oppugnandam ethnicorum stultitiam, qui formam humanam Deo tribuebant.

3) *Πᾶσιν ἐγγὺς εἶναι τοῖς πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης οὖσι,* tom. IX op. p. 290.

4) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 7.

5) Cfr. ibid. cap. 9. n. 12 et seqq.

333. III. *Obj.* Si Deus ubique esset, omniaque substantia sua permearet, in fædioribus locis inveniretur, atque in dæmonibus ipsis, nec non in spatiis, ut vocant, imaginariis, quod dicere nefas est; ergo.

334. ***Resp. Dist. major.*** Si quæ loca fæda essent respectu Dei, *conc.* si hæc fæda non sint nisi in apprehensione nostra, *neg.* Omnia enim quæ sunt, in se bona sunt; sic in dæmonibus, prout res sunt, Deus invenitur, eo ipso quod existant, adest præterea ut puniat, prout loquitur S. Augustinus. Quod vero additur de spatiis imaginariis vulgo dictis, si quem sensum habet, nihil aliud significat nisi Deum totum esse in seipso, cujusmodi pariter erat, antequam mundus esset, et si mille mundi conderentur, omnes in Dei immensitate essent, qui ut veteres nonnulli loquuntur est omnium locorum locus [1]), locusque sibi ipsi, nostra cogitandi ratione, qui his adjumentis indigemus.

PROPOSITIO III.

Deus est æternus.

335. Hæc propositio de fide est, sic enim definitum fuit a conc. lateran. IV in toties laudato cap. ***Firmiter***, in quo ***Deus æternus*** dicitur, quod pariter habetur in symbolo dicto athanasiano, ***æternus Pater,*** etc.

336. Præmittendum est I° æternitatem multiplici sensu sumi: 1° latissime, pro longa duratione, utrimque tamen terminata, quo sensu sæpe in sacris literis usurpatur, ut cum possessio æterna terræ Palæstinæ promittitur hebræis etc. 2° Minus ampla significatione æternum dicitur, quod licet initium habuerit, fine tamen caret; cujusmodi duratio est angelorum, animæ rationalis, etc., *ævum* a scholasticis nuncupatur. 3° Minus late, quod principio et fine caret, etsi non habeat absolutam necessitatem; quo sensu æterni sunt omnes ac soli actus contingentes et liberi intellectus ac voluntatis divinæ. 4° Denique accipitur pro duratione absolute necessaria, quæ principio et fine caret, quæ quidem rigoroso sensu ac proprio æterna dicitur, et ea est de qua hic agitur.

337. II° Æternitatem proprie dictam passim definiri ***Durationem sine principio, sine fine, sine mutabilitate.*** Licet autem in suo conceptu æternitas atque immutabilitas inter se distinguantur, sic tamen inter se connexæ sunt, ut una ex altera necessario sequatur. Quare merito a S. Thoma, p. I, quæst. 10, art. 1, æternitas cum Boëtio definitur: ***Interminabilis vitæ tota simul et***

1) Cfr. Petav. ibid. cap. 8.

perfecta possessio [1]), quam definitionem per partes singulas enucleatam quisque in citato articulo videre poterit.

338 III° Quod, licet æternitas formali, ut ajunt, careat amplitudine, posita in fluxu partium sibi succedentium, habeat tamen amplitudinem, ut vocant, virtualem infinitam, quatenus nempe ob carentiam principii ac finis æquivalet tempori infinito habenti partes ab æterno et in æternum sibi succedentes; æquivalet proinde in ordine ad coëxistendum tempusculis et rebus creatis omnibus sibi succedentibus in infinitum. Quare res creatæ, ex eo quod eidem æternitati coëxistant, non possunt dici simul existere in æternitate ac simul, prout existunt, esse Deo *realiter* præsentes ab æterno, etsi semper eidem *objective*, ut dicitur, præsentes sint; quia non coëxistunt æternitati secundum totam ejus virtualem amplitudinem, sed solum secundum aliquam hujus amplitudinis partem, quæ respondeat tali differentiæ temporis; quam æternitas secundum alias ejusdem amplitudinis partes virtualiter elapsas infinite præcessit, et infinite excedit secundum alias virtualiter elapsuras. Si eorum, quæ hic adnotavimus adumbrationem quæras, circuli centrum concipe, quod, etsi indivisibile, partibus tamen divisibilibus, seu potius punctis circuli, seu peripheriæ respondet, et manet immotum, quamvis circulus circumagatur. Exemplum est S. Thomæ [2]).

339. His positis operosum non est enunciatæ propositionis veritatem ostendere, sive ex scriptura et patribus, sive ex ratione. Nam psal. LXXXIX, 2, dicitur: ***Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus;*** et apostolus I Timoth. VI, 16, de Deo expresse dicit: ***Qui solus habet immortalitatem.*** Quæ verba expendens S. Augustinus, tract. XXIII, n. 9. in Joan. ***Quid est***, interrogat, ***quod ait apostolus de Deo, qui solus habet immortalitatem, nisi quia hoc aperte dixit, solus habet incommutabilitatem, qui solus habet verum æternitatem*** [3])? Tertullianus, libro ***con-***

1) Æternitas autem dupliciter potest considerari, prout nempe est absoluta, ac prout est relativa. *Absoluta* est, cum spectatur circa respectum ad tempus et res creatas; *relativa* vero est, dum spectatur cum respectu ad tempus. Ab absoluta ableganda non solum sunt præteritum ac futurum sed et præsens quatenus relationem dicit ad præteritum ac futurum; nec potest in illa concipi pars ulla, estque Dei ipsius vita unica et in eodem statu manens, seu simplicitas infinita, aut infinitudo simplicissima unius Dei viventis. Relativa autem æquat ac superat tempora omnia, et juxta hanc dicitur: *In principio erat Verbum*, etc. prout dicit relationem non ad Deum, sed ad homines, atque hoc sensu *tota simul* dicitur, cum non possit in parte temporis pars æternitatis effluere ac pars in altera, et huc respicit definitio Boëtii: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio*. Hinc totum in æternitate objective saltem præsens est, cum sit tota simul.

2) *Contra gentes*, lib. I, cap. 66, n. 6.

3) Ibid. S. doctor fuse ostendit quomodo Deo soli competat æternitas eo ipso, quod fluxu temporis careat et successionis: „Quidquid, *inquit*, et a meliore in deterius, et a deteriore in melius movetur, non est hoc Deus: quia

tra Hermogenem, cap. IV, æternitatem vocat *censum Dei*, dicens: *Quis enim alius Dei census quam æternitas?* Et *contra Marcionem*, lib. I, cap. VIII: *Non habet tempus æternitas;* et ibidem: *Deus tam alienus est ab initio et fine, quam a tempore. Deus*, inquit S. Gregor. Nazianz. oratione XXXVIII, num. 11, *Deus semper erat et est et erit; vel potius semper est: nam erat et erit hujus temporis fluxæ caducæque naturæ segmenta sunt* [1]) sic cæteri patres apud Petavium, lib. III, cap. IV.

340. Quod confirmatur ex ratione, quam adducit S. Thomas loc. cit. art. 2, inquiens: *Ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum unde cum Deus sit maxime immutabilis, ei maxime competit esse æternum.* Ex quo principio infert, art. 3, solius Dei propriam esse æternitatem, quia æternitas immutabilitatem consequitur; et solus Deus est omnimo immutabilis. Id ipsum evincitur ex necessitate essendi, quæ Deo inest.

341. Sive igitur scripturam consulamus et patres, sive rationem ipsam, patet Deum et quidem solum, vera proprieque dicta æternitate præditum esse, quæ nempe sit sine principio, sine fine, sine mutabilitate. Quin imo S. Thomas loc. cit. pergit ostendere Deum esse suam ipsam æternitatem. De quo argumento consuli præterea potest Petavius, loc. cit. [2]).

DIFFICULTATES.

342. *Obj.* 1° Deo interdum scripturæ tribuunt temporis successionem; sic Daniel. VII, 9, Deus dicitur *Antiquus dierum;* Apocalyps. I, 8: *Qui est, qui erat, qui venturus est.* Sic pariter 2° Deo tribuunt actiones vel præteritas vel futuras; ergo non ita Deus æternus est, ut omni successione temporis careat, quod concipi nulla ratione potest.

343. *Resp. ad* 1^m^, *Dist.* Improprie ac juxta intelligentiam nostram, *conc.* proprie ac prout Deus in se est, *neg.* Ejusmodi enim locutiones in scriptura semper improprie et captui nostro accommodatæ adhibentur, qui in æternitate virtualem quamdam successionis amplitudinem apprehendimus, ut de cæteris attributis diximus.

neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera æternitas. Vera enim æternitas est, ubi temporis nihil est. Erat autem modo hoc, et modo illud? Jam tempus admissum est, æternum non est, etc."

1) *Θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔςι, καὶ ἔςαι· μᾶλλον δὲ ἔςιν ἀεί· τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔςαι, τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα καὶ τῆς ῥευςῆς φύσεως.* Quod ibidem pluribus verbis prosequitur.

2) Plura hic invenientur notatu dignissima, atque ad enodandas difficultates maxime idonea juxta veterum sententias. Cfr. etiam Lessius, *De perfectionibus divinis*, lib. IV.

344. *Ad* 2m, *Dist.* Respectu termini, ad quem referuntur, et relate ad nos, *conc.* respectu Dei, et relate ad ipsum, *neg.* Itaque et hæc improprie de Deo dicuntur habita ratione nostræ tenuitatis et infirmitatis, qua fit, ut observat S. Augustinus, ut non possimus de æternitate cogitare et loqui nisi per ordinem ad tempus. Cæterum in Deo una semper est, eaque æterna actio, quæ cum dicit effectum in tempore vel producendum vel productum, temporis vicissitudines subit non respectu sui, sed respectu termini seu effectus in tempore producti vel producendi. Ut enim superius dictum est, dum ageretur de Dei immutabilitate, Deus voluntate sua ab æterno et pro æterno, ut cum schola loquamur, tendit actu unico, simplici, invariabili ac realiter indivisibili in omnia objecta secundum omnes suos modos seu respectus, secundum quos fertur in illos [3]).

1) Cfr. Suarez, Met. disp. 1, sect. 3 et 4.

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS.

PARS TERTIA.

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI.

345. Expletis quæ ad divinam substantiam ac præcipua summi Numinis attributa spectant, nativo ipso ordine ducimur ad investigandam divinæ hujus substantiæ operationem, quæ intelligere et velle complectitur [1]). Prius igitur de divina intelligentia seu scientia, deinceps vero de Dei voluntate disseremus.

CAPUT I.

DE SCIENTIA DEI.

346. Agentes de divina scientia duo potissime ob oculos habere debemus, ac 1° quidem ut certa ab incertis accurate secernamus, seu ea quæ penes omnes catholicos explorata sunt, ab iis, quæ in disputationem veniunt; 2° vero ut omnem declinemus domesticam controversiam, ut sic facilius cunjunctis viribus unanimi consensione dimicare possimus adversus veros religionis hostes, qui subruere nituntur fidei ipsius fundamenta. Absonum profecto esset inter nos vires consumere, ac interea permittere, ut illi impune possint omnia moliri adversus catholicam fidem, et eo magis quod pleræque ejusmodi concertationes obsoletæ sint, nec præstet eas denuo excitare non absque aliquo unionis et charitatis detrimento. Ut propositum finem obtineamus, nitemur quæ certa sunt suis argumentis confirmare, quæ vero olim inter theologos agitabantur, in nonnulla scholia rejicere, quæ postea subjiciemus duobus distinctis articulis.

347. Quæ de Dei scientia dici certo possunt, revocantur ad hæc præcipua capita, existentiam nempe et proprietates seu dotes, atque ad ejusdem objectum. Quæ autem in controversiam vocantur, respiciunt magna ex parte ejusdem scientiæ medium atque divisionem. Ut igitur perspicuitati consulamus, distinctis articulis enunciata prima illa catholicæ doctrinæ capita prius complectemur, de reliquis postea dicturi.

1) Ita S. Thom. I. p, q. 14. Sic etiam vocantur perfectiones positivæ, ac tres vulgo numerantur, scientia, voluntas, potentia. Cum tamen potentia sola respiciat opera, quæ *ad extra*, dicuntur, de hæ propterea sermo erit in tract. *De Deo creatore*. Intelligere et velle facultates duæ illæ sunt quæ entibus omnibus intelligentibus insunt, ac facultates *immanentes* nuncupantur, quibus internæ vitæ actus proprii eliciuntur.

ARTICULUS I.

De divinæ scientiæ existentia atque proprietatibus.

348. Circa divinæ scientiæ existentiam non est quod valde laboremus ad eam adstruendam, cum vix sit qui eam in dubium revocaverit, omnibus ea siquidem insita est Dei notio, ut Deus summe intelligens, imo intelligentia ipsa, ac totus mens per excellentiam concipiatur. Quod attinet autem ad ejusmodi scientiæ dotes ac proprietates, scriptura ac patribus ducibus hæ esse intelliguntur, ut nimirum sit simplex, immutabilis, infinita et efficax. Sic porro breviter sequentibus propositionibus eas adstruimus.

PROPOSITIO I.

Est in Deo veri nominis scientia eaque perfectissima.

349. Hæc propositio ad fidem pertinet. Nam apertissime in utriusque fœderis libris Dei scientia commendatur. Etenim I Reg. II, 3, dicitur. *Deus scientiarum Dominus est;* Esther XIV, 14: *Domine, qui habes omnium scientiam;* Ad Rom. XI, 33, apostolus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Non vacat plura congerere.

350. Nec minus clare id ipsum ratio evincit. Deus enim est id, quo nihil melius excogitari et concipi potest; jam vero scientia eximia perfectio est, quam melius est habere quam non habere; ergo in Deo est scientia, ac talis quæ Deum deceat, id est omni imperfectione semota, et in summo gradu [1]).

PROPOSITIO II.

Scientia Dei est simplex, immutabilis et infinita.

351. Hæc propositio pariter ad fidem pertinet. Eo autem sensu simplex dicitur Dei scientia, quatenus non est in Deo per modum habitus aut qualitatis ei supervenientis, sed est actus

1) Notandum porro est scientiam duplici ratione sumi 1. *late* pro omni cognitione intellectus seu mentis certa et evidenti; 2. *improprie* pro cognitione certa et evidenti rerum per causas. Propositio autem est de prima cognoscendi ratione, quam Deo inesse nemo est qui dubitet, aut jure aliquo dubitare possit, atque hanc in Deo agnoscere ad fidem pertinere diximus. Ast non adeo res explorata est, si de altera sermo sit; non desunt enim qui eam Deo inesse negent, atque inter cæteros Vasquez in I p. disp. LXXXVI, n. 48, quia ejusmodi cognoscendi ratio quamdam in se includere videtur imperfectionem.

et quidem purissimus, ipsaque divina substantia [1]) simplicissima, quæ statim omnia pervadit absque ulla mentis compositione per plures conceptus, aut ratiocinatione.

352. Ejusmodi porro esse divinam scientiam scriptura in primis testatur. Sap. VII, 22, dicitur: ***Est in illa*** (sapientia) ***spiritus intelligentiæ sanctus***, ***unicus***, ***multiplex***. ***Unicus*** nempe in se, ***multiplex*** respectu termini seu objectorum. Idipsum patet tum ex eo, quod in Deo scientia nec accidens sit nec qualitas aliqua superveniens Deo, quod abhorret a summa Dei simplicitate, sed ipsa divina substantia; tritumque est illud S. Augustini dictum, lib. XV. ***De Trinitate: Nosse et esse illi unum est;*** tum ex eo, quod Deus unica cognitione ac simplici intuitu omnia et quidem infinita percipiat, quare ibid. S. Augustinus: ***Simul videt,*** inquit, ***quorum nullum est, quod non semper videt*** [2]).

353. Quod autem divina scientia sit immutabilis, in primis ex scripturis evincitur; nam Jac. I, 17, universim de Deo dicitur: ***Apud quem non est mutatio***, ***nec vicissitudinis obumbratio;*** quod verum non esset, si Dei scientia non esset actus simplicissimus, sed novas posset acquirere cognitiones aut aliquas amittere. Hinc optime S. Augustinus, ***confession***: lib. XIII, cap. 16, inquit: ***Sicut omnino tu es***, ***tu scis solus***, ***qui es incommutabiliter***, ***et scis incommutabiliter***, ***et vis incommutabiliter.*** Quod confirmatur ex ipsa ratione, quia, si actus intelligendi ab ipsa divina essentia minime distinguitur, cum ista immutabilis sit, immutabilis intelligendi actus pariter sit necesse est, qui id omne ab æterno complectitur, quod cognosci potest, et omni quo potest modo cognosci, amota quacumque imperfectione.

354. Divinam denique scientiam infinitam esse testatur psalmista, ps. CXLVI, 5, dicens: ***Sapientiæ ejus non est numerus***, et apostolus ad hebr. IV, 13: ***Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.*** Sane omni finita scientia aliquid melius excogitari potest in ratione scientiæ, nempe infinita; Deus est autem ens quo nihil melius excogitari potest; ei igitur competit scientia, quæ sit absolute seu intensive, ut ajunt, atque extensive infinita.

355. Scientia igitur Dei tum simplex est, tum immutabilis atque infinita [3]).

1) Simonnet observat, quod dum ipsa scientia Dei dicitur esse substantia divina, id non esse intelligendum absolute, ac prout dicitur, simpliciter, sed cum addito, ut sit nempe divina substantia se ipsa vitaliter tendens sic.

2) Cap. XIV, his verbis, cujusmodi sit hæc scientia, aperit S. doctor: „Sciunt ergo invicem Pater et Filius; sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia, quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt; non particulatim, aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns aliud; sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt."

3) Divinæ scientiæ excellentiam exponit Suarez, *De Deo*, lib. III, cap. I, n. 3; Lesius, *De perfectionibus divinis* lib. VI, a cap. I ad 3.

PROPOSITIO III.

Scientia Dei est efficax et causa rerum.

356. Prout jacet propositio, ad fidem spectat, nec ulla est in ea difficultas; si qua est controversia, hæc non attingit nisi rationem, qua Dei scientia causa rerum dicatur et sit.

357. Quod ut intelligatur, prænotandum est scientiam Dei posse dici causam rerum sive adæquatam sive inadæquatam; *adæquatam* quatenus esset principium immediatum, proximum ac totale productionis rerum omnium, tum nempe earum, quæ necessariæ sunt, tum earum, quæ liberæ, seu a libera creaturarum intelligentium determinatione pendent, adeo ut intellectus divinus a voluntate applicatus omnia immediate operetur; *inadæquatam*, quatenus præluceat voluntati divinæ, applicanti potentiam executivam, ipsamque dirigat. Hoc vero sensu ideo efficax et causa rerum Dei scientia diceretur, quia concurrit ad rerum effectionem per modum prudentiæ et per modum artis; per modum quidem prudentiæ respectu ipsiusmet voluntatis divinæ quoad actus ejusdem liberus, seu quoad determinationes eorum; per modum artis quoad modum, quo res fieri debent. Theologi thomistæ nuncupati primo sensu affirmant Dei scientiam esse causam rerum et efficacem, nempe principium immediatum, adæquatum, vel etiam, ut dicunt, *formale*, cæteri autem, qui profitentur se assequi non posse, quomodo scientia res aliquas producat, tuentur nonnisi posteriori sensu scientiam dici efficacem et causam rerum, nempe ut principium inadæquatum, partiale, mediatum, prout nempe directrix est voluntatis atque omnipotentiæ [1]).

358. Rursum quæstio fit in scholis catholicis, utrum scientia ista, quæ est efficax et causa rerum, quæque etiam practica dicitur, spectet ad illam scientiæ divinæ speciem (nostro concipiendi modo), quæ *simplicis intelligentiæ* vocatur, quæque anterior concipitur omni decreto seu actu voluntatis, an vero ad illam, quæ *visionis* nuncupatur, quæque ejusmodi decretum seu voluntatis actum subsequitur aut approbat. Thomistæ hanc secundam sententiam amplectuntur, quia existimant scientiam Dei, ut diximus, esse rerum causam, non directricem, sed effectricem immediate; ex quorum sententia, non ideo cognoscuntur res futuræ, quia futuræ sunt, sed ideo futuræ sunt, quia cognoscuntur, scilicet in divinis decretis. Alii autem theologi contendunt scientiam efficacem esse scientiam simplicis intelligentiæ, quatenus, ut dictum est, dirigit decre-

1) Cons. Suarez, loc. cit. cap. 9, n. 7, 8 et 9; Card. Gotti, cap. 3, q. 1 et seqq.

tum voluntatis ad res efficiendas, quia, ut ajunt, scientia visionis jam supponit res, seu objectum quod videt, non autem producit; hinc juxta hos ideo res cognoscuntur a Deo, quia futuræ sunt, non autem futuræ sunt, quia cognoscuntur; nam logice prius est aliquid esse quam cognosci, et notitia practica in aliqua semper veritate speculativa fundatur vel secundum rem, ut in nobis, vel secundum rationem, ut in Deo, nec concipi potest aliter scientiam divinam posse esse rerum effectricem nisi per modum directionis et artis, cum proprium sit scientiæ *cognoscere*, non *efficere*. Ars enim divina est actus, quo Deus, ratione, prius quam velit operari aliquid ad extra, sibi repræsentat exemplaria omnia, ad quorum imitationem potest ad extra aliquid moliri; jam vero talis actus est simplicis intelligentiæ, seu pertinet ad simplicem intelligentiam necessariam, et independentem ab omni decreto actuali [1]).

359. In his porro salebris hærere nolumus; satius ducimus propositionem nostram generaliter sumptam evincere, atque ostendere scientiam Dei efficacem esse, et rerum aliquo sensu effectricem, sive mediate per modum artis et directionis, sive immediate per modum causæ formalis.

360. Etenim psalm. CIII, 24, legitur: *Omnia in sapientia fecisti;* ac Sap. VII, 21, *Sapientia omnium artifex* dicitur; et Jeremias X, 12, de Deo dicit: ***Præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos***; denique Prov. VIII, 27, de se ipsa ait: ***Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos .... cum eo eram cuncta componens.*** Hæc edoctus S. Augustinus, ***De Trinitate***, lib. XV, cap. XIII, scribebat: ***Universas creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit; non enim nescivit, quæ fuerat creaturus, nec aliter scivit creata, quam creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut opor-***

1) Cons. Suarez, loc. cit. num. 12, ubi inquit: „Addo igitur scientiam simplicis intelligentiæ creaturarum, licet sub una ratione speculativa sit, sub alia optime dici practicam ...... Nam, ut scientia sit practica, necesse non est ut a sciente applicetur ad opus, sed satis est, quod de se directiva sit operis, quatenus est de re operabili, ut talis est, modo operabili, seu ostendendo modum, quo res facienda est, si artifex voluerit" *et num. 15, prosequitur:* „At vero scientia visionis per se non est practica, sed quædam intuitio, seu quasi experimentalis visio. Unde si consideretur in Deo quatenus terminatur ad res actu existentes, supponit effectionem earum, unde, ut sic, non facit eas. Si vero consideretur, ut de futuris est, etiam supponit futuritionem earum, et ex parte Dei supponit voluntatem aliquam, sine qua illæ res non possunt esse absolute futuræ." *Sic etiam Petavius*, De Deo, *lib.* IV, *cap.* 7, *num.* 10: „Quarum duarum cognitionum, *scribit*, priorem nominant in scholis *scientiam simplicis intelligentiæ*, posteriorem *visionis*. Illius est ordinare res ac disponere, ac voluntatem divinam et efficientiam quodammodo gubernare, quemadmodum architectandi usum et operis institutionem ars illa, quæ est in artificis mente, moderatur ac dirigit. Posterior autem res easdem voluntate jam divina designatas, et constitutas, et in aliqua temporis parte producendas, quasi existentes ac præsentes intuetur."

tebat, et quando oportebat, illa mansit ut erat; et alibi passim: cui consonant patres alii apud Petavium, lib. IV, cap. 11, num. 10 et seqq.

361. Demum rationem theologicam suppeditat S. Thomas p. 1, q. 14, art 8, dicens, ita se habere Dei scientiam ad omnes res creatas, sicut scientia artificis ad ea, quæ arte facta sunt vel fiunt; scientia artificis est causa rerum, quæ arte fiunt, ergo scientia Dei est causa rerum creatarum. Quæ quidem congruunt cum iis, quæ scribit S. Augustinus (*tract. I, in Joannem*): *Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia.*

DIFFICULTATES.

362. *Obj.* 1° Deus per suam omnipotentiam cuncta creavit; ergo scientia non est causa rerum. 2° Nemo sane unquam dicet scientiam, cujus officium est cognoscere atque intueri res faciendas vel factas, res ipsas efficere. Addatur 3° Dei scientiam esse æternam, ideo si ipsa esset rerum causa, res productæ ab æterno essent, quod falsum est; ergo.

363. *Resp. Ad* 1^m^, *Dist. antec.* Quoad executionem, *conc.* quoad artem et directionem, *neg.* Tria enim ad rerum productionem concurrunt: *scientia* nempe, quæ prælucet *voluntati,* eamque per modum artis et prudentiæ determinat ac dirigit, et *omnipotentia*, quæ exequitur; quæ tria sic distincte ac eleganter complexus est Tertullianus in *Apologetico*, cap. XVII dicens: *Deus totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum*, verbo, *quo jussit*, ratione, *qua disposuit*, virtute, *qua potuit*, *de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.*

364. *Ad* 2^m^, *Dist.* Sensu exposito, *neg.* alio sensu, *trans.* Ad veritatem propositionis satis est, si aliquo vero sensu constet Dei scientiam esse efficacem et rerum causam, seu *omnium artificem*, ut scriptura loquitur. Quod spectat ad peculiarem rationem determinandam, illud diversarum opinionum patronis dimittimus [1]).

365. *Ad* 3^m^, *Dist. maj.* Si scientia Dei, prout effectrix causa rerum est, esset causa necessaria, *conc.* si libera, *neg.* Talis porro est scientia Dei, quatenus efficax et causa rerum dicitur; quare sic respondet S. Thomas, loc. cit. ad 2: *Scientia Dei est causa rerum, secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab æterno; unde, quamvis scientia Dei sit æterna, non sequitur tamen, quod creaturæ sint ab æterno.*

1) Cæterum Suarez, loc. cit. n. 10, concludit: „In divina scientia nullus actus cogitari potest, nisi per modum cognitionis, et quidquid aliud fingitur, sine fundamento est et explicari non potest."

ARTICULUS II.

De objecto scientiæ divinæ.

366. Id omne est objectum scientiæ divinæ, circa quod ipsa versatur, seu quod Deus cognoscit. Cognoscit autem se et alia extra se. Quæ vero extra Deum sunt vel sunt possibilia vel existentia, vel præterita vel futura, sive absolute ac necessario, sive libere et contingenter, sive saltem conditionate. De his ex ordine agemus; tum nempe de primario scientiæ divinæ objecto, quod est Deus ipse, tum de secundario, cujusmodi sunt cætera a Deo distincta.

PROPOSITIO I.

Deus se ipsum perfecte cognoscit et comprehendit.

367. Ac primo quidem Deum seipsum perfecte cognoscere apostolus expresse declarat, dum (I Cor. II, 10) scribit: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei;* tum: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Sed et ratio idipsum suadet, ut enim pulchre ipse ethnicus Alcinous argumentabatur: *Quoniam prima mens præstantissima est, necesse est præstantissimum ei intelligibile propositum esse; nihil autem se ipso præstantius habet; quare semetipsum notionesque suas semper intelliget* [1]). Sane nihil obstat, quominus Deus semetipsum perfecte cognoscat; non objectum, cum intrinseca cognoscibilitas sit affectio entis in actu, et Deus sit maxime ens in actu; non potentia sive facultas, quum vim habeat intelligendi infinitam, divinusque intellectus identificetur cum ipsa divina essentia; ergo.

368. Quod autem seipsum comprehendat, ut secundo loco propositum est, sic ostendit S. Thomas, p. 1, q. 14, art. 3; Deus se ipsum comprehendit, si seipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est; atqui sic Deus cognoscit se ipsum, quia tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo, utraque enim infinita est; ergo.

369. *Dices*: Ex S. Augustino (lib. LXXXIII *Quæstionum*, quæ. XIV). Quod comprehendit se, finitum est sibi; atqui Deus nec sibi finitus dici potest, cum sit modis omnibus infinitus; ergo.

1) Ἐπεὶ δὲ ὁ πρῶτος νοῦς κάλλιςος, δεῖ καὶ κάλλιςον αὐτῷ νοητὸν ὑποκεῖσθαι· οὐδὲν δὲ ἑαυτοῦ κάλλιον· ἑαυτὸν ἂν οὖν καὶ τὰ ἑαυτοῦ νοήματα ἀεὶ νοοίη. Apud Petav. de Deo, lib. IV, cap. 3, §. I.

370. *Resp.* cum S. Thoma, loc. cit. *Dist. min.* Deus non potest dici finitus sibi hoc sensu, quod intelligat se aliquid finitum esse; *conc.* eo sensu quod facultas intelligendi non adæquet objectum intelligentiæ, *neg.* Finitus itaque Deus est sibi, quatenus ita cognoscit se ipsum, ut perveniat ad plenam cognitionem sui et nihil supersit ipsi cognoscendum.

PROPOSITIO II.

Deus cognoscit omnia possibilia.

371. Etenim Deus, ut loquitur apostolus, Rom. IV, 17, *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Quod si Deus tam vocat ea, quæ non sunt, quam ea quæ sunt, tam novit ea, quæ non sunt, quam ea quæ sunt; ea enim, quæ non cognoscuntur, vocari non possunt. Sed si Deus, quæ aliquando futura sunt cognoscit ut possibilia, cognoscit cætera omnia, quæ nunquam futura erunt, sed esse possent, si ipse vellet.

372. Quod confirmatur ratione cum S. Thoma q. 14, art. 3. Deus semetipsum perfectissime comprehendit, ideoque et omnipotentiam suam; ergo distincte attingit omnia, ad quæ illa se extendit; non enim potest virtus aliqua perfecte cognosci, nisi distincte attingantur ea omnia, ad quæ virtus illa extenditur; ergo Deus distincte per intellectionem suam attingit omnia possibilia. Nam divina omnipotentia se extendit ad omnia, quibus esse non repugnat Ergo Deus cognoscit omnia possibilia, et quidem secundum esse proprium quod haberent, si producerentur; alioquin ea distincte minime cognosceret [1]). Præterea ad scientiam infinite perfectam pertinet cognoscere quidquid cognoscibile est; atqui possibilia sunt cognoscibilia; ergo.

PROPOSITIO III.

Deus distincte cognoscit omnia præterita, præsentia et futura sive necessaria, sive contingentia et libera.

373. Hæc pariter propositio ad fidem spectat. Sic autem eam per partes ostendimus: Primo quidem quod attinet ad præte-

1) Tum *contra gentes*, lib. I, cap. 50, tum p. I. q. 19, art. 6, ad 2, ubi docet omnia possibilia esse in Deo virtualiter, scribens: *Quidquid potest habere rationem entis et veri, totum est virtualiter in Deo.* S. Thomæ præcesserat S. Augustinus, *De civitate Dei*, lib. XI, cap. 10, num. 5, ubi de sapientia Dei hæc habet: „In qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest; porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat. Ex quo

rita, nota sunt Dei verba, quibus exprobrat hebræis eorum prævaricationes, de quibus olim vindictam se sumpturum profitetur Deut. XXXII, 34: *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Si tamen respectu Dei aliquid dici potest sive præteritum sive futurum et non potius præsens. Præterea generatim de omnibus sub quacumque temporis differentia, atque utut abscondita sint, sic pronunciat apostolus Hebr. IV, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus;* sic psalm. CXXXVIII, 3: *Intellexisti cogitationes meas de longe . . . omnes vias meas prævidisti. . . cognovisti omnia, novissima et antiqua.* et psalm. XXXII, 15: *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum;* nec non Sap. VIII, 8, de sapientia dicitur: *Scit præterita, et de futuris æstimat signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum*; et alibi passim.

374. Hæc vero omnia Deum distincte cognoscere ita evincit ratione ipsa S. Thomas, loc. cit. art. 5: Deus perfecte se suamque virtutem cognoscit; virtus autem non potest perfecte cognosci nisi cognoscantur omnia, ad quæ se extendit; jam vero virtus divina se extendit ad omnia alia a Deo distincta, non solum quoad rationem communem entis, sed et quoad esse eorum formale, ut aiunt, et singulare usque ad ultimas differentias, cum sit plenitudo *essendi* et causa effectiva et exemplaris omnium et singulorum entium, et omnis differentiæ et perfectionis eorum; ergo [1]).

375. Quod demum speciatim attinet ad futura contingentia, seu actiones libere futuras, de quibus potissimum est controversia cum socinianis, præter allata scripturarum testimonia, quæ per se rem plane conficiunt, addi possunt verba quibus Susanna (Dan. XIII, 42) Deum deprecabatur: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant;* nec non Eccli. XXIII, 28: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem; circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearen-*

occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset." Cons. etiam Petav. *De Deo*, lib. IV, cap. 2, num. 4.

1) Cons. etiam art. 6. Cfr. Petav. lib. IV, cap. 3, §. 3, ubi affert plura patrum in hanc sententiam testimonia, inter quos Clemens Alex. lib. IV *Stromatum* sub finem, ejusmodi Dei scientiam pulchra theatri similitudine illustrat, dicens: *Καὶ ὅπερ ἐπὶ τῶν θεάτρων γίνεται, καὶ ἐπὶ τῶν ἑκαστου μερῶν κατὰ τὴν ἐνόρασίν τε, καὶ περιόρασιν, καὶ συνόρασιν, τοῦτο ἐπὶ τοῦ θεοῦ γινεται. ἀθρόως τε γὰρ πάντα, καὶ ἕκαστον ἐν μέρει, μιᾷ προσβολῇ προσβλέπει.* id est, „Et quod in theatris usu venit et in partibus cujusque, inspiciendo, circumspiciendo et simul aspiciendo hoc ipsum et in Deo evenit. Nam simul confertimque omnia, et particulatim singula applicatione una contemplatur." Eadem similitudine utitur S. Petrus Damianus in opusc. XXXVII, cap. 7, eamque perficit.

tur, omnia sunt agnita. Innumeræ insuper prædictiones, quæ in utroque fœdere leguntur, totidem sunt invictissima argumenta istius divinæ præscientiæ, adeo ut vere dixerit Tertullianus, *Contra Marcionem*, lib. II, cap. V: *Præscientiam Dei tantos habere testes, quantos fecit prophetas*, et S. Augustinus *De civitate Dei*, lib. V, cap. IX: *Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum apertissima insania est.* Hinc supervacaneum ducimus cætera patrum testimonia proferre, quæ videri possunt apud Petavium, lib. IV, cap. VI.

376. His ratio pariter apertissime suffragatur; si enim aliquid vel minimum futurorum Deus a tota æternitate ignorasset, aliqua ejus scientiæ fieret in tempore perfectionis accessio, cognosceret siquidem aliquid de novo, quod antea ignorabat; atqui Deo nulla fieri potest accessio perfectionis, cum ipsius natura sit infinite perfecta; ergo.

DIFFICULTATES.

377. I. *Obj.* Adversus 1m, et 2m, conclusionis partem. Nonnulli patres Deo denegare videntur ejusmodi distinctam rerum vilissimarum scientiam; etenim 1° S. Hieronymus in cap. I Habacuc, ait: *Absurdum esse ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices; quotve moriantur.* 2° S. Joannes Chrysost. *homil.* XXXIV alias XXXV in Matth. n. 2 asserit Deum capillos humano more non numerare; ergo.

378. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Dist.* et S. doctor loquitur de divina providentia et quidem comparative, *conc.* loquitur de scientia Dei et absolute, *neg.* Contendit nempe Hieronymus, ut ex contextu colligitur, non eamdem specialem Deo subesse curam et providentiam de minutissimis, quas recenset, rebus, ac de hominibus, quos absque dubio speciali benevolentia ac cura prosequitur; subdit enim: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.*

379. *Ad* 2m, Eadem esto distinctio. Eamdem esse sancti Joan. Chrysostomi mentem, ejus pariter ostendit contextus; siquidem post relata verba ait: *Quid vilius illis* (passeribus)? *Attamen nunquam ignorante Deo capientur* [1]).

380. *Inst.* Saltem internos animi motus ac secretas cordium cogitationes videtur Deus ignorare; alioquin 1° nec tentasset

1) *Τὶ γὰρ εὐτελέστερον ἐκείνων; φησίν· ἀλλ' ὅμως οὐδὲ ἐκεῖνα ἁλώσεται ἀγνοοῦντος τοῦ Θεοῦ.*

Abraham, ut dicitur Gen. XXII, 1 et post experimentum de eo captum non subdidisset Deus, ibid. ver. 12: *Nunc cognovi, quod times Deum.* Sic neque Gen. XVIII, 21 diceretur de Deo: *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opera compleverint, an non est ita, ut sciam.* 2° Quod a fortiori dicendum est de peccatis, deque iis, quæ entia rationis vocantur, quorum Deus esse non potest neque causa effectrix neque exemplaris; ergo.

381. *Resp. ad* 1^m, *Neg. antec.* Ad allatas autem probationes ex scriptura, *dist.* Nostro cogitandi ac loquendi modo, cui Deus passim se accommodat, *conc.* in se, *neg.* Voluit scilicet Deus in primo textu omnibus patefacere fidem et obedientiam Abrahæ; in altero autem horrorem peccatorum, quibus se sodomitæ inquinabant, justamque de ipsis vindictam. Si enim cortici literæ insistere vellemus, non solum cogitationes hominum Deum laterent, sed opera ipsa, quod nec adversarii contendunt.

382. *Ad* 2^m, *Dist.* Si Deus peccata et entia rationis cognosceret in se ipsis, *trans.* si in bono opposito, cujus privationes sunt peccata, vel in eorum causis, ut entia rationis, *neg.* Peccata enim, prout peccata sunt, non dicunt nisi privationem seu negationem debitæ rectitudinis, qua receditur a regula, ut suo loco exponunt theologi; hinc Deus errorum malitiam videt in bono opposito; entia autem rationis videt in eorum causa immediata, nempe in ratione nostra, cujus ipse auctor est, quæque ejusmodi sibi cudit cogitationes aut fictiones.

383. II. *Obj.* Adversus 3^m, propositionis partem: Scriptura passim exhibet Deum futura libera nonnisi conjecturaliter ac dubie prænunciantem prout evincunt particulæ illæ dubitativæ *forte, forsitan,* etc. Sic Jerem. XXVI, 2 et 3: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertantur;* et, aliis omissis, Christus (Joan. IV, 10) sic samaritanam mulierem alloquitur: *Si scires donum Dei . . . tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam;* et (cap. V, 46): *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi;* ergo.

384. *Resp. Dist. antec.* Humana loquendi ratione utens atque ad contingentem ac liberam rei enunciatæ naturam exprimendam, *conc.* ad significandam incertam rei enunciatæ cognitionem, *neg.* Sic patres eas locutiones exponunt ut Hieronymus in caput XXVI Jeremiæ, et Augustinus *enarr. in ps.* II. Alioquin Deus nihil omnino ejusmodi ut certum prænunciasset, quod est contra factum.

385. III. *Obj.* Non pauca ut futura prænunciata sunt in sacris literis, quæ tamen non evenerunt; exemplo sint mors Ezechiæ denunciata illis verbis: *Dispone domui tuæ, quia morieris* (Is. XXXVIII. 1.); subversio Ninives post quadraginta dies (Jona III, 4), aliaque hujus generis, ergo.

386. *Resp. Dist. antec.* Prænunciata sunt ut futura sub aliqua conditione sive expressa sive tacita, *conc.* ut futura absolute, *neg.* Quod patet ex ipsis adductis exemplis. Certo enim Ezechias vi morbi extinctus esset, et Ninive subversa, nisi ille lacrymis suis impetrasset sanitatem, et ista egisset pœnitentiam.

387. IV. *Obj.* 1° Nonnulli patres apud Petavium lib. VI, *de Deo* cap. VI, negarunt in Deo præscientiam futurorum, ut Augustinus, Gregorius M., aliique, quibus Boëtius assentitur; quin 2° et ipse S. Thomas p. 1, q. 14, art. 13, docet: *Contingens consideratum ut futurum, et nondum determinatum ad unum a propria causa, non subdi per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem;* ergo.

388. *Resp. ad* 1m, *Dist.* Negarunt in Deo præscientiam quoad nomen et respectu modi cognitionis divinæ, *conc.* quoad rem et respectu objecti cogniti, *neg.* Ex eo enim quod Deo omnia præsentia sint, ejusque cognitio uno ac simplicissimo intuitu in omnia objecta feratur, prout in se sunt cum suis differentiis, intulerunt proprie in Deo ejusmodi cognitionem *scientiam*, non autem *præscientiam*, esse vocandam. Sic enim inter cæteros loquitur S. Augustinus, lib. II. *Ad Simplic.* q. 2: *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes; ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest.*

389. *Ad* 2m, *Dist.* Non subdi per certitudinem alicui cognitioni *creatæ*, *conc. divinæ*, cui omnia contingentia in æternitate præsentia sunt, *non solum* prout sunt *in causis suis*, ut pse loquitur, *et successive*, sed etiam prout sunt *actu in seipsis simul*, *neg.* Talem esse mentem S. doctoris contextus ostendit.

390. V. *Obj.* Futura contingentia possunt non evenire, ideo que nulla eorum est determinata veritas; sed quod non habet determinatam veritatem, non potest cognosci; ergo.

391. *Resp. Dist. maj.* Possunt non evenire absolute et antecedenter ad eorum prævisionem, *conc.* hypothetice et consequenter ad eorum prævisionem, *neg.* Fuissent enim et non fuissent prævisa, quod implicat. Sic *dist. min.* Quod non habet determinatam veritatem, non potest cognosci pro eo tempore, quo nondum determinatum est, *trans.* pro eo tempore, quo determinatum est, *neg.* Nulla autem determinata veritas pro eo tempore, quo determinata est, divinum intellectum fugere po-

test, qui totam complectitur æternitatem, proindeque et omne tempus [1]).

392. VI. *Obj.* Posita præscientia Dei, actum est de humana libertate; nam quod Deus præscivit, id omnino eventurum est, cum falli non possit ipsius præscientia; ergo.

393. ***Resp. Neg. antec.*** Ad prob. *dist.* Quod Deus præscivit, id omnino eventurum est vel necessario vel libere pro natura rei prævisæ, *conc.* secus, *neg.* Præscientia enim Dei attingit res, ut sunt in sua natura. Res autem, quæ a libera voluntate pendent, natura sua sunt contingentes; eas igitur ut contingentes attingit divina scientia. Apposite S. Augustinus ***De libero arbitrio***, lib. III, cap. IV: ***Sicut tu*** inquit, ***memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt;*** animadvertit præterea idem S. doctor ***præteriti, præsentis et futuri*** differentias penes creaturas esse, non penes Deum, cui totum præsens est in actu: ***Apud quem*** (Deum) inquit ***De Trinitate*** lib. V, cap. 16, ***nec præterita transierunt, et futura jam facta sunt;*** igitur concludit, ***In Genes. ad lit.*** lib. V, cap. 18: ***Antequam res fierent, et erant et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura*** [2]). At erant in Dei scientia, ut futura erant in sua natura; humana autem nostra futura erant in sua natura libera; ea igitur ut libera prænovit, nec prescientia sua Deus necessitatem iis intulit, perinde ac si nunquam ab eo prævisa fuissent.

394. Atque huc refertur vulgata apud patres doctrina, quod non ideo res futuræ sunt; quia Deus eas præscivit, quasi ipsius præscientia sit ratio et causa liberorum futurorum, sed ideo Deus præscivit, quia futuræ sunt; ergo Dei præscientia ex doctrina patrum res libere futuras supponit, non facit. Ita auctor ***Quæstion. ad orthodoxos*** inter opera Justini, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Joan. Chrysostomus, Joan. Damascenus, Hieronymus, Augustinus apud Tournely, ***de Deo***, q. 18, art. 4, concl unica, quibus addi potest S. Anselmus, qui in lib. ***Concordiæ præscientiæ Dei cum libertate: Non enim***, inquit, ***nisi quod futurum est præscitur, quia scientia non est nisi***

1) Cons. Bellarm. *De gratia et libero arbitrio*, lib. IV, cap. 15, §. 19 et seqq. ubi fatetur difficile esse determinare rationem, qua Deus futura prænoscat, imo et in hac vita fortasse incomprehensibile; et adducta auctoritate ex S. Augustino, *Confession.* lib. XI, cap. 18, probabile censet Deum futuras actiones liberas non videre, nisi in humana voluntate: „Id enim significat, *inquit*, in primis scriptura, cum dicit Deum scrutari renes et corda, Deum investigare omnes semitas nostras. Nam si videret eas in sua voluntate determinante omnia, non diceretur scrutari corda nostra, et investigare semitas, sed intueri voluntatem suam."

2) Ex quibus verbis patet non aliam S. doctorem rerum præsentiam in æternitate agnovisse præter eam, quam scholastici vocant *objectivam* non autem eam, quam dicunt *realem et formalem*, et apertissime, id docet S. Augustinus toto hoc capite, et alibi passim.

veritatis. Quare cum dico: quia si præscivit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam: si erit, ex necessitate erit; atque postea, exponens cujusmodi sit ista necessitas, subdit: *Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse*, nempe intelligit necessitatem *consequentem*. Quamobrem juxta hanc doctrinam sic pariter ad propositum argumentum responderi potest: Quod prævisum est non potest non esse: *Dist. necessitate consequenti*, nempe ad prævisionem, seu præscientiam, *conc. necessitate antecedenti*, scilicet ad præscientiam aut prævisionem, *neg.*

395. *Dices primo*: Interdum patres docent res ideo futuras esse, quia præsciuntur a Deo, non autem ideo præsciri, quia futuræ sunt, ut S. Augustinus et S. Gregorius M. locis in propositione secunda allatis: ergo.

396. *Resp. Dist. antec.* In iis, quæ a Deo tanquam causa immediata pendent, quatenus Deus, ut iidem patres loquuntur, nihil ignorans fecit, *conc.* in iis, quæ a voluntate libera tanquam causa proxima et immediata afficiuntur, *neg.* Itaque citati patres in adductis locis loquuntur de iis, quæ a Deo produci debent, cui res producenti scientia necessario prælucere debet, cum ipsius sit ordinare res ac disponere, et divinam voluntatem et efficientiam quodammodo gubernare, ut inquit Petavius [1]), quemadmodum architectandi usum et operis institutionem ars illa, quæ est in artificis mente, moderatur ac dirigit, quæ a scholasticis vocatur scientia *simplicis intelligentiæ*, quatenus res absolute, ac prout in se sunt, neque ut certo exstantes tempore cognoscit, ut discernatur ab illa scientia, quæ nostro concipiendi modo posterior est, ac res easdem jam voluntate divina designatas et constitutas, et in aliqua temporis parte producendas, quasi existentes ac præsentes intuetur, quæque *scientia visionis* ab iisdem scholasticis appellari consuevit. Quare cum patres affirmant res ideo futuras esse, quia Deus eas præscivit, intelligendi sunt de scientia *simplicis intelligentiæ*; cum vero docent ideo Deum res futuras præscire, quia futuræ sunt, intelligi debent de *scientia visionis*; quo postremo sensu S. Augustinus, tum alibi passim, tum præsertim tractatu LIII. in Joan. sic loquitur: *Si non malum, sed bonum facere voluissent* (judæi), *non prohiberentur, et hoc facturi prævidērentur ab eo, qui novit quid sit quisque facturus;* sic alibi, ut vidimus, utitur S. doctor comparatione memoriæ et præscientiæ humanæ ad exponendam præscientiam divinam, quæ nullam inferat necessitatem rebus præcognitis, prout nec memoria nec præscientia nostra sunt causa eorum, quæ remi-

1) Lib. IV, cap. 7, num. 10 et seq., ubi Boëtii dictum explanat.

niscimur vel prævidemus, ac multo minus iis inferunt necessitatem [1]).

397. II. *Dices* 1° Ergo libera nostra futura sunt causa scientiæ divinæ, 2° ac datur in Deo scientia contingens qua scilicet carere posset.

398. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Improprie, quatenus futuræ res ipsa sua cognoscibilitate tanquam objecto definiunt ac determinant notitiam Dei, *conc.* proprie quasi reipsa essent causa scientiæ divinæ, atque, ut ajunt, subjective, *neg.* Eatenus igitur futura libera dici possunt causa scientiæ divinæ, nempe *visionis*, quatenus Deus aliter prævidere non potest, nisi prout sunt futura, cognitio enim ut vera sit, debet esse consentanea ipsis rebus cognitis, quoniam, ut ait S. Augustinus, *si non contigisset* id quod contigit, *nullo modo id* Deus *præscisset futurum, quia non erat futurum.* Unde necesse est logice seu ratione, ut ajunt, prius rem cogitari futuram, quam futura prævideatur [2]).

399. *Ad* 2m, *Dist.* Contingentia objectiva seu ex parte rei prævisæ, *conc.* subjectiva seu ex parte Dei ipsius, *neg.* Distinctio patet ex dictis; ex eo enim quod objectum aliquod adesse possit vel abesse a lumine, quod illud irradiat, non sequitur lumen ipsum per se non irradiare objecta, quæ illud circumstant.

400. VII. *Obj.* Illud prænosci a Deo non potest, quod nullo modo determinatum est, neque in se, neque in suis causis; atqui talia sunt libera futura, quæ neque sunt determinata in se, cum nondum existant, neque in suis causis, quæ indifferentes sunt ad quodlibet; ergo.

401. *Resp. Dist. maj.* Quod nullo modo determinatum est, neque antecedenter neque consequenter, a Deo prænosci non potest, *conc.* quod saltem consequenter determinatum est, *neg.* In hypothesi scilicet quod res futuræ sint, eo ipso quod futuræ sint, Deus eas videre debet, consequenter nempe ad liberam determinationem, quia omnia, quæ in tempore fiunt, Deo præsentia sunt in æternitate, ut dictum est; cum igitur verum sit

1) Concinunt S. Augustino reliqui patres, apud Petavium, lib. IV, cap. 7, quorum sententia est, nullam idcirco vim rebus inferre Dei præscientiam, quod futura tanquam præsentia contempletur; idem hominis exemplo declarant, qui alterum ex alto prospicit in lubrico labentem, cujus quidem lapsus causa in eo non est, quod gradientem illum intuetur, *Non enim*, inter cæteros scribit S. Hieronymus in cap. XXVI Jerem., *ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum.* Hinc pariter receptum est ut passim, non præscientia, sed absolute scientia dicatur, prout superius notavimus.

2) „Neque enim (verba sunt S. Augustini) ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit; imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit." *De civitate Dei*, lib. V, cap. 10; et alibi passim.

hominem se determinaturum ad talem vel talem actionem, hoc ipso divinæ notitiæ subest. Quare licet objecta propositionum seu enunciationum de futuris contingentibus in causis suis non sint determinata, utpote nondum existentia et a causa libera dependentia, ac possint esse vel non esse, prout tamen ad Deum referuntur, necesse est illa esse, seu in Dei scientia vera sunt, siquidem sunt futura. Hæc autem placet confirmare auctoritate S. Augustini, qui in lib. XXVI *contra Faustum manich.* cap. V, tum de præteritis tum de futuris eorumque veritate, sic scribit: ***Non ergo est, quod vere dicimus fuisse; sed ideo verum est illud fuisse, quod in nostra sententia verum est, non in ea re, quæ jam non est. Sententia quippe, qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quod si quæras, ubi sit hæc vera sententia, prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus, et dicitur. Sed si et de animo nostro ablata fuerit, cum id, quod scimus obliti fuerimus, manet in ipsa veritate. Semper enim verum erit jam fuisse, quod, ubi verum erat, antequam fieret, futurum esse, quod non erat*** [1]).

PROPOSITIO IV.

Deus certo et infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata.

402. Ad pleniorem propositionis perspicuitatem juvat præmonere 1° ea dici conditionata futura, quæ licet reipsa futura non sint, futura tamen essent, si aliqua poneretur conditio, a qua pendent; hæc autem medium veluti locum tenent inter mere possibilia et absolute futura. Talis erat conversio tyriorum et sidoniorum, si Christus talia apud eos patravisset portenta, qualia apud corozaïtas patravit ac bethzaïditas. Hæc enim conversio non erat mere possibilis, nec absolute futura, cum conditio, ex qua illa

1) Cfr. S. Th. p. I, q. 14, art. 13 ad 2, ubi rejectis aliis responsionibus concludit: „Et ideo dicendum est quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Ut puta, si dicam si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam, si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens est intelligendum prout subest divinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate. Et sic necessarium est sicut et antecedens; quia omne quod est, dum est, necesse est esse; seu necessitate consequenti et hypothetica seu, ut dicitur, suppositionis, quia implicat aliquid fuisse prævisum ut certo futurum et futurum non esse, etsi in se futurum sit contingenter et libere. Quum vero, ut expositum est, logice seu ratione aliquid prius concipiatur esse quam videri hinc ex unoquoque, hoc sensu, pendet ut actionem suam Deus ab æterno viderit ut bonam vel ut malam.

conversio pendebat, non esset implenda; ergo futura erat sub conditione.

403. 2° Licet ab aliquibus theologis olim negata fuerit hæc præscientia divina futurorum conditionatorum, hodie vix ullam de ea controversiam esse. Catholici enim theologi, inquit doctissimus card. Gotti, ordinis prædicatorum, uno vel altero excepto qui vult præfata conditionata solum conjecturaliter a Deo cognosci, asserunt ea a Deo certo et infallibiliter cognosci [1]. Et sane vix salva fide negari id posse videtur. Tota itaque controversia, quæ catholicas aliquando scholas divisit, versatur seu, ut verius dicam, versabatur circa modum eam exponendi, et circa medium in quo Deus ista futura conditionata videt.

404. 3° Hanc scientiam in Deo propugnamus ut omnino certam atque infallibilem adversus eos, qui nonnisi conjecturalem ejusmodi futurorum conditionatorum notitiam in Deo esse affirmare ausi sunt.

405. His positis cum laudato Gotti enunciatam propositionem ita probamus. I° In scripturis Deus plura revelavit sub conditione futura, quæ tamen facta non sunt, quia illa defuit conditio; ergo Deus ea certo cognovit. Nisi enim certo cognovisset talia sub conditione futura, ejus infinita veritas in cognoscendo et veracitas in prænunciando detrimentum passæ fuissent.

406. Jam vero antecedens, omissis innumeris aliis scripturæ locis evincitur 1° ex I Reg. XXIII, 11 et seqq., ubi David consuluit Dominum, an, si mansisset Ceilæ, Saul ad eam expugnandam descensurus esset? Et respondit Dominus: ***Descendet.*** Interrogavit iterum num descendente Saule viri ceilitæ tradituri ne eum essent in manus Saulis, respondit que Dominus: ***Tradent.*** Ibi non agitur de re mere possibili, nec de absolute futura; sed tantum de eo quod evenisset posita conditione [2].

1) Tom III, in p. I, q. 6, dub. I, §. 1, n. 5, et rursum ibid. dub. III, §. 2, loquens de hac conditionatorum scientia dicit; „De hac non controvertimus, sed omnes (thomistæ) concorditer statuimus, eam dari in Deo, et quidem certam, non pure conjecturalem."

2) Non defuit, qui observaret in paraphrasi chaldaica sic David interrogare Dominum: „Cogitant me tradere viri ceilitæ? Respondit autem Dominus: cogitant tradere. Cogitat descendere Saul? Et dixit: cogitat descendere." Et glossam ordinariam dicere: *in voluntate habent ut tradant.* Ita quidem observat hic auctor ad tollendum hoc testimonium de liberorum conditionate futurorum præscientia in Deo. Esto; sed debuisset pariter observare hebraicam veritatem habere futurum הֲיַסְגִּרֻנִי בַעֲלֵי קְעִילָה אֹתִי „Numquid tradent domini Ceilæ me? Et dixit Dominus יַסְגִּירוּ tradent; *sic versionem* LXX: *Εἰ ἀποκλεισθήσεται;* Numquid concludetur? *καὶ νῦν εἰ καταβήσεται Σαουλ;* et nunc numquid descendet Saul? et dixit Dominus: *καταβήσεται*, descendet; *tum versionem syriacum:*

ܡܫܠܡܝܢ ܠܝ ܡܪ̈ܘܗܝ ܕܩܥܝܠܐ. ܘܐܡܪ ܡܪܝܐ. ܡܫܠܡܝܢ ܠܟ.

„Proditurine sunt me cives urbis?" Dixit Dominus: prodituri sunt te;" et *arabicam;* ويدفعونى واصحابى اهل

2° Id ipsum patet ex III Reg. XI, 2, ubi repetit Deus præceptum, quod jam dederat Exodi XXXIV, 16 de non jungendis connubiis cum alienigenis, quia *certissime avertant corda vestra, ut sequamini deos earum;* quæ quidem prædictio veritatem sortita est in Salomone aliisque, in quibus adimpleta fuit conditio, non autem respectu eorum, qui libere hanc conditionem non posuerunt, seu in quibus verificata non fuit conditio. 3° Id pariter constat ex lib. Sap. IV, 11, ubi de justo immature ex hac vita prærepto dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Certe igitur noverat Deus justum illum fore in malum mutandum ac illecebris irretiendum, si diutius vixisset; alioquin inconsulto præmatura morte ipsum e vivis rapuisset. 4° Denique ostenditur ex celebri illo Christi dicto (Matth. XI, 21; Luc X, 13) quo exprobrans corozaïtis et bethzaïditis cordis duritiem: *Væ tibi*, inquit, *Corozain, væ tibi Bethzaida, quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Quibus verbis Christus tyriorum et sidoniorum pœnitentiam prædicit, si quidem apud illos prædicasset, ac signa fecisset, qualia in Galilea fecit; illam ergo Christus sub tali conditione, quæ tamen adimpleta non est, futuram cognovit; alioquin neque tam acriter corozaïtas atque bethzaïditas objurgasset, nec tam certo et asseveranter tyriorum et sidoniorum pœnitentiam præ illis futuram affirmasset; ergo.

407. II° Patres tum græci tum latini unanimes in hac Dei cognitione adstruenda sunt, indidem enim argumenta deprompserunt sive ad vindicandam divinam providentiam in infortuniis, quibus passim premuntur justi; sive ad parentes solandos de immatura filiorum morte, aliaque id genus multa, ut videre est apud Petavium [1]). Nos brevitatis gratia non nisi unum vel alterum testimonium promemus ex S. Augustino ac S. Prospero ad rem conficiendam. Primus igitur, *De correptione et gratia* cap. VIII, non solum eam adstruit, sed præterea nonnisi insanissime negari eam posse affirmat; sic enim loquitur: ***Respondeant**, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de hujus vitæ periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime et insanissime dicitur?* et alibi sæpe. Alter vero ***Resp.*** VIII *ad excerpta Genuensium*, ait: *De tyriis vero et sidoniis quid aliud possu-*

آلقريةالى شاوول * قال الرب * نعم هم يدفعوه * „Tradentne me et socios meos cives urbis Sauli? Dixit Dominus: ita, ipsi te traditури sunt.

1) Lib. IV, c. 8, n. 19.

mus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent. Si itaque sub conditione fuisse credituros veritas dixit, et verissime dixit, sentit igitur S. Prosper Deum certo præscivisse eos sub talibus signis credituros. Atque ut pateat hos patres non obiter tantum ea dixisse, observandum est eos tali Dei præscientia uti tanquam argumento validissimo ad adstruendam adversus pelagianos ac semipelagianos gratuitam gratiæ naturam ac distributionem.

408. III° Demum ejusmodi Deo inesse scientiam infallibilem futurorum sub conditione, ratio ipsa suadet. Hæc enim scientia summa perfectio est, quam melius est habere, ut scholæ loquuntur; ergo Deo necessario inesse debet, cum nulla simplici perfectione carere possit. Adeo vero insitum est christianorum omnium mentibus Deum ejusmodi conditionata prænoscere, ut in vulgari quotidie sermone sit positum: Deus ita fecit, quia prævidit id in bonum cessurum huic, cui talia permisit, seu de quo ita disposuit, et hinc uberem capiunt consolationem, quare tot dici possunt hujus scientiæ divinæ testes quot christiani, imo pene dixerim, quot homines sunt, qui Deum esse non negant.

DIFFICULTATES.

409. I. *Obj.* 1° Quæ in scriptura sub conditione prænunciata dicuntur nonnisi improprie seu metaphorice sunt intelligenda, cum conditio præseferat suspensionem atque hæsitationem, quæ in Deo admitti non potest. 2° Quod si quis contendat proprie illa esse admittenda, nihil vetat quominus de scientia conjecturali ea accipiamus, prout innuunt particulæ *forte*, *forsitan*, etc. quibus ejusmodi futura prænunciantur; ut cum de Adam (Gen. III, 22) Deus ait: *Ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitæ;* et Christus (Matth. XI, 23) ait: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem;* quo pariter referri possunt, quæ Exodi IV, 8 et seq. leguntur: *Si non crediderint tibi*, inquit Deus Mosi, *neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis, quod si nec duobus quidem his signis crediderint . . . sume aquam fluminis*, etc. Quæ quidem apertissime ostendunt Deum certa scientia nescivisse, utrum hebræi credituri essent nec ne primo aut secundo aut tertio signo; ergo.

410. ***Resp. Ad*** 1^m^, ***Neg.*** Ad prob. *dist.* Conditio præsefert suspensionem ex parte objecti, *conc.* ex parte divinæ scientiæ, quæ unico intuitu omnia attingit, *neg.* Responsio patet ex dictis in superiori propositione.

411. *Ad* 2m, *Neg.* Si quid enim evincerent particulæ dubitativæ *forte, forsitan;* etc. deberet pariter negari cum socinianis, qui eadem opponunt, scientia certa futurorum liberorum, humano proinde loquendi usui in his, aliisque similibus Deus se se accommodasse dicendum est, ut superius vidimus, cum adversus socinianos disputaremus. Humana sane loquendi ratione Deum usum esse elucet ex ipso Exodi cap. IV, nobis objecto, ubi versu 2 Deus Mosen interrogat: *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: virga.* Quis porro sanus ac prudens dicat Deum nescivisse, quid Moses manu teneret? Sane S. Th. 2, 2, q. 171, art. 6, ad 2. hæc aliaque ejusmodi testimonia explicat de revelatione secundum esse, quod res habent in causis suis, non autem secundum scientiam, quam Deus de iis habet [1]).

412. II. *Obj.* Ejusmodi præscientia rerum sub conditione futurarum prorsus rejicitur a SS. Augustino, Fulgentio et Prospero disceptantibus adversus pelagianos ac semipelagianos. Etenim S. Augustinus, *De anima* lib. I, cap. XII: *Ipsa*, inquit, *exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et, lib. *De prædestinatione sanctorum*, cap. XIV, exponens illud: *Raptus est*, etc.; *Dictum est*, inquit, *secundum pericula hujus vitæ; non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quo sensu S. Fulgentius, *De vera prædestinatione*, lib. I, cap. VII: *Absurde dicitur*, scribit, *Deum præscisse parvuli futura peccata, quæ futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda præscisset, quæ facienda non essent.* Denique S. Prosper in epist. *ad August.* n. 5, loquens de semipelagianis, ait: *In tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura, quæ non sint futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sint et præscita non acta sint;* ergo.

413. *Resp. Dist. antec.* Rejicitur ut norma gratiæ et prædestinationis aut reprobationis, ut contendebant pelagiani ac semipelagiani, *conc.* rejicitur in se, *neg.* Hi enim ad dandam rationem,

1) En ejus verba: „Divina præscientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in se ipsis, in quantum scilicet ipsa præsentialiter intuetur, et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad unum, tamen, prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica."

cur ex infantibus potissimum alii raperentur ante baptismum, alii ad baptismum pervenirent et eo accepto morerentur, confugiebant ad prævisa futura naturalia illorum merita, si diutius vixissent. Si autem sermo esset de adultis, quorum alii vocati erant, alii vero non, reponebant pariter ita Deum se se gessisse erga illos, quos non vocavit, ex prævisa eorum infidelitate ac demeritis; imo adeo progressi sunt, ut affirmarent Deum ex ejusmodi prævisione meritorum aut demeritorum decrevisse vel præmia vel pœnas. Quæ quidem omnia, utpote falsa et absurda, laudati patres rejiciebant, atque tanquam commentitiam traducebant normam hujus discretionis desumptam ex divina præscientia illorum sive meritorum sive demeritorum, quæ nunquam futura essent, quæque proinde nec a Deo prævideri poterant, cum non implenda esset conditio, ac multo minus ex iis Deus decernere præmia vel pœnas potuisset. Præscindendo autem ab ejusmodi abusu, scientiam sub conditione futurorum in se spectatam et agnovisse citatos patres et admisisse evidenter patet ex perpetuo usu, quem ipsi faciunt hujus præscientiæ ad constabiliendam gratuitam gratiæ et vocationis divinam largitionem adversus eosdem hæreticos, ut superius notavimus: atque hac ratione componi facile possunt, quæ hi patres, in specie contraria, dicere de hac præscientia visi sunt.

414. *Inst.* Saltem S. Thomas huic præscientiæ contrarius est. Docet enim 1° rem contingentem non posse certo cognosci, nisi prout est actu in seipsa, et *sic consideratur*, inquit, *ut præsens.* Porro 2° futurum sub conditione non est actu in seipso, cum pendeat a conditione, nequit igitur a Deo cognosci. Docet præterea S. Thomas futurum contingens videri a Deo, quia est divinæ æternitati præsens; atqui futurum sub conditione non est æternitati præsens; ergo.

415. ***Resp.*** ***Neg.*** ***antec.*** ***Ad*** 1^m^, ***Dist.*** ***major.*** Res contingens non potest cognosci nisi prout est actu in se ipsa sive absolute sive conditionate, *conc.* absolute tantum, *neg.* Sic *dist. min.* Res contingens sub conditione futura non est actu in se ipsa absolute, *conc.* sub conditione, *neg.* Existeret enim, si poneretur conditio ac proinde a Deo cognosci debet, quem nihil veri latet.

416. ***Ad*** 2^m^, ***Dist.*** Futurum sub conditione non est divinæ æternitati præsens ut absolute futurum, *conc.* ut futurum sub conditione, *neg.* Divinæ enim æternitati aliquid subest prout est, nempe sive absolute sive sub conditione.

417. III. ***Obj.*** 1° Scientia futurorum sub conditione nullam habet veritatem objectivam, futura enim istiusmodi pendent a conditione, quæ non erit. Imo 2° nec habent ullam determinatam veritatem vel falsitatem; nam veritas futurorum sub conditione consistit in illatione quæ a conditione pendet, quæque nullum habet necessarium ac infallibilem nexum cum eventu; supposita siquidem quæcumque conditione potest semper actio

libera poni vel non poni; ergo vel non datur in Deo talis scientia, vel si datur conjecturalis est, eo magis quod Deus non possit dignoscere futura, nisi in suis decretis, quæ in futuris conditionatis nulla sunt; ergo.

418. ***Resp. Ad*** 1° ***Dist.*** in se, *trans.* prout subsunt scientiæ Dei, *neg.* Non enim vera sunt, prout sunt futura contingentia libera, quæ ut diximus cum Petavio, eo ipso quod natura sua possint esse et non esse, non possunt dici nec vera nec falsa; at, prout referuntur ad Dei scientiam, vera sunt. Id ipsum dic de conditionatis [1]), quæ posita conditione certo essent, si Deus ea certo fore prænovit.

419. *Ad* 2^m^, eadem esto distinctio, eadem enim est ratio. Hinc *neg. cons.* Ad confirmat. autem: *eo magis*, etc. *dist.* Quæ subsunt *scientiæ visionis*, *trans.* quæ subsunt *scientiæ simplicis intelligentiæ*, cujusmodi ex Petavio sunt futura sub conditione, *neg.* Dei enim decreta respiciunt ea solum, quæ Deus immediate vel per causas necessarias facere statuit ex iis, quæ ipsi per scientiam, ut dicitur, simplicis intelligentiæ objiciuntur, velut ars, quæ mentem artificis dirigit, ut ea amplectatur vel rejiciat, prout ad opus, quod intendit moliri conferunt vel obsunt, juxta præstitutum sibi finem, ut supra animadversum est [2]).

ARTICULUS III.

De medio scientiæ divinæ.

420. Medium scientiæ vocant philosophi ac theologi causam cognitionis; seu illud quod prius cognitum ducit in alterius cognitionem; inde prodierunt voces cognitionis *immediatæ* vel *mediatæ.* Ita speculum est medium; per quod imaginem nostram conspicimus, et in philosophicis prima principia seu axiomata sunt media, quibus devenitur in conclusionis notitiam.

421. Deus autem ex dictis videt se et alia a se distincta. Ea autem quæ extra Deum sunt, vel possibilia dicuntur, vel existentia cum suis differentiis præteriti, præsentis aut futuri; hæc rursum vel sunt necessaria vel libera, denique futura talia sunt vel absolute vel sub aliqua conditione tantum.

1) Cfr. Petav. lib. IV. cap. 7, §. 11.

2) Hæ sunt præcipuæ difficultates quas urget Typhanius, anonymus passim nuncupatus; ad reliquas autem quod attinet minoris momenti desumptas ex imperfectionibus, quas juxta ipsum includit ejusmodi scientia, tum ex eo quod particula *si* nota sit compositionis, conditionis nempe cum conditionato, tum etiam ex eo quod discursum, ut ipse loquitur, involvat, tum etiam quod dicat suspensionem, hæsitationem, otiositatem etc. non vacat eas diutius expendere, quia hæc in nobis quidem locum habere possunt, non autem in Deo; nam, ut loquitur S. Thomas, p. I, q. 14 art. 14, ad 3, „esset scientia Dei variabilis, si enunciabilia cognosceret per modum enunciabilium componendo et dividendo, sicut accidit in intellectu nostro;" quod in Deo esse non potest. Cons. Card. Gotti, loc. cit.

422. Itaque circa rationem, qua Deus diversa hæc intuetur, alia penes omnes aut fere omnes certa sunt atque explorata, alia vero magnam dissensionum segetem ac disputationum præbuerunt, ita ut ingentia hinc inde volumina prodierint. Nos igitur principiis nostris insistentes de nulla miscenda domestica concertatione, qua fieri poterit brevitate incerta ab incertis secernemus; deinde ne theologiæ candidati hospites omnino sint in his controversiis quæ olim catholicas scholas agitabant, historica ratione diversas opiniones exponemus, liberum unicuique permittentes arbitrium eam sectandi, quæ magis arriserit, eamque adhibendi contra incredulos aut heterodoxos, prout nos quoque præstitimus, et præstabimus, etiam deinceps, quæ ad eorum difficultates disjiciendas expeditior et opportunior visa fuerit, præsertim quum validius quisque iis armis pugnet, quibus assuevit.

423. 1° Igitur illud certum apud omnes est, Deum absque ullo medio seipsum cognoscere seu essentiam suam; cum in Deo, utpote ente a se, nihil prius essentia sua sit vel concipi possit, quod habeatur veluti causa vel medium cognitionis essentiæ divinæ.

424. 2° Illud pariter pro certo habetur, Deum juxta nostrum cogitandi modum in essentia sua veluti in medio sua attributa cognoscere, quia essentia divina a nobis concipitur tanquam radix, a qua ejus attributa dimanant.

425. 3° Certum est Deum alia a se in seipso tanquam in objecto, ratione prius cognito, cognoscere, tum nempe quæ possibilia tantum sunt, tum existentia pro ea temporis ac status differentia pro qua existunt, scilicet ut futura pro eo tempore, quo nondum sunt, ut præterita, pro eo tempore, quo amplius non sunt; et hoc quidem de illorum existentium classe, quæ vel immediate producuntur a Deo vel a causis secundis necessario seu naturaliter agentibus. Hæc autem a Deo in se ipso, seu in propria essentia, tanquam in medio ratione prius cognito, sub triplici respectu cognosci possunt, ac 1° quidem ut rerum omnium sive possibilium sive existentium causa productiva; 2° ut illarum causa exemplari, seu idea objectiva omnium quæ sunt vel esse possunt; 3° ut in se continente secundum modum quemdam excellentem omnes et singulas perfectiones omnium creaturarum. Vid. S. Thomas, *contra gentes*, lib. I, cap. XLIX, nec non p. I, q. 14, art. 3 et 6.

426. Et hæc quidem certa ac rata penes omnes aut fere omnes sunt. Sed illico oritur controversia, num Deus possibilia in se præcise videat tanquam in causa aut tanquam in speculo ea omnia repræsentante, prout expositum est circa diversas rationes, quibus Deus ea, quæ sunt a se distincta, videre potest. Thomistæ contendunt omnia possibilia Deum cognoscere in se ut in causa; Vasquez cum aliis arbitratur Deum ea videre in Verbo ut in

speculo. Quoad existentia vero cum suis respectivis differentiis [1]), rursum thomistæ censent ea a Deo videri in essentia sua ut eorum causa effectrice et in decretis; alii veluti in causa exemplari et supereminenti, plures vero contendunt Deum ista cognoscere, non solum in se ipso tanquam in medio ratione prius cognito, sed *etiam* in se ipsis immediate seu absque medio, non quasi res sic cognitæ sint causæ cognitionis divinæ, sed terminus et objectum ipsius cognitionis. Verum de his hactenus satis.

427. Majoris momenti sunt controversiæ, quæ versantur circa contingentia, sive absolute sive sub conditione futura, ob connexionem, quam istæ habent cum controversiis de efficacia gratiæ.

428. Ut ea, qua par est claritate quæstiones istæ exponantur, debemus distinguere duplicem ordinem istorum futurorum contingentium, ac duplicem hominis statum. Nempe 1° libere futura alia sunt ordinis naturalis, alia vero ordinis supernaturalis seu gratiæ. Rursum alia sunt bona ac meritoria, alia vero mala, ut peccata. 2° Homo vel considerari potest in statu innocentiæ ante peccatum vel in statu naturæ lapsæ post peccatum, per quod a primævo illo innocentiæ ac felicitatis statu decidit.

429. Itaque thomistæ, qui gratiam a se efficacem admittunt, contendunt Deum omnia futura contingentia sive ordinis naturalis sive supernaturalis cognoscere in suis decretis physice prædeterminantibus, tum pro statu naturæ innocentis, tum pro statu naturæ lapsæ, cum Deus sit prima causa, causa universalissima, primum movens et agens, et supremus dominus;

1) Cons. Petav. lib. IV, cap. II, num. 10 et seqq. ubi ostendit patres in ea esse sententia, ut omnium rerum efficiendarum rationes et exemplaria in Deo a tota æternitate fuerint; adeo ut jam illa quodammodo in sua æternitate condiderit. „Quidquid enim, *inquit S. Augustinus*, facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat; nec esset in rebus, nisi esset in Verbo; quomodo et in te non esset in fabrica, nisi esset in consilio. Sicut in Evangelio dicitur: quod factum est in ipso vita erat. Erat ergo quod factum est; sed in Verbo erat; et omnia opera Dei ibi erant, et opera nondum erant" (*Enarr.* in Ps. XLV, n. 5). Clarius adhuc alibi idem S. doctor id ipsum docet: „Faber, *inquit*, facit arcam. Primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit ... attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non vita, arca in arte vita est; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic ergo, fratres charissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra; cœlum vides, est in arte cœlum; solem et lunam vides, sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt" (Tract. I, *in Joan.* n. 17). Ex quibus discimus omnium rerum exemplaria in Deo esse, ac Deum in se res omnes velut in exemplari conspicere, non solum quæ sunt, sed etiam quæ esse possent, quibus si accedat decretum eas condendi, videt, nostro concipiendi modo, et in se tanquam causa exemplari, et insuper in se tanquam in causa formali per subsequens decretum, quod a scientia distingui debet.

creatura autem dependeat a Deo sicut causa secunda a causa prima, non solum ut sit, verum etiam ut agat et operetur; quo fit, ut in nullum actum erumpere possit, nisi Deus ejus voluntatem præmoveat et physice prædeterminet ad agendum. Quoad peccata vero, plerique ex ipsis contendunt Deum ea videre in decreto permissivo quoad malitiam, in decreto vero præmovente ac physice prædeterminante quoad entitatem, seu actum materialem et physicum.

430. Jansenii discipuli et augustiniani conveniunt cum thomistis pro statu naturæ lapsæ, non autem pro statu naturæ innocentis quoad actus supernaturalis ordinis; quia juxta S. Augustinum homo in statu naturæ integræ non indigebat ad actus supernaturales nisi *adjutorio sine quo*, in statu naturæ infirmæ jam indiget *adjutorio quo* seu eo auxilio quo voluntas determinetur ad operandum, per delectationem cœlestem relative et *necessario* victricem juxta jansenianos, et per delectationem relative ac *moraliter* victricem juxta augustinianos [1]. Hinc est quod utrique perfecte conveniant cum molinistis et congruistis pro statu naturæ innocentis, sive quoad naturam gratiæ, sive quoad scientiam mediam seu directricem, utramque vero tanquam summopere Deo injuriosam rejiciant pro statu naturæ lapsæ.

431. Cæteri omnes theologi, qui non admittunt gratiam a se efficacem, et rejiciunt decreta absoluta præmoventia et physice prædeterminantia, utpote quæ sibi videantur humanæ libertati contraria, contendunt Deum videre actiones libere futuras ordinis naturalis in essentia sua, tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita, seu tanquam in speculo, eodem modo ac videt omnia possibilia; quia ea videt in se seu in essentia sua velut perfectissima similitudine omnium intelligibilium secundum esse proprium quod habent, sive possibile tantum, sive etiam actuale et exercitum pro quacumque temporis differentia, nec non ea, quæ creaturæ sive necessario sive libere acturæ essent in quacumque hypothesi possibili. Nisi enim hoc modo, inquiunt, Deus creaturas cognosceret, nec perfecte nec comprehensive eas cognosceret, quia juxta S. Thomam p. 1, q. 12, art. 7: *Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile*, atque, ut addit ibid. q. 14, art. 5: *Si perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus cognoscatur; virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit.* Sed non cognosceret perfecte virtutem creaturæ rationalis, nisi cognosceret ea omnia, quæ potest hæc agere, et quæ libere actura est pro

1) De his ex professo loquemur in tractatu de gratia.

quacumque temporis differentia, et in quacumque hypothesi constituta actura esset: hinc concludunt Deum contingentia libere futura in se seu essentia sua modo exposito cognoscere.

432. Sic quoad actus supernaturales illi ipsi theologi censent Deum hos videre in decretis dandi gratiam prævisam efficacem per scientiam futurorum conditionatorum. Quæ gratia, ut prævisa efficax sub tali conditione, si eam dare Deus decernat, distinguitur in istorum sententia a gratia pure sufficienti ratione doni et beneficii; cum non obstante hac prævisione posset Deus eam non dare, prout reipsa eam non dedit tyriis atque sidoniis. Peccata vero in istorum opinione Deus videt in forma opposita, id est, in bono, in quantum scilicet, bono cognito ipsius privationem, nempe malum, prænoscit, ut ipse etiam loquitur S. Thomas.

433. Tota ratio dissensionis, quæ viget inter thomistas illosque omnes qui gratiam *a se efficacem* admittunt, et alios theologos, qui gratiam hanc *a se efficacem* rejiciunt, sed solum efficacem esse contendunt ex prævisione consensus et decreto subsequenti, consistit in eo, quod thomistæ nullum discrimen agnoscant neque agnoscendum esse velint inter *scientiam visionis* et *decretum Dei*, quia juxta ipsos unum idemque sunt *scientia visionis* et *decretum*, nec præter istam scientiam aliam agnoscant, nisi illam, quæ est *mere possibilium*, et quam *simplicis intelligentiæ* dicimus. Congruistæ e contrario et augustiniani recentiores in his, quæ a causis liberis pendent, distinguendos esse actus volunt, qui efficaci Dei gratia indigent ut fiant ab aliis, qui vel a sola humana libertate prodeunt, cujusmodi sunt actus moralis honestatis, vel quos solo gratiæ sufficientis auxilio fieri posse propugnant; distinguunt præterea Dei decretum a scientia visionis [1]).

434. Hinc thomistæ docent Deum, si sermo sit de actibus moralis honestatis, hos prænoscere in decretis præmotionis, imo et prædeterminationis physicæ; si vero sermo sit de actibus ordinis supernaturalis, in decretis dandæ vel negandæ gratiæ a se efficacis, quam pariter comitatur prædeterminatio physica eamque includit. Cæteri, si sermo sit de actibus moralis honestatis, passim contendunt hos a Deo prænosci in altissima voluntatis humanæ comprehensione; si vero agatur de actibus supernaturalibus, existimant Deum hos prænoscere in decreto, quod subsequitur prævisionem Dei de iis, quæ libere voluntates acturæ essent sub tali gratia, quam Deus dare decrevit. Hi præterea bifariam distinguunt scientiam, nempe eam, quæ in simplici rei futuræ cognitione posita est, et eam, quæ subsequitur decretum. Scientiam quæ præcedit decretum illudque

1) Cf. Card. Gotti, tom. III, q. 4, dub 1 et seqq.

dirigit, veteres vocarunt *scientiam futurorum exploratricem*, Molina, vocavit *mediam*; de hac in articulo sequente.

435. Thomistæ ad suam sententiam adstruendam afferunt ex scripturis illa omnia testimonia, in quibus quidquid mali vel boni naturalis ac supernaturalis homines libere faciunt, totum *præparatum a Deo* dicitur in *decretis*, *viis*, *judiciis*, *ac providentia ejus positum*, ut id tantum factum sit, quod ipse *cogitavit*, ac *fieri voluit*, hominum voluntate sive bona sive mala sapientissime usus ad rectissimos fines consequendos. Talia sunt inter cætera act. VI, 27: *Convenerunt vere ... adversus sanctum puerum tuum Jesum*, *quem unxisti*, *Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israël*, *facere quæ manus tua et concilium tuum decreverunt fieri;* Ephes. II, 10, ubi *creati* dicimur, *in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus*, *ut in illis ambulemus.* Ex patribus laudant S. Augustinum et S. Greg. M., qui docent, ut superius vidimus, non ideo Deum res futuras prævidere, quia futuræ, sed ideo res futuras esse, quia Deus prævidit.

436. Congruistæ e contrario, augustiniani, etc. ex scriptura ea proferunt loca, in quibus opera nostra *cognita*, *investigata* dicuntur, *in viis* et *in semitis nostris prævisa*, non in decreto Dei præfinita. Sic ps. CXXXVIII, 1 et seqq. legitur: *Domine probasti me et cognovisti me*, *tu cognovisti sessionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe*, *semitam meam et funiculum meum investigasti*, *et omnes vias meas prævidisti.* His addunt futura conditionata, quorum conditio ponenda non erat; ut immutandum justum, si diutius vixisset (Sap. IV); capiendum David a Saule, si Ceilæ constitisset (I Reg. XXIII); pœnitentiam acturos tyrios et sidonios, si Christi miracula vidissent (Luc. X). In his et similibus, ajunt solam Dei præscientiam spectare licet de eo, quod in iis circumstantiis futurum erat; nam si decretum aliquod Deus fecisset, jam impletum esset. Ex patribus laudant auctorem *Quæstionum ad orthodoxos*, q. LVIII; Origenem, in cap. VIII epist. *ad Rom.;* Hieronymum in cap. XXVI Jeremiæ, qui expresse tradunt res non ideo futuras quia Deus eas præscivit, sed ideo Deum eas præscivisse, quia futuræ erant. Cum his concordat S. Augustinus in locis supra allegatis, tum etiam in libro *De prædestinatione sanctorum*, cap. X, ubi ait: *Prædestinatio* (seu decretum) *sine præscientia esse non potest*, *potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; unde dictum est*: *fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est*, *quæ ipse non facit*, *sicut quæcumque peccata.* Sic S. Joan. Damasc. *adversus manichæos: Est quidem*, inquit, *præscientia Dei vera et inviolabilis; verum ipsa nequaquam est causa*, *cur omnino fiat*, *quod futurum est; quin potius*, *quia hoc vel*

illud facturi sumus, ideo prænoscit. Sic patres reliqui, nec non Richardus, Alensis, Bonaventura, et innumeri ex veteribus scholasticis 1).

437. In tanta sententiarum diversitate nos quid dicemus? Illud ipsum quod dixit S. Augustinus, *Enarr. in ps.* XLIX n. 18, cujus hæc sunt verba: *Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus,*

ARTICULUS IV.

De divisione scientiæ Dei.

438. Scientia divina reipsa unica est ac simplicissima, utpote quæ est ipsa divina substantia hoc modo se habens. Quatenus autem, semotis imperfectionibus, multis scientiis seu cognitionibus realiter inter se distinctis æquivalet, est virtualiter multiplex. Hinc solent theologi eam per inadæquatos conceptus in plures scientias seu cognitiones extrinsece discernere.

439. Dividitur itaque ratione objecti 1° in scientiam *necessariam* et *liberam*. *Necessaria* est cognitio objecti independentis a liberis Dei decretis; tale autem objectum est Deus ipse et res omnes possibiles. *Libera* est cognitio objecti dependentis a libero Dei decreto; objectum propterea istius scientiæ sunt res omnes vel existentes vel aliquando extituræ.

440. 2° Dividitur in scientiam *speculativam* et *practicam*. *Speculativa* est, quæ versatur circa objectum, ut vocant, non operabile, cujusmodi est Deus ipse et sunt res mere possibiles. *Practica* est cognitio objecti operabilis, prout sunt res omnes conditæ seu condendæ.

441. 3° In scientiam *approbationis* et *improbationis*. Scientia *approbationis* est cognitio objecti, quod Deus approbat et quod ipsi placet; *improbationis* est scientia objecti, quod Deus reprobat quodque ipsi displicet. Objectum prioris scientiæ sunt omnia existentia ac bonæ creaturarum liberarum actiones; posterioris vero sunt peccata.

442. 4° In scientiam *simplicis intelligentiæ* et *visionis*. *Simplicis intelligentiæ* est cognitio rerum mere possibilium, quæ nec extitere nec extituræ sunt, quo fit ut scientia ista antecedat quodcumque Dei decretum; scientia *visionis* est cognitio tum

1) Cf. Tournely, *Tract. de Deo*, q. 16, art. 4.

ipsius Dei, tum rerum existentium in aliqua temporis differentia, sive actu existant, sive extiterint, sive extituræ sint; hinc scientia visionis partim necessaria est respectu sui objecti, partim contingens et libera [1]).

443. Circa has divisiones vix est inter theologos controversia; at gravis est circa postremam, utrum scilicet ea sit adæquata, an vero inadæquata. Thomistæ contendunt eam esse adæquatam, quia præter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis juxta ipsos nulla alia datur; augustiniani autem recentiores, ut Card. Norisius, Berti, Juenin aliique magno numero, cum congruistis aliisque omnibus, qui negant omnia Deum præscire in decreto suo physice prædeterminante, affirmant esse inadæquatam, quia præter eam scientiam, qua Deus videt res mere possibiles, et illam, qua videt res absolute futuras, datur media quædam scientia, qua Deus videt res sub conditione futuras, et quidem independenter ab omni suo decreto, atque eas in se videt, prout videt in se res omnes possibiles. Hinc scientia media definitur cognitio divinarum rerum sub conditione futurarum independens ab omni Dei decreto [2]); revocatur autem hæc scientia ad scientiam simplicis intelligentiæ velut species ejusdem.

444. Quum nunc, ut superius vidimus, omnes fere theologi catholici conveniant in admittenda in Deo scientia futurorum conditionatorum, tota quæstio arctatur ad medium, quo Deus hæc futura conditionata cognoscit; si enim videt in se seu essentia sua, ut cognoscit res possibiles in omni ipsarum hypothesi antecedenter ad omne ipsius decretum, jam necessario fluit dari ejusmodi scientiam mediam; quod si Deus ea non vi-

1) Atque hic obiter notetur perperam doctorem Henricum Klee, profess. ordin. theolog. Bonnæ, in sua *katholische Dogmatik*, seu *Dogmatica catholica*, Moguntiæ 1835, vol. I, irridere theologos ob distinctionem scientiæ Dei in *scientiam simplicis intelligentiæ*, *in scientiam visionis* atque in *scientiam mediam*. Etenim pag. 54 et seqq., loquens de *modo* divinæ cognitionis, ostendere pluribus nisus est, Dei cognitionem utpote perfectissimam esse simplicissimam ac *prorsus immediatam*, seu Deum cognoscere omnia *immediate*; quibus absolutis, pag. 57 ita concludit: „Ex hactenus dictis patet ἀφιλοσοφια distinctionis inter scientiam visionis, scientiam mediam et simplicis intelligentiæ, quæ restitui debet suis auctoribus ad ipsorum proprium ornatum, nomine ac sensu aliquantum mutato, scilicet *visionariæ* (visionäre), *dimidiæ scientiæ* (halbe Wissenschaft) et *intelligentiæ cujusdam simplicioris* (Wissenschaft der einfältigen Einsicht)." At doctus professor debuisset animadvertere, hanc divisionem a theologis peti non a *modo* cognitionis, sed ab *objecto* cognitionis divinæ, quæ confundi a viro theologo inter se minime possunt. Neque illud prætereundum sine animadversione est passim in Germania theologiam lingua vernacula tradi non absque ingenti linguæ latinæ jactura in clero catholico instituendo, quæ tamen ecclesiasticis viris cordi summopere esse deberet. Georgius Hermes ad hanc scribendi rationem suos inducere conatus est apposita dissertatione. Sed hujus viri conatus potius inducere recte sentientes debuisset ad contrariam viam ineundam.

2) Sic loc. cit. q. 6, dub. III, §. 2, n. 8, Card. Gotti definit scientiam mediam: „Scientiam, qua Deus ante omne suæ voluntatis decretum certo novit, quid voluntas factura esset, si decerneret eam ponere in talibus circumstantiis, vel tali rerum ordine et sub tali auxilio."

deat nisi in positivo suo decreto ac dependenter ab ipso, non datur scientia media.

445. Thomistæ contendunt Deum videre futura conditionata in decreto suo subjective absoluto, et conditionato ex parte objecti [1]). Quod ut intelligatur, notandum est duplici ratione aliquod decretum posse dici conditionatum: uno modo ex parte subjecti, ut si quis diceret: Vellem dare Petro centum nummos, si venderem domum meam; ast cum decreverim eam non vendere, ideo nolo dare Petro centum nummos. Alio modo potest aliquod decretum esse conditionatum ex parte objecti, ut si quis diceret: Vellem dare Petro centum aureos, si die crastina Petrus ad me veniret. Jam vero dari in Deo decreta objective conditionata, certum est apud theologos omnes. Tale est decretum sive voluntas salvandi omnes homines, si recte utantur mediis sibi a Deo dandis; non delendi Sodomam, si in ipsa reperti fuerint triginta viri justi; exhibendi Christo plusquam duodecim legiones angelorum, si Christus eum rogasset, etc. Hinc quæstio solum est circa decreta subjective conditionata. Thomistæ acriter pro ipsis pugnant, contendentes scientiam conditionatorum ab illis tanquam a causa futuræ existentiæ actuum liberorum, circa quam hæc scientia occupatur, pendere. Sed non minus nervose cæteri theologi ista decreta subjective conditionata rejiciunt, quod videantur humanæ libertati contraria, imo et illusoria, cum in thomistarum hipothesi etiam conditio objectiva pendeat ab ipsius Dei decreto physice prædeterminante, ut patet ex allato exemplo: vellem dare Petro centum aureos, si Petrus veniret ad me crastina die; cum autem venire ad me non possit absque curru meo, quem decrevi ei non dare (quo sensu decretum subjective absolutum concipitur), ideo decerno non dare Petro centum aureos. Reducitur proinde conditio ad hæc verba: nolo dare Petro absolute centum aureos.

446. Nostrum non est hanc litem dirimere, imo nec eam attingere constituimus, cum ætas nostra alias habeat majoris momenti quæstiones, quibus serio animum adjiciat, nec divisos nunc temporis præsertim theologos esse expediat, sed potius invicem consentientes, quo validius tot christianæ seu catholicæ fidei hostibus resistant; licet enim salva pace et charitate unaquæque schola propria placita tueri possit, attamen experientia compertum est ex diversitate sententiarum, ut plurimum, animorum etiam sinceram mutuam benevolentiam non parum, etiam nobis invitis, tepescere. Optandum utique esset, ut vel extrema ipsa lineamenta antiquæ illius disceptationis, quæ tantopere jam insonuit, penitus delerentur. Ecclesia nihil

1) Cf. Gotti, loc. cit. lib. VI, dub. II, §. 1 et seqq.

decernere statuit, utraque sententia salva fide teneri potest. Itaque cum ad aptius tuenda fidei dogmata utraque sententia excogitata sit, quilibet, ut superius jam a nobis animadversum est, adoptet illam, quæ magis conducere videtur ad fidem sartam tectamque tuendam, tum adversus protestantes, tum adversus jansenianos, quos nunc constat ex factis non fuisse, nec esse nisi deistas larvatos [1]), ac lupos sub ovina pelle latentes.

447. Qui pugnant contra scientiam mediam, affirmant eam esse novam, nec notam fuisse nisi ad summum arianis et semipelagianis, insuper repugnare sanæ rationi [2]).

448. Qui vero eam propugnant, ita disserunt: dato semel, prout thomistæ omnes in præsens dant, Deo inesse scientiam infallibilem futurorum conditionatorum, quæstio reducitur tota ad medium, in quo Deus ea cognoscit, dependenter scilicet vel independenter a decretis subjective absolutis et objective conditionatis. Hinc excutiendum restat, utrum istud talium decretorum inventum recens an antiquum sit; utrum in sacris literis et in sanctis patribus occurrat vestigium horum decretorum nec ne. Si in sacris literis vel in sanctis patribus inveniantur ejusmodi decreta, et ita constituta, ut sine illis Deo nullum aliud suppetat medium, quo futura conditionata cognoscat, fatentur scientiam mediam novam esse; si vero nulla horum decretorum mentio sive in scripturis sive in tota antiquitate occurrat, et quidem ut unici medii, quod Deo insit ad futura libera conditionata cognoscenda, tunc e contra patroni scientiæ mediæ novitatis notam inurunt adstipulatoribus decretorum.

449. Jam vero, pergunt, primus qui perhibeatur auctor seu inventor ejusmodi decretorum est Didacus Alvarez, qui sic componere nisus est scientiam divinam certam et infallibilem futurorum conditionatorum cum generali thomistica doctrina de scientia visionis dependente a decretis Dei tanquam rerum omnium effectrice, non exclusis liberis hominum actionibus sive naturalibus sive supernaturalibus. Et reipsa, inquiunt, ab eo tempore tam communis esse cœpit inter thomistas doctrina de scientia certa et infallibili futurorum conditionatorum, quam ante ipsi vel penitus respuebant vel nonnisi ut conjecturalem admittebant [3]). Cum vero doctrina de scientia certa et infalli-

1) Cf. *Réalité du Projet de Bourg-Fontaine* et *Continuazione della realtà del progetto di Borgo-Fontana;* op. dell'abbate Gusta: nec non opusculum commendatum a Pio VI in opere super Nunciaturas, cap. VIII; *La lega della teologia moderna colla filosofia a danni della chiesa di G. C.* a P. Rocca Bonola societatis Jesu editum anno 1789, ac sæpe postea recusum.

2) Cf. Card. Gotti, tom. III, in p. I, q. 6, a pub. I ad VIII.

3) Cf. Theodorus Eleutherius seu Libinus de Meyer, *Historia congreg. de auxiliis*, lib. v, cap. 44, nec non ipse Didacus Alvarez ord. præd. in *Responsionum* lib. I, cap. IV, n. 9, ubi profitetur se hæc decreta propugnasse Romæ in collegio sancti Thomæ super Minervam ab anno 1596 ad annum 1607, cum regentis fungeretur officio.

bili futurorum conditionatorum, ipsis thomistis nunc fatentibus, fundetur in scriptura et patribus, in qua sola absque decretis scientia media ex dictis consistit, patet, ajunt, scientiam mediam antiquam esse, prout antiqua est doctrina scripturarum et patrum; ac proinde nonnisi ad labem ei aspergendam tribuitur vel arianis vel semipelagianis, a qua omnino eam purgant augustiniani, contendentes S. Augustinum eam docuisse, saltem pro statu innocentiæ hominis et angelorum [1]).

450. Demum non repugnare rationi scientiam mediam, ex eo evincere satagunt, quod nihil magis consonet sanæ rationi quam dicere, Deum, quin tot ac pene infinita decreta inducantur, quibus indigeret ad ejusmodi futura cognoscenda, posse per se et in se ipsis illa cognoscere; quod nihil magis extollat vim divinæ ejusmodi scientiæ, dum e contra nil mirum sit a Deo futura cognosci in eo, quod ipse decrevit facere. Quis præterea potest certo statuere decreta unicum medium esse, quo Deus futura videat? Sic illi.

451. Cæterum neque in hoc quidquam per ecclesiam hactenus est definitum, ut cuique integrum maneat in suo sensu abundare, qui conformior scripturæ videatur et patribus, quique melius conferat ad conciliandam hominis libertatem cum efficacia divinæ gratiæ.

1) Cf Georg. Mariæ Albertini ord. Præd. *Acroases de Deo*, Venet. 1809, ac præsertim Acroasis XIII, inscripta: *Molinistarum scientia media a calumniis vindicata*, ubi ostendit sententiam istam apud priscos ecclesiæ patres pervagatam esse; tum allata Molinæ scientiæ mediæ definitione, ex lib. *Concord.* quæs. XIV, art. 14, disp. 52, pag. 227, edit. Antverp. 1595, qua nempe dicitur illa, „qua ex altissima et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est *(Deus)* quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, facere reipsa oppositum," eam confert cum sententia S. Bonaventuræ. qui in Lib. I. *sentent.* dist. 4, art. 2, q. 2, iisdem pene verbis eam docuit; scribit enim: „Talis est aspectus divinæ præscientiæ; quia ab æterno cognovit, quid cogitare poteramus vel velle, simul cum hoc vidit, in quam partem nostra voluntas et operatio inclinaretur; et quia *(divina præscientia)* totum posse et velle et agere complectitur, ideo non potest falli. Et quia prædestinatio concludit præscientiam, hinc est quod concordat cum libero arbitrio, et non potest discordare." Post hæc subdit citatus auctor: „Confer verba hæc cum Molinæ sententia, tum dicito mihi, in quo differant?" Cons. præterea ejusdem Albertini orationes duæ ad bannezianos et lemosianos (Bannez siquidem et de Lemos primi perhibentur auctores systematis prædeterminationis physicæ, applicatæ præsertim ad efficaciam divinæ gratiæ et hominis libertatem). Ipsi viderint; interea nos, qui volumus omnino his disceptationibus extranei esse, remittimus auditores nostros ad auctores, qui vel pro utraque sententia pugnarunt, vel pro alterutra. Inter cæteros, qui pro utraque sententia scripserunt, cf. Tournely, tract. *De Deo*, quæst. XVIII, art. X; Boucat, *Theolog. patrum, De Deo*, tractat. III, diss. III. Ex impugnatoribus sunt omnes thomistæ; ex propugnatoribus omnes congruistæ; inutilis proinde res videtur peculiares auctores indicare, utpote notissimos.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE DEI.

452. Ut brevitati consulamus, multa ex iis prætermittimus, quæ scholastici, agentes de divina voluntate, in utramque partem agitare solent, quæque minus scitu necessaria sunt. Interea hic breviter subjicimus notiones, quæ conferre possint ad eorum, quæ pertractanda erunt, claritatem.

453. Voluntas definitur facultas appetendi bonum et adversandi malum intellectualiter cognitum. Voluntas in Deo realiter idem est ac divina essentia, a qua nonnisi virtualiter distinguitur; ideoque una est, simplicissima immutabilis ac perfectissima.

454. Objective tamen, seu ratione rei volitæ, ut ajunt, et pro diversa ratione, qua in objectum tendit, divina voluntas virtualiter multiplex est, seu plures actus habet virtualiter distinctos.

455. Ac 1° quidem voluntas divina distinguitur in voluntatem *beneplaciti* et in voluntatem *signi;* prior est voluntas proprie dicta, inquit S. Thomas, p. I, q. 19, art. 2, quæ nempe vere et proprie in Deo est. Posterior est signum voluntatis, et nonnisi metaphorice sive improprie voluntas dicitur. Signum autem, ut verum sit et non falsum, semper supponit veram voluntatem in eo, qui illam per signum manifestat; ex eodem ibid. Ea scilicet ratione dicitur voluntas ac testamentum dicitur ultima voluntas testatoris. Varia autem signa divinæ voluntatis numerantur, eo quibus quinque præcipua sunt, adquæ cætera facile revocari possunt, et hoc versu comprehenduntur:

Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet 1).

456. 2° Rursum voluntas beneplaciti ex eodem angelico doctore, *De verit.* q. 33, 3, *per antecedentem et consequentem* distinguitur. *Antecedens*, ex S. Joan. Damasc. *De fide orthodoxa,* lib. II, cap. XXIX, est ea, quam habet Deus ex se ipso, seu *cujus ipse causa sit,* non expectata occasione vel causa ex parte creaturæ. Talis est voluntas salvandi reprobos. Voluntas *consequens* est ea, quam Deus non habet ex se solo, sed data occasione seu causa ex parte creaturæ; *ex nostra causa ortum habens*, ut idem Sanctus loquitur, seu, ut ait S. Thomas, in lib. I *sent.* dist. 46, q. 1, art. 1, voluntas consequens ea dicitur *eo quod præsupponit præscientiam operum*, *non tan-*

1) Id est: præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio; prohibitio et permissio respectu mali, præceptum, consilium et operatio respectu boni inquit S. Thom. ib. art. 12.

quam causam voluntatis, *sed quasi rationem voliti.* Talis est voluntas damnandi reprobos propter impœnitentiam finalem. Idem S. doctor, p. I, q. 19, art. 6 ad 1, utitur exemplo judicis ad hoc declarandum. Judex enim antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. S. Joan. Chrysostomus, hom. I in epist. *Ad ephes.*, has voluntates vocat *primam* et *secundam* 1).

457. 3° Voluntas divina dividitur in *efficacem* et *inefficacem. Efficax* ea est, qua Deus sic intendit aliquid efficere, ut fixum ei sit omnia superare impedimenta. Hæc propterea voluntas semper habet effectum suum. De hac voluntate dicitur (Rom. IX, 19): *Voluntati ejus quis resistit?* et (Esther XIII, 9): *Non est*, *qui possit tuæ resistere voluntati. Inefficax* est illa, qua Deus sic intendit aliquid, ut minime ei propositum sit superare quodlibet impedimentum. De hac dicitur (Matth. XXIII, 37): *Jerusalem*... *quoties volui congregare filios tuos*, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*, *et noluisti;* et alibi. Hinc actus efficax voluntatis est incompossibilis cum opposito illius, quod Deus intendit, actus vero voluntatis inefficacis est compossibilis cum opposito illius, quod intendit Deus.

458. 4° Dei voluntas distinguitur in *absolutam* et *conditionatam. Absoluta* est illa quæ nullam involvit conditionem ex parte objecti, seu quæ a nulla conditione pendet. Talis est voluntas, qua Deus vult mandata sua ab hominibus servari. *Conditionata* est illa, quæ aliquam includit conditionem ex parte objecti, seu est illa, quæ ab aliqua conditione pendet. Talis est voluntas, qua Deus voluit israëlitas defendere ab hostibus, si

1) Sic enim S. Joan. Chrys. in cit. hom. 1. in ep. *Ad ephes.*, verba illa enarrans: „Secundum beneplacitum voluntatis suæ, *ait: Πανταχοῦ γὰρ εὐδοκία τὸ θέλεμά ἐςι τὸ προηγούμενον· ἐςι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα· οἷον θέλημα πρῶτον, τὸ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτηκότας· θέλημα δεύτερον, τὸ γενομένους κακοὺς ἀπολέσθαι·* id est, „Ubique enim beneplacitum est voluntas antecedens. Nam est alia voluntas. Velut voluntas *prima* est, ne qui peccaverunt pereant. Voluntas *secunda*, ut qui mali sunt facti, pereant.” Quem secutus S. Joan. Damasc. *De fide orthodoxa*, lib. II. cap. XXIX, scribit: tom I, pag. 198; edit. Lequien, *Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ Θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχῖν. Οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς .... ὡς ἀγαθός· ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. Λεγεται οὖν, τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν. Τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας·* id est,” Sciendum est, *inquit*, Deum præcipua et antecedente voluntate velle omnes salvari; et regni sui compotes fieri. Non enim, ut nos puniret, condidit, quia bonus est . . . peccantes porro puniri vult tanquam justus. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, quod ex ipso est. Secunda autem consequens voluntas, et permissio ex nostra causa ortum habens.” Observat autem doctus Lequien, in notis ad hunc locum S. Joan. Damasceni, ab ipsis ethnicis cognitam jam pridem fuisse duplicem hanc Dei voluntatem. Hierocles enim, apud Photium cod. 251, refert Platonem de legibus docuisse, Deum „voluntate quidem antecedente bona convenientia hominibus impertiri æque conservare, *ἐςὶ γὰρ ἡ μὲν τῶν ἀγαθῶν προηγουμένη δόσις, καὶ ἡ τῶν κατὰ προσιόντων τήρησις, ἴδιον ἔργον τῆς καθαρᾶς προνοίας· ἐξ ὑποθέσεως τῆς τῶν προβεβιαμένων ἀξίας*, seu consequente admissorum scelerum pœnas infligere, et bonos ad beatam vitam transferre.” Vid. Photii *bibliotheca* col. 1390, edit. A. Schotii, Rothomag. 1653.

mandata ejus observarent, nec deos alienos colerent. Notandum autem sedulo est voluntatem absolutam non converti cum efficaci. Omnis enim voluntas efficax est absoluta; at non omnis voluntas absoluta est efficax, ut patet ex adducto exemplo voluntatis, qua Deus vult mandata sua ab hominibus servari. Sæpe tamen, quod observandum est, voluntas absoluta cum efficaci confunditur.

459. Hæ sunt præcipuæ divinæ voluntatis divisiones, circa quas nulla fere controversia est inter theologos. Tantum res est cum jansenistis, qui contendunt voluntatem beneplaciti semper impleri; ex quo concludunt Deum non habere veram et proprie dictam voluntatem salvandi omnes homines; sed solummodo signi et metaphoricam; ex eodem pariter principio inferunt, nonnisi voluntate metaphorica Deum velle mandatorum suorum observantiam. Contendunt præterea voluntatem distingui in antecedentem et consequentem quoad hominum salutem, ratione habita ad peccatum originale prævisum vel non prævisum; ac docent Deum voluntate antecedente voluisse omnium hominum salutem ante prævisionem peccati originalis; sed hoc supposito et præviso Deum jam nolle salutem omnium hominum, sed electorum tantum, ac reproborum non velle salutem nisi improprie ac metaphorice, atque ex eadem voluntate metaphorica et improprie dicta Christum pro iis mortuum esse ac sanguinem fudisse. Adversus quam execrabilem doctrinam sequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult alios salvos fieri quam prædestinatos, et Christus non pro solis prædestinatis mortuus est, ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulit, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus.

460. Hæc propositio de fide est quoad utramque partem, ut ex dicendis patebit. Duas vero istas propositionis partes conjunximus ob maximam inter se relationem ac connexionem. Christus enim ex eodem affectu et voluntate applicationis meritorum suorum passus et mortuus est pro hominibus, quo Deus vult ipsorum salutem, teste ipso Christo (Joan. IV, 38) de se ipso dicente: ***Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;*** et (Joan VIII, 29): ***Ego quæ placita sunt ei, facio semper.*** Eadem igitur certitudine constat Deum velle hominum salutem, qua certum est Christum pro iis mortuum esse; atqui certum est certitudine fidei Christum non pro solis prædestinatis mortuum esse, sed etiam

pro aliis, saltem fidelibus; certum igitur est certitudine fidei Deum velle salutem non prædestinatorum tantum, sed etiam aliorum, saltem fidelium. Minor patet ex damnatione prop. V Jansenii, quæ ita se habet: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; Falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem et hæreticam declaramus, et uti talem damnanus* [1]). Ex qua censura sic colligimus: Hæc propositio: *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est*, est hæretica; ergo contradictoria, *Christus mortuus non est pro salute dumtaxat prædestinatorum*, catholica ac de fide est. Seu, quod idem est, Christum mortuum esse pro salute aliquorum non prædestinatorum, ac proinde Deum habere sinceram voluntatem salvandi aliquos non prædestinatos de fide est.

461. Christum autem pro non prædestinatis *saltem fidelibus* mortuum esse, constat 1° ex symbolo constantinopolitano, in quo dicitur: *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis... crucifixus etiam pro nobis*; tum ex symbolo athanasiano, in quo de Christo pariter dicitur: *Qui passus est pro salute nostra*; unde sic ratiocinamur: De fide sunt omnes articuli in utroque symbolo contenti; ergo de fide est, Filium Dei de cœlo descendisse et crucifixum fuisse pro salute illorum omnium, pro quibus hæc vocabula *nostrum* et *nobis* supponunt, ut per se patet; jam vero hæc vocabula supponunt pro omnibus saltem fidelibus, licet non prædestinatis, cum omnes fideles indiscriminatim teneantur eos articulos de fide credere: *Hæc est enim fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*, ut concludit symbolum athanasianum; ergo de fide est Christum non pro solis prædestinatis mortuum esse, sed etiam pro aliis saltem fidelibus, ac Deum proinde voluntate sincera et beneplaciti velle alios salvos fieri quam prædestinatos, saltem fideles.

462. Ex iisdem fontibus patet de fide esse Deum velle reproborum saltem fidelium salutem, etiam supposito peccato originali; fideles enim illa, quæ modo protulimus, credere tenentur supposito originali peccato. Demum de fide esse hanc voluntatem Dei non esse signi tantum ac metaphoricam, sed beneplaciti, seu esse voluntatem sinceram ac proprie dictam, constat 1° ex verbis citati utriusque symboli, quibus dicitur Christus descendisse de cœlo *propter* nostram salutem, passus *pro*

1) Hæc censura est Innocentii X et Alexandri VII ab universa ecclesia recepta, et quidem damnata est hæc propositio in sensu Jansenii.

salute nostra, crucifixus *pro* nobis, quæ profecto non denotant *signum* voluntatis, sed *finem* ipsum a Christo intentum; 2° ex verbis Christi, qui expresse hanc divinam Patris sui voluntatem nobis manifestavit (Joan. VI, 38 ad 40) dicens: ***Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo . . . Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.***

463. Quibus sic expositis, operosum non est utramque propositionis partem tum ex scriptura tum ex traditione ostendere. Ac 1° quidem quoad primam partem, Christus (Joan. VI), ut patet ex verbis quæ modo attulimus, declaravit Patris ***voluntatem esse, ut omne quod ipsi dederat,*** non periret, sed resuscitaretur seu salvaretur; atqui inter cæteros, quos Pater Filio dederat, dedit etiam reprobum, nempe Judam, ut constat ex verbis Christi (Joan. XVII, 12) sic Patrem alloquentis: ***Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit nisi filius perditionis.*** Ergo [1]) voluntas Dei est, ut non solum salventur prædestinati, sed etiam reprobi, præsertim fideles, cujusmodi Judas fuit. Hoc ipsum aliis scripturæ testimoniis confirmatur, atque præcipue illis apertissimis Christi verbis (Joan. III, 16) dicentis: ***Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam;*** atqui mundi nomine non veniunt soli prædestinati, sed Christo ipso interprete veniunt omnes, qui credunt in eum, qui profecto non omnes prædestinati sunt; ergo Deus sincero dilectionis affectu alios quam prædestinatos, saltem fideles, vult salvos fieri.

464. 2° Ex patribus unius urgeo S. Augustini auctoritatem quo patrono janseniani per summam impudentiam gloriantur. Igitur S. doctor, ***Tract in Joan.*** CVI, num. 2 verba Christi exponens in medium nuper allata: ***Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis; ut scriptura impleatur,*** ait: ***Judam significans, qui tradidit eum; ex isto quippe duodenario numero apostolorum solus periit.*** Ergo juxta S. Augustinum Judas erat ex numero eorum, quos Pater Filio dederat, ex numero scilicet eorum, quos Pater Filio dederat, ut ipsos salvaret, resuscitaret, non perderet. Ex sancto

1) Vim hujus argumenti senserunt jansenistæ, qui propterea nullum non moverunt lapidem ad eam elevandam. Inter cætera in versione Montensi particulam *nisi* verterunt in particulam adversativam *sed*: „J'ai conservé ceux que vous m'avez donnés; et nul d'eux ne s'est perdu, *mais* celui-là seulement qui était enfant de perdition." perinde ac si sensus esset: Nemo ex iis quos dedisti mihi, periit sed tantum filius perditionis, qui ex illis non erat. Sed perperam ita interpretantur.

Augustino propterea certum est Deum vere salutem velle reproborum saltem fidelium [1]).

465. Quoad secundam partem, seu Christum mortuum esse pro reprobis saltem fidelibus, id evincunt 1° Christi verba (Joan. XVII, 20) quibus ait: ***Non pro eis*** (apostolis) ***rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.*** Pro iis igitur mortuus est Christus ex sincera voluntate applicationis meritorum suorum, pro quibus oravit, ipsis jansenistis fatentibus; atqui Christus oravit pro omnibus fidelibus, qui omnes certe prædestinati non sunt; ergo . . . . Rursum apostolus (Rom. VIII, 31 et seqq.): ***Si Deus pro nobis*** inquit, ***quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*** Ibi apostolus de omnibus saltem fidelibus loquitur; ergo . . . Sed absque omni ambage id ipsum constat ex iis, quæ scribit idem Paulus (Rom. XIV, 15), dicens: ***Noli cibo tuo illum perdere pro quo Cristus mortuus est;*** et (I. Cor. VIII, 11): ***Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?*** Unde sic argumentamur: Fidelis ille, qui ex propria infirmitate scandalum passus ob aliorum vel imprudentiam vel malitiam perditur et perit, profecto non est prædestinatus; atqui teste apostolo et pro isto, sicut et pro aliis, qui reipsa salvantur, Christus mortuus est; ergo.

466. 2° S. Augustinus inter alia innumera, quæ pro re nostra scribit, ***Enarr. in psalm. XCVI***, num. 17, sic universum populum pro concione alloquitur: ***Filius Dei pro nobis mortuus est; securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.*** Cætera ejusdem dicta non minus luculenta recolantur apud Tournely, loc. cit.

467. 3° Utraque demum conclusionis pars confirmatur ex concil. trid. sess. VI, cap. 6 et 7, docente omnes, qui baptizantur, teneri sperare sibi Deum per Christum propitium fore, et consecuturos vitam æternam, quæ est causa finalis justificationis per eumdem Jesum Christum qui est causa meritoria vitæ æternæ, ***credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt***; atqui spes ista haberi non posset, si de fide omnes credere non tenerentur Deum velle omnium, saltem credentium, salutem, et pro ipsis Christum mortuum esse ac sanguinem fudisse ad merendum pro iisdem gratias necessarias ad salutem, cum spei fundamentum ***fides*** sit; ergo ex concilio trid. certa fide ab omnibus tenendum est Deum sincera voluntate, præter salutem prædestinatorum velle aliorum etiam

1) Plura alia testimonia quisque reperire poterit tum apud Petavium, *De Deo*, lib. x, cap. 4 et 5, tum apud Tournely, tract. *De Deo*, q. 19, art. 10, concl. 2.

saltem fidelium salutem, et ex eadem intentione Christum pro iisdem mortuum esse et sanguinem suum fudisse [1]).

DIFFICULTATES.

468. Ne eandem repetere crambem debeamus, illas prætermittimus difficultates, quæ immediate afficiunt ipsam Dei voluntatem circa salutem reproborum saltem fidelium et Christi mortem in eumdem finem; eas propterea solum urgemus, quæ afferri solent adversus qualificationem, ut schola loquitur, certitudinis assertæ propositionis. Itaque.

469. I. *Obj.* Ex censura quintæ propositionis Jansenii inferri non potest, de fide esse Christum pro aliis quam pro prædestinatis mortuum esse, Deumque vera et proprie dicta voluntate velle aliorum etiam non prædestinatorum saltem fidelium salutem, si censura præcise cadat in verbum *dumtaxat*, quasi nempe Christus nullam temporalem saltem gratiam reprobis obtinuerit; atqui; ergo.

470. ***Resp. Neg. min.*** Quia propositio damnata fuit in sensu Jansenii; jam vero sensus Jansenii in hac propositione fuit Christum pro salute tantum electorum mortuum fuisse, non autem Christum non obtinuisse pro reprobis aliquas gratias temporales, quum Jansenius id aperte professus fuerit. En ipsius verba: ***Pro his*** (reprobis), inquit, ***in tantum mortuus est*** (Christus) .... ***in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt*** (*De gratia Christi*, lib. III, cap. XXI, tom. III, p. 164); et paulo infra: ***Eatenus igitur et non aliter pro illis Christus mortuus est . . . ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis et sanguinis, et orationis consequantur;*** ergo.

471. ***Inst.*** Non desunt catholici theologi, qui, salva fide, hanc eamdem thesim propugnaverint; ergo.

472. ***Resp. Dist. antec.*** Non desunt theologi catholici, iique perpauci, qui thesim istam propugnaverint ante censuram propositionis jansenianæ, ***trans.*** post eamdem censuram, quique eamdem propugnaverint in sensu Jansenii, ***subdist.*** Qui catholici fuerint nomine tenus, ***conc.*** reipsa catholici, ***neg.*** Nam post censuram nonnisi jansenistæ, qui catholici non sunt, nisi quatenus ca-

1) Præstat et alia ejusdem concilii verba in medium afferre ex eadem sess. VI, cap. 13, ubi inter cætera hæc habet „Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; *tametsi in Dei auxilio firmissimam spem* collocare et reponere *omnes* debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere." Ex quibus patet fidelibus omnibus gratiam præsto esse ac proinde pro iis omnibus Christum mortuum esse, inde enim infert spem, quam omnes firmissimam in Deo collocare debent. Jam vero nemo spem ejusmodi habere posset nisi certus esset ex parte Dei et mortis Christo pro unoquoque fideli, sibi gratiam conferri. Cons. Suarez, *De Deo*, lib. III, cap. 8, et lib. V, cap. 2.

tholicos se vocare pergunt, sed reipsa sunt lupi ovina pelle contecti, hanc doctrinam propugnarunt atque propugnant [1]).

473. II. *Obj.* Nullum saltem argumentum est, quod ex concilio trid. desumitur. Ad hoc enim, ut qui teneatur sperare salutem et media ad ipsam obtinendam necessaria, sufficit nescire se positive exclusum esse e salvandorum numero, seu sufficit probabilitas, quam quisque habere potest, quod contineatur in numero electorum; ergo.

474. ***Resp.*** *Neg. antec.* Nam nemo firmiter sperare potest, multo minus tenetur, æternam vitam, nisi certus sit certitudine fidei Deum, quantum ex se est, velle, et quidem voluntate affective efficaci, sic sperantem salvare, quia alioquin spes ipsa destrueretur, utpote carens solido fundamento seu motivo, quod constituitur ex Dei fidelitate in promissis suis adimplendis. Et sane quomodo possum sperare salutem vel media salutis ex Christi meritis, quomodo possum hæc ipsa media in oratione petere, si dubius hæream, an Christus pro me passus ac mortuus sit [2])? Patet autem nos hic loqui non de spe generice sumpta seu humana, quæ consistere potest cum incertitudine, sive ex parte hominum, in quibus fiducia collocatur, sive ex parte eventuum, quorum plerumque exitus incertus est, sed de spe specifice sumpta seu theologica, quæ debet esse tanquam anchora firma, ut loquitur apostolus, scilicet ex parte Dei et tota incertitudo pendere debet unice ex parte nostra.

PROPOSITIO III.

Vera, pia catholica et fidei proxima est sententia, Deum, supposito etiam peccato originali, velle vere et sincere omnes et singulos homines, saltem adultos, salvos fieri, et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse, et sanguinem fudisse.

475. Illa enim sententia vera, pia, catholica ac fidei proxima censenda est, quæ in scriptura, traditione, et theologorum consensu fundatur; atqui talis est sententia nostra quoad utramque suam partem; ergo.

1) Ex antiquioribus recensentur Gregorius Ariminensis, et Estius qui vir certe doctus est, sed suspectus hac in parte, utpote Baji discipulus, qui tamen ut observat Tournely, postea sententias suas nimis duras temperat et emollit, ut ad communem theologorum sententiam accedere videatur. Inter eos, qui post damnatas Jansenii propositiones eamdem doctrinam tenuerunt, eminent auctores theologiæ *Lugdunensis* nuncupatæ.

2) Hic sedulo distingui debet spes a desperatione. Incertitudo utrum ipse inclusus sim in salvandorum numero an ab eodem sim exclusus, sufficit tantum ad hoc, ut non desperem, ast non sufficit, ut sperem, quia ad eliciendum firmissimæ spei actum requiritur prætereа positivum spei fundamentum, seu motivum, quod omnino deest in sententia hic rejecta eorum, qui negant Deum velle omnium saltem fidelium salutem, et quidem sincere, et Christum pro his omnibus mortuum esse, ut patet.

476. Id 1° quoad primam partem, eruitur ex innumeris prope scripturarum testimoniis, quæ in medium adduci possent ex utroque fœdere, e. g. Ezech. XXXIII, 11: ***Vivo Ego dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat;*** Is. V, 4: ***Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?*** Matth. XVIII, 11: ***Venit Filius hominis salvare, quod perierat;*** aliaque ejusmodi; quæ certe, si illusoria non sunt veram ex parte Dei voluntatem salvandi omnes supponunt. Unum urgemus apostoli testimonium ex I Timoth., II, 1 et seqq., quod ita se habet: ***Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*** PRO OMNIBUS HOMINIBUS . . . . ***hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui*** OMNES HOMINES ***vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum*** PRO OMNIBUS. Atqui cum hic apostolus dicit Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, intelligit omnes et singulos, nemine excepto; ergo.

477. Etenim *a)* si accurate loquitur apostolus, sique recte probat, in dubium revocari nequit ipsum tam late ac universim in v. 4 ***omnes homines*** sumere, quam in v. 1. ***pro omnibus hominibus*** late et universim sumpsit; ideo enim vult apostolus ***pro omnibus hominibus*** orari a fidelibus, quia Deus ***vult omnes homines salvos fieri***, sicut ergo pro omnibus prorsus hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit v. 1, ut patet ex praxi ecclesiæ apostolum sic intelligentis, et fatetur ipse Estius [1]), ita et in v. 4. affirmat Deum velle omnes prorsus homines nemine excepto, salvos fieri.

478. *b)* Id ipsum evincitur ex rationibus, quas adducit apostolus vers. 5 et 6 ad probandum Deum velle omnium hominum salutem. Nimirum quia ***unus est Deus*** omnium, et quia Jesus Christus omnium ***hominum mediator est***, et hic mediator noster dedit ***semetipsum redemptionem pro omnibus***; atqui Deus est omnium hominum, nemine excepto, creator; Jesus Christus est omnium hominum, nemine excluso, mediator; pro omnibus hominibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit hic mediator Dei et hominum; ergo Deus vult omnes homines, nemine excepto, salvare.

479. *c)* Idem evincitur ex generali scripturas interpretandi regula a S. Augustino tradita, juxta quam sensu proprio et secundum totam latitudinem suam scripturæ verba intelligenda sunt, nisi alia scripturæ loca, aut evidens aliqua ratio vel potius traditio aliter exposcant; atqui tantum abest ut in casu nostro

1) In hunc locum: „Neque sensus est, *inquit*, orandum esse pro omni genere hominum, ut quidam intelligunt, quia non tantum ad genera hominum respicit intentio ecclesia pro omnibus orantis, sed etiam ad singulos; cupit enim unumquemque salvum fieri, et non tantum ex singulis hominum generibus aliquos."

vel scripturæ vel ratio vel traditio exigant, ut voces universalissimæ apostoli *omnes* et *omnibus* restringantur ac coarctentur sive ad paucos, sive ad plurimos, ac voluntas Dei, de qua loquitur apostolus, metaphorice accipiatur, ut contrarium potius exposcant, sicuti patet tum ex dictis tum dicendis, et propositum ipsum apostoli, scilicet inducendi fideles ad orandam pro omnibus necessario supponit; ergo [1], . . . Sane apost. Petrus (Ep. II, cap. III, 9), ad omnem excludendam exceptionem ab hac sincera Dei voluntate salvandi omnes, ait: ***Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.***

480. 2° Hæc eadem veritas probatur ex constanti ecclesiæ universæ traditione, cujus testes sunt patres, concilia ac ipsa ecclesia praxis. Jam vero patres græcos sibi esse contrarios ultro fatetur Jansenius; hinc supervacaneum ducimus eos commemorare. Quoad latinos, S. Augustinus S. Prosper, auctor celebratissimus operis ***De vocatione gentium***, qui creditur ipse S. Prosper aut, si cui magis placet, S. Leo M. consonat patri-

1) Dignus est qui legatur Bernardinus a Piconio, ex quo probationes nostras desumpsimus in *Triplici expositione* ad hunc locum, ubi clare et mirifice totam hanc apostoli sententiam evolvit. Sic inter cætera ex sermonis contextu mentem apostoli et sententiam evolvit: „Attendo, *ait*, ad apostoli scopum et sermonis contextum. Primo, asseruit pro omnibus orandum esse. Hæc propositio universalis est, et nullam prorsus suscipit exceptionem; nec enim nobis fas est quemquam ab orationibus nostris excludere; hoc fatetur etiam Estius. Secundo, ut hanc propositionem universalem probet apostolus, seu, ut nos ad illam in praxi redigendam excitet, id est, ut nos excitet ad orandum pro omnibus, affirmat talem orationem bonam esse, et Deo gratam. Tertio, hoc ipsum, scilicet orari pro omnibus, pulchrum et gratum esse Deo, probat ex eo quod Deus Salvator noster *vult omnes homines salvos fieri*, et propterea vult ut ad veritatis cognitionem veniant. Affirmans autem apostolus, *quod Deus vult omnes homines fieri salvos*, nobis concludendum reliquit, quod cum Deum oramus pro omnium hominum salute, divinæ tunc conformamur voluntati; quod Deo gratum et acceptum est. His omnibus serio et sincere attentis, sic ratiocinor: Si accurate loquitur apostolus, sique recte probat (quod in dubium revocare nefas) tam late et universaliter sumit in v. 4 *omnes homines*, quam in v. I late et universaliter sumpsit *pro omnibus hominibus*. Ideo enim vult apostolus *pro omnibus hominibus* orari a fidelibus, quia *Deus vult omnes homines salvari*. Sicut ergo pro omnibus prorsus hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit v. I, ita et in v. 4. affirmat Deum velle omnes prorsus homines, nemine excepto, salvos fieri. *Deinde, rejectis tribus contrariis interpretationibus, concludit:* Cum omnes supradictæ interpretationes (nisi nostra vera supponatur) sint a D. Pauli mente alienæ, illiusque infringant argumentum, quod a simplici et literali verborum sensu totam vim suam habet, concludo simpliciter et ad literam credendum esse D. Paulo, gentium apostolo, veritatisque doctori, formaliter et expresse dicenti: *Deus vult omnes homines salvos fieri*; credendum et D. Petro apostolorum principi, ecclesiæ fundamento et veritatis columnæ confirmanti Paulum et quasi explicanti. *Deus vult omnes homines salvos fieri*; ait Paulus: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, ait D. Petrus, II. epist. cap. III, 9. Ecce veritatem eamdem propositionibus æque universalibus, tum affirmativis tum negativis, a duobus præcipuis apostolis formaliter expressam, et multis a D. Paulo rationibus probatam vers. 5, 6. agnoscamus itaque veritatem, etc." Deinde ostendit hanc voluntatem non *signi* tantum esse, sed *beneplaciti*, et in Deo, qua scilicet Deus vere, sincere et serio vult et cupit omnium salutem, imo et ex parte sua efficaciter, etsi non absolute, sed conditionate, si ipsi velint ope gratiæ cooperari.

bus græcis. Nam S. Augustinus, lib. *De spiritu et litera*, cap. XXXIII, hæc habet: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in cognitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur.* Ex quibus verbis hoc invictissimum exurgit argumentum; Deus ex S. Augustino sincere vult salvos fieri illos homines, quos judicaturus est; atqui Deus omnes prorsus homines, nullo excepto. judicaturus est; ergo Deus ex S. Augustino sincere vult omnes et singulos homines, nemine, excepto, salvos fieri, et apostoli verba, ad quæ manifeste alludit S. doctor, debent accipi et intelligi absque ulla arctatione et exceptione. Vim argumenti sensit Jansenius; propterea ad ipsum eludendum asserit citata verba non doctrinam Augustini, sed objectionem pelagianam continere; sed frustra, ut patet ex toto contextu, et ex verbis quibus S. doctor orsus est caput immediate subsequens: *Hæc disputatio, si quæstioni illi solvendæ* (quare nempe non omnes salventur, si tamen Deus vult omnes salvos fieri) *sufficit, sufficiat.* Certe S. doctor de doctrina hæretica non dixisset: *Si sufficit quæstioni solvendæ, sufficiat.*

481. Patet insuper ex S. Prospero fidelissimo S. Augustini interprete, qui in responsione ad secundam objectionem vincentianam, germanam S. Augustini mentem circa præsentem controversiam breviter et accurate exponit, dicens: *Remota hac discretione quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum ac profitendum est Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Si quidem apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.* Ergo S. Prosper 1° agnoscit in Deo sinceram voluntatem salvandi omnes homines; 2° hanc voluntatem deducit ex præcepto apostoli orandi pro omnibus, et ex praxi ecclesiæ pro omnibus orantis, et hanc divinam voluntatem sincerissima fide credendam et profitendam affirmat, quin latens Dei consilium quoad gratuitam aliquorum prædestinationem aliquid detrimenti capiat: 3° ex duabus his veritatibus duo eruit corollaria primum: *quod multi pereunt, pereuntium esse meritum*, quia Deus, quantum ex parte sua est, sincere voluit eos salvari, et illis media ad salutem consequendam idonea contulit; alterum vero: *quod multi salvantur, salvantis esse donum*, quia Deus gratuito discrevit et prædestinavit omnes, qui salvantur, ita ut nulli salvarentur, si nullos Deus misericorditer prædestinasset.

482. His addimus citatum auctorem librorum *De vocatione gentium*, qui lib I, cap. XII, probat ex sensu et praxi ecclesiæ hæc apostoli verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri,*

intelligenda esse de omnibus omnino hominibus, et lib. II, cap. XXX, sic loquitur: *Tribus saluberrimis et veracissimis definitionibus simus innixi, quarum una profitetur æternum et proprium divinæ esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit.*

483. Patres concilii Carisiaci contra Goteschalcum monachum prædestinatianum, capitulo III, pronunciant: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur* [1]. Quod attinet ad alia patrum et theologorum testimonia, quæ nos hic brevitatis gratia prætermittimus, præsertim vero Magistri sententiarum, S. Thomæ, Scoti, S. Bonaventuræ aliorumque, asserentium apertissime Deum, quantum ex se est, velle omnes homines, nemine excepto, salvos fieri, dummodo et ipsi velint, per voluntatem nempe a Dei gratia præventam; consulatur Tournely [2].

484. Alteram conclusionis partem, quæ est de morte Christi pro omnibus, quæque magis ac magis primam confirmat, invictissime ostendimus ex apostolo, qui (Rom. V, 18) scribit: *Sicut per unius delictum in omnes homines* (reatus peccati pertransiit) *in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines* (redemptio pertransiit, quantum est ex parte Christi) *in justificationem vitæ;* et clarius (II Cor. V, 14): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Unde sic ratiocinamur: Ex apostolo pro iis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adam; atqui omnes homines (B. V. Maria ex singulari privilegio excepta) et singuli in Adam mortui sunt; ergo pro omnibus et singulis mortuus est Christus.

485. Quod confirmatur tum ex aliis S. scripturæ locis, e. g. I Joan. II, 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (id est omnium fidelium); *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, et alibi passim; tum ex patribus. Sic S. Leo M. *Serm. I de nativ.* cap. I: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit* [3]. S. Ambrosius, *Serm. VIII in psalm. CXIII*, num. 57: *Sol ille justitiæ*, inquit, *omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit. . . . Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se fraudavit* [4]. S. Augustinus: *Enarr. in psalm. XCV*, num. 15. *Judicabit*, inquit, *orbem terrarum in æquitate non partem, quia non partem emit; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit;* et alibi passim, præser-

1) Apud Labbeum, tom. VIII, col. 57, cum observ. Philippi Labbei.

2) *De Deo*, quæst. XVII, art. 10, concl. 3.

3) Edit. Ballerin. sermon. XXI.

4) Dignus est, ut integer hic textus legatur.

tim *Contra Julianum*, lib. XI, cap. IV, ubi, ut ostendat omnes contraxisse peccatum originale morte Christi pro omnibus utitur tanquam medio demonstrationis, dicens: *Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit* (apostolus), *ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet qui se non negat aut dubitat esse christianum.* Nisi ergo certum exploratumque fuisset tunc temporis apud omnes, Christum reipsa pro omnibus, nemine excepto, mortuum esse, nullius roboris fuisset argumentum S. Augustini ad adstruendam in omnes et singulos, nemine excepto, peccati originalis propagationem. Neque aliter sentit ejus discipulus S. Prosper, qui in *Responsione ad IX capit. gallorum* ait: „Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit . . . . dedit pro mundo sanguinem suum, et munus redimi noluit." Ergo ex S. doctore Christus pro omnibus crucifixus est, et omnes, nemine excepto, quantum est ex seipso, salvavit, licet de facto non salventur, nisi qui sibi per bona opera, gratia præveniente facta, applicant communem istum redemptionis fructum. Quod consentaneum est doctrinæ concilii tridentini, dicentis sess. VI, cap. III: „Verum, etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur." Certe, si qui sunt, pro quorum salute Christus non est mortuus, sunt ii, quibus meritum passionis ejus non communicatur; atqui ex tridentino etiam pro istis mortuus est Christus; ergo, quum tridentinum ait Christum pro omnibus mortuum esse, manifeste intelligit omnes omnino, nemine prorsus excepto.

DIFFICULTATES.

Adversus voluntatem Dei salvandi omnes.

486. I. *Obj.* 1° Si ex scriptura constaret Deum velle omnium omnino salutem, ideo esset, quia interdum legitur Deum velle *omnes* salvos fieri; aliqui 2° hæc ratio nulla est, quia vox *omnis* non omnes reipsa significat, sed *multos*, ut Gen. VI, 12: *Omnis caro corruperat viam suam;* et alibi passim. 3° Ex eo omne dubium prorsus tollitur, quod scriptura ipsa aperte contrarium supponat, cum antecedenter ad omne meritum dicatur

(Malach. I, 2, 3): *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*, et (Exod. X, 27): *Induravit Dominus cor Pharaonis;* ergo.

487. *Resp. ad* 1m, *Dist. major.* Ideo *etiam* esset, *conc.* ideo *tantum* esset, *neg.* Nam id evicimus præsertim ex antithesi inter Christum et Adam, quam apostolus instituit, nec non ex eo quod S. Petrus aperte tradat quo sensu velit Deus omnes salvos fieri, quia scilicet non vult *aliquos perire*, *sed omnes ad pœnitentiam reverti;* ac demum quia sic ecclesiæ patres, imo et ecclesia ipsa citata a nobis testimonia interpretantur juxta genuinam ipsorum vim.

488. *Ad* 2m, *Neg.* Ad prob. *Dist,* Aliquando, *conc.* semper ac præcise in casu nostro, *neg.*

489. *Ad* 3m, *Neg.* Ad 1m, *autem prob. dist.* Deus Esau odio habuit, comparate ad majorem dilectionem suam erga Jacob, et quidem in ordine ad bona temporalia, *conc.* absolute et in ordine ad æternam salutem, *neg.* [1]). Quod si apostolus (Rom. IX, 13) Malachiæ verba refert ad ostendendam gratuitam Dei vocationem ad fidem, refert tantum ut typum, quemadmodum patet ex contextu [2]).

490, *Ad* 2m, *prob. Dist.* Induravit negative, speciales gratias non concedendo, vel indirecte, *conc.* positive et directe, *neg.* Induravit enim, ut inquit S. Augustinus, *non cor illorum* (ægyptiorum) *malum faciendo*, *sed populo suo benefaciendo cor illorum sponte malum convertit ad odium* [3]).

491. I. *Inst.* S. Augustinus apostoli testimonium: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, cum arctatione et limitatione interpretatur, et quidem triplici ratione: 1° in lib. *De prædestinatione sanctorum*, cap. VIII, ubi ait Deum velle omnes homines salvos fieri, quatenus vult omnes salvari, qui reipsa salvantur, id est omnes electos; 2° in *Enchirid.* cap. CV, ubi tradit illud *omnes* in textu apostoli sumi de generibus singulorum, non de singulis generum, seu distributive; 3° lib. *De corrept. et grat.* cap. XV ubi apostolum intelligit de voluntate salvandi omnes homines non formali, sed causali, in quantum Deus facit nos velle salutem omnium hominum; ergo.

492. *Resp. Dist. antec.* Ut excludat expositionem pelagianorum et semipelagianorum, *conc.* ut excludat nostram interpretationem de voluntate generali et antecedente, *neg.* Voluntatem enim Dei generalem ac antecedentem salvandi omnes homines S. Augustinus nunquam inficiatus est, imo perpetuo eam supponit, ubi agit de morte Christi pro omnibus, de gratia sufficienti omnibus collata, et in locis a nobis superius citatis; sed

1) Cfr. Corn. a Lapide ad hunc locum num. 54 et seqq. et ex ipso Tirinus.

2) Cfr. Bernard. a Piconio in *Tripl. expos.* ad hunc locum.

3) *Enarr. in psal.* CIV, num. 17; vide *Dissert. crit. in S. Thom.* P. De Rubeis Ord. Præd, Diss. VI, cap. 7.

reprobavit abusum istius textus sive ex parte pelagianorum, qui ex eo concludebant Deum velle omnium salutem, si homines velint salvari, at *propriis viribus*, non viribus gratiæ, cujus necessitatem illi negabant, sive ex parte semipelagianorum, qui admittebant quidem necessitatem gratiæ ad opus bonum ponendum; sed non ad desiderandum, volendum, inchoandum; sive ex eo, quod nullam peculiarem Dei prædilectionem erga electos prædicti hæretici agnoscerent, docentes Deum *æque* velle omnes homines fieri, et quidem voluntate absolute efficaci ex parte sua. Quare merito reponebat S. Augustinus Deum voluntate absoluta, efficaci ac consequenti velle salvos fieri solos electos.

493. II. *Inst.* S. Augustinus constanter tanquam pelagianam rejecit et confutavit hanc generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines.

494. ***Resp. Dist. antec.*** Istorum sensu intellectam, ***conc.*** sensu catholico, ***neg.***

495. III. ***Inst.*** Ergo hoc ipso, quod voluntas ista generalis pelagianis ac semipelagianis perplacuerit, suspecta est, ideoque rejicienda.

496. ***Resp. Neg.*** sequelam. Nam constat ***non omnia, quæ hæretici docent***, inquit ipse Jansenius, ***De grat. Chr.*** lib. VIII, cap. 21, ***esse hæretica; mos enim solemnis omnium hæreticorum est, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur*** [1]). Hinc, prout erronea est, juxta pelagianorum placita est rejicienda ejusmodi generalis voluntas, prout catholica est, juxta catholicorum principia retineri debet.

497. IV. ***Inst.*** Tam stupidi pelagiani non erant, ut admitterent in Deo voluntatem efficacem salvandi omnes homines quantum in ipso est, quæ tamen non impleatur, non enim ignorabant efficacem voluntatem Dei semper impleri. Ergo in eo errabant, quod admitterent generalem illam voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, si ipsi voluerint.

498. ***Resp. Trans. Antec. Dist. Cons.*** Ergo in eo errabant, quod admitterent generalem illam voluntatem salvandi omnes homines, si ipsi voluerint ***viribus naturæ, conc. viribus gratiæ, neg.*** Hic enim est capitalis ipsorum error, quem perpetuo impugnat S. Augustinus.

499. V. ***Inst.*** Voluntas antecedens et conditionata non semper impletur; atqui S. Augustinus nullam in Deo agnovit veram voluntatem, quæ non impleatur. Nam in Enchiridio cap. XCV in-

1) Sic etiam Bossuet, ***Préface sur l'explic. de l'Apocalypse,*** fatetur omnem errorem fundari in veritate, qua quis abutitur. Sic Massilon, ***Disc. sur la verité de la relig.***, I. point, addit non esse errorem nisi vitiosam veritatis imitationem; hinc Comes de Maistre in op. ***Eclaircissement sur les sacrifices***, chap. 3, in annotatione: „L'erreur, ***inquit***, ne peut être que la vérité corrompue, c'est-à-dire une pensée procédante d'un principe intelligent plus ou moins dégradé."

quit: *in clarissima luce videbitur . . . quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam* multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit: *quamque sit verum, quod in psalmo canitur: omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit; et* quod est indignius, *ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens*, voluntas hominis impedivit. *Quod nisi credamus*, subdit cap. XCVI, *periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, qua nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur:* quod cap. XCVII confirmat exemplo parvulorum, qui sine baptismo decedunt, de quibus dici non potest, quod salvi facti non fuerint *eo quod noluerint;* et adductis Christi verbis; *quoties volui congregare filios tuos . . . et noluisti interrogat: et ubi est illa omnipotentia, quæ in cœlo et terra omnia quæcumque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit et non fecit?* Demum cap. CIII, expositis tribus superius memoratis interpretationibus apostolici textus, *Deus vult* etc. addit aliam quamcumque eorum verborum expositionem admitti posse *dum tamen credere non cogamur aliquid Deum omnipotentem voluisse fieri, factumque non esse.* Ergo.

500. ***Resp. Dist. min.*** S. Augustinus nullam agnovit in Deo veram voluntatem, quæ simpliciter absoluta sit, consequens et efficax, quæque non impleatur, *conc.* nullam veram voluntatem, quæ ex parte Dei sit efficax, et conditionata ex parte creaturæ, *neg.* Id patet ex scopo S. Augustini in objectis locis refellendi pelagianos, qui nullam voluntatem absolutam, efficacem et consequentem salvandi electos admittebant, sed omnem Dei voluntatem conditionatam posuerunt conditione se tenente ex parte creaturæ, et quidem ex *solis viribus* liberi arbitrii, addentes Deum non posse hominem salvare sine his naturalibus conditionibus: ad hunc autem errorem confirmandum abutebantur textu apostoli, et verbis Christi *quoties volui . . . et noluisti.* Cæterum S. Augustinum hanc generalem voluntatem antecedentem et efficacem ex parte Dei, conditionatam autem ex parte hominis omnes salvandi agnovisse patet ex eodem *Enchiridio* cap. CII, ubi eodem modo loquitur S. doctor de voluntate Dei salvandi homines ac de voluntate salvandi omnes angelos: atqui Jansenio ipso fatente De grat. Chr. lib. X, c. 1. Deus habuit *generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes angelos, ex qua quantum in se est; omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est;* qui tamen non omnes salvati sunt, neque in omnibus impleta fuit hæc Dei voluntas. Ergo.

501. VI. *Inst.* Ille censendus non est velle omnium salutem voluntate etiam conditionata, qui cum per ipsum stet ponere

conditionem, per collationem nempe gratiæ efficacis, non ponit. Atqui. Ergo.

502. *Resp. Dist. maj.* Si conditio ab ipso solo pendeat, *conc.* si ab alio simul, *neg.* Sic *Dist. min.* Deus potest ponere conditionem largiendo gratiam efficacem, quæ nempe talis sit in actu secundo, ut dicitur, seu ex libero hominis consensu, *conc.* quæ talis sit in actu primo seu a se efficax in sensu Jansenii, quæque necessitet voluntatem, *neg.* Sufficit proinde ex parte Dei, ut dici possit ipsum veram habere voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, si omnibus hominibus largiatur gratias *vere* sufficientes, quibus si homines consenserint de facto salutem consequantur, quod Deus utique præstat, ut suo loco ostendemus, prout Jansenio ipso fatente præstitit relate ad omnes angelos.

503. VII. *Inst.* Voluntas illa Dei antecedens et voluntas altera consequens pugnare inter se videntur; sic enim Deus vellet et non vellet omnes homines salvare. Ergo.

504. *Resp. Dist. antec.* pugnare inter se videntur, si versarentur circa idem objectum, et *sub eodem respectu* spectatum, *conc.* si *sub diverso respectu*, *neg.* Addatur, Deum, juxta Jansenium utramque voluntatem habuisse circa angelos ac primum hominem.

505. II. *Obj.* 1° Ex S. Thoma voluntas antecedens ea est, quæ præscindit a circumstantiis omnibus creaturæ, et 2° qualem habet judex salvandi hominem homicidam; quæque 3° non habet effectum nisi voluntas consequens adjungatur, ut ipse loquitur in 1 *dist.* XLVII q. 1 art. 2 et quæ 4 juxta eundem doctorem 1 p, q. 19. art. 6. ad 1. appellanda est potius *velleitas*, seu voluntas secundum quid, quam vera voluntas. Ergo ex S. Thoma hæc Dei voluntas, quæ antecedit peccatum originale sterilis est et otiosa velleitas et 5° meræ complacentiæ, qualis est illa, qua Deus vult etiam dæmonum, ac damnatorum salutem.

506. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Præscindit a circumstantiis creaturæ *personalibus* meriti vel demeriti, consensus vel dissensus gratiæ, et particularibus, *conc.* a circumstantiis naturæ communibus, nempe peccati originalis, *neg.* Nam S. doctor in 1. sent. D. XLVII art. 2 aperte docet, quod voluntas Dei consequens sit ea *quæ supponit præscientiam* operum; ergo antecedens Dei voluntas juxta ipsum ea est, quæ præscindit ab hac *præscientia operum*, et ut ibidem loquitur, quæ præscindit ab eo, quod aliquis *consentit* vel *resistit gratiæ divinæ.*

507. *Ad* 2m, *Dist.* Si esset adæquata similitudo, *conc.* Si inadæquata, *neg.* Jam vero prout exponit ipse Gonetus, hæc similitudo adæquata non est quantum ad omnia, sed solum quantum ad aliquid. Hinc judex ut provisor particularis nulla media præparat reo, quibus ipse capitis pœnam evadere possit; e contrario Deus ut provisor generalis per voluntatem antecedentem,

qua vult omnes homines salvos fieri, dat omnibus media sufficientia ac necessaria ad salutem [1]).

508. *Ad* 3m, *Dist.* Principalem, nempe salutem, *conc.* minus principalem, collationem scilicet gratiæ necessariæ ad salutem, *neg.*

509. *Ad* 4m, *Dist.* Comparate ad voluntatem consequentem *consideratis*, ut ipse ibidem loquitur, *omnibus circumstantiis particularibus*, *conc.* in se, *neg.* Quod adeo verum est ex mente S. doctoris, ut juxta ipsum voluntas beneplaciti, licet antecedens, actuosa sit, et *cujus effectus*, inquit, loc. cit. *est ipse ordo naturæ in finem salutis*, *et promoventia in finem omnibus communiter proposita*, *tam naturalia*, *quam gratuita.* Quare semper sibi cohærens S. doctor tum alibi, tum lib. III, cont. gent. c. CLIX, subdit: *Deus quantum in se est*, *paratus est omnibus gratiam dare*, vult enim omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem virtutis venire, *ut dicitur* I, ad Tim. II. *Sed illi soli gratia privantur*, *qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei*, *qui oculos claudit*, *si ex hoc aliquod malum sequatur; licet videre non possit nisi lumine solis præveniatur;* ex quibus obiter observamus non esse proprium molinistarum, ut quidam dixerunt: *larga manu auxilia sufficientia omnibus conferre.*

510. *Ad* 5m, *Dist.* Id est qualem vere habuit ante ipsorum damnationem, *conc.* post damnationem, *neg.*

511. *Inst.* 1° Voluntas conditionata est Deo indigna. Sane 2° si Deus reipsa vellet omnium omnino salutem, inutile foret ipsum orare pro omnium salute; jam vero ex apostolo debemus pro omnibus orare. Ergo.

512. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* conditione se tenente ex parte ipsius Dei, *trans.* vel *conc.* ex parte objecti, *neg.*

513. *Ad* 2m, *Neg. maj.* Deus enim potest velle omnium salutem sub conditione orationis nostræ; addo nos orare pro ecclesia, pro pane quotidiano, licet Deus et ecclesiæ firmitatem, et panem promiserit [2]).

1) Gonet tom. I, disp. 4. *de voluntate Dei*, art. 3, §. 2, num. 83, ubi cum sibi opposuisset exemplum, seu paritatem mercatoris qui non censetur habere voluntatem sinceram conservandi merces dum eas proiicit in mare ad naufragium vitandum, resp. neg. paritatem „quia mercator, inquit, est aliqua persona particularis, quæ solum intendit bonum particulare, et utile, non vero bonum commune et generale totius universi; unde si ille posset adhibere media efficacia ad conservationem mercium, imminente tempestate, et ea tamen respueret, vel negligeret, non censeretur habere voluntatem veram et sinceram de illarum conservatione. Deus autem est causa generalis et universalis provisor etc." Cf. Ib.

2) Cons. Tournely *de Deo* q. 19, art. 10, concl. 3.

DIFFICULTATES.

Adversus mortem Christi pro omnibus.

514. I. *Obj.* Si constaret Christum pro omnibus reipsa mortuum esse, ideo esset, quia passim in scripturis legitur quod pro omnibus Christus passus sit, dederit semetipsum redemptionem pro omnibus, aliaque ejusmodi. Atqui ex his vocibus *omnes*, *omnibus* etc. nihil confici potest, cum exploratum sit ejusmodi voces vel ad paucos restringi vel ad multos; sic Joan. XII, 32 dicitur: *si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum* [1]); Joan. I, 9, *erat lux vera*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [2]) I, Cor. XV, 22, *sicut in Adam omnes moriuntur*, *ita et in Christo omnes vivificabuntur* [3]); licet de facto Christus nec ad se omnes traxerit, nec omnes illuminet, nec omnes vivificet. Ergo.

515. *Resp. Dist. maj.* Etiam, *conc.* tantum, *neg.* recolantur dicta in probationibus; *neg. min.* Ad prob. *dist.* scriptura has voces sæpe restringit ac limitat, *trans.* semper et in casu nostro, *neg.* absurdum enim est concludere numquam in vera sua significatione ac latitudine accipi voces *omnes* etc. ex eo quod eædem voces interdum limitentur.

516. I. *Inst.* Scriptura in casu nostro hanc vocem limitat si expresse affirmat Christum pro *multis* dumtaxat mortuum esse: atqui. Etenim Matth. XX, 28, Christus de se ipso testatur venisse *animam suam dare redemptionem pro multis* [4]), et cap. XXVI, 28. *Hic est sanguis novi testamenti*, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [5]), seu prout legitur apud S. Lucam c. XXII, 20, *qui pro vobis fundetur;* et Heb. IX, 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* [6]). Ergo.

517. *Resp. Dist. maj.* Si expresse affirmet Christum *pro multis* mortuum esse ita ut vox *multis* supponat pro *omnibus*, *conc.* pro multis tantum, *subd.* effective, *conc.* affective, *neg.* Itaque observat ipsemet Augustinus lib. II, Op. imp. cap. CLXXV. *Non repugnare omnibus multos significare, quia ipsi omnes non*

1) *Κἀγὼ, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν.*

2) *Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τον κόσμον.*

3) *Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριςῷ πάτες ζωοποιηθήσονται.*

4) *Δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντι πολλῶν.*

5) *Τοῦτο γάρ ἐςι τὸ αἱμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθηκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.*

Luc. XXII, 20. *Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.*

6) *Ὁ Χριςὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ανενεγκεῖν ἁμαρτίας.*

pauci, sed multi sunt. Deinde concedimus Christum reipsa quoad effectum seu salutem in actu secundo non mortuum esse nisi pro multis, quia de facto non omnes salvantur, sed contendimus quoad affectum, seu intentionem ejus in ordine ad media salutis omnibus obtinenda et applicanda pro omnibus, nemine excepto, mortuum esse; quod si non omnes salvantur ex culpa solum reproborum est [1]). Nec prætereundum est ex collatione textus S. Matthæi, cum textu S. Lucæ evidenter constare Christum etiam pro reprobis sanguinem fudisse, siquidem Judas reprobus, prout fert communis sententia, erat unus ex communicantibus, et tamen Christus inquit *pro vobis funde-tur.* Ergo.

518. II. *Inst.* Atqui ita scriptura restringit vocem *omnes* ad multos, ut multorum nomine non veniant nisi electi; nam Apoc. V, 9, dicitur: „redemisti *nos* Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua etc. [2])." et Joan. X, 15, *animam meam pono pro ovibus meis* [3]); et aliis omissis Matth. XV, 24, Christus aperte declarat se non esse missum *nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël* [4]). Ergo.

519. *Resp. Dist. antec. Nisi electi* quoad efficaciam in actu secundo, seu quoad effectum, *conc.* quoad efficaciam in actu primo, seu quoad affectum, et gratiæ necessariæ largitionem, *neg.* Responsio patet ex dictis. Quum igitur scriptura redemptionis beneficium restringere videtur, vel cum dicit Christum mortuum esse pro electis, vel pro ovibus suis ut in locis citatis, vel quum alibi dicit mortuum esse pro credentibus *ut omnis, qui credit in eum non pereat*, vel pro iis, qui sunt in ecclesia *tradidit semetipsum pro ea;* hæc dicuntur non in sensu *exclusivo*, *sed præcisivo*, id est præcise affirmat scriptura Christum mortuum esse pro electis in sensu a nobis exposito, nec tamen negat mortuum etiam esse pro cæteris, sed solum ibi de illis reticet, quod alibi non semel, ut vidimus, clare inculcat. Christus proinde *redemit omnes*, *vocavit multos, salvavit paucos*, quia omnes suo modo vocantur, multi credunt, et pauci perseverare volunt.

1) Atque hic illorum solutio, quam plures tamen dare solent, non videtur satis accurata, quum dicunt Christum mortuum esse pro omnibus quoad *sufficientiam*, non tamen quoad *efficientiam* sive effectum. Si enim sermo esset tantum de sufficientia pretii a Christo soluti, jam nulla superesset controversia cum jansenistis. Ipsi enim ultro dant, pretium sanguinis Christi sufficiens esse ad omnium solvenda peccata, imo et damnatorum et dæmonum etiam. Sed controversia est an Christus tale pretium dederit ad promerendum omnibus gratias necessarias ad salutem, nec ne; et præterea ita promeruit ex intentione eas reipsa omnibus *conferendi*, et non solum *offerendi*, quin reipsa tribuat ut nonnulli autumant.

2) *Ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου, ἐκ πάσης φυλῆς καὶ γλώσσης.*

3) *Τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων* ubi observandum in græco textu non haberi *meis.*

4) *Εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ.*

520. III. *Inst.* Pro illis solis mortuus est Christus pro quibus oravit: atqui oravit pro solis prædestinatis, nam Joan. XVII, 9. Christus sic Patrem orat: ***non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi*** [1]). Ergo.

521. ***Resp. Dist. maj.*** Oravit pro solis apostolis, seu pro solis prædestinatis hac singulari oratione, *trans.* nunquam oravit pro aliis, *neg.* Hinc dato etiam, quod citatis verbis Christus oraverit pro omnibus et solis prædestinatis nihil inde concludi potest, nisi probetur Christum numquam pro aliis orasse. At vero longe abest, ut hoc probetur, quin potius contrarium constet; nam in hac eadem oratione ver. 20, orat pro omnibus credituris dicens: ***non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:*** et ver. 21, orat ***ut mundus credat, quia tu me misisti*** [2]): et Luc. XXIII, 34, orat pro suis tortoribus ***Pater dimitte illis:*** et alibi legimus quod esset ***pernoctans in oratione Dei*** [3]). Ergo.

522. IV. *Inst.* 1° Si Christus orasset pro omnibus, omnibus de facto obtinuisset salutem, cum Christi oratio semper exaudita fuerit a Patre: ***Ego sciebam,*** ait ipse Christus Joan. XI, 42, ***quia semper me audis*** [4]), et Heb. V, 7, de Christo dicitur: ***exauditus est pro sua reverentia:*** atqui non omnes salvantur; 2° concludendum est igitur cum Jansenio, quod Christus oraverit pro quibusdam, ut salvarentur, pro aliis ut justificarentur, pro aliis ut crederent sine charitate, et eodem modo pro his tribus classibus passus et mortuus fuerit [5]), et sic omnia cohærent.

523. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist. maj.*** Si Christus non semper orasset consentanee cum voluntate Patris, *conc.* Si semper oravit consentanee cum Patris voluntate, *neg.* Jam vero quum in Patre, seu in Deo duplex distinguatur voluntas antecedens et consequens, juxta dicta, relata ad hominum salutem, hinc Christus conformiter ad duplicem divinam voluntatem semper oravit, semperque exauditus est; id manifestum fit ex ipsius oratione quam fudit in orto dicens: ***Pater, si fieri potest transeat a me calix iste, veruntamen non sicut Ego volo, sed sicut tu:*** quæ oratio erat conditionata, et conformis voluntati Patris; quum igitur voluntas Dei antecedens sit ut omnes salventur, consequens vero ad prævisionem meritorum, ut non salventur, nisi qui gratiis usque ad mortem bene usi fuerint,

1) *Οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ, ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι.*

2) *Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιςευσόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμέ.*
Ἵνα ὁ κόσμος πιςεύσῃ ὅτι σύ με ἀπέςειλας.

3) *Luc.* loc. cit. *Πάτερ ἄφες αὐτοῖς.* *Luc.* VI, 12. *Διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ.*

4) *Ἐγὼ δὲ ᾔδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις.* *Heb.* loc. cit. *Εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.*

5) Lib. III, *De gr. Chr.* cap. 21, pag. 164, col. 2.

hinc Christus in eodem sensu oravit, et exauditus est; quin tamen omnes de facto salventur.

524. *Ad* 2m, *Dist.* In ordine tamen ad salutem ab ipso intentam quam credentes, et justificati bene utendo gratiis sibi concessis possint obtinere, *conc.* ut non consequerentur nisi gratias temporales fidei et justificationis per exclusionem salutis, *neg.* hoc enim abhorret a Dei idea, qui non alio fine ejusmodi gratias largiretur, nisi ut homines deterius damnarentur.

525. V. *Inst.* Juxta S. Aug. lib. XXI de civ. cap. XXIV, *si de aliquibus certa esset* (ecclesia), *quod prædestinati sint in æternum ignem ire cum diabolo*, 1° *tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* Atqui Christus noverat reprobos ad æternum ignem destinatos. Ergo pro eis non oravit, 2° imo nec mortuus est, alioquin pœnas luisset peccatis reproborum debitas, qui proinde jam damnari non possent.

526. *Resp. Ad* 1m, *Dist. major.* Non oraret consequenter ad prævisam eorum damnationem, *conc.* non oraret antecedenter ad ejusmodi prævisionem, *neg.* sic *dist. conseq.* Christus pro eis non oravit consequenter ad prævisam eorum damnationem, *conc.* antecedenter ac præcisione facta ab usu vel non usu gratiarum quas ipsis promeritus est, *neg.* Reprobatio enim non est nisi effectus abusus, seu non usu gratiarum, gratias autem ad salutem necessarias Deus ex S. Thoma loc. cit. et nos suo loco ostendemus, omnibus concedit, quia vult omnes homines salvos fieri, misitque Filium suum ut daret semetipsum pro omnibus, proprio enim Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ut ait S. Paulus [1]), ut quemadmodum omnes in Adam mortui sunt, sic Christo quantum ex se erat, vivificarentur.

527. *Ad* 2m, *Dist.* Pœnas luisset peccatis reproborum debitas conditionate, *conc.* absolute, *neg.* Nempe Christus passione sua meruit pro omnibus gratias quibus homines bene utentes applicarent, sibi merita mortis suæ, quæ conditio si ab hominibus impletur, remissionem peccatorum consequuntur et salvantur; si non impletur, damnantur et pereunt, prout damnantur reprobi, qui conditionem istam non implent, et ideo non implent, quia *nolunt* implere, ita ut nemo dicere possit *per Deum abest* quominus salvus sit [2]).

528. II. *Obj.* Ex SS. patribus. S. August. tr. I, in epist. Joan. n. 8, expendens verba illa *ipse est propitiatio ... pro totius mundi* intelligit mundi nomine *ecclesiam*, pro qua sola Christus mortuus est; tract. autem LII in Joan. expendens illud Christi *omnia traham ad me ipsum* exponit de *omnibus prædestinatis*, sic lib. XXI, de civ. Dei cap. XXIV, exponens verba

1) Rom. 8, 32. 2) Eccli. 15, 11.

apostoli Rom. XI, *conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur,* inquit, *omnium itaque miseretur vasorum misericordiæ ... eorum scilicet, quos ex gentibus, et eorum quos ex judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit; non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus,* quia, ut scribit ad Evodium epist. CLXIX alias CII *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus,* atque ut habet in lib. 1 de adult. conjugiis cap. XV, *omnis, qui sanguine Christi redemptus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est.* Ergo juxta S. Augustinum Christus pro solis credentibus, seu pro solis potius prædestinatis mortuus est. His addi possunt Prudentius episcopus trecenis in tractatoria; nec non S. Remigius episcopus lugdunensis in lib. *de tribus epistolis,* et in lib. *de tuenda veritate scripturæ,* ubi capitulum IV, carisiacum de Christi morte pro omnibus velut absurdum et erroneum reprehendit; item concilium valentinum III, damnans eundem canonem carisiacum, definiensque Christum pro solis credentibus mortuum esse; synodi lingonensis, et tullensis quarum capitula confirmavit Nicolaus I,[1]). Ergo.

529. ***Resp.*** I. Ergo juxta citatos auctores Christus saltem mortuus est etiam pro reprobis fidelibus, ac proinde non pro solis prædestinatis, ut cum prædestinatianis contendit Jansenius.

530. ***Resp.*** II. ***Dist. cons.*** Ergo juxta allatas patrum et conciliorum auctoritates Christus pro solis credentibus mortuus est, imo pro electis ad obtinendam eis de facto fidem vel salutem cohærenter ad voluntatem Dei consequentem, *conc.* pro solis credentibus, vel electis mortuus est ad exclusionem infidelium et reproborum ita ut eis non promeruerit media, sive gratias necessarias ad fidem ac salutem cohærenter ad voluntatem Dei antecedentem, *neg.* dummodo hæc principia probe teneantur, difficile non est illas patrum ac conciliorum sententias, quæ specie sibi contrariæ videntur, conciliare.

531. Neque omittendum est 1° scopum patrum et conciliorum, quæ nobis opponuntur, esse pelagianorum ac semipelagianorum erroneam et hæreticam doctrinam evertere de æquali Dei et Christi affectu erga omnes sive prædestinatos sive reprobos, adeo ut utrorumque discretio, ut sæpius diximus, *a solis pendeat naturæ viribus.*

532. 2° Has auctoritates, si ad vivum resecari deberent, æque premere adversarios, qui concedunt Christum obtinuisse reprobis gratias saltem temporales.

533. 3° Capitulum IV carisiacum damnatum tum a synodis valentina, ac tullensi, tum a S. Remigio lugdunensi errore fa-

1) Jans. Tom. 3, lib. 3, c. 21, p. 103, col. 2. A. Item p. 165, col. 2, C.

cti deceptis, eo quod putaverint eo sensu concilium carisiacum definivisse Christum pro omnibus mortuum esse, ut mortuus pariter fuerit pro dæmonibus ac damnatis [1]). Prudentius autem trecensis nullius hac in parte auctoritatis est, utpote qui ad errores prædestinatianorum declinaverit.

PROPOSITIO III.

Deus voluntate seria et antecedente vult etiam infantes decedentes sine baptismate salvos fieri, et Christus pro iisdem mortuus est.

534. Hæc propositio pia est et communis inter theologos: nam eadem argumenta, quæ militant pro generali Dei voluntate salvandi omnes prorsus adultos æque militant pro voluntate Dei salvandi omnes infantes, quacumque demum ratione, ex hac vita sine baptismo eripiantur; imo majorem quodammodo vim pro infantium salute præseferre videntur, quatenus infantes ea impedimenta divinæ gratiæ non opponunt, quorum tamen salutem Deum quantum ex se est vere exoptare ac velle ostendimus.

535. Quare generali hoc solo argumento hanc propositionem evincimus: Deus sincere vult etiam istorum infantium salutem, si Christus et pro his infantibus sanguinem suum fudit ac mortuus est, ut ipsi pariter in eo vivificarentur; atqui.

536. Jam vero minor evidenter patet ex auctoritate apostoli II, Cor. v. 14, 15: *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus* [2]) in quæ verba hæc habet S. Augustinus lib. I, Op. imp. contra Julianum cap. LXIV, *unus pro omnibus mortuus: ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc apostoli invicta est, ac per hoc, quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt* et ib. lib. II, cap. CLXIII, *clamat apostolus: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est; et vos reclamatis: non sunt mortui parvuli: clamate et quod sequitur; ergo non pro ipsis mortuus est.* Ergo.

537. Ad præoccupandas adversariorum difficultates notandum est hanc Dei voluntatem antecedentem sub duplici respectu conditionatam dici posse; tum scilicet ex parte parentum,

1) Patet ex ipsis verbis can. IV conc. valent. III apud Labbé tom. 8, col. 136 et can. IV conc. tullens. iisdem verbis concepti ac can. IV. syn. valent. ibid. fol. 690. Cf. de hoc arg. Petav. lib. XVIII *de Incarnat.* c. 8 et seqq. et de prædestinat. ad gloriam et reprobat. *Commentarium historicum Caroli du Plessis d'Argentré soc. Sorbon. Lut. Par.* 1709 cap. 7 et 8.

2) *Εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον· καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν.*

tum ex parte ordinarii naturæ cursus, quatenus Deus quantum ex se est velit quidem et hos salvos fieri, et applicari ipsis media illa generalia, quæ et pro ipsis præparavit, dummodo tamen non obsistat reali istorum applicationi vel perversa parentum voluntas, aut aliqua ipsorum culpa ac negligentia; vel dummodo non obstet ordinarius naturæ cursus, quem ipse utpote provisor universalis non vult perturbare et impedire ad hoc ut istis infantibus in particulari salutis media de facto applicentur; alioquin perpetuo ad miracula confugere deberet. Hinc antecedens hæc Dei voluntas juxta nostrum concipiendi modum ratione prior est prævisione istorum impedimentorum, e contrario voluntas Dei consequens circa effectivam infantium salutem et perditionem ea est, quæ eorumdem impedimentorum prævisionem subsequitur.

DIFFICULTATES.

538. I. *Obj.* Deus non vult salutem illorum quibus nulla præparavit, aut confert media ad salutem consequendam idonea: atqui tales saltem infantes sunt in utero matris morientes. Ergo.

539. *Resp.* I. *Dist. maj.* Quibus nulla præparavit aut confert media ad salutem consequendam idonea nec immediate, neque mediate, *trans.* saltem mediate, *neg.* tales sunt infantes isti quorum parentibus Deus auxilium sufficiens et idoneum confert pro loco et tempore, quo non solum propriæ, sed etiam saluti filiorum prospiciant. Ita auctor librorum de vocat. gentium lib. II, cap. XXIII, *non irreligiose arbitror credi*, inquit, *neque inconvenienter intelligi quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ universis semper est impensa nationibus, qua utique, si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Semper propterea supponitur aliqua culpa ex parte parentum aliorumve quorum curæ commissi sunt ob quam infantes decedunt sine regenerationis lavacro.

540. *Resp.* II. *Dist. maj.* Non præparavit media ad salutem *idonea* ex defectu vel parentum, vel naturalis causarum secundarum ordinis, quem Deus ut provisor universalis impedire non vult, *conc.* ex defectu conferentis, nempe Dei, *neg.* S. Thomas in IV sent. D. VI, q. 1, a. 1, ad 1, *dicendum*, inquit, *quod non ex defectu divinæ misericordiæ* (infantibus) *in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii .... quia non possunt subjici operationi ministrorum ecclesiæ, per quos talia remedia ministrantur.* Quia scilicet, ut observat Suarez lib. IV, de providentia gratiæ circa reprobos cap. IV, n. 10, divinæ voluntatis effectus circa æternam salutem horum parvulorum, habet rationem cujusdam intentionis illius finis *quatenus per media com-*

parari potest: seu ut loquitur n. 12, *per quæ salus applicari solet* [1]). Utraque responsio bona est; cum quilibet seligat, quæ magis sibi arriserit.

541. II. *Obj.* S. Augustinus sensit Deum nullo modo velle istorum infantium salutem: cæteris enim locis prætermissis, ep. CCXVII, n. 17, ad Vitalem ita loquitur S. doctor: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam) *fuisse accepturos ... cum multis non detur parvulis, et sine illa plerique moriantur? ... Et aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis Deo nolente, non detur, cum repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur.* Ergo.

542. *Resp. Neg. antec. Ad prob. Dist.* Deo nolente voluntate consequente, *conc.* voluntate antecedente, vel *neg.* vel *subd.* voluntate negativa, non tollendi scilicet illa impedimenta, *conc.* voluntate positiva, seu ex directa ordinatione impedimentorum, *neg.* Excludit S. doctor voluntatem solum efficacem et absolutam, non autem conditionatam qualem nos propugnamus. Id patet ex eo, quod S. Augustinus locis supra adductis habuerit mortem Christi pro istorum parvulorum salute oblatam, ut principium inconcussum quo utitur ad demonstrandam in omnes peccati originalis propagationem. Manifestum est autem Christum mortem suam non obtulisse pro salute illorum, quorum salutis, nequidem antecedentem et conditionatam in Deo voluntatem existere sciebat.

543. *Inst.* Non desunt catholici theologi, qui negent Deum velle parvulorum istorum salutem quique propterea negent

1) Cf. lib. 4, *de providentia grat.* cap. 4 ubi fuse hæc evolvitur materia, et rejecta illorum theologorum sententia, qui voluntatem Dei circa horum infantium salutem exponunt de mera quadam complacentia, quæ reperiri in Deo potest etiam quoad damnatos, pergit eximius doctor ostendere quomodo vera ac proprie dicta sit in Deo voluntas circa salutem talium infantium, et quomodo vere ac proprie pro iisdem Christus mortuus fuerit, etsi salutem et fructum Christi mortis de facto non consequantur ob impedimenta recensita quæ Deus vincere ac superare non intendit generali illa voluntate, vocatque hanc sententiam communiorem inter theologos. Ibique argumenta Vasquezii in *I. P. Disput.* XCVI, cap. 2, soluta inveniuntur; profecto si Vasquez prævidisset abusum quem suæ sententiæ facturus erat Jansenius in eam minime concessisset. Id ipsum de nonnullis aliis recte pronunciare licet.

Addo Vasquezium fortasse nonnisi verbis a communi theologorum sententia recedere; sic enim scribit in 1. p. S. Thom. q. CVI, cap. 3. „Cæterum tribus de causis dicere possumus Christum pro omnibus parvulis mortuum esse, qui tamen pro dæmonibus nullo modo mortuus dicitur: primo, quia communis erat causa parvulorum et omnium hominum, ob quam venerat, et pro qua oravit, extra quam dæmones omnino erant. Secundo quia juste et pie credimus Christum non expresse denegasse ullis parvulis meritum suum, et a fructu suæ passionis apud Patrem eos exclusisse, sicut dæmones rejecit. Tertio, quia non minus pie affirmare possumus Christum voluntate simplicis affectus omnibus parvulis, nemine excepto, etiam post peccatum primi parentis, salutem desiderasse, sicut sibi ipsi vitam concupivit; atque ita pro omnibus orasse, ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur a morte, sed cum ea conditione, quam pro se facta adjecit: *verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*" Deinde dicta confirmat auctoritate S. Prosperi.

Christum pro illis proprie mortuum esse; sed solum quoad causæ communitatem et sufficientiam pretii mortuum esse contendant. Ergo.

544. ***Resp. Dist.*** Sed immerito, quique manifeste contradicant apostolo, *conc.* jure ac juxta apostoli doctrinam, *neg.* Manifeste enim istorum theologorum sententia adversatur apostolo dicenti: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* quorum verborum hic sensus est: si unus mortuus est ad liberandos omnes a morte, ergo omnes per peccatum mortui sunt: alioquin ut per se patet, nulla esset illatio ab apostolo facta. Præterea hæc verba *unus pro omnibus mortuus est* sumi debent in sensu obvio et proprio: atqui sumpta in sensu obvio et proprio significant Christum mortem suam Patri obtulisse ex sincera voluntate, ut omnibus prodesset ad salutem. Ipso enim Jansenio fatente (qui certe hac in parte suspectus esse non debet) Christum *esse passum, crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicit, quam nude pretium sufficiens obtulisse, quod iis applicari nolit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret* [1]). Hic est fidelium sensus, et sensus ipsius S. Augustini, ut superius ostendimus. Ad hæc porro si attendissent doctores, qui nobis opponuntur, nunquam profecto ex inconsideratione in illam descendissent sententiam. At rursum de hoc argumento in tractatu de gratia.

1) Tom. 3 lib. 3, cap. 21, p. 164, col. 1. *B.*

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS.

PARS QUARTA

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE.

545. Ad divinam scientiam simul et voluntatem, ut animadvertit S. Thomas in proœmio quæstionis XXII potissimum spectat tum generalis rerum omnium providentia, tum peculiaris sanctorum prædestinatio; quare ordo doctrinæ postulat, ut de his distinctis capitibus mox disseramus. De divina autem seu beatifica visione, quæ est prædestinationis objectum et finis commodius agemus in tractatu de Deo Creatore.

CAPUT I.

DE PROVIDENTIA.

546. Recte divina providentia, quæ a procul videndo dicitur, definitur a S. Thoma 1. p. q. 22. a. 1. ratio ordinis rerum in finem in Deo existens [1]). Duo providentia complectitur, ipsam rerum omnium ad suos fines ordinationem, quæ pertinet ad intellectum, et istius ordinationis per media idonea in tempore executionem, quæ spectat ad voluntatem.

547. Præter epicureos divinam providentiam negarunt fatalistæ, nec non ii omnes, qui universalia quidem a Deo procurari affirmarunt, non autem singularia, ac minima quæque; item ex recentioribus illis philosophis, qui ita in omnibus vident causarum secundarum effectionem, ut nullibi Dei operationem agnoscant, qui etsi conceptis verbis providentiam haud negent, ita tamen se gerunt et loquuntur ac si nulla Dei providentia esset. At nedum fides docet, verum etiam ratio persuadet Deum res creatas cunctas, licet minimas actusque nostros etiam liberos infinita sua providentia temperare.

1) Præclare a Seneca ep. LXXI. 13 edit. Taur. providentia dicta fuit „æterna ars cuncta temperantis Dei."

PROPOSITIO

Datur in Deo providentia, quæ ad omnia et singula se se extendit.

548. Propositio ad fidem spectat: nihil enim est in sacris literis magis expressum quam Dei providentiam se se ad omnia porrigere; sic Sap. XII 13. dicitur: ***Non est alius Deus**, quam tu, cui cura est de omnibus;* et ps. CXVIII 91. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi;* sortes ipsæ, quibus nihil magis fortuitum videtur teste Salomone in Prov. c. XVI 33. *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Demum Christus, ne plura congeram, apud Matthæum et Lucam [1]) distinctissime tradit volatilia cœli, hortorum lilia, fœnum agri, et capillos capitis Dei omnino subjici providentiæ, ita ut illorum nec unum cadat absque ejus imperio, ex quibus inde colligit idem Christus multo magis nihil esse, vel minimum in humanis actibus, quod ab ejus providentia ordinatum non sit.

549. Id ipsum confirmatur ex ratione; nam omnia argumenta, quæ superius ad probandam Dei existentiam allata sunt ejusdem etiam providentiam evincunt, quod ita S. Thomas loc. cit. ostendit. Si enim Deus adspectabilis hujus mundi est conditor, omnia, quæ in eo bona sunt Deo tribuamus oportet; inter bona autem hujus universi numerari profecto debet rerum omnium ad certos fines ordinatio, quam ignorare aut inficiari non potest nisi is qui mirabiles constantesque naturæ leges stupide non considerat; ergo hujus quoque ordinis auctor est Deus, sive in Deo est providentia, et ratio ordinis rerum in finem.

550. Eandem vero ad quæcumque prorsus extendi probat art. seq. cum enim Deus semper agat propter finem, quidquid agit in suum etiam finem dirigit, tam late igitur patere Dei providentia debet quam ejus efficientia; atqui hæc ad singulas res tametsi vilissimas diffunditur; ergo et illa. Itaque ut omnes creatæ res existentiam sui auctoris ostendunt; sic ordo in illis elucens summi provisoris præsentiam, sapientiam, præstantiamque demonstrat.

551. Jure proinde Clemens Alex. Strom. lib. IV *Qui providentiam*, inquit, *esse non putat revera atheum se putat;* et lib. V *Nec responsionem, sed pœnam mereri testatur eum, qui demonstrari sibi petit esse providentiam.* Cæteros patres omitto, excribendi enim libri integri essent, si testimonia huc spectantia afferre quis vellet [2]).

1) Matth. VI. 26 et seqq. Luc. XII 22 et seqq.

2) Cfr. Petav. lib. 8 *de Deo* capp. 1-5; et Lessius in opusc. *De provid. Numinis.*

552. Ad præcavendas difficultates notandum est, quod etsi Deus rebus omnibus provideat, non providet tamen omnibus immediate. Providet scilicet immediate, cum per se solum media exequitur; mediate vero, cum media exequitur per causas secundas. Quod quidem facit, ut ait S. Thomas q. c. a. 3. *non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis; ut dignitatem causalitatis communicet.* Sive autem provideat immediate, sive mediate, semper assequitur finem ultimum et generalem, nempe gloriam suam. At non semper, quod sedulo notandum, assequitur fines particulares, quia non omnes, sed aliquos tantum intendit efficaciter, alios vero solum intendit conditionate. Ad rationem autem perfectæ providentiæ non requiritur, ut finem inefficaciter et conditionate tantum volitum, provisor assequatur. Nam deviatio a fine sic volito, est medium sapienter ordinatum ad finem ultimum et generalem efficaciter intentum, et ad ejus assecutionem efficaciter conducit [1]).

DIFFICULTATES.

553. I. *Obj.* Non obscure scriptura ipsa insinuat Deo curam non esse de omnibus et singulis; apostolus enim 1. Cor. IX 9. inquit: *Numquid de bobus cura est Deo?* et Habacuc 1. 14: *Facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem;* in quæ verba nota est Hieronymi expositio cum asserit: *absurdum esse etc.* neque ab his obhorrere videtur ipse Angelicus doctor 1. p. q. 23. a. 7. inquiens: *quod licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen*

Com. de Maistre in suis *Soirées de Saint-Pétersbourg*, eleganter non minus quam solide hoc prosequitur et evolvit argumentum de divina providentia. Quod pariter præstitit Cl. Rosmini *Opuscoli filosofici* vol. I, *Milano* 1837 præsertim *Della divina Providenza saggio primo*, licet vero tria subsequentia specimina ad aliud argumentum referri videantur, ad eundem tamen scopum seu finem divinæ providentiæ constabiliendæ referuntur; cfr. *Prefaz.* cl. auctoris.

Ex antiquis inter cæteros Theodoretus decem orationes scripsit *de providentia Dei.*

Synesius Episcopus Cyrenes scripsit libros duos *de providentia* quos cum cæteris ejusdem operibus vulgavit et interpretatus est Petavius *Parisiis* 1635 vol. I *f.* Salvianus Masiliensis episc. scripsit libros octo *de vero judicio et providentia Dei.*

1) Cons. S. Thom. I. p. q. 22 ar. 2 a. 2 ubi ait: „quod aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali, quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest: sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius... Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium: nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum."

numerus vel boum, vel culicum etc. est per se præordinatus, a Deo, qui proinde concludit in 1. sent. d. XLVI q. 1. a. 3. a. 6. *quod si nullos homo peccaret universum genus humanum melius foret*. Ergo.

554. *Resp. Dist. antec.* id est eadem ratione, *conc.* diversa ratione, *neg.* Hæc enim omnia, quæ adducta sunt, hisque similia, quæ adduci possent non aliud evincunt nisi inesse Deo specialem curam ac providentiam erga homines, quam circa bruta animantia, etsi et istis provideat.

555. Itaque apostolus loc. cit. ratiocinatur a minori ad majus, quasi diceret: si curat Deus boves, quibus triturantibus os alligare vetat, negliget nos verbi sui ministros, nec magis alendos præcipiet?

556. Verba Habacuc *respective*, ad homines nempe, non *absolute* accipienda sunt.

557. Textum S. Hieronymi superius exposuimus.

558. S. Thomas in primo textu loquitur de speciali præordinatione, quam individua non habent primario et ratione sui, sed solum respectu ad eorum species, quæ peculiari ratione ad universi perfectionem pertinent et ad quam præordinantur, ut ibid. S. doctor explicat, et quæs. V de veritate.

559. In altero vero loquitur de bono particulari, et hominum proprio in se spectato, non autem de bono in genere, sive respectu totius universi, et præsertim majoris gloriæ Dei.

560. II. *Obj.* Providentia sine justitia in Deo admitti nequit; jam vero totum hoc universum injustitia plenum est 1° impiis enim prospera, et adversa justis sæpe contingunt, 2° exinde frequentes in sacris literis justorum querelæ et perturbationes: *Quare impii vivunt?* Interrogat Job. XXI, 7. *Quare via impiorum prosperatur?* Sciscitatur Jeremias XII 1, et regius psaltes fatetur ps. LXXII, 2, de se: *Mei autem pene moti sunt pedes . . . pacem peccatorum videns.* His accedit 3° inæqualis bonorum malorumque distributio, quæ testimonium dicit adversus justam Dei providentiam. Ipsa 4° quotidiana experientia ostendit non pro uniuscujusque meritis, sed pro uniuscujusque industria res omnes succedere, quod 5° quidem cohæret cum eo quod Ecclesiastici XV 14, de homine dicitur, quod nempe eum Deus *reliquerit in manu consilii sui*; et 6° psalmista de impiis asserit ps. LXX 13. Deum dimisisse *eos secundum desideria cordis eorum.* Ergo.

561. *Resp. Dist. maj.* Universum plenum est injustitia apparenti, *trans.* reali, *neg.*

562. *Ad* 1m, Data facti veritate, quæ verisimilius falsa est, *dist.* prospera impiis et adversa justis sæpe contingunt ex peculiari et altiori dispensatione divinæ providentiæ ac justissimis causis, *trans.* vel *conc.* ex defectu providæ justitiæ, *neg.* Deus enim hac ratione et majoris meriti occasiones justis præbet, et majo-

ris ruinæ impiorum malitiæ. Cum insuper nemo tam bonus sit, qui interdum non delinquat, sic nemo tam malus, qui bonum aliquod identidem non operetur; cum vero Deus nullam bonam actionem sine remuneratione, vel malam velit esse absque punitione, hinc justorum peccata hic temporali pœna castigat, ac bona impiorum opera temporali prosperitate remuneratur utrisque reservans in altera vita vel præmium vel pœnam eorum operibus pro meritis rependendam. Addo demum nihil adversarios proficere, nisi ostendant justos præcise miseros et afflictos esse, quia justi, malisque bona ac prospera succedere quia mali, quod nunquam ipsi præstabunt, vel præstare poterunt 1).

563. *Ad* 2m, *Dist.* Et ejusmodi justorum querelæ proveniebant ex zelo justitiæ, *conc.* ex dubitatione justæ divinæ providentiæ, *neg.* in has enim querelas interdum justi erumpebant ex zelo justitiæ, atque ex eo quo flagrabant amore divinæ gloriæ; cæterum et Jeremias vocat ibidem Deum justum, et David pariter subdit: *labor est ante me donec intrem in sanctuarium Dei*, *et intelligam in novissimis eorum.*

564. *Ad* 3m, *Neg.* inæqualem bonorum malorumque distributionem testimonium dicere adversus providentiam, sed dico eam potius valde commendare tum aliis de causis, tum ut magis fides nostra exerceatur, et in æternorum spem altius assurgat; tum etiam ut pateat, quam differant boni a malis cum utrique pari modo torquentur: *Manet enim*, pulcherrime inquit S. Augustinus, *dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum; et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium . . . nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum* 2).

565. *Ad* 4m, *Dist.* Quia Deus statuit res in hac vita permitti, et agi suis motibus, *conc.* secus, *neg.* et hoc quidem data veritate assertionis, quæ posset multis capitibus falsa ostendi, saltem sic absolute sumpta, cum sæpe eventus neque hominum consiliis, vel industriæ, aut malitiæ respondeant 3).

566. *Ad* 5m, *Dist.* Fatetur Ecclesiasticus Deum reliquisse hominem in manu consilii sui ad denotandam ejus arbitrii libertatem, *conc.* ad denotandum esse eum emancipatum a Dei providentia, *neg.* ut enim observat S. Thomas loc. cit. quia actus ipse liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt divinæ providentiæ subdantur: providentia enim hominis continetur sub universali.

1) Cfr. Com. de Maistre *Soirées etc.* t. I. *Troisième entretien cum notis.*

Legi etiam meretur Alphonsus Ant. de Sarasa S. I. in op. *Ars semper gaudendi demonstrata ex sola consideratione divinæ providentiæ* 2. vol. in 4. *Colon. Agripp.* 1676. Illud magni fecerunt vel ipsi protestantes.

2) *De civitate Dei*, lib. I, cap. 8. n. 2.

3) Cfr. Less. *De prov. num.* lib. III, n. 168.

567. *Ad* 6m, *Dist.* quatenus eos *speciali* illa providentia a malo non retrahit, qua retrahit justos et electos, *conc.* quatenus a generali etiam providentia dimittit, *neg.* Dum enim peccatores ab ordine divinæ legis excidunt, in ordinem incidunt divinæ justitiæ; quo spectant illa Augustini dicta: *Qui te dimittit quo it aut quo fugit, nisi a te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam in pœna sua* 1)? *In vetustatem perducens superbos et nesciunt* 2).

568. III. *Obj.* Si divino consilio omnia dirigerentur in hoc mundo 1° tot non essent vel inutilia, vel monstrosa vel noxia quibus natura abundat; tot 2° non darentur peccata. Hinc 3° recte Epicurus, teste Lactantio de ira Dei cap. XIII, stoicos providentiæ assertores hac torquebat dilemmatum congerie: „Deus aut vult tollere male et non potest; aut potest et non vult; aut neque vult neque potest; aut vult et potest. Si vult et non potest, imbecillis est; quod in Deum non cadit. Si potest et non vult, invidus, quod æque alienum est a Deo. Si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillis est: ideoque neque Deus. Si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala?" Addatur 4° neque Deum decere minutis hisce negotiis se implicare, nec 5° posse esse beatum si tot curis sit distentus. Ergo.

569. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Quæ tamen inutilia, monstrosa et noxia tantum sunt respectu nostri, qui ea calicantibus oculis contemplamur, nec fines singulos istorum attingimus, *conc.* respectu Dei, et relate ad totam rerum compagem, et universitatem, *neg.* Sancti ecclesiæ patres pluribus argumentis ac exemplis totam rem istam illustrant, qui consuli possunt apud Petavium 3).

570. *Ad* 2m, *Dist.* Si peculiari tantum uniuscujusque bono Deus prospiceret, *trans.* vel *conc.* Si bono totius universi præsertim vero gloriæ suæ, *neg.*

571. *Ad* 3m, *Resp.* Deum posse et nolle, nec tamen inde sequitur invidum eum esse, sed sapientissimum, omnipotentem et optimum; solius quippe tantæ sapientiæ, potentiæ ac bonitatis est ex malo etiam (quod creaturæ nullæ etsi præstantissimæ possent) maximum elicere bonum. Recolantur superius dicta adversus manichæos.

572. *Ad* 4m, *Neg.* Dedecere Deum minimis his, at in se mirabilibus vacare. *Si injuria est regere*, optime inquit Ambrosius, *nonne est major injuria fecisse?* 4).

1) Cfr. lib. IV *conf.* cap. 9.

2) Ibid. lib. I cap. 4. De hoc ipso argumento fuse agit S. doctor lib. XIV *de civ. Dei* capp. 26 et 27.

3) Lib. VIII cap. 5. Nec non Less. lib. I. Cfr. Ruffini *Riflessioni critiche ecc. memoria seconda* part. 2 §. 12 p. 56.

4) In lib. I *de officiis* cap. 13 cujus integra hæc verba sunt: „Et quis operator, ait, negligat operis sui curam? Quis deserat, et destituat, quod ipse

573. *Ad* 5m, *Dist.* Si Deus ad instar miseri hominis multiplici cura his implicaretur, *conc.* Si uno ac simplicissimo actu his omnibus prospiciat, *neg.*

574. IV. *Obj.* Saltem nulla dicenda est ratio ad adstruendam providentiam, quæ deducitur ex constanti eventuum serie, atque effectuum, qui a causis suis producuntur. Serio enim examine ejusmodi eventuum ac effectuum instituto a naturæ indagatoribus compertum est hanc effectuum constantiam fundamentum habere in causis regularibus quæ prius latebant. Ergo [1]).

575. ***Resp.*** *Neg. antec. ad prob.* autem *Dist.* Et causæ ejusmodi regulares novam addunt confirmationem existentiæ divinæ providentiæ, *conc.* excludunt vel saltem infirmant; *neg.* Ex eo enim quod detectæ fuerint causæ regulares, quæ constantem effectum producunt numquid sequitur has causas non fuisse a sapientissimo auctore, Deo nempe, constitutas? Qui hanc absurdam consecutionem infert non melius profecto ratiocinatur, ac ratiocinaretur sylvestris homo, qui admirans reperti cujusdam horologii constantem sphærularum motum, eoque aperto reperiret mechanismum internum qui talem motum producit, concluderet excludendam esse sapientiam ac manum artificis in eo elaborando. Desiperet iste profecto, ast non minus desipiunt quotquot ex causis secundis regularibus, quæ cernunt in hac rerum universitate concludunt nullam esse admittendam causam primam illarum effectricem ac moderatricem [2]).

CAPUT II.

DE PRAEDESTINATIONE.

576. Quæ de prædestinatione disputari solent revocantur ad ejusdem naturam et proprietates, causas et effectus. De his propterea, qua fieri potest brevitate, declinatis scholasticis concertationibus, singillatim agendum totidem articulis.

condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod fecerit, summa inclementia ?"

1) Ita La-Place in suo *Essai philosophique sur les probabilites*, pag. 84. 85.
2) Cfr. Ruffini loc. cit. p. 54.

ARTICULUS I.

De natura et proprietatibus prædestinationis.

577. Melius percipi non potest prædestinationis natura, quam ex ejus definitione. Jam vero prædestinatio a S. Augustino lib. de Prædest. S. cap. X definitur: *Gratiæ præparatio;* vel paulo prolixius lib. de dono persev. cap. XIV. ***Prædestinatio nihil est aliud, quam præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*** A sancto autem Thoma 1. p. q. 23 art. 2, ita definitur: ***Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente divina existens.*** Nos utramque adoptamus definitionem, ex quibus deprehendimus prædestinationem duo includere, actum scilicet intellectus et voluntatis, utpote partem providentiæ, et opus misericordiæ.

578. Prædestinatio multifariam spectari potest, vel ut *adæquata*, vel ut *inadæquata*. Adæquata complectitur gratuitam electionem ad gratiam et ad gloriam; inadæquata solam electionem ad gloriam; adæquatam prædestinationem esse prorsus gratuitam de fide est; an vero gratuita pariter sit inadæquata, an post prævisa merita gratiæ, controversia est in scholis catholicis.

579. Rursum considerari potest prædestinatio ***in intentione et in executione***, vel, ut alii dicunt, ***in actu primo*** et ***in actu secundo***, vel etiam in ***principio*** et ***termino***. Si spectetur sub hoc secundo respectu, vel, ut ajunt, ***in concreto*** eam pendere partim a Deo gratis miserante, partim ab homine obsequente, dogma pariter fidei est. Cœlestis quippe beatitudo ***merces*** et ***corona justitiæ*** in scripturis dicitur; labores ergo nostros seu cooperationem necessario postulat. Hinc non coronabitur nisi qui legitime certaverit, ut dicitur II Tim. II 5.

580. Si vero consideretur in intentione seu in abstracto divisæ inter se scholæ sunt in duas potissimum partes. Alii enim contendunt Deum prius decrevisse gloriam quam gratiam dare electis, quos ex communi perditionis massa in qua omnes per originale peccatum homines involvuntur, gratuito secrevit ac prædestinavit relictis cæteris, quos saltem negative reprobavit, deinde decrevisse auxilia gratiæ certo conducentia ad salutem. Alii autem propugnant Deum prius elegisse ad gratiam deinde ex præviso bono vel malo usu ipsius gratiæ, aliis decrevisse pœnam, aliis gloriam; isti contendunt prædestinationem ad gloriam esse post prævisa merita gratiæ. Qui stant pro prima sen-

tentia dicunt prædestinationem esse gratuitam *in se*, qui stant pro secunda dicunt gratuitam tantum esse *in causa* [1]).

581. Qui pugnant pro prædestinatione gratuita in se proferunt scripturarum auctoritatem, quæ videntur statuere Deum absque ullis suppositis meritis aliquos ad gloriam elegisse ac prædestinasse, ut e. g. Act. XIII 48. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam* Joan. XV 16. *Non vos me elegistis, sed Ego elegi vos* Eph. 1, 4, 5, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti* (non quia *eramus*) . . . *qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ*, ac præcipue Rom. IX 11, ubi apostolus proposito exemplo Jacob et Esau ut typo prædestinatorum et reproborum inquit: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccæ) *quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quibus aliisque similibus locis adductis sic instituunt argumentum: in testimoniis allatis sermo est de prædestinatione ad gloriam: atqui hæc prædestinatio facta dicitur independenter a meritis. Ergo. Adducunt præterea auctoritatem SS. præsertim Augustini, et Thomæ, qui in hoc conveniunt ut asserant, Deum ex communi perditionis massa gratuito alios elegisse ad gloriam alios non elegisse; quod S. Augustinus urget adversus semipelagianos præsertim exemplo ducto ex duobus infantibus quorum alter baptizatur, alter non baptizatur, unus propterea perit, alter salvatur in quibus merita nulla supponi possunt, et S. Thomas, qui inter cætera in cap. VIII ad Rom. lect. 6, concludit: *unde convenientius sic ordinatur litera.* Quos præscivit, hos et prædestinavit fieri conformes imagines filii sui. *Ut ista conformitas non sit ratio prædestinationis, sed terminus vel effectus.* His addunt rationes theologicas quarum potissima hæc est: qui ordinate vult, prius vult finem quam media; sed gloria est finis et merita sunt media ad illam; ergo Deus qui ordinate vult, prius vult gloriam, quam merita, et consequenter antequam illa prævideat ut futura, quia non videt ea futura, nisi ea velit. Major prob. quia finis volitus est causa ut eligantur media; unde medicus ex voluntate salvandi infirmum movetur ad ei propinanda remedia, et sic dicatur de agricola, mercatore etc. Ergo [2]).

1) Alii vocant prædestinationem *in se* prædestinationem *formalem* ad gloriam; prædestinationem vero in *causa* vocant prædestinationem *radicalem* ad gratiam, sub quæ comprehendunt etiam prædestinationem ad fidem ejusque initium, ad justificationem donumque perseverantiæ.

2) Cfr. Card. Gotti tom. III q. 3 D. 3 §. 8.

582. Qui contrariam tuentur sententiam incipiunt ab eversione fundamentorum oppositæ sententiæ, deinde opponunt scripturas scripturis, patres patribus, rationes rationibus ut suam adstruant.

583. Itaque I° dicunt frustra quæri in scripturis fundamentum illius sententiæ, cum nec unus textus adduci possit, ubi non loquantur de gratuita electione ad gratiam et fidem, ut patet in allatis testimoniis, alioquin sequeretur totidem fuisse prædestinatos ad gloriam quot sunt illi qui crediderunt in primo textu, vel omnes illos quos alloquitur Paulus ad ephesios fuisse prædestinatos ad gloriam, epistola demum ad romanos tota est de gratuita electione ad fidem contra judæos [1]). Quod spectat ad SS. Augustinum et Thomam alii reponunt eos locutos fuisse de prædestinatione adæquata ad gratiam et gloriam, ut præsertim exigebat S. Augustini scopus adversus pelagianos et semipelagianos, quæ procul dubio gratuita est. Alii ut Petavius et Maldonatus fatentur hanc inhæsisse sententiam ac opinionem S. Augustino sed ut privato doctori, qui propterea sic tuetur hanc sententiam ut aliam non improbet, ut liquet ex ejus verbis in lib. *de grat. et lib. arb.* ubi cum multa dixisset adversus pelagianos, qui prædestinationem factam docebant ex prævisis meritis naturalibus, cap. VI n. 15, concludit: *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent* (ut certo theologi omnes cognoscunt) *non esset reprobanda ista sententia* quibus consonant quæ scribit S. Thomas loc. cit. ubi exponens illorum sententiam, qui verba apostoli *quos præscivit* etc. sic exponunt *quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui hos prædestinavit* ait: *et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam quæ datur meritis.* Quare ista disputatio semper ab ecclesia habita est *inter profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas sicut contemnere non aude-*

Gonet Clypeus *theol. thomisticæ*, tom. II tract. 5 disp. 2 a. 1 et 2.

Th. de Lemos *Panoplia gratiæ,* tom. II tract. 3 c. 2 et c. 10 et seqq.

1) Cfr. Bern. a Piconio Or. Capp. *triplex expositio: in præf. ad hunc epist.* „Scopus apostoli, *inquit*, in hac epistola est ostendere, quod Christi gratia nec judæis data sit ob mosaicæ legis observantiam, nec gentibus ob legis naturalis custodiam, sed mere gratis et ex pura Dei misericordia „; qui et ad hunc locum c. nempe 8 v. 30 perpensis fusius utriusque interpretationis fundamentis concludit putare se apostolicæ menti conformiorem esse eorum explicationem, qui per *propositum* intelligunt gratuitum Dei decretum de danda gratia sine ullo hominum merito, sed ex pura bonitate et benevolentia," Itaque, *inquit*, et ex hujus epistolæ scopo, et ex toto illius contextu persuasus sum, quod in ea sanctus apostolus agat de gratia, non de gloria. At maxime, quia mihi clarissime patet in apostoli nostri doctrina, quod Deus sincere et serio *vult omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire*, et quia aliunde decretum quosdam ad gloriam eligendi ante prævisa merita, cæteris in massa perditionis relictis, cum hac sincera et seria Dei voluntate de salvandis omnibus hominibus difficile potest conciliari; decretum vero de danda gratuito gratia multo facilius cum hac Dei voluntate conciliatur. Hinc apostolicæ menti puto conformiorem esse etc." prout retulimus.

mus, ita non necesse habemus adstruere, ut loquitur S. Cœlestinus pontifex seu auctor X capitul. adversus pelag. scribens ad gallos [1]. Ad rationem demum adductam reponunt eam quidem valere cum finis volitus et intentus est absolute, non autem cum solum volitus aut intentus est conditionate, ut in casu nostro, cum Deus nolit dare gloriam nisi dependenter a meritis gratiæ.

584. Sic porro pergunt ad adstruendam propriam sententiam; nullam aliam nostræ prædestinationis ideam perpetuo exhibent scripturæ, quam expressam intentionem Dei remunerare volentis fideles cooperatores gratiæ suæ per bona opera, dilectionem, etc. ea ratione qua statuit ab æterno punire eos quos prævidit abusuros gratia sua ac in impœnitentia finali decessuros. Huc spectant illa, quæ Matth. XXV 34, leguntur: ***Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim et dedistis mihi manducare*** et v. 41, ***discedite a me maledicti in ignem æternum . . . esurivi enim et non dedistis mihi manducare;*** quibus verbis exprimitur ratio quare in tempore Deus tribuat præmia vel supplicia, quia nempe in intentione sua æterna statuit ea dare pro meritis, vel demeritis. Quo spectant illa, quæ habet apostolus 1. Cor. II 9. ***Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum;*** en, dicunt, rationem præparationis, seu prædestinationis, ***quia diligunt illum;*** atque ad Rom VIII 29. ***Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui***, non itaque ante prædestinavit quam præsciverit futuram conformitatem; et rursum ibid. ver. 17. ***Si filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur;*** aliaque ejusmodi, ac præsertim II Pet. I, 10. ***Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*** Nec alia unquam fuit patrum sive græcorum, sive latinorum mens quorum unanimis sententia est Deum ex præscientia meritorum de-

[1] Capitulum x quod integre ita se habet: „Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quam latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut nos non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi et dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerint; ut prorsus non opinemur catholicum, quod appareat præfixis sententiis esse contrarium" in *collect. Labb.* tom. II col, 1617-

Cum Baronius hæc capit. retulisset *ad an.* 431. n. 185. addit „His, inquam profitetur (horum capitulorum auctor, qui creditur S. Prosper) profundiores quæstiones illas de prædestinatione sanctorum nequaquam ab apostolica sede definitas; illasque tantum esse stabilitas, quæ ad condemnationem errorum satis posse sufficere viderentur."

Etsi vero decem ista capitula passim sub nomine S. Cœlestini circumferantur, Baronius tamen ut innuimus putat ea esse S. Prosperi. Hanc opinionem Pagius tuetur. Cons. in *critica Baron.* ad an. 431. n. 46-49. Quos recentiores critici plerique sequuntur. Attamen Joan. Bapt. Faure S. I. in peculiari dissertatione *De auctore capitulorum S. Cælestino I. rom. pont. olim tributorum*, quæ reperitur tom. v. *Thesauri theologici Zaccariæ*, mordicus eidem vindicat eadem capitula.

crevisse vel præmia vel pœnas. De græcis nulla quæstio est, de latinis constat ex S. Ambrosio lib. V de fid. cap. VII n. 83, Hieronymo, atque Hilario apud Trassenium; atque id expresse fatetur de omnibus patribus, qui ante S. Augustinum, atque ejus ætate floruerunt S. Prosper in epist. ad S. Augustinum ipsum data, in qua ab eo edoceri cupit cura sententia suorum prædecessorum circa prædestinationem ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ recessisse videatur dicens: „Illud qualiter diluatur quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium *par invenitur, et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam* receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate et actione præscierit [1]. Sed eadem inhæsit sententia patribus; qui sanctum Augustinum subsecuti sunt, S. Fulgentius l. 1, ad Monimum cap. XXIV. Primasius in comm. in epist. ad Rom. cap. VIII, S. Bernardus l. de conc. prædest. et lib. arb. cap. III, S. Anselmus serm. XXIII in cant. S. Bonaventura t. IV opp. fol. ed. rom. lib. I, sent. d. 41, q. 2, cujus hæc verba sunt: *Similiter si quæratur quare magis salvare voluit Petrum quam Judam,* respondet *quod iste habuit bona merita, ille vero mala.* Omissis posterioribus Alberto Pighio, card. Sadoleto, Contareno etc. Et hæc fortasse fuerunt momenta quibus permotus est S. Franciscus Salesius ut hanc sententiam sibi apprime caram dixerit utpote *antiquitate, suavitate, ac scripturarum nativa auctoritate, nobilissimam,* eamque existimasse *semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem* [2].

485. Recurrunt demum ad varias rationes theologicas quarum profecto potissima est quæ desumitur ex sincera Dei voluntate beneplaciti salvandi omnes homines, etiam supposito peccato originali. Etenim, dato semel quod Deus a tota æternitate ante quamcumque meritorum prævisionem aliquos elegerit ad gloriam, cæterosque saltem negative reprobaverit, impossibile videtur illam veritatem catholicam adstruere; metaphysice enim repugnat salvari eos quos Deus saltem negative a tota æternitate reprobavit; ad quid igitur pro istis Christus mortuus esset, aut sanguinem fudisset? Ad quid promeruisset gratias, fidem

1) Inter *opp. August.* tom. II p, 824 *E. F.* et tom. x. p. 783.

2) Apud Livin. Meyer *Hist. congreg. de auxiliis* lib. I cap. 6, *Datum Annesii Gebenn.* die 26. Aug. 1618, in qua inter cætera scribit: „Obiter vidi in bibliotheca collegii lugdunensis tractatum de prædestinatione. Et quamvis nonnisi sparsim, ut fit, oculos in eum injicere contigerit, cognovi tamen paternitatem vestram, sententiam illam *antiquitate, suavitate, ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, de prædestinatione ad gloriam post prævisa merita* amplecti ac tueri. Quod sane mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi; quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi."

etiam multis ac justificationem? Num ut salventur? Sed si in antecessum jam reprobati sunt. Num ut deteriorem damnationem incurrant? Horret animus ad tantam blasphemiam. Ad quid igitur? Hinc est quod Calvinus ejusque præsertim fidelis assecla Jansenius ad istam sententiam confugiant, ut adstruant nec Christum pro omnibus mortuum esse, nec Deum velle nisi electorum tantum salutem.

586. Ex his patet utrique sententiæ auctoritates et rationum pondera suffragari; cum sancta sedes nullum tulerit circa illas judicium, liberum unicuique est illam sententiam amplecti, quæ magis scripturæ, patribus ac rationi congruere videbitur, et ex ea responsa mutuari ad refellendas fidei impugnatorum difficultates prout nos præstabimus [1]).

587. His interea quæstionibus dimissis, jam nos convertimus ad considerandas prædestinationis proprietates, quæ sunt ejus certitudo et immutabilitas ex parte Dei, et incertitudo ex parte nostra. Divinæ prædestinationis existentiam inficiati sunt pelagiani; certitudinem et immutabilitatem rursum negarunt pelagiani ac semipelagiani. Calvinus unumquemque fidelem certum esse debere, et quidem certitudine fidei de propria prædestinatione affirmavit. Adversus quos sequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Datur ex parte Dei veri nominis prædestinatio, eaque certa est et immutabilis.

588. Utraque propositionis pars est de fide, et tanquam de fide propugnantur a S. Augustino tum in lib. de prædest. SS. tum in lib. de dono perseverantiæ, et alibi passim, quod judicium universa approbavit ecclesia adversus pelagianos et semipelagianos [2]).

1) Pro utraque sententia videri inter alios possunt Boucat ord. minim. *Theologia patrum*, vol. I tract, 4 diss. 3 concl. 3. Petav. *de Deo* lib. IX et X.

Du-Plessis d'Argentré *Commentarius historicus de prædestin.* vol. I in 4.

Tum pro sententia de prædestinat. ante prævisa merita card. Gotti; tom. IV *in prim. part, S. Thomæ* qu. 3 dub. 3.

Suarez *de prædest.* lib. I cap. 8 et seq.

Bellarm. lib. II *de grat. et lib. arb.* R. 15.

Pro sententia de prædestinat. post prævisa merita gratiæ Lessius *Disp. de præd. et reprob. ang. et hom.* sect. 2 et seqq.

Vasquez disp. LXXXIX. *in I. P. s. Thom.* cap. I et seqq.

Frassen min. observ. *Scotus academ.* tom. I tract. 2 sect. 1 quæst. 2.

Tournely *de Deo* quæst. 24 art. 2 concl. 5.

Præ cæteris vero circa mentem SS. Augustini et Thomæ Car: Jos. Tricassinus ord. capp. *de prædestinatione hominum ad gloriam*, vol. I in 4. Paris 1619.

Card. Sfondratus *Nodus prædestinationis dissolutus* vol. I in 4. Romæ 1696.

2) Cfr. *Collect. conc. Labb.* tom. IV col 1673 *adm. Sirmundi de confirm. synodi*, ubi refertur approbatio synodi araus. II. facta a Bonifacio rom. pont. ex

589. Prima itaque propositionis pars sic evincitur ex scriptura. Matth. XXV 34, inquit Christus ad electos: ***Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*** [1]; sic Rom. VIII. 29. seqq. de prædestinatione ad fidem et gratiam loquens apostolus ait: ***Quos præscivit et prædestinavit . . . quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit*** [2]; et Eph. 1 4. ***Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti . . . prædestinavit nos . . . secundum propositum voluntatis suæ*** [3]; si igitur nemo venit in tempore ad fidem et gratiam, nisi qui prædestinatus est ab æterno a Deo; a fortiori nemo venit ad gloriam, quæ fructus est gratiæ nisi ab æterno prædestinatus a Deo.

590. Hinc S. Augustinus lib. de dono persev. cap. XXIII n. 65, scribit. „Veritatem prædestinationis hujus et gratiæ quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiore defenditur numquam ecclesia Christi non habuit;" et S. Prosper in resp. I, ad objectiones gallorum ait: ***Prædestinationem Dei nullus catholicus negat.***

591. Rationem porro theologicam nobis suppeditat S. Thomas I p. q. 23, a. 1, hoc suo ratiocinio: cum æterna vita sit finis naturæ creatæ modum et proportionem excedens, adeoque nullus hominum virtute propria pertingere ad illam possit, necesse est, ut ad ipsam homo, quemadmodum a sagittario sagitta mittitur in signum, a Deo dirigatur, qui solus et naturæ quæ dirigitur, et finis ad quem ille ordinatur, et mediorum quibus ordinatur est auctor. Hujus autem ordinis ratio, quæ in tempore perficitur, cum nihil fiat a Deo, quod ante ab æternitate non definierit, ex æternitate fuit in mente Dei: atqui ratio hæc est prædestinatio; igitur in Deo est, eaque ita est ad salutem necessaria, ut hanc obtinere nemo possit, qui non fuerit prædestinatus.

592. Exinde jam sequitur veritas alterius partis nostræ propositionis, de certitudine scilicet, et immutabilitate prædestinationis, ita ut electorum numerus nec augeri nec minui possit, quod quidem Christus ipse testatus est Joan. X 27, 28, dicens: ***Oves meæ vocem meam audiunt et Ego cognosco eas, et***

duobus codicibus fossatensi et laudonhis verbis contenta: „In hoc loco continetur synodus arausicana, quam per auctoritatem sanctus papa Bonifacius confirmavit, et ideo quicumque aliter de gratia et libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in illa synodo constitutum est, contrarium sedi apostolicæ, et universæ per totum mundum ecclesiæ se esse cognoscat." Reliqua ib. vide.

1) *Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.*

2) *Ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε. . . . Οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκαλεσε· καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ δικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε;* Si tamen hic textus ut notatum est, pertinet ad prædestinationem ad gloriam, quod plures inficiantur. Attulimus tamen ut mori obtemperaremus.

3) *Ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους . . . . προορίσας ἡμᾶς . . . . κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ.*

sequuntur me, et Ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Horum, ait S. Augustinus lib. de corrept. et grat. cap. VII n. 14, *si quisquam perit fallitur Deus, sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus; horum si quisquam perit vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus;* et S. Fulgentius lib. de fide cap. XXXV, *Firmissime tene,* inquit, *et nullatenus dubites omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo. Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum; nec quemquam eorum quos non prædestinavit ad vitam ulla ratione posse salvari.*

593. Et ratio ex dictis manifesta est: cum enim prædestinatio sit actus intellectus et voluntatis, quemadmodum intellectus divinus in sua præscientia falli non potest, sic nec superari ejus voluntas, cum quidpiam absolute et efficaciter vult, vult autem Deus efficaciter et absolute solam electorum salutem, ergo. Impervium sane mysterium, quod nos venerari quidem debemus, sed tamen scrutari absque periculo nequimus; concludimus propterea cum S. Augustino lib. de spir. et lit. cap. XXXIV: „Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solum occurrunt interim quæ respondere nihi placeat: *O altitudo divitiarum!* et *Numquid iniquitas apud Deum?* Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores."

DIFFICULTATES.

594. I. *Obj.* adversus primam partem. Si veri nominis prædestinatio ex parte Dei daretur plura sequerentur absurda; ac 1° quidem Deum injustum personarum acceptorem esse cum alios ab æterno prædestinaverit, alios reprobaverit absque ullo merito vel demerito electi, vel reprobati, 2° hominem sic posse ratiocinari: vel electus seu prædestinatus sum, vel non; quidquid egero salutem consequar, si prædestinatus sum, vel peribo si non sum prædestinatus, aut desperabit ergo aut aget quidquid lubet; 3° et lapsis curam adimi, ac sanctis occasionem teporis afferri, cum in utraque parte superfluus sit labor, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Merito 4° propterea monachus ille adrumetinus de quo loquitur S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. XV monasterium suum deseruit, ut sæculi deliciis indulgeret.

595. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Sequelam Dist.* Si Deus aliquid hominibus deberet, *conc.* Si nihil hominibus debet, *subd.*

si aliquos præ aliis eligeret vel prædestinaret ante prævisa merita gratiæ *trans.* [1]); si post prævisa merita gratiæ, *neg.* In hac enim sententia Deus neminem vel eligeret vel reprobaret nisi post prævisum bonum usum, vel contemptum gratiæ, quæ supponitur omnibus præsto esse ex allata S. Thomæ doctrina, quod et nos suo loco ostendemus, et tunc cessat omnis difficultas, quæ nulla alia superesse potest, quam illa, quæ oritur ex præscientia liberarum hominis actionum; quæque solvenda est juxta ea quæ superius dicta sunt, ubi de scientia Dei egimus.

596. *Ad* 2[m], pariter *Dist.* Si prædestinatio supponatur ante prævisa merita gratiæ, *trans.* Si post prævisa merita gratiæ, *neg.* In hac enim hypothesi ad propositum dilemma respondetur: eris prædestinatus, si bene vixeris juxta gratiam tibi collatam, et perseveraveris cum eadem usque in finem; si male vixeris et voluntarie gratiam respueris, damnaberis; sicut si ægrotus diceret: vel valetudinem sum recuperaturus, vel non; si primum, sumam vel non sumam amaram hanc potionem, convalescam; si alterum, sumam sive non, tamen moriar; ipsi enim responderemus, convalesces si acceperis potionem seu pharmacum; morieris si recuses.

597. Atque hinc jam responsio patet ad tertiam et quartam sequelam, quæ opponebantur; omnes enim ejusmodi argumentationes peccant eo vitio, quod logici vocant *a falso supponente*, aut *ab ignorantia elenchi.*

598. I. *Inst.* Prædicta incommoda urgeri æque possunt quoad prædestinationem in causa, unusquisque enim sic posset argumentari: vel sum prædestinatus ad gratiam præsertim efficacem et perseverantiam, vel non: si primum, quidquid egero tandem consequar illam et salvus ero; si secundum, quidquid egero damnabor. Ergo.

599. *Resp. Neg. antec.* ad propositum dilemma, *Dist.* Si efficacia gratiæ et perseverantia repetenda esset a prædeterminatione physica, seu ab intrinseco; *trans.* Si a præviso tantum hominis consensu, seu ab extrinseco, *neg.* In hac siquidem sententia, ut diximus, supponitur quod Deus omnibus det, vel offerat gratias sive proxime sive remote sufficientes tum ad fidem, tum ad salutem; si homo proinde his consenserit, et oraverit; alias obtinebit, ipsamque consequetur perseverantiam; quod si secus fecerit sibi soli imputare debet si perierit; en verba S. Augustini, qui in lib. de corrept. et grat. inter cætera hæc

1) Etsi a nobis non improbetur sententia illorum theologorum, qui inadæquatam prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita gratiæ tuentur, attamen cum longe commodior solvendis novatorum difficultatibus altera sententia nobis videatur, hinc est quod hac utamur ad rem nostram, cum utraque catholica sit, ideoque liberum sit alterutram in subsidium adhibere. Qui vero putat se posse priori sententia difficultates æque solvere ac enodare eadem utique uti poterit.

habet: *O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere; in correptione cognosce tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.*

600. II. *Inst.* Saltem quod aliquis accipiat a Deo gratiam ut prævisam efficacem provenit ex peculiari Dei erga ipsum electum prædilectione, cujus prædilectionis defectu tali gratia caret reprobus. Ergo.

601. *Resp. Dist. antec.* 1° Sed absque aliorum præjudicio *conc.* Cum aliorum præjudicio, *neg.* Fatemur quidem ex peculiari Dei prædilectione effici ut electus talem gratiam, præsertim finalis perseverantiæ consequatur; cum tamen Deus nihil quipiam debeat, si alicui non dat gratiam ut prævisam efficacem, quid inde adversus Dei justitiam, aut misericordiam, si gratia a Deo reprobo concessa sufficientissima ex se sit ad opus bonum obtinendum et ad perseverandum, et ex pura malitia recipientis seu potius respuentis effectum non habeat? Profecto non Deo, sed sibi reprobus imputare debet, quod restiterit eidem gratiæ quæ prævisa est inefficax ex solo abusu ejus cui confertur [1]). Hinc rursum optime S. Augustinus: *deserunt et deseruntur deseruit et desertus est* [2]).

602. II. *Obj.* Adversus alteram conclusionis partem. Quod potest amitti et recuperari non est certum et immmutabile. Atqui talis est prædestinatio: dicitur enim 1° Apoc. III 11, de corona, quæ est effectus prædestinationis: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* [3]); et 2° sane homo prædestinatus potest mori in statu peccati. Ergo.

603. *Resp. Neg. min. Ad* 1m, *Dist.* cum S. Thoma I p. q. 23, a. 6, a I, si corona alicui destinata sit ex merito gratiæ et in actu primo, *conc.* si ex prædestinatione divina et in actu secundo, *neg.* In primo enim sensu tantum corona potest vel acquiri, vel amitti.

604. *Ad* 2m, *Neg.* implicat enim quempiam ad gloriam prædestinatum esse, ac mori in statu peccati; esset enim et non esset prædestinatus.

605. *Inst.* 1° Possunt aliqui saltem de libro vitæ, seu de prædestinatorum numero deleri. Sic Moyses Exod. XXXII 31, 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro tuo quem scripsisti;* et David ps. LXVIII 29. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Joan. XVII 12. *Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit nisi*

1) Si quid efficeret adversariorum difficultas, evinceret Deum semper ad majus beneficium conferendum teneri, scilicet induceret optimismum, quod est absurdum.

2) *De nat. et grat.* cap. 26. „Non deserit, inquit, nisi deseratur, ut pie semper, justeque vivatur." Et *enarr. in Ps.* CXLV. n. 29. „Non enim deseret, inquit, opus suum, nisi ab opere suo non deseratur" et in *lib. de corrept. et gr.* cap, 13. „Deserunt et deseruntur."

3) *Χράτει ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου.*

filius perditionis. Demum S. Petrus ep. II 1 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ergo prædestinatio nec certa, nec immutabilis est, prout 2° ratio ipsa confirmat, si enim talis esset, inferret necessitatem. Ergo.

606. *Resp. Ad* 1m, cum S. Thoma quæs. 24 art. 1 et 3. *Dist. antec.* Si per librum vitæ veniat notitia eorum, qui ordinantur ad vitam æternam, *conc.* Si veniat notitia salvandorum in actu secundo, *neg.* et sic omnia scripturarum testimonia de libro in primo sensu accepto exponi debent; si tamen in omnibus adductis testimoniis sermo est de prædestinatione, quod plures negant, sed sermo potius est vel de vita præsenti ut in Exodo vel de censu verorum israëlitarum, ut in psalmo etc.

607. *Ad* 2m, *Dist.* Inferret necessitatem consequentem, *conc.* antecedentem, *neg.* Ut enim ratiocinatur S. Th. q. 23 a. 6. Prædestinatio est pars providentiæ quæ non easdem omnibus effectibus causas præparavit, sed aliis necessarias, ut ex necessitate fierent, aliis vero contingentes et liberas, ut non fierent ex necessitate, sed contingenter et libere, et tamen providentiæ ordo est infallibilis. *Sic igitur*, concludit, *et ordo prædestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus.*

PROPOSITIO II.

Nemo absque speciali revelatione certus esse potest de sua prædestinatione.

608. Propositio de fide est, his enim verbis concilium trid. eam definivit sess. V can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit:* et cap. XII ejusdem ses. jam docuerat: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest quos Deus sibi elegerit.*

609. Probatur autem tum ex scriptura, tum ex patribus. Apostolus enim ad Rom. XI 20. *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time* [1]), et I Cor. X 12 *qui se existimat stare, videat ne cadat* [2]). Hinc concludebat ad Philipp. II 12. *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* [3]).

610. S. Augustinus ut excitet fideles ad orandum, et sic obtinendum perseverantiæ donum ita loquitur in lib. de corrept.

1) *Σὺ δὲ τῇ πίϛει ἕστηκα· μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ.*

2) *Ὁ δοκῶν ἑϛτάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ.*

3) *Μετὰ φόβου, καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε.*

et grat. cap. XIII. *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortatitate vivitur in numero prædestinatorum se esse præsumat?*

611. Ratio demum theologica id ipsum confirmat. Cum enim prædestinatio actus sit liber divinæ voluntatis; nemo eum cognoscere potest independenter a divina manifestatione. Ergo.

DIFFICULTATES.

612. ***Obj.*** Scriptura ubique supponit nos certos esse posse de prædestinatione nostra; Christus 1° enim inquit Marci XI 24. ***Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis*** [1]), ergo et ipsam perseverantiam, quod magis aperte adhuc tradit apostolus rom. VIII 16, dicens: ***Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*** 2° ***Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi;*** ac 3° Thess. I, 4. ***Scientes fratres; dilecti a Deo, electionem vestram.*** 4° Nil mirum proinde si de se ipso scribere potuerit II Tim. IV 8. ***Reposita est mihi corona justitiæ.*** 5° Apostolo Paulo consonat S. Joannes epist. 1, c. V 13, dicens: ***Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam, vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*** [2]). Ergo.

613. ***Resp. Neg. Antec. Ad*** 1m, ***Dist.*** Si certi essemus nos bene orare, ac perseveraturos in eadem oratione, ***conc.*** Si et hoc incertum sit, ***neg.*** jam vero ***quid oremus sicut oportet, nescimus*** inquit apostolus [3]).

614. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Si filii ***et hæredes*** quoad jus actuale, ***conc.*** quoad perseverantiam finalem in tali jure, ***neg.*** Addatur nos certo minime scire, num hic et nunc simus filii Dei, seu gratia sanctificante præditi.

615. ***Ad*** 3m, ***Dist. electionem vestrum*** ad vocationem fidei, ***conc.*** ad gloriam, ***subd.*** in spe, ***conc.*** in re, ***neg.***

616. ***Ad*** 4m, ***Dist.*** Reposita est corona bene certantibus usque in finem, prout de se sperabat apostolus, ***conc.*** absolute, ***neg.***

617. ***Ad*** 5m, ***Dist.*** Inchoative per vocationem ad fidem et fortasse etiam per gratiam quam supponebat Joannes inesse fidelibus, ***conc.*** in re, ***neg.*** Et sane quot sunt, qui ad tempus credunt et diligunt, et tempore tentationis recedunt et pereunt?

1) *Πάντα ὅσα ἂν προσευχόμενοι αἰτεῖσθε, πιςεύετε ὅτι λαμβάνετε.*

2) Rom. VIII 16. *Τὸ πνεύμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ὑμῶν ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ.*

Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν Θεοῦ συγκληρονόμοι δὲ Χριςοῦ.

I. Tess. 1. 4. *Εἰδότες ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν.*

II. Tim. IV. 8. *Ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης ςτέφανος.*

I. Joan. V. 13. *Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν . . . ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιςεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.*

3) Rom. VIII, 26. *Τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν.*

ARTICULUS II.

De causis et effectibus prædestinationis.

618. Breviter nos ab his expediemus, cum magna ex parte quæ dicenda hic essent, præoccupata jam fuerint. Hæc autem addimus ad pleniorem argumenti, de quo actum est, cognitionem

619. Dum inquiritur in causas prædestinationis, sensus hujus quæstionis non est de causa physica, ac de ea quæ dicitur a priori, ut enim observat S. Thomas 1 q. p. 23 art. 5. *Nullus fuit ita insanæ mentis, qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis: sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quærere, utrum Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua.* De sola propterea causa morali ac meritoria agitur.

620. Jam recensuimus errores circa ejusmodi causam pelagianorum, ac semipelagianorum, nec non diversa scholasticorum placita circa prædestinationem inadæquate sumptam in ordine intentionis. Superest propterea ut addamus causam finalem prædestinationis esse gloriam Dei, efficientem esse æternum Dei decretum; meritoriam externam seu principalem esse merita Christi; meritoriam internam seu secundariam saltem quoad executionem esse merita supernaturalia ipsius prædestinati.

621. Quod vero attinet ad prædestinationis effectus notandum est duas conditiones requiri ad hoc, ut aliquid inter prædestinationis effectus recenseri possit. 1° ut sit a Deo tanquam causa prædestinante; nisi enim oriatur a prædestinatione tanquam a causa, non potest esse ejus effectus. 2° ut cum gloria cœlesti connexionem habeat, et ad eam actu de facto perducat. Hinc prædestinationis effectus sunt vocatio, justificatio, et glorificatio, et juxta illud apostoli rom. VIII. *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Inter prædestinationis effectus recensentur deinde naturalia illa bona, quæ ex speciali Dei providentia et amore ad vitam æternam ordinantur, cujusmodi sunt ingenium, bona indoles etc. dicente eodem apostolo loc cit. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Recensentur demum mala pœnæ, et juxta aliquos, ipsa mala culpæ seu peccata, non quidem per se, et ratione sui, sed ut ajunt, per accidens, ratione nempe subsequentium bonorum, quæ Deus sua misericordia ac virtute ex illis novit eruere juxta illud S. Augustini lib. XIV. de civ. Dei cap. XIII. *Audeo dicere*, inquit, *superbis esse utile ca-*

dere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit et sacer psalmus: imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine; id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum. Qui plura cupit consulat Suarez lib. III de effectibus prædestinationis.

CAPUT III.

DE REPROBATIONE.

622. Reprobatio idem est ac rejectio; definitur autem a Magistro sentent. lib. 1 d. XI *præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damnationis eorumdem.* Hæc autem definitio soli competit reprobationi positivæ, quæ tres actus complectitur, permissionem culpæ, negationem gratiæ efficacis ad resurgendum ab eadem culpa, decretum damnationis. Ex quibus patet reprobationis causam proximam aliam non esse nisi peccatum. In quo magna est catholicorum omnium consensio adversus calvinistas et prædestinatianos.

623. Verum magna lis fervet inter theologos relate ad reprobationem negativam, num scilicet in primis detur hæc negativa reprobatio, quæ juxta aliquos consistit in Dei decreto excludendi aliquos a gloria tanquam a beneficio indebito ex sola sua voluntate ante prævisum quodcumque eorum peccatum sive originale sive actuale, quin tamen positive addicat, vel destinet quempiam ad pœnas, nisi ex præviso peccato, in quo differunt a prædestinatianis [1]); juxta alios vero consistit in sola exclusione a gloria absque decreto aliquo positivo, sed solum negative se habet, quatenus Deus aliquos non prædestinat ad gloriam [2]). Harum opinionum fundamentum pendet ex sententia, quam isti theologi tuentur de gratuita electione ad gloriam, seu ante prævisa merita gratiæ.

624. Qui vero adstruunt prædestinationem inadæquatam post prævisa ejusmodi merita, nullam agnoscunt negativam reprobationem, quæ consistat in exclusione a gloria, sive ista fiat actu positivo, sive negativo, sed contendunt neminem exclu-

1) De erroribus prædestinatianorum cons. Petavius lib. XIII *de incarn.* cap. 6 et seqq.

2) Hæc sententia communis est omnibus theologis, qui propugnant gratuitam prædestinationem ad gloriam, quam alii repetunt a peccato originali vel in se vel saltem in radice, seu causa remota; alii a sola voluntate Dei negative se habentis respectu non electorum ob rationes seu motiva nobis ignota etc. Cfr. Suarez lib. V *de reprob.* cap. 5 n. I et seqq. præsertim n. II.

di a gloria, nisi ex præviso aliquo peccato, originali quidem in infantibus decedentibus absque baptismo; actuali autem in fidelibus adultis; originali simul et actuali in infidelibus, adeo ut unum idemque sit excludere a gloria et pœnis addicere ex prævisione culpæ [1]).

625. Attamen sive admittatur sive rejiciatur hæc negativa reprobatio, cum reprobatio positiva, quæ supponit peccatum ut causam proximam, exigat causam remotam et, ut vocant, radicalem, quæ consistit tum in decreto permissivo peccati, seu non dandi gratiam efficacem ad ipsum impediendum, nec concedendi gratiam ad resurgendum a tali peccato, hic rursum disceptant theologi unde repetenda sit hæc Dei circa reprobos agendi ratio; num scilicet a sola ejus voluntate, num a defectu gratiæ, num etiam a peccato originali, licet deleto, influente tamen ut causa remota; ac demum, admissis etiam tribus his causis, disputant circa causam principalem, quænam scilicet ex his causis censenda sit radix ex qua cæteræ profluant.

626. Nos hisce domesticis concertationibus dimissis, unice incumbimus in adstruenda veritate catholica adversus prædestinatianos tum veteres tum recentiores, qui impie contendunt Deum pro arbitrio suo homines ante quamcumque culpæ prævisionem prædestinasse ad æternum interitum; ex quo inferunt Deum his denegare fidem, et omnem gratiam, eosque necessitate ad peccandum compellere, decipere, et illudere; sacramenta relate ad hos reprobos sterilia, ac nuda signa esse. Ita Calvinus passim apud Bellarminum tom. IV controv. lib. II de statu peccati cap. III nec non apud Petavium lib. X de Deo cap. VI et seqq.

627. Non tamen sibi semper constitit Calvinus prout hæreticis omnibus mos est, alibi enim videtur in peccatum originale, tanquam in causam rejicere hominum etiam fidelium reprobationem, peccandi necessitatem, aliaque nuper recensita. Huic posteriori sententiæ Jansenius subscribit, subscribunt pariter recentiores calvinistæ, gomaristæ nuncupati, ut patet ex actis synodi dordrectanæ [2]). Qui primæ sententiæ Calvini adhærent, *antelapsarii* vocantur, qui posteriorem sequuntur *postlapsarii*, seu *superlapsarii* audiunt.

1) Cfr. Petav. *de Deo* lib. x. cap. 3 et 4, ubi ex scriptura, atque ex patrum græcorum et latinorum communi doctrina ostendit, Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate efficaci, licet conditionata, Deum omnes diligere, odisse neminem, omnibus gratiam dare, nullam esse reprobationem mere negativam. Amorem et odium Dei intelligendum esse de præsenti hominum statu. Non posse baptizatos, propter massæ vitium et peccatum originale reprobari.

2) Par. I *sess.* *ss.* p. 268. Apud Pet. lib. x *de Præd.* cap. II §. 15.

PROPOSITIO

Impium est asserere Deum ex solo suo beneplacito aliquos homines positive reprobasse, atque æternis suppliciis destinasse absque prævii peccati prævisione.

628. Impia enim censeri debet sententia, quæ aperte repugnat scripturæ, traditioni universæ, ipsique sane rationi. Talem vero esse Calvini ac prædestinatianorum sententiam sic ostendimus: scriptura in primis tradit quod *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, ut Sap. I 13, ac ibid. XI 25 rationem addit sic Deum alloquens: *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti*; docet præterea scriptura *Deum nolle aliquos perire* (II Pet. III 9); nolle mortem impii, sed ut magis convertatur et vivat (Ezech. XVIII 23); ergo a fortiori Deus neminem reprobat ac pœnis æternis destinat absque prævisione peccati: tertio denique scriptura nullam unquam aliam causam assignat tum iræ et indignationis Dei tum æternæ damnationis præter peccatum; apostolus enim Rom. II 8, 9. *Iis*, inquit, *qui sunt ex contentione, et non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* 1); et Christus Matth. XXV 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare* 2); ergo ex Christo unica ratio, cur in istos reprobos damnationis feratur sententia est neglectus bonorum operum ad quæ ipsi tenebantur.

629. Patres unanimiter reprobationis causam non in voluntatem Dei, sed in hominum peccata prævisa rejiciunt; nos unum laudamus Augustinum, qui lib. III contra Julianum scribit; *Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quempiam sine malis meritis damnare; quia justus est* 3).

630. Ratio demum theologica multiplex est; ac 1° quidem petitur ex voluntate Dei salvandi omnes, et omnes ad æternam felicitatem perducendi quantum in ipso est, si homines vitio ac malitia sua non impedirent, prout superius ostendimus, 2° petitur ex divina misericordia et justitia, quæ sunt universæ viæ

1) *Τοὶς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς καὶ ὀργή. Θλίψις καὶ ϛενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακόν.*

2) *Πορεύεσθε ἀπ᾽ ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ· ἐπείνασα γὰρ, καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν.*

3) Cons. Petav. *de Deo* loc. cit. cap 2. 3. 4. Becanus *Man. contr.* lib. III. cap. 3 q. I. Tournely *de Deo* q. 23. a. 2. conc. 5.

Domini, ex neutrius enim vi potuit Deus hominem sempiterno exitio devovere absque ipsius culpa, non ex misericordia, ut patet, non ex justitia, quæ pœnam non decernit nisi ex culpa, 3° demum ex ejus agendi ratione in tempore. Deus neminem in tempore damnat, nisi aliqua præcesserit culpa, ergo neque ab æterno ad pœnam quempiam prædestinavit, nisi supposita culpa.

631. Quod autem Deus neminem prædestinaverit ad peccatum, ideoque non sit auctor peccati, et homo libero polleat arbitrio, etiam supposito peccato originali, id a nobis suo loco ostendetur.

DIFFICULTATES.

632. *Obj.* Scriptura nullam aliam assignat causam hominum reprobationis præter unam Dei voluntatem. Apostolus enim Rom. IX hæc aperte habet ver. 11, et seqq. ***Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui;*** tum ver. 16, ***igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;*** ac propterea de Pharaone ver. 17 ex nomine ipsius Dei scribit: ***quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam***, et clarius adhuc ver. 18, ***ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat;*** ac demum concludit ver. 21 rationem reddens: ***An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*** Ergo ab una Dei voluntate reprobatio repeti debet.

633. ***Resp. Dist. antec.*** Reprobationis a gratia vocationis ac fidei, ***conc.*** a gloria, ***neg.*** scopus enim apostoli in tota hac epistola est ostendere vocationem ad gratiam esse prorsus gratuitam, non autem ex præcedentibus meritis, quæ neque in gentilibus, neque in judæis ulla erant, vel si quæ erant, mala erant. Hinc cum omnes pariter sub peccato essent, et egerent gloria Dei, Deus, qui liber omnino est in dispensatione bonorum suorum, gentilium misertus est et vocavit eos misericorditer, judæos, generatim saltem, juste reprobavit ob ipsorum incredulitatem; sicut in temporali benedictione et patriarcharum serie in pari conditione prætulit Jacob fratri suo Esau, sicut inter Pharaonem et Nabuchodonosor illum in propria induratione reliquit, hujus autem misertus est; prout demum ex duobus peccatoribus, qui luto viliores sunt, alterum assumit ad gratiam ex misericordia, alterum relinquit in peccato ex justitia; ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.

634. Ex his duo nobis colligenda sunt; ac 1° Si comparative quæratur cur e duobus peccatoribus vel solo originali, vel etiam actuali peccato infectis Deus uni majorem exhibeat misericordiam quam alteri? Non aliam esse causam quam Dei voluntatem. Huc spectat illud Apostoli: *O altitudo!* alterum est, si seorsim quæratur cur Deus hunc vel illum repellat a justitia vel gloria? Veram causam esse, quia peccator est et impius. Hinc S. Augustinus hanc rationem assignat cur Deus Esau odio habuerit lib. 1° ad Simplicianum cap. II scribens: ***Deus non odit Esau hominem, sed odit Esau peccatorem***; Sic ad hoc ut respondeat cur Deus hujus aut illius non misereatur hæc habet epist. CV, ***quibus Deus misericordiam non impertitur, ut non impertiatur, merentur;*** cur Deus induret aliquos, respondet ibid. ***quærimus meritum indurationis et invenimus.***

635. ***Inst.*** 1° Prov. XVI 4, legitur: ***Universa propter semetipsum operatus est Dominus impium quoque ad diem malum,*** et 2° Sap. XIV 11. ***Creaturæ Dei in odium factæ sunt.*** Et sane inquiunt, 3° qui sine baptismo decedunt, ac tot infideles, qui de Christo non audiunt, cur creantur, nisi ut damnentur? Ergo.

636. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Præsupposito peccato impius servatur ad diem malum, ***conc.*** non præsupposito, ***neg.***

637. ***Ad*** 2m, pariter ***Dist.*** Ex culpa hominum, ***conc.*** ex intentione Dei, ***neg.*** omnes enim Dei creaturæ bonæ sunt, sed si homines iis ad peccandum abutuntur, sibi solis imputare debent, si indidem ruinæ occasionem inveniunt.

638. ***Ad*** 3m, Responsio patet ex dictis circa voluntatem Dei salvandi omnes. Nunc addimus cum S. Prospero in responsione ad objectionem tertiam vincentianam: ***Nemo a Deo ita creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricationis est meritum.***

639. Huc spectant, quæ acute observat S. Augustinus in lib. de vera relig. cap. XXV n. 46 de duplici providentiæ ordine cum privatis nempe individuis, et cum integris nationibus circa hominum salutem, ex quibus discimus neminem nisi de seipso conqueri posse, si ab ea excedat: ***Quoniam divina providentia***, inquit, ***non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice consulit, quid cum singulis agatur. Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt, quid autem agatur cum genere humano per historiam commendari voluit, et per prophetiam.***

TRACTATUS

DE

SANCTISSIMA TRINITATE

PROOEMIUM.

1. Hactenus de Deo ejusque attributis, sin minus pro rei amplitudine et gravitate, at pro necessitate et utilitate adolescentium quibus prælectiones hæ conscriptæ sunt sane quantum satis est. Tempus jam est, ut gradum animumque convertamus ad augustissimum Trinitatis mysterium quod est totius, qua christiani sumus fidei basis ac fundamentum, quo posito, cætera religionis nostræ mysteria subsistunt, quo sublato, cætera pariter corruant necesse est.

2. Fidem mysterii hujus totam summatim amplexus est auctor symboli athanasiani nuncupati illis verbis: ***Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes;*** seu, ut canit ecclesia in præfatione de Trinitate, eo reducitur fidei nostræ professio: ***Ut in personis proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas.***

3. Quum igitur catholicæ fidei confessio de Trinitate consistat in agnoscenda numerica trium personarum distinctione in una et individua essentia divina, quo fit ut tres istæ personæ consubstantiales sint et æquales ita tamen ut una ab alia procedat, Filius quidem a Patre per æternam generationem, Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ab uno principio per simplicem processionem, in tres classes dividi possunt errores, qui huic mysterio adversantur.

4. Prima est eorum, qui nullam agnoscunt in Deo personarum distinctionem, cujusmodi in ecclesiæ exordio fuerunt sabelliani et omnes surculi qui ab iis enati sunt.

5. Altera eorum est, qui consubstantialitatem et æqualitatem personarum in divinis sustulerunt, quales fuerunt ariani, anomæi, macedoniani cum suis omnibus variationibus, et sectis ab iis dependentibus.

6. Tertia demum complectitur eos, qui inficiati sunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere ut græci schismatici [1]).

1) Omnium hæreticorum, qui quoquomodo contra rectam fidem de Trinitate peccarunt historiam exhibet Petavius lib. I. *de Trin.* cap. 6 et seqq.

7. Ætate hac nostra omnes hosce errores renovarunt sociniani seu unitarii, ac demum rationalistæ, qui non agnoscunt in Deo nisi unicam personam, cætera vero omnia respuunt veluti sanæ rationi contraria, atque a platonicis doctrinis exorta commenta.

8. Ut omnibus his erroribus, quibus funditus evertitur tota christiana religio, catholicam doctrinam methodo adhibita opponamus, præmissis necessariis notionibus ad pleniorem dicendorum intelligentiam 1° generatim adstruemus existentiam et veritatem trium personarum subsistentium in unitate divinæ naturæ ex fontibus nobis propriis scriptura scilicet et traditione, prout eas semper intellexit ecclesia, simulque ostendemus impervium ejusmodi mysterium rectæ rationi minime adversari. Ex demonstrata ac vindicata generali hac veritate velut per modum corollariorum deducemus divinitatem Filii singillatim, atque Spiritus Sancti. 2° Ostendemus juxta easdem regulas Spiritum Sanctum non minus a Patre quam a Filio procedere. 3° His addemus nonnulla scholia ad ea uberius explananda, quæ de hoc mysterio auditoribus nostris magis opportuna ac scitu utilia videbuntur ut eas cognitiones hauriant, quæ conferunt ad uberiorem ejusdem veritatis notitiam. Hæc autem omnia sex omnino capitibus complectemur.

CAPUT I.

DE VOCIBUS, QUAE IN DISSERENDO DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO USURPANTUR.

9. Recte monuit S. Hilarius: *Ut quia malignitas instinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata, veritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos naturas nominum proferamus* 1). Horum autem nominum, seu vocabulorum accurata expositio duobus potissimum commodis inservit, ac primo quidem dicendorum perspicuitati, deinde vero explanandis quæstionibus, ex diversa, quæ interdum apud veteres obtinuit earumdem vocum notione ac vi, exortis, quibus non semel hæretici abusi sunt.

10. Quum autem ad duo summa capita revocari possint, quæ mysterium de quo agimus spectant, *unitatem* scilicet ac *distinctionem*: hinc vocabula theologorum usu trita cum de eo disserunt bifariam dividuntur, quorum alia afficiunt unitatem divinæ naturæ et personis tribus sunt communia, alia respiciunt personas seorsim sumptas et eas proprietates quæ *personales*

1) Lib. II. *de Trin.* n. 5.

vocantur. De utrisque propterea, prout ad rem præsentem pertinet, disserendum.

11. Ejusmodi igitur vocabula in primis sunt *essentia*, *natura*, *substantia*, *existentia*, *subsistentia*, *suppositum* atque *persona*. His accedunt ea quæ spectant ad *origines* ac *relationes*

12. ***Essentia***, quæ ab *esse* nomen habet, est id quo res quælibet est id quod est. Sic essentia hominis est id, per quod homo homo est; cum vero in re nihil sit prius eo per quod res ipsa est id quod est, nihil in re est prius essentia. Tria ad notionem essentiæ methaphysice constituendam concurrunt 1° ut sit id quod primum in re concipitur; 2° ut sit eorum omnium quæ in re sunt, aut ab ea dimanant radix ac fundamentum; 3° ut sit id per quod res ipsa ab alia qualibet secernitur, id enim rei cujuslibet est essentia, inquit Petavius, quod in ea primum est, et a quo reliqua deinceps, quæ sunt, derivantur 1). Hinc hominis essentia in eo est quod sit animal rationale. Trianguli ut tribus angulis ac lateribus constet etc. 2).

13. ***Naturæ*** vox est a *nascor* 3), adeo ut ejusdem naturæ esse participem, si vocis etymon spectes, tanti valeat quanti fuisse aliquem parentibus iisdem satum vel editum in lucem 4). At progressu temporis deflexit *naturæ* vox a primæva hac notione, ac sæpe pro essentia usurpata est 5). Prout tamen ab essentia distinguitur, *natura* definiri solet: principium actionis ac operationum rei intime inhærens 6). Quatenus autem Deo accommodatur dici potest: principium actionis divinæ ab ipsa tamen actione interiori minime sejunctum; istius significationis *naturæ* usus receptissimus est apud patres sive græcos sive latinos, qui considerant operationes et actiones velut notam et characterem, vel indicem naturæ. Hinc probant in Christo duas fuisse naturas ex diversis operationibus. ***Actionem*** enim veteres communi

1) Cf. Petav. lib. I, *de Deo* cap. 6, §. 3, ita etiam philosophi Christian. Wolf. *Philosophia prima sive Ontolog.* pag. 1, sect. 2, cap. 3, §. 143 et seqq. edit. Veron. 1736, Fortunatus a Brixia *Metaph.* p. 1, prop. I, corol. I, Storchenau *Ontolog.* sect. 2, cap. 2, §. 45.

2) Notandum vero est, quod cum de Trinitate disseritur, nomen *essentiæ* usurpetur de essentia *physica*.

3) Cf. Lactant. *Divin. instit.* lib. III, cap. 28, edit. Paris 1748, S. Th. p. 1, q. 29, a 1, ad 4, Petav. *de Trin.* lib. II, cap. 5 et seqq.

4) Veteres hæretici a germano hoc et veteri naturæ significatu occasionem arripiebant, ne dici paterentur personam Trinitatis vel secundam vel tertiam ejusdem esse naturæ cum prima, eo quod reliquæ duæ a prima, prima vero a nulla originem duxerit.

5) Si quidem ipso latinitatis aureo sæculo vox *naturæ* usurpata est ad designandam rem quamlibet existentem, ac sæpe posita est pro essentia. Sic Horat. lib. II, sat. 8, v. 91.

Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes;

Suaves res, si non causas narraret earum et

Naturas dominus.

6) Post Aristotelem recentiores philosophi definire solent naturam corporum, tanquam ea sit principium actionis et passionum, quæ in corpore contingunt. Cf. Storchenau *Cosmol.* §. 85 et seqq. Christ. Wolf. *Com.* §. 145 et 503. Quum in spiritibus et præsertim in Deo nulla passio possit habere locum, ideo natura sic in genere definita est ut queat Deo ac spiritibus aptari.

consensu dixerunt *substantialem naturæ motionem*, id est interiorem et propriam, non extrinsecus advenientem [1].

14. *Substantia* ab accuratioribus philosophis definitur: id quod nullo alio indiget, cui inhæreat ad existendum. Hoc proinde sensu substantia in suo conceptu, seu ut dicitur *in recto*, non importat nisi meram negationem essentialis dependentiæ a subjecto in existendo, quemadmodum notio *entis* meram tantummodo intrinsecæ contradictionis negationem designat. Triplici autem sensu substantia accipi potest 1° pro essentia [2]) 2° pro eo quod subest accidentibus ac modificationibus quo sensu a *substando* (accidentibus) dicta fuit: 3° pro re per se existente et hoc postremo sensu tam de Deo, quam de creaturis prædicari potest [3]).

15. *Existentia* est essentia in actu; seu existere res aliqua dicitur, cum in rerum natura posita est, et extra merum possibilitatis statum reperitur; ex qua definitione patet existentiam ab essentia in eo differre, quod essentia, nempe metaphysica, sit prorsus necessaria, non item generatim saltem, existentia, quæ insuper aliquid amplius dicit præter simplicem possibilitatem; hinc a nonnullis dicitur existentia *possibilitatis complementum*. Existere per *essentiam* dicitur ens, quod ita existit, ut ipsa ejus essentia sit ratio, cur existat, seu quod ideo extistit, quia est id quod est. Sic Deus dicitur existere per suam essentiam, quia ratio cur existat in ipsius essentia comprehenditur. Contra vero id non existit per suam essentiam cujus ratio existendi in ipsius essentia minime comprehenditur. Sic per suam *essentiam* non existit homo, quandoquidem non ideo existit, quia homo est. Hinc primum dicitur *ens a se;* alterum: *ens ab alio*. Et indidem patet discrimen inter essentiam et existentiam [4]).

16. *Subsistentia* juxta vocabuli vim nihil aliud importat quam modum quo substantia quælibet sive completa, ut homo, sive incempleta ut pars hominis, brachium, pes existit. Atta-

1) Cf. Wolf. *Ontol.* §. 713 et seqq. Petav. *de Incarnat.* lib. VIII, cap. 2, §. 4 et seqq.

2) Quo sensu S. August. lib. VII, *de Trin.* cap. 4, n. 7, scribit: „Quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est latino, essentia quam substantia solet intelligi.” Quod pluribus confirmat *de Deo* lib. I, cap. 6, n. 15 et seqq.

3) De diversis his substantiæ acceptionibus cf. Fortunatus a Brixia *Metaph.* p. 1, diss. 3, sect. 1, nec non Wolf, *Ontol* §. 768 et seqq., ubi cum definivisset substantiam „subjectum perdurabile et modificabile;” nititur componere hanc suam definitionem cum notione substantiæ communi, et cum notione cartesianorum etc. Fatetur tamen substantiæ nomen Deo non convenire nisi *eminenter*, non vero *formaliter*. Si loquatur de sua definitione, recte id quidem, non vero si in communi aliorum acceptione, ut patet ex ea, quæ a nobis prolata est. Hinc optime Damascenus *Dialect.* cap. 4. „Substantia, *inquit*, est res per se existens, nec alio indigens ad subsistendum; sive: id quod ita in se est, ut non existat in altero.” *Ed. Le-Quien.* Quæ quidem definitio tam convenit Deo, quam creaturis, quæ dependent utique a Deo, at non inhærent Deo tanquam subjecto.

4) Cf. Storchenau *Ontol.* sect. 3, cap. 3, §. 134.

men hic speciatim sumitur prout est modus, quo substantia quædam singularis tota et ultimo completa subsistit suique juris efficitur, quare passim definitur: ultimum substantiæ complementum eam reddens sui juris, sive incommunicabilem alteri tanquam supposito sive personæ. Per subsistentiam igitur substantia ita completur suique juris efficitur, ut independenter ab alio tanquam a persona vel supposito operetur, suasque proprietates declaret [1]).

17. *Suppositum* convenit cum subsistentia, atque inter utrumque hoc unum discrimen intercedit, quod subsistentia sumitur abstracte, suppositum in concreto, ita ut suppositum sit ipsa substantia cum suo existendi modo, qui tamen potest esse vel proprius vel alienus, ut patet ex incarnatione in qua humanitas subsistit subsistentia propria divini Verbi. Suppositum igitur definiri solet: ***substantia ultimo completa suique juris***. Ex qua definitione liquet suppositum non solum substantiam esse debere, et quidem individuam ac singularem, sed præterea debere in eo esse principium integrum suarum affectionum seu operationum. Nec manus idcirco, nec ramus sunt supposita, cum non sint sui juris, sed manus a corpore, et ramus ab arbore pendeat. Nec mens humana, nec corpus seorsim sumpta pariter supposita sunt, cum anima pendeat a corpore, atque corpus ab anima in suis exercendis operationibus, modumque existendi habeant non peculiarem et proprium, sed compositi totius [2]).

18. ***Persona*** idem est ac suppositum, sed rationale, post Boëtium communi calculo definitur: ***naturæ rationalis individua substantia***. Nonnullis haud satis arridet ejusmodi definitio; verentur enim, ne admissa hac definitione, tres in Deo habeantur, eæque numero discretæ et individuæ substantiæ; sed immerito, cum in Boëtiana definitione, ut observat Suarez [3]) vox ***individua*** eundem sensum habeat quem habere solet vox ***incommunicabilis***. Si quis tamen vellet loqui brevius et ambiguitatem omnem intercludere, posset personam dicere ***suppositum***, vel ***subsistentiam rationalem***.

19. Quod nos vocamus naturam, essentiam, personam, græci vocant *φύσιν*, *οὐσίαν*, *ὑπόστασιν*, ***physin***, ***usian***, ***hypostasin***. Non tamen his vocabulis, ut observat Petavius [4]), eadem per-

1) Cf. Fortun. a Brixia ibid. pag. 1, sect. 3, def. 3 et seqq. Necnon Wolf. *Ontol.* §. 174 et seqq.

2) Cf. ibid. §. 135. Plura de hoc argumento vid. apud Suarez *Methaph.* disp. 34, tom. II, cf. etiam *diss. postumam Christ. Lupi Or. S. Aug. de vocibus substantia, essentia, persona etc.* tom. II, *Opp.* edit. ven. 1724.

3) Ibid. sect. I.

4) De Trinit. lib. IV, cap. 1. §. 2, ubi ostendit diverso plane sensu vocem *οὐσίας* adhibuisse philosophos gentiles ac ecclesiæ doctores. Illi enim hoc nomine designarunt singularem individuamque substantiam, quam idcirco *primum* nominarunt. Verum christiani scriptores aliter fere utuntur hoc nomine et *οὐσίαν* appellant non singularem individuamque, sed communem individuis substantiam, primam vero seu singularem substantiam hypostasin vocant; pauci eandem *οὐσίαν* dicunt. Cap. autem 2 ostendit eandem viguisse acceptionis discrepan-

petuo hæsit significatio. Unde ortæ contentiones et dissidia in ecclesiis; hac autem vocum confusione abusi pariter sunt refractarii sabelliani et ariani [1]).

20. Notandum præterea est hactenus dicta nonnisi imperfecta ratione Deo convenire posse. In Deo enim *natura*, *existentia* et *essentia* unum sunt, quum ipse sit sua essentia, existentia, æternitas etc. Sic nonnisi imperfecta ratione, et ob sermonis inopiam de Deo *personæ* prædicantur. Personæ enim in creatis nedum subsistentiam, sed etiam entitatem distinctam separatamque habent, quæ limitatione sua unum tantum suppositum perficere potest; in Deo autem personæ solum subsistendi modum distinctum dicunt, totam vero divinam essentiam communem, et indistinctam habent. Hi autem modi, nostra cogitandi ratione, supervenire concipiuntur ipsi divinæ substantiæ, quam afficiunt, et reddunt singularem in unaquaque persona [2]). Ex hac observatione corruit argumentum quod jactant adversus catholicam doctrinam de Trinitate hebræi et sociniani ex nomine personæ, *non enim*, inquit Jaquelotius, *alio nititur, fundamento quam nominis hujus ad res creatas accommodati idea, atque definitione, quæ alia prorsus est ab ea, quam in divinis habe-*

tiam circa vocem φύσιν quam alii pro natura utpote a φύναι quod est nasci, alii pro substantia promiscue interdum etiam acceperunt. Sic pariter aliquando vox φύσις in sensu personæ usurpata est, seu hypostasis. Eandem etiam vinguisse apud veteres confusam acceptionem vocis ὑποστάσεως quæ pro natura vel essentia adhibebatur, compertum est; persona enim a græcis πρόσωπος dicebatur.

1) Ex promiscua illa atque nondum determinata vocum acceptione non parva confusio orta est qua tum sabelliani tum ariani abusi sunt, siquidem numquam hæretici bona fide utuntur. Patres enim illi qui *usiam* pro persona sumebant, et *hypostasim* pro essentia, dicebant tres esse in Deo *usias* et unam *hypostasim:* e contra illi, qui *usiam* pro essentia usurpabant, et *hypostasim* pro persona, dicebant tres esse *hypostases* et unam *usiam.* Hinc sabelliani, qui contendebant unam ac simplicissimam esse in Deo personam, dicebant unam esse in Deo hypostasim, et rejiciebant hanc sententiam in illos patres, qui unam hypostasim in Deo asseruerunt. Ariani vero, qui tres substantias separatas et diversi ordinis admittebant, affirmabant in Deo tres esse *usias* et patrum illorum auctoritate fulciebantur, qui sumentes usiam pro persona tres in Deo asserebant *usias* esse. Brevi dolus detectus est; sed cum hæretici illi mala fide id facerent, in errore perstiterunt. Contra vero cum inter catholicos mota pariter hæc quæstio esset, præsertim inter Meletium et Paulinum detecta logomachia, quæstio cessavit. Cf Pet. ib.

2) Hinc optime Petavius *de Incarn.* lib. 3, cap. 13, §. 3. „Cum dicimus, inquit, Filium unam esse hypostasim divinitatis, vel Patrem, Filium et Spiritum S. tres esse divitatis personas aut hypostases, *naturam* ipsam in singulis cogitamus, verum non absolute, ac per se; sed quatenus *personali proprietate affecta*, et quodammodo determinata est in unoquoque;" et cap. 14, §. 3, „ea proprietas relativa cum natura communi conjuncta, prout animo ista percipimus, personam Trinitatis secundam constituit: quæ (natura) hac affecta proprietate, tanquam forma, subsistens efficitur, et hypostasis, ac persona" Ex his patet quod persona, vel hypostasis, seu suppositum, prout abstracte sumitur, quædam est naturæ modificatio; prout vero accipitur in concreto, ipsa est natura modificata, seu subsistens ut tali affecta modo, proprietate, forma; nostra scilicet concipiendi ratione. Cum autem in solo Deo detur substantia infinita, hinc fit, quod per formam, sive modum, sive proprietatem personalem substantiæ finitæ ac creatæ fiant substantiæ finitæ ac creatæ non solum ratione modi, sed ipsius substantiæ, non item in Deo. Mysterium propterea istud per nullum exemplum adæquate exprimi potest.

mus: neque enim præter subsistendi modum aliud ibi significat[1]) Hinc tres personas dicimus in Deo esse, non *tria individua*, cum hæc distinctas naturas connotent, quod alienum est a divinis hypostasibus in quibus una essentia est, atque natura, ideoque una naturalis seu essentialis mens, voluntas et operatio.

21. Sed præstat nonnulla addere de *originibus*, et *relationibus*. *Origo* est emanatio unius ab alio. Emanare autem potest unum ab alio vel tanquam a *principio*, vel tanquam a *causa*: rursus vel *generatione*, vel simplici *processione*. Singulæ hæ voces sunt exponendæ.

22. ***Principium*** „est id quod rationem continet, cur illud sit, cujus dicitur principium, quodque proinde *principiatum* nuncupatur," seu brevius: „est illud quod habet in se rationem principiati e. g. Pater est principium, Filius principiatum, quia Pater in se continet rationem cur Filius existat. Ex quo sequitur 1° principium debere *aliquo modo* distingui a principiato. Continetur enim in principio ratio cur sit principiatum. Dixi *aliquo modo* distingui; non enim necesse est, ut quoad *essentiam* distinguatur. Sic Pater in divinis vere est, recteque dicitur *principium* Filii, licet eadem numero *essentia* in utroque habeatur. Sequitur 2° adesse necessariam connexionem inter principium et principiatum, ita namque se habent et mutuo se respiciunt, ut unum ex altero colligatur. Sequitur 3° principiatum esse suo principio *aliquo modo* posterius; ideo namque habetur *principiatum*, quia datur *principium*. Dictum est pariter *aliquo modo* esse posterius principiatum suo principio, ab eoque pendere, quia satis est ut hæc posterioritas sit ordinis, non autem temporis atque hæc dependentia sit solius relationis, prout in divinis contingit[2]).

23. *Causa* in genere dicitur: *principium influens esse in aliud* seu clarius: causa generatim sumpta est id quod rationem cur continet aliquo modo habeatur aliud natura distinctum. Quod autem a *causa* suum esse recepit, *effectus* nuncupatur. *Causa* itaque dicitur *principium* quod stat loco generis. Omnis enim causa principium est, cum rationem contineat, cur sit effectus; at vero non omne principium est causa, cum non sit de ratione principii, ut a suo principiato natura distinguatur. Pater proinde in creatis est vere *causa* Filii, at in divinis non est nisi *principium*, quia in creatis essentia, seu substantia Patris ab essentia seu substantia Filii prorsus distinguitur, non autem in divinis. Notandum porro est græcos interdum vocare ***Patrem causam*** Filii, at causæ nomine intelligunt principium, sensu a nobis exposito, idest *intrinsecum*, non autem *extrinsecum*.

1) Diss. 2, *de Messia* c. ult.

2) Plura cf. apud Fortun. a Brixia *in philos. mentis* tom. II, pag. 1, diss. 4, sect. I, def. I et seqq.

24. *Generatio* post S. Thomam p. 1, q. 27, a. 2, passim definitur: *origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ* hæc autem similitudo debet esse speciei, non vero generis tantum, ut ibidem exponit S. doctor. Plura de generatione videri possunt apud Suarez lib. IX, de Trin. cap. 1 seqq. [1]).

25. *Processio* est origo unius ab alio, potest autem esse vel *ad intra*, ut dicitur, vel *ad extra*, et quidem, ut docet S. Thom. loc. cit., semper debet esse per aliquam actionem vel immanentem vel transeuntem. Hinc magis patet processio, quam generatio; omnis enim generatio est processio at non omnis processio generatio est.

26. *Relatio* est ordo, seu habitudo unius ad alterum. Duo proinde extrema relatio poscit, unum quod se refert, aliud ad quod refertur. Iste autem ordo vel mutuus est in utroque extremorum, vel non mutuus sed tantum ex parte unius extremi; ut tectum, quod refertur ad domum, quin hæc referatur ad tectum. Si mutuus est, ut creator et creatura, dominus et servus, Pater et Filius etc., qui referuntur ad invicem, *perfecta* datur *oppositio relativa*, qua sola mutuo se distinguunt, si vero mutuus hic ordo non sit, tunc oppositio relativa erit *imperfecta*. Notandum est autem quod ad veram relationem constituendam necesse non sit, ut oppositio intercedat inter substantias, sed satis est, ut intercedat oppositio modi quo termini sive extrema ad se invicem referantur [2]).

27. Si oppositio sit inter substantias, tunc dicitur *ad aliud*, talis est autem oppositio quæ in creatis intervenit; si tantum

1) Juvat hic in medium afferre definitionem generationis quam dedit Aristoteles, siquidem ex ipsa magna ex parte ortæ sunt contentiones arianorum. Generatio itaque ab Aristotele definitur ut sit „ex eo quod omnino non est, in substantiam facta mutatio per quam res simpliciter fieri, non aliquid fieri dicitur.” Ex hac porro definitione, quemadmodum patet, sequitur, ut ea, quæ generantur sic se habeant, ut antea non existerent, neque in substantiis numerarentur, transferantur in classem substantiarum, ac progressum faciant ad existentiam. Hanc vero definitionem adoptantes ariani et transferentes ad divina, inscite ac impie simul dixerunt „de non extantibus venisse Filium et fuisse aliquando tempus quando non erat.” Quod cum sæpe recantarent, neque ad officium redire vellent, ecclesia eos proscripsit, ut cum suo Aristotele saperent, neque rem catholicam perturbarent.

Eo magis quod in hac definitione nihil differat generatio a creatione. Res enim per creationem ad existentiam transeunt ex non existentibus, et ex non substantiis transeunt in numerum substantiarum. Et tamen ipso lumine rationis et communi sentiendi et loquendi usu certissimum est hæc duo differre. Ad generationem sufficiunt creaturæ, quæ tamen nec atomum quidem ad existentiam producere possunt per creationem, quæ uni Deo competit.

2) Fundamentum relativæ denominationis est „id per quod termini sunt proxime relative denominabiles;” sic actio qua Petrus Paulum generat, est fundamentum relativæ denominationis *patris*, quæ Petro tribuitur; est enim id in Petro, ex quo cognito determinatur mens, ut Petro *relativam patris* denominationem tribuat, utpote id per quod Petrus est proxime capax ut *pater Pauli* dicatur. Scholastici hoc vocant *rationem fundandi*, sive *fundamentum proximum relationis*. Rigidiores scholastici præterea contendunt præter fundamentum proximum relationis, formam nescio quam superaddendam rebus esse ut ipsæ *relativæ* dicantur, alii vero id negant. Nos absque dispendio, imo fortasse magno temporis lucro, possumus ipsis dimittere has quæstiones. Cf. Fortunatum a Brixia loc. cit.

sit circa modum, tunc relatio dicitur *ad alterum*, ac talis est oppositio, quæ habetur in divinis. In his enim, inquit concilium later. IV, cap. 2. *Quælibet trium personarum est illa res; videlicet substantia, essentia, seu natura divina. Et illa res non est generans, nec genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit.* Ex his intelligimus naturam divinam rem illam ex intesub triplici respectu a qualibet persona peculiari modo esse, quæ gro participatur seu afficitur.

28. Ob materiæ necessitudinem nonnulla adhuc subjicienda sunt de voce *ingeniti*, qua adeo abusi sunt veteres eunomiani [1]. Triplici sensu vox ista accipi potest, vel quatenus signicat *non factum*, seu *non creatum* [2]; vel quatenus significat *non generatum* [3]; vel demum prout exprimit *non emanatum*, neque creatione, neque generatione, nec productionis alio genere quocumque. In priori sensu communis est tribus personis, æque enim nec factæ nec creatæ sunt; imo et ipsi convenit divinæ essentiæ. In altero sensu communis est Patri et Spiritui Sancto, neuter quippe generatus est. In postremo sensu solius Patris propria est, utpote qui solus sit principii cujuscumque expers et originis.

29. Verum *ingeniti* vox hoc tertio sensu explicata bifariam accipi potest, *negative* scilicet ac *privative*. *Negativa* vocabula ea sunt, quibus removemus a subjecto affectionem aliquam, quæ nequeat prorsus illi convenire, ut cum Deum dicimus *immortalem*, *incorruptum*, etc.; *privativa* vocabula ea dicuntur, quibus significamus non adesse in subjecto aliquo proprietates, quæ cum illo possunt cohærere, e. g. cæcitas, amentia in hominibus, qui iis interdum laborant, etsi ejusmodi proprietates ipsis conveniant. Hinc si vox *ingeniti* divinæ essentiæ tribuitur *negative* sumitur; si Patri tribuatur qua persona divina tantum est *privative* accipitur; si vero de Patre dicatur quatenus Pater est, tunc *negative* sumitur, et exprimit *notionem* quandam primæ personæ propriam, qua negatur in Patre productio quæcumque. *Notio* enim est id, quo personas valemus alteram ab altera secernere atque internoscere.

30. Patet igitur ex dictis *ingenitum* nec substantiam significare, nec qualitatem, nec relationem, nec positivum quidquam,

1) Inferius horum vafritiem in abusu vocis *ingeniti* aperiemus.

2) Quo sensu græce *ἀγένητον* scribitur unica *ν*.

3) Et hoc sensu græce scribitur *ἀγεννητὸν* duplici *ν* interjecta. Hæretici, qui numquam bona fide pugnant, utramque olim significationem permutabant, ut dolo essent incautis. Cf. S. Joan. Damasc. *De fide orthod.* lib. I, cap. 8, cum nota 1. Le-Quien, qui observat veteres hanc distinctionem agnovisse, ut auctor *Dialogorum adv. arianos*, qui Athanasio assignati sunt, et ante adhuc S. Greg. Nazianzenum prælusisse *orat.* XXIII, et S. Epiphanium *hæres.* LXIV, aperte observasse omnino differre *γενητόν*, et *γεννητόν*, ut hoc *genitum*, illud *creatum* et *conditum* significet. Nam prima vox a *γίνομαι fio* provenit, altera vero a *γεννάω gigno*.

sed relationis potius negationem, seu exprimere Patrem non esse a principio, ut a principio sunt aliæ duæ personæ.

31. Observandum denique est longe verisimilius vocem personæ esse relativam in divinis, et non absolutam, ac primario et directe relationem exprimere, secundario et in obliquo seu indirecte designare substantiam 1). Relativa pariter sunt nomina Patris, Filii, et Spiritus Sancti, quæ primario proprietates, secundario substantiam significant, secus ac eveniat in voce Dei, quæ primario naturam, secundario personas.

32. Et hæc de his vocibus ac denominationibus heic in tractatus limine delibasse sufficiat ad tricas præcavendas hæreticorum, eorumque facilius suo loco fallacias detegendas.

CAPUT II.

DE NUMERICA DIVINAE ESSENTIAE UNITATE IN TRIBUS PERSONIS.

33. Fidei nostræ dogmata non ex ratione, sed ex revelatione probari debent; id est debet inquiri an Deus revelaverit nobis nec ne hoc vel illud dogma, seu mysterium. Si constet de hoc facto, Deum nempe reipsa aliquod dogma revelasse, credendumque nobis proposuisse, homo firmiter assentiri ei tenetur. Non aliunde autem nobis constare potest Deum revelasse nisi ex scripturis sacris ac traditione quarum custos et interpres ecclesia est, juxta ea quæ a nobis constituta sunt in tractatu de vera religione par. II, propositionum serie, quas illic evolvimus ac vindicavimus.

34. Hac via propterea incedentes dimittimus quæstionem utrum, supposita etiam revelatione, demonstrari ratione possit

1) Magna ferbuit inter theologos concertatio num *personæ* vox directe substantiam significaret, indirecte vero relationem, an contra. Videri potest Vasquez in 1 pag. *S. Thom.* tom. II, disp. CXXVII cap. I et seqq. præsertim cap. 2, ubi statuit cum *S. Thom.* nomen *personæ* significare *formaliter* et directe substantiam: *materialiter* sed directe relationem, essentiam autem consequenter; qui sic mediam quandam viam amplexus est ad primas duas opiniones conciliandas. Attamen Petavius lib. IV, *de Trinit.* cap. II, §. I, cum præmisisset „*personæ* vocem ex eorum esse nominum genere, quæ *concreta* dicuntur, hoc est e duobus complexa, quorum alterum subjecti instar est, alterum formæ, quæ subjectum afficit; quamvis reipsa in Deo nihil sit ejusmodi, nec ulla pars aut compositio; nos tamen sic eum cogitatione describimus; quasi quiddam insit in illo, quod subjecti vicem habeat; quiddam alterum, formæ. Quare persona divina ex natura, sive essentia, velut subjecto: et proprietate, quæ tanquam forma est relativa, componitur. Sed ambigitur utram partem proprie, ac per se, directaque notione persona significet." Deinde excussis diversis veterum et recentiorum sententiis concludit §. 9, juxta græcorum latinorumque patrum, nec non conciliorum auctoritatem persona vocabulum directa, et ut loqui solent, formali significatione non essentiam, sed proprietatem relativam in Deo notare, indirecte ac subobscure essentiam sive substantiam. Aperit præterea originem hujus disceptationis ortæ ex diversa acceptione apud veteres vocis substantiæ, quæ interdum personæ nomine designabatur. Cons. loc. cit.

nec ne existentia sanctissimæ Trinitatis, quod aliqui affirmant, alii negant [1]). Rationis munus proprium est, ostendere nullam in hoc mysterio, ut in quolibet alio religionis nostræ inveniri repugnantiam; quod quidem præstabimus solvendo difficultates, quæ ab ejus impugnatoribus ex ratione proferuntur.

35. Ex duplici proinde fonte revelationem mysterii SS. Trinitatis ostendemus ex scriptura et ex perpetua traditione seu ecclesiæ fide ac professione. Rursum cum ejusmodi revelatio nobis duplici ratione constare possit, tum *directe*, per ea scilicet testimonia, quæ loquuntur de tribus divinis personis in essentiæ unitate, tum *indirecte* per ea quæ divinitatem personarum singularum adstruunt, hinc ea omnia quæ proferemus ad evincendam existentiam Trinitatis in unitate essentiæ, pariter evincent divinitatem uniuscujusque personæ, et ea quæ exhibebimus ad probandam divinitatem harum singularum personarum probabunt pariter mysterium Trinitatis in essentiæ divinæ unitate; non enim in partes scindi divinitas potest.

36. Ex eo autem quod prius ex testimoniis biblicis ostendamus mysterii propositi veritatem, ac postea ex sensu traditionali, non propterea has disjungimus probationes, quæ mutuo se complectuntur, sed solum ut ordini et perspicuitati consuleremus id a nobis præstitum est.

PROPOSITIO I.

Tres sunt in una divina essentia personæ realiter distinctæ.

Quod ex sacris literis in primis ostenditur.

37. Est de fide, ut constat tum ex superius recitatis symboli athanasiani verbis, tum ex omnibus catholicæ fidei professionibus, atque ex conc. later. IV cap. ***Firmiter;*** cujus verba superius pariter retulimus.

38. Licet neque pauca, neque obscura occurrant in V. T. testimonia in quibus pluralitas prædicatur personarum, ut Gen. 1. 26. ***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem no-***

1) Inter cæteros, qui perhibentur, supposita revelatione voluisse ostendere existentiam SS. Trinitatis, eminet Hugo Victorinus S. Bernardo coævus lib. I, *de Sacr.* cap. II, Richardus item Victorinus in op. *de tribus appropiatis personis in Trinit. ad D. Bernardum;* ac præsertim celeberrimus card. de Chusa tum alibi, tum in op. *de docta ignorantia* lib. 2, cap. 24 et in lib. *Posses.* cap. de Venatione sapientiæ cap. 24, lib. 7, lib. *de Berillo* cap. 22 et seqq. lib. 4, *exercitation. serm. ult.* item *in lib. de pace fidei* cap. 7 et seqq., ubi dat methodum ratiocinandi, quæ indos et chaldæos persuadeat. In *cribratione alcorani* lib. 2, cap 3, 4, 5 (Duob. primis tom. *opp. edit. Basil.* 1565). Ipsi præiverat S. Anselmus lib. *de fide Trin.* cap. 2. Ex recentioribus recensentur Hermeneg. Pini ex congr. S. Pauli in *Protologia*, cl. Mastrofini in opere *Methaphysica sublimior* cujus nonnisi vol. I, typis excusum est *Romæ* 1816, quod plures adversarios nactum est; demum Th. Vincentius Falletti can. reg. in op. *Lo studio analitico della religione, Roma* 1827 vol. 2, cap. 8, 9.

stram: ib. III, 22. ***Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est***, quæ nonnisi per vim de Deo secum colloquente, atque absurde ad angelos dicta, exponi possunt; nec non ea, quæ passim leguntur sive in psalmis, præsertim II, 7. ***Dominus dixit ad me; Filius meus est tu, Ego hodie genui te***, et ps. CIX, 1. ***Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis***; adhibita præsertim expositione tum Pauli, tum Christi ipsius [1]), et alibi sæpe, cum tamen expressam trium distinctarum personarum in eadem divina natura subsistentium doctrinam Christus Dominus patefecerit, ideo ex novo fœdere potissimum veritatem propositi dogmatis ostendemus.

39. Ac 1° quidem apertissima sunt Christi verba Matth. ult. ***Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*** [2]), quibus verbis tres personas realiter distingui ostendit particula copulativa ***et***, unam autem designari atque individuam trium harum personarum essentiam illud ***in nomine*** patefacit, quo significatur gratiam regenerationis et renovationis qua filii Dei efficimur, ejusque famulatui mancipamur acceptam referri debere Deo in tribus personis subsistenti [3]); perinde enim valet vox illa ***in nomine*** ac in auctoritate, virtute, ac efficientia prout biblica ipsa documenta testantur [4]).

40. Nec minus insigne est ad rem nostram testimonium, quod occurrit Joan. XV 26 ubi Christus ait: ***Cum venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*** [5]). Tres ibi pariter distinctæ commemorantur personæ ***Pater, Filius, Paraclitus***, et quidem eadem divina natura præstantes; altera enim est Filius, ejusdem ergo naturæ cum Patre; altera vero ***a Patre procedit***, non igitur facta, aut creata, sed a Patre emanans, quo sensu Filius dicit de se ipso, quod exierit a Pa-

1) Cfr. Prud. Maran Cong. S. Mauri in præclarissimo opere quo sæpe utemur in decursu hujus tract. *Divinitas D. N, J. C.* vol. I. *fol. Paris.* 1746 p. I. lib. I. cap. I.

Petav. *de Trin.* lib. 2. cap. 7. cfr. etiam *Dissert. ad Gen.* I. 26 *pro SS. Trin. Mysterio contra judæos et hæreticos omnes anti-trinitarios in coll. rom. proposita a Petro Curti S. J.* in *Thesauro Zaccariæ* tom. 3. pag. 20.

2) *Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.*

3) Inepte prorsus quærunt unitarii pedem referre ex angustiis in quas eos conjicit præscripta a Christo baptizandi forma dum illud *in nomine* de baptismo Patris et Filii etc. interpretantur; vel de doctrina vel de discipulatu, etc., quæ interpretationes omnes violentæ sunt et obvio sensui contrariæ, ut inferius ostendemus. Cfr. Maran. op. cit. par. 2. lib. I. cap. 17 §. 2. Petav. *de Trin.* lib. 2. cap. 1. 8.

4) Cfr. inter cæt. Act. 3. 6. „*in nomine* J. C. Nazareni surge etc." et cap. IV. 10 „*in nomine* D. N. J. C.... in hoc iste adstat coram vobis sanus." Marc. ult. „In nomine meo dæmonia ejicient etc." et alibi passim ex quibus evidens fit idem esse baptizari *in nomine* ac in potestate, auctoritate, efficientia trium personarum in quas credimus et speramus.

5) *Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ.*

tre [1]). Huc pariter referuntur verba Christi ib. XIV, 16. ***Et Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis***; tres etenim personæ in vocibus ***Ego***, ***Patrem***, et ***Paraclitum*** inducuntur per mutuam relationem ac comparationem Filii ad Patrem, et Paracliti ad Filium, ut pronomen *alium* declarat, quasi diceret, ea ratione qua ***Pater*** dedit ***Me*** vobis, qui Paraclitus sum, sic cum Ego abiero dabit vobis ***Paraclitum alium***. Quod vero unius pariter substantiæ sint tres istæ personæ patet ex totius orationis serie; cum enim Philippus desiderio tactus videndi Patrem sic Christum interpellasset; ***Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis. Dicit ei Jesus: tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem ... Non creditis, quia Ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quæ Ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera***: Jam vero in his una prædicatur Patris ac Filii efficientia, et actio, quæ unicam expostulat substantiam; 2° commeatio Patris in Filium ac vicissim, quæ dari non posset absque identitate naturæ: 3° affirmatur uno viso alterum videri, quod consequens non esset, si diversa foret Filii a Patre substantia, sed viderentur duo plane distincta ac diversa [2]). Quoniam vero tertia persona, qualis ibi describitur, vere Paraclitus est perinde ac Filius, cum dicatur a Patre procedere, quemadmodum de Filio dicitur, quod processerit a Deo [3]), et exiverit a Patre [4]), necesse est in divina eadem et unica cohærere natura. Tres igitur in citatis testimoniis designantur personæ subsistentes in eadem essentia divina.

41. Denique, cæteris omissis, eadem veritas confirmatur ex verbis: ***Audite audientes et nolite intelligere***, quæ dicta a Deo Patre Isaias testatur VI, 9 prolata a Deo Filio exhibet Joannes XII, 40, 41 dicta a Deo Spiritu Sancto docet apostolus Act. XXVIII, 26, cum eadem propterea personis singulis tribuatur efficientia, ac prædicetur gloria, et majestas [5]), una igitur trium distinctarum personarum deitas prædicatur. Quare optime S. Basilius hæc expendens ait: ***Propheta inducit Patris, in quem judæi credebant personam: Evangelista, Filii: Paulus, Spiritus, illum ipsum qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituerunt, distinxere, indistincta manente in eis de uno Deo sententia*** [6]).

1) Joan. XVI. 27. 28.
2) Cfr. apud. Petav. *de Trin.* lib. 2. cap. 11 §. 4. et seqq. plura patrum testimonia, quæ insignem hunc locum exponunt, ostendentes ex eo eandem inesse Patri ac Filio naturam.
3) Joan. VIII. 42.
4) Ibid. XVI. 27.
5) Cfr. apud Maran *op. cit.* lib. I. par. 2. cap. 17 §. 3.; qui totam hanc argumentationem in pleno suo lumine posuit.
6) Lib. 5. *contra Eunom.* tom D. I. p. 301 *edit. Maur.* Ὁ προφήτης τοῦ φατρος.

42. Hæc autem hisque similia biblica testimonia majus lumen etiam accipient ab iis quæ proferemus, cum de Filii ac Spiritus Sancti divinitate seorsim disseremus; ista interea, quæ allata sunt nisi vim ipsis inferamus, aperte evincunt quod primo loco ostendendum assumpsimus, tres realiter distinctas personas in essentiæ divinæ unitate in sacris literis prædicari.

DIFFICULTATES.

43. I. *Obj.* cum Wegscheider [1]. 1° Nullus exstat scripturæ sacræ locus, quo universa illa doctrina claris et distinctis verbis tradita, atque finita sit, nullus quo vel vocabulum *τρίαδος* (*Trinitatis*) reperiatur, vel ***personarum*** in Deo distinctio earumque *ομοουσία* (***consubstantialitas***) commemoretur: 2° nobilis vero ille locus, qui mandatum baptismale exhibet, apud Matth. XXVIII, 19. huic dogmati speciem sententiæ ab ipso Jesu Christo profectæ videtur conciliasse; quo loco etsi Pater, Filius, et Spiritus S. vere distinguitur, Filium tamen et Spiritum S. ejusdem cum Patre et essentiæ et dignitatis esse neutiquam probatur, nec aliud quidquam ibi præcipitur, nisi hoc, ut christiani ea religione obstringantur, quæ Deum esse Patrem hominum, Jesum Messiam, et Spiritum S. singularem quandam Dei vim personæ forma indutam etc. (Matth. III, 16. XII, 31. 37 coll. Luc. I, 35. Act. X, 38), incrementa atque effectus novæ religionis in animis hominum promovere doceat (Act. XIX, 2-6. I. Cor. II, 10 seqq. XII, 3, seqq.) 3° eadem fere ratio est dicti, quod extat II. Cor. XIII, 13, ubi apostolus christianis adprecatur, ut favor Domini Jesu Messiæ, et amor Dei illis contingat, et ut Spiritus Sanctus ejusque dotes cum illis communicentur. 4° Neque magis dogma illud probari potest altero loco Matth. III, 16, 17, quo Jesu Messiæ per baptismum inauguratio sub velo quodam mythico enarratur. 5° in cæteris autem quæ adduci solent testimoniis I. Cor. XII, 4-6. 1. Petri 1; 1. 2. Rom. XV, 30. Tit. III, 4-6. neque trium in Deo personarum, neque *ομοουσίας* (***consubstantialitatis***) earum ulla fit mentio. Ergo.

εἰσηγεῖται πρόσωπον τοῦ παρὰ Ἰουδαίοις πεπιςευομένου· ὁ εὐαγγελιςὴς τοῦ υἱοῦ ὁ Παῦλος τοῦ πνεύματος· ἕνα κύριον Σαβάωθ τὸν ὀφθέντα κοινῶς ὀνομάζοντες· διήρηται αὐτοῖς ὁ περὶ τῆς ὑπος άσεως λόγος ἀδιαιρέτου μένοντος ἐν αὐτοῖς τοῦ περὶ ἑνὸς θεοῦ φρονήματος.

1) §. 79. 80. Heic adnoto me libentissimo animo rationalistarum argumenta proferre, tum quia quidquid ab ipsorum antesignanis socinianis et a veteribus arianis prolatum est, quasi vero catholici nihil unquam contra hiscere ausi fuerint, confidenter corrogant congeruntque una superaddita exquisitioris cujusdam impietatis ac malitiæ appendice, quare dum recentiores isti profligantur, antiquiores illi etiam quorum armis utuntur profligari necesse est: tum quia apertissime exinde patebit quam tandem exigui rationalistæ sint, qui sibimet imperitisque tanti videri solent, quique penitiorem quandam nusquam alias excogitatam tricando scientiam ostendere satagunt, tum demum quia eos a nemine hucusque ex professo confutatos video.

44. *Resp. Ad* 1m, *Neg.* non unus enim tantum vel alter locus sed plura loca scripturarum proferuntur a catholicis ad ostendendum Trinitatis dogma, ut patet etiam ex probationibus a nobis adductis, ex quibus tum trium personarum distinctio, tum earumdem in divina essentia unitas patefactæ sunt, ideoque et ὁμοουσία, seu *consubstantialitas;* quid vero refert si non occurrat in scripturis vel *personæ*, vel *trinitatis* nomen, si constet ex iisdem de re? nec enim de nominis, sed de rei existentia agitur [1]). Hac constituta, nomina per se profluunt

45. *Ad* 2m, sive ad 1° *prob. Neg.* Nam non solum speciem videtur consiliasse huic sententiæ seu dogmati mandatum bapitismale, sed fundamentum exhibet dogmati catholico. Etenim observatum est Filium dici et appellari per comperationem ad Patrem, et Spiritum Sanctum per comparationem ad Patrem et Filium, ideoque tres distingui personas, cum autem in baptismo agatur de regenerationis gratia, quæ in nomine harum trium personarum confertur, et quibus propterea dedicamur, merito infertur ex voce illa *in nomine* æqualitas ac unitas trium personarum in natura divina.

46. Sic *Neg.* per baptismi formulam non aliud præscribi, nisi ut christiani ea religione obstringantur, quæ Deum patrem hominum, Jesum Messiam, et Spiritum S. ut singularem Dei vim exhibeat, 1° quia hæc interpretatio *nova* est, et ante socinianos et rationalistas inaudita et cui obstat sensus traditionalis totius antiquitatis [2]); 2° quia est *absurda*, baptizaremur enim in nomine, seu auctoritate et efficientia *vis* et *efficientiæ* Spiritus S., 3° quia est *violenta,* quis enim verba Christi, prout sonant in sensu obvio, audiens, intelligat patrem hominum,

1) Quod si existerent hæc nomina in scripturis, nonne ea pariter rationalistæ eluderent juxta principia a se posita? Certe in scripturis Christus passim *Deus* et *Filius Dei* nominatur, ut inferius videbimus, *Spiritus Sancti* frequens pariter mentio fit, numquid propterea ipsi Christum Deum confitentur, et Spiritum Sanctum ut personam subsistentem habent? Ad eludendam potius omnium horum testimoniorum biblicorum vim quæ distinctionem personarum in unitate naturæ exhibent sic scribit Wegscheider §. 79 „exstant in libris N. T. Pauli maxime et Joannis dicta, quibus Filius Dei et Spiritus S. in *aliquam* divini honoris societatem admitti videantur, quorum duplex *classis* distingui solet, altera eorum, quibus Pater, Filius et Spiritus S. simul commemorantur, altera eorum, quibus singillatim de illis exponitur. Ad recte intelligenda utriusque generis dicta probe tenendum est, non propria Jesu Christi verba illic referri, sed partim ejus effata, *pront ab aliis aliter intellecta* et *per traditionem varie exornata fuerint* (quasi Joannes Christi effata ab ipsius ore non exceperit, tanta est rationalistarum impudentia!) partim *singulorum scriptorum sacrorum judicia* (quibus profecto anteferendum est judicium rationalistarum) *nec ubivis* sibi consentanea (en quid sentiant de scriptoribus sacris isti novi protestantes), nec satis perspicue enunciata."

2) Ubi notanda est parum sibi cohærens neotericorum biblicorum agendi ratio. Ipsi adeo extollunt in hermeneutica regulam *usus loquendi,* uti vocant, quem statuunt velut primarium criterium interpretationis ad exclusionem interpretationis ecclesiæ. Quando vero provocantur ad sensum traditionalem perpetuum antiquitatis, quæ profecto est testis legitimus hujus *loquendi usus,* nihili illam faciunt, et sensui antiquitatis privatam interpretationem opponunt.

messiam, et efficaciam? 4° quia est *contraria* aliis scripturæ textibus, præsertim Joan. XV, 26. XIV, 16 superius adductis, in quibus Christus exhibet Spiritum Sanctum ut personam subsistentem, quæ procedit, operatur, et eum vocat *alium* respectu sui ipsius, quin igitur impie dicamus vel Christum non esse personam, sed prosopopejam et vim, vel improprie imo et insulse esse locutum, Spiritus Sanctus neque prosopopeja est, nec simplex *vis et efficientia* [1]).

47. ***Dices***: I. Cor. X, 2. Israëlitæ perhibentur baptizati in Moyse, in nube, et in mari; et ipsa ecclesia rom. in animæ commendatione precatur: ***In nomine Patris*, *in nomine Filii*, *in nomine Spiritus Sancti*, *in nomine Angelorum etc.*** Ergo formula in nomine Patris etc, neque importat per se distinctionem et subsistentiam personarum, ut liquet ex primo textu, neque æqualitatem dignitatis et naturæ, ut patet ex ecclesiæ oratione.

48. ***Resp. Neg. conseq.*** et *paritatem.* Nam in primo textu dicuntur Israëlitæ baptizati in Moyse, in nube etc. non autem in nomine Moysis, et nubis, et maris. In oratione ecclesiæ eo ipso quod dicatur distincte *in nomine* angelorum et archangelorum etc. distinguitur dignitas ac natura angelorum et sanctorum, qui invocantur ut intercedant apud Deum a Deo ipso, seu à Patre, et Filio et Spiritu Sancto.

49. ***Ad*** 3ᵐ, seu 2ᵐ, ***prob. Dist.*** Si solitarie accipiatur dictum apostoli non est prorsus demonstrativum, *trans.* una cum cæteris, *neg.*

50. ***Ad*** 4ᵐ, seu 3ᵐ, ***prob. Neg.*** Etenim tres ibi distinctæ personæ aperte commemorantur, persona Filii baptizati, persona Spiritus Sancti quem Christus ***vidit descendentem sicut columbam et venientem super se***, sive ut dicitur apud Lucam ***et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum***, et apud Joan. ***Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo***, ***et mansit super eum***, et persona Patris dicentis: ***Hic est Filius meus dilectus***, ***in quo mihi complacui*** [2]), et majori adhuc vi in græco textu per articulum ὁ, ut sic distingueretur a justis, qui non sunt filii Dei nisi per adoptionem. Quod si Filius Dei naturalis Christus est, hoc ipso est ***consubstantialis*** Patri, ut inferius apposite ostendetur sicuti et de Spiritu Sancto.

51. Quod vero additur ***de inauguratione sub velo mythico***, cum totum gratuitum sit atque ex penu rationalismi unice depromptum, quod consistere nequit neque cum scriptorum sa-

1) Hos textus in quibus maxima vis est dissimulant adversarii nostri, quasi neque existerent, ut sic impune possint detorquere in alienum sensum formulam baptismatis. Cæterum quæ ipsi effutiunt de Spiritu Sancto, quod sit vis, *efficientia* etc. idoneo loco solvemus, ubi de persona Spiritus Sancti.

2) *Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα*, Matth. 3. 16.

crorum veracitate, neque cum inspiratione divina, rejicimus ut impium et falsum, ac toti antiquitati contrarium [1]).

52. *Ad* 5m, seu 4m, *prob. Dist.* Seorsim sumpta, *trans.* una cum aliis quæ adducta sunt, *neg.* Nempe hæc scribebant apostoli in cit. loc. cohærenter ad fidei doctrinam, quam ecclesiis a se institutis prædicaverant, qua supposita, illis formulis apertissime alludunt ad Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum a se prædicatos et in quorum nomine initiaverant fideles. Nisi enim hoc constituatur fundamentum, locutiones illæ fiunt prorsus ænigmaticæ, eo constituto, aperte intelliguntur [2]); sunt igitur ea loca totidem ineluctabilia testimonia fidei traditæ ab apostolis, ac proinde existentiæ dogmatis nostri.

53. I. *Inst.* Sunt quidem varia dogmatis semina in ipsis libris sacris, ab interprete candido haud negligenda: sed 1° eadem explicari debent *partim* e philosophematibus quibusdam judaicis et platonicis, quæ quidem ævi incultioris indolem redolentia jam ante religionis christianæ originem divulgata erant 2° *partim* ex pio quodam in magistrum divinum reverentiæ sensu; quo imbuti librorum sacrorum auctores vel Jesu ipsius de messiana sua dignitate sententias, vel narrationes de singulis Jesu factis fatisque mythicas, quarum multæ satis mature jam prodierant (cf. I, Luc. 1), pro suo quisque ingenio atque judicio varie intellectas conceptasque literis tradiderunt et amplificarunt [3]).

54. ***Resp.*** 1° ***Neg.*** Revelatio enim divina, seu veritates divinitus revelatæ non per philosophemata sive judaica sive platonica aut aristotelica explicari aut exponi debent, sed per sensum traditionalem, per auctoritatem ecclesiæ columnæ et firmamenti veritatis, ut suo loco ostendimus [4]), alioquin de nulla veritate nobis constare posset. Hoc est inventum sero nimis inductum a rationalistis omnem revelationem et fidem rejicientibus, qui majori reverentiæ sensu feruntur erga Ciceronem et Tacitum aliosque profanos scriptores, quam erga scriptores sacros, ut mox videbimus. Negamus præterea doctrinam judæorum, prout eruitur ex sacris literis, vocari posse aut esse philosophema;

1) Quando rationalistæ aliquid inveniunt in scripturis, quæ in alienum sensum detorquere nequeunt, confugiunt tanquam ad extremam tabulam ad mythos.

2) Etenim I. Cor. 12. 4-6. aperta fit mentio trium personarum, ubi dicitur idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus auctor divisionum gratiarum, nisi supponatur cognitum corinthiis mysterium Trinitatis ipsis ab apostolo prædicatum, hæc verba nullum sensum præseferrent. Sed illo posito poterat apostolus ad illam fidei formulam alludere, et certus erat ab ipsis intelligi. Sic Rom. 15. 30, ubi idem apost. scribit: „Obsecro vos, fratres, per *Dominum N. J. C.* et per charitatem *Sancti Spiritus,* ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad *Deum*;" ubi rursum tres personæ distinctæ recensentur. Eadem occurrunt Tit. 3. 4-6. aliisque locis ab adversario indicatis, in quibus perpetuo fit allusio ad receptam penes christianos fidem circa Dei unitatem et Trinitatem personarum.

3) Wegsch. ibid. § 92.

4) *Tractat. de vera relig.* par. 2. prop. 3.

judæos porro non omnino latuisse Trinitatis dogma, vel saltem personarum in Deo pluralitatem non pauca sunt, quæ suadent documenta tum ex sacris literis [1]), tum ex aliis eorum scriptis eruta [2]). Quod vero attinet ad philosophema platonicum, dicimus tantum abesse, ut originem dederit huic dogmati, ut hæretici, qui istud temerare ausi sunt, vel ex illa schola platonica prodierint, vel saltem ex platonicis placitis commenta sua hauserint, ut inferius dicemus [3]).

55. *Ad* 2m, *Neg.* 1° Quia alioquin actum esset de scriptorum sacrorum veracitate et inspiratione; 2° quia sequeretur auctores sacros ex pio affectu, seu potius ex assentatione in magistrum suum graviter mentitos fuisse, nosque necessario, sive univer-

1) Innumera prope sunt testimonia in V. T. in quibus de pluralitate personarum in Deo ac præsertim de divinitate Verbi, seu Filii aperta mentio fit, quæ collegit et expendit cl. Maran. *op. cit.* lib. I. cap. 1-17. Sane doctrinam hanc judæos minime latuisse ex iis, quæ habentur in N. T. certissime constat. Cum enim Angelus B. Virginem alloqueretur Luc. I. 31 et seqq. loquitur de Filio Dei, ac de Spiritu Sancto; sic etiam Matth. I. 20. alloquens S. Josephum, item Marc. 1, 8., ubi Joannes Baptist. disserit de baptismo conferendo a Messia in Spiritu Sancto, et alibi passim, quin tanquam de novitate miraretur quispiam.

2) Plura judæorum rabbinorum testimonia, aliaque eruta ex antiquis judæorum scriptis in quibus sermo fit de SS. trinitate ab ipsis cognita cfr. apud Raymundum Martini in *Pugione fidei cum notis et observationibus Jos. de Voisin edit. Carpzovii Lips.* 1687 pag. 144, 396 et seqq. 417, 439, prout nempe notantur in margine juxta primam edit. parisiensem 1651. Hoc ipsum copiosius præstitit et clarissimo in lumine postea collocavit omni documentorum genere Cl. Drach *Deuxième lettre d'un Rabbin converti. Paris* 1817 toto cap. I. Imo nec defuit, qui ex recentioribus protestantibus hoc argumentum illustraverit cfr. D. W. Hengstenberg *Christologie des Alten testaments, etc.* seu: *Christologia veteris testamenti etc. Berol.* 1824 præsertim pag. 216 et seqq. ac tuetur adversus absurdas hypotheses ex expositiones Clerici, Sack, qui edidit suum *comment. theol. Bonn.* 1821. Pustkuchen in *Untersuch. des bibl. Urgesch. seu: Inquisitio biblicæ historiæ primitivæ Hall.* 1823. Rosenmülleri in suis *scholiis in Genes.* De Welte in *Dogm.* I. §. 108. Ewald *in Gram.* pag. 245. Koster in suis *Meletematis criticis et exeget. in Zachar.* Gesenii *in Isa.* 63. 9. aliorumque paucorum, sed de hoc auctore ac de hoc argumento iterum sermo erit suo loco.

3) Ex protestantibus, seu potius socinianis qui excelluerunt in hac calumnia disseminanda platonicismi sanctorum ecclesiæ patrum primis præsertim ecclesiæ sæculis primas obtinet Clericus, ut patet ex ipsius *Bibliothèque universelle* tom. X. pag 181, *Bibliothèque choisie* tom. XII pag. 213. *Ars critica* pag. 11 §. 2. cap. II pag. 536. *epist.* 8. *critica* pag. 268, nec non auctor platonismi detecti. Hos auctores veluti servum pecus secuti sunt rationalistæ, qui in dogmate de Trinitate, de divinitate Verbi non aliud vident nisi platonica placita, in patribus vero nonnisi totidem platonicos. Hos inferius recensebimus, interea præstat afferre textum Clerici, ex quo recentiores suas ideas hauserunt; sic porro scribit Clericus in sua *arte critica* vol. I. pag. 536. „Veteres christiani, qui per aliquot sæcula platonici fuerunt, cum legerent scripturas, ut ex ea religionis christianæ systema quoddam colligerent, platonicas suas notiones scripturæ notionibus ubique miscuerunt, et quod in scripturis non legebatur, quodque credi volebant, ex ea deduxerunt consectariis, non ex uno fonte derivatis sed ex Platone æque ac ex prophetis." Huic in omnibus subscribit auctor *platonismi detecti.* Ast istorum audaciam fregit doctissimus p. Baltus in op, *Défense des SS. Pères accusés de platonisme,* vol. I. in 4. *Paris* 1711. Quod quidem opus divisum est in IV, libros in quorum I, ostendit cl. auct. patres minime institutos fuisse in philosophia platonica, falsumque esse philosophiam istam regnasse in ecclesia primis ecclesiæ sæculis; in II, nunquam patres sectatos fuisse platonica placita; in III, patres rejecisse, imo et refellisse circa omnia puncta Platonem, ejusque philosophiam; in IV, disjicit rationes quibus leviter permoti sunt ii qui patres platonicismi accusarunt.

sum terrarum orbem in errorem induxisse, donec venerint rationalistæ ad errorem hunc detegendum. Quod quam absurdum et impium dictu sit, nemo non videt; 3° quia falsum est mythicas narrationes jam prodiisse ab ipso evangelicæ prædicationis exordio, neque hoc evincit locus cit. ex Luc. I. Si enim bene attendatur Lucæ textus patebit ipsum contrarium dicere, ait enim evangelista: *quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi etc.*, quibus postremis verbis ostendit non solum non improbare eos, qui ante ipsum literis res a Christo gestas consignarunt, verum et se cum illis conferre, quod non fecisset profecto, si falsas ac mythicas narrationes illi congessissent [1]; 4° sed dato etiam, quod illi ita se gesserint, numquid sequitur eadem ratione sese gessisse scriptores sacros? Digna rationalistis dialectica [2]!

56. II. *Inst.* 1° In libris sacris sub illo Trinitatis velamine alius quidam doctrinæ typus aperte est traditus ab illo quidem dogmate alienus, sed cum sana ratione optime congruens; quo jubemur agnoscere unum verum Deum, qui Numen sit absolute perfectum (Matth. XIX, 17 coll. Marc. X, 18 et Luc. XVIII, 19), ac solus adorandus (Matth. IV, 10 Marc. XII, 29 31 coll. 34 Joan. IV, 23), ab ipsoque Jesu adoratur (Matth. XXVI, 39 42. Luc. XXIII, 46. Joan. XVII 1. seqq.) 2° et Jesum Christum (qui vel digressus e terris homo simpliciter appellatur act. II, 22, XVII, 8. rom. V, 15. 1. Tim. II, 5. Cf. 1, cor, XV, 21) ut legatum Dei (Matth. VII, 21. Joan. XVII, 3. Cf. XI, 42.) Deoque quidem eum legante, a quo ipse Jesus sese aperte discernit Joan. XVII, 3. XX, 18 19 longe inferiorem (Matth. XIX, 17. XX, 23. Luc. XXIII, 19. Joan. XIV, 28. X, 29 seqq. XVII, 22 24, I Cor.

1) Neque iis assentiendum putamus qui ex his verbis S. Lucam hic cerinthianorum, basilidianorum aliorumque hæreticorum scripta notare putant, siquidem nondum illa prodierunt; neque si cum hæreticis impiisque hominibus rem sibi esse Lucas intellexisset, haud leviter adeo illos perstrinxisset, aut in eorum ferme numerum semet ipsum adscripsisset inquiens „visum est et mihi." Sed neque Maldonato acquiescimus, qui putat S. Lucam respexisse ad evangelia Matthæi et Marci, cum plura sint quæ obstent, ac cæteris omissis, quod illis de quibus loquitur evangelista aliquam notam inurat negligentiæ. Dicendum propterea eum loqui de iis tantum, qui cum fando solum eventa de quibus scribebant ab apostolis accepissent, nihilominus audacter animum ad scribendum appulerant antequam „omnia diligenter a principio assecuti essent" cum quibus ita se comparat, ut non solum eorum exemplo se tueatur, sed ut aliquod præterea sibi præsidium adesse innuat, quo illi caruerunt, ut constat ex ver. 4. ubi addit: ut cognoscas eorum de quibus eruditus es veritatem ἀσφάλειαν *tutissimum* nempe, atque, ut ita dicam, *indubiam certitudinem;* quam minime assecuturus esset Theophilus, si in memoratas tantum narrationes incidisset. Non est igitur nisi absurdum rationalistarum commentum quod ipsi oggerunt de mythicis narrationibus ac falsis mature, ut ipsi ajunt ex hoc Lucæ textu, in medium emissis.

2) Certum est S. Joannem legisse atque probasse tria evangelia antequam suum conscriberet, ut fidem faciunt Euseb. *H. E.* lib. 3. cap. 24 edit. *Val.* Clemens Alex. *apud eund.* lib. 6. cap. 14. Hieronymus *de Viris illust.* cap. 9., ut posteriores scriptores et patres omittam idipsum testantes.

III, 23. XI, 3. XV, 27 28.) Hunc ipsum purioris doctrinæ christianæ typum sequamur . . . Sic Trinitatis dogma ad hanc formulam revocare licet; Deus Pater ut Spiritum Sanctum sese per Jesum Christum hominibus manifestavit [1]."

57. ***Resp. Ad*** 1m, *Neg.* Non enim typum sed ipsum Trinitatis dogma sacra literæ tradunt, ut ex adductis probationibus ostendimus, ac magis confirmabitur ex dicendis. Neque enim cum hoc dogmate pugnant, quæ de Dei unitate indicata loca ab adversario prædicant. Nec enim per mysterium SS. Trinitatis vel inducitur deorum pluralitas, vel quidpiam detrahitur summæ simplicitati Dei ejusque omnimodæ perfectioni, quam catholica doctrina profitetur, secus ac contra supponere videatur adversarius. Utique Deus solus adorandus est, ipsum coluit et adoravit Christus in terris, sed prout homo est. In doctrina catholica hæc omnia bene cohærent, nec quidpiam difficultatis præseferunt.

58. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Ut Deum simul et filium Dei, *conc.* ut purum hominem ac simplicem Dei legatum, *neg.* Si adversarius commemorat scripturæ loca in quibus Christus simplex homo, ut ipse ait, appellatur, cur illa dissimulat in quibus idem Christus Deus et Filius Dei dicitur, quæ innumera prorsus sunt? si testimonia recenset in quibus Christus se distinguit a Deo id est a Patre, quare non etiam recenset ea, in quibus se unum dicit cum Patre suo, Joan. X 30, XVII 11, 22; in quibus profitetur se in Patre esse et, Patrem in se ib. X, 38 XIV, 10, 20 XVII, 21? Id ipsum dicatur de Deo eum legante, ita enim legavit, ut exiverit a Patre Joan. XVI 28. ut processerit a Patre seu a Deo ib. VIII 42, VII 29. Qui sit unigenitus a Patre Joan. I, 14 et in sinu Patris ib. 18, ut sibi æqualem potestatem tribuerit cum Patre suo Joan. V, 17, 18 26, qui esset in

1) Ita rursum Wegscheider §. 93. ubi notanda sunt duo monita quæ ibi appingit dicens: „simul vero hocce utrumque: *tum opinionem* super hoc dogmate quamvis summa cum indulgentia esse tolerandam, modo ne *virtutis nervos infringat*; *tum* doctoribus publicis in pertractanda ista doctrina *caute* esse versandum, ne vel conscientia oneretur christianorum intelligentia *provectiorum* (vide impudentiam non ferendam, loquuntur isti de conscientia, cum ipsi nullam habeant, et se *provectiores* vocare audent quasi vero omnes qui a Christo ad nos usque crediderunt in dogma Trinitatis ac strenue propugnarunt totidem essent infantes in ipsorum comparatione!) vel imbecilliorum religio offensionis aliquid capiat." Adeo fidunt se rem totam confecisse tumidi hi insipientes!

Hinc Scheiermacher. *Der Christl. Glaube*, seu *fides christiana* vol. 2. pag. 694 inquit: „Ex rei natura est, quod, quo diutius Trinitatis doctrina immutata in suis hodiernis determinationibus constitit, illi, qui cum difficultatibus ac imperfectionibus quarumdam formularum reconciliari nequeunt, asserunt cuncta in hac Trinitatis doctrina negare, quamvis ipsorum pietati minime desit ex eo quod proprie christianum constituit. Quapropter nobis cavendum est, ne quidquid antitrinitarium esse, tanquam hæreticum et antichristianum rejiciamus. Sed quo magis hoc excrescere cernitur, eo magis excitemur ad ecclesiasticam hac de re expositionem novo examini subjiciendam, et nisi nos ipsi præparemus, saltem posteritati, dimisso antiquato, reformationem quæ præsenti affinium idearum statui conveniens sit, liberam relinquamus."

cœlis, dum loqueretur in terra Joan. III 13. Demum *longe inferiorem* (quæ glossa est adversarii, nuspiam enim hoc in scripturis occurrit) dixerit, ita tamen ut æqualem pariter se Patri esse profiteatur Joan. V 18, et ***Deum*** ib. X 30 coll. 33. Quæ quidem testimonia suo loco expendemus; interea heic habetur specimen malæ fidei rationalistarum, qui ut sua effutiant ac venditent, quæ contra hæc sua figmenta sunt, vel dissimulant vel accusant scriptores sacros assentationis, inscitiæ [1]), contradictionis seu pugnæ aliaque ejusmodi blasphemando pronunciant [2]).

59. Ex falsis ejusmodi præmissis pronum est rejicere impias consecutiones tum de typo *purioris doctrinæ christianæ* qui est per antiphrasin intelligendus nempe *doctrinæ antichristianæ*; nec non de formula dogmatis Trinitatis, quæ non est nisi formula dogmatis antitrinitarii, cujus nullum vestigium occurrit in antiquitate ante socinianos, si excipias execrabiles hæreses ebionitarum, Pauli samosateni ac photinianorum, quæ obsoleverunt, donec e cineribus suis excitatæ denuo fuerint ab his novis gnosticis qui assentationis, erroris et imperitiæ arguunt apostolos et evangelistas ad lumina sua substituenda ac diffundenda profecto longe puriora, per subversionem totius revelationis divinæ ac supernaturalis.

60. II. *Obj.* 1° Idem Christus Joan. XVII 3, sic Patrem alloquitur: ***Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti J. C.*** ex quibus ita Crellius: Deus verus de quo hic loquitur Christus, est Deus summus: atqui ex Christi verbis, hic est solus Pater: ergo reliquæ personæ non sunt Deus ille summus; 2° his consonat apostolus, qui I. Cor. VIII 5 scribit: ***Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi): nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus J. C. per quem omnia, et nos per ipsum.*** Ubi Paulus explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit esse Patrem; non Patrem, Filium et Spiritum Sanctum: atqui nulla ratione fieri potuisset, ut Paulus explicaturus quis sit ille unus Deus, Patris tantum mentionem faceret, omissis personis

1) Exemplo sunto ea quæ habet Böhme *die rel. Jesu Christi* seu *Religio Jesu Christi a sua origine repetita, Hall.* 1827 pag. 49 et seqq. edit. 2. nempe scriptores sacros pro manca quæ est ævi incultioris scientia sibi ipsos non constitisse in iis, quæ de ideis et notionibus suis exposuerunt.

Sic Wegscheider §. 83. Jerusalem *Nachgel. Schriften*, seu *opera posthuma* 1 pag. 137 et seqq.

Münscher *Dogmengesch. etc.* seu *Historia dogmatum* vol. I. pag. 416 et seqq. Ammon. *Bibl. Theol.* I. 192 et seqq. *Ejusd. nova opuscula theologica Gott.* 1803. *Comment. 1. de prologi Joannis evangelistæ fontibus et sensu. Ejusd. summa Th. chr.* 105 et seqq. *De consensu scriptorum sacrorum in primis Pauli apost. cum doctrina Philonis*; Eichhorn. *Bib. d. bibl. Lit.* IV. 826 et seqq. etc.

Qui omnes de prærogativa impietatis certare inter se videntur.

2) Exempla non pauca in decursu tract. exhibebimus.

aliis, si Deus ille unus non tantum Pater esset, sed et Filius, et Spiritus Sanctus. Ergo [1]).

61. *Resp. Ad* 1m, *Neg major.* Vox enim *solus* non exprimit subjectum, sed attributum perinde ac vox *verus* prout exposcit constructio græci textus: *ut cognoscant te solum verum Deum.* Hinc Christus illa sententia a consortio divinitatis non excludit nisi falsos deos et vana idola gentium, ita ut sensus sit sitam esse vitam æternam in cognitione unius Dei et incarnationis Filii ejus, nempe Jesu Christi [2]). Quinam autem sit solus verus Deus, alibi Christus declarat prædicans divinitatem suam ac divinitatem Spiritus Sancti. Recolantur dicta in probationibus.

62. *Ad* 2m, *Dist. major.* Explicans seu potius declarans quis sit ille unus Deus ad exclusionem deorum gentium, *conc.* ad exclusionem divinarum personarum, *neg.* Hanc enim expositionem postulat integra Pauli sententia etsi expresse solum Patrem Deum nominet. Instituit enim apostolus antithesin inter deos et dominos quos colebant ethnici, et Deum ac Dominum quem colunt christiani, quoniam vero dominos illos ut deos habebant, opponendo illis unum Dominum Jesum Christum aperte ostendit se Christum Jesum non excludere a consortio divinitatis, alioquin si velit Crellius insistere in vocibus illis *unum Deum Patrem* quasi excluderetur Filius a divinitate, deberet pariter insistere in aliis *unum Dominum J. C.* quibus Pater excluderetur a dominatione, quod est absurdum. Hinc sua disputatione quin Crellius labefactet catholicam doctrinam, suam potius evertit. *Neg.* autem *min.* quia plures potuerunt esse causæ, ob quas illam loquendi rationem Paulus usurpaverit, quas recenset Petavius [3]).

63. Eadem ratione explicari debet quod tertio loco urget idem Crellius ex epist. ad ephes. IV 6. ubi dicitur: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis,* dixit enim proxime ante: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma,* Dominum autem hic Christum esse fatetur Crellius, hinc eadem adaptanda responsio huic textui, quæ modo alteri data est. Eadem enim est ratio [4]).

1) Hanc eandem difficultatem jamdiu ariani promoverant et abunde a patribus soluta ea fuit præsertim a S. Hilario lib. 4. 5.; et 9 *de Trin.*, Ambrosio lib. 5. *de fide* cap. 2., Epiphanio *Hær.* LXIX. Greg. Nazianz. orat. 4. *theolog.* Basilio lib. 5. *cont. Eunomium.* Cyrillo Alex. lib. 10. *thesauri* cap. 6. August. lib. 6. *de Trin.* cap. 9. etc. Hanc postea instauravere sociniani præsertim Crellius lib. I. *De uno Deo Patre* sect. I.

2) Cf. Maldonatum hic, qui eam fuse evolvit et ostendit invictissime in hoc loco non excludi nisi sola idola gentium a consortio divinitatis. Id ipsum præstitit Petavius lib. 3. *de trinit.* cap. I. ubi plura habet observatione digna. Cf. etiam Maran op. cit. lib. I. par. 2 cap. 21. §. 1. 2.

3) Loc. cit. §. 4. seqq. Item Maran. loc. cit. §. 3.

4) Observat autem S. Joannes Chrysost. *hom.* 20. in I. *Cor.* n. 3 *ed. maur.* neque Deum appellare Jesum Christum illo loco voluisse Paulum, neque Patrem Dominum, ne cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent corinthii plures esse Deos suspicarentur ac Do-

PROPOSITIO II.

Eadem veritas probatur ex I. Joan. V 7. utpote authentico et genuino.

64. Veritatem catholicam mysterii SS. Trinitatis ex sacris literis præcedenti propos. abunde ostendimus remque totam confecimus absque subsidio celeberrimi commatis I Joan. V, 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlis Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* [1]), ut pateat indipendentem omnino esse veritatem quam propugnavimus ab illa pericope. Potuissemus propterea tuto eam discutiendam ac vindicandam dimittere sacrarum literarum professori, ne tamen quis apud se reputet, difficultate nos deterritos fuisse ab ineunda hac discussione, eam lubentiori animo aggredimur eo quod recentiores biblici ac rationalistæ fidenter pronuncient *causam finitam* esse post Michaelis præsertim ac Griesbachii biblica molimina [2]).

65. Duo igitur a nobis præstanda sunt, 1° Vindicanda veritas Joanneæ pericopes; 2° Ostendenda ex ea, seu potius confirmanda doctrina catholica, quam in præsentia propugnamus.

66. I. Ut autem primum illud præstemus, notandum est nos cogi a via hactenus trita discedere post receptum seu proclamatum, ut loqui amant, in criticismo biblico *familiarum*, ut vocant, seu *recensionum* principium [3]). Ex quo statuitur ca-

minos, et in antiquam superstitionem relaberentur in qua plures dii erant ac domini. Hanc eandem esse causam addit cur neque Spiritus Sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret.

1) Vers. autem 8. qui in pluribus codicibus præponitur ver. 7, ut ostendit Sabathier in *Itala ant.* in *h. l.* ita se habet: „Et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus, aqua et sanguis; et hi tres in unum sunt."

2) En quomodo de hoc vers. loquatur Cellérier in op. *Essai d'une introduction critique au N. T. Genève* 1823, pag. 483. „On a beaucoup discuté sur l'authenticité du fameux passage des trois témoins célestes I. Joan. v. 7. *Il ne vaut plus la peine maintenant de revenir sur ce sujet qui est décidé* depuis long-temps aux yeux de tous ceux qui croient à la critique et qui l'étudient. Je me contenterai de renvoyer ceux qui désireraient des details, à Michaëlis, et sur-tout á Griesbach." Atque in nota 1) inter cætera scribit: „Ce passage est démontré faux par toutes les règles de la critique, et par toutes les conséquences qu'elle a pu tirer des faits recueillis à ce sujet. Cela est tellement clair, que si la critique trompe dans ce cas-ci, elle peut, elle doit tromper toujours; il faut, alors de toute nécessité oublier les faits, jeter au feu les manuscrits, et abandonner la science, qui n'est plus qu'une chimère." Sed non minus audacter pronunciat Wegscheider op. cit. §. 80. „ad dictum illud, quod olim pro classico habuere I. Joan. v. 7. jam minime licet provocare, quia spurium id esse argumentis et *externis* et *internis* satis validis *demonstratum est;*" et in nota a) „V. quæ post *Millium*, Wetstenium, Semlerum de Matthæi aliosque Griesbachius de hoc loco accurate et prolixe in edit. suæ *N. T. appendice* (*diatribe in loc.* 2. *Joan.* v. 7.) *quibus tota res videtur esse confecta.*" Cum hic auctor provocet ad Millium æque ac ad cæteros, quis non putaret Millium rejecisse tanquam spurium v. 7? Attamen Millius eundem acriter propugnat. Sed rationalistæ scrupulis in mentiendo non aguntur.

3) Bengel omnium primus ex protestantibus vidit conformitatem quæ in diversis codicibus circa variantes lectiones reperitur et redegit *instrumenta* in duas classes *Asiaticam* et *Africanam*, seu statuit principium criticum familiarum;

non seu lex: Codices seorsim sumpti testem non constituunt, sed ut instrumenta habendi sunt ad fidem faciendam veritatis illius testis, seu autographi quem repræsentant, et propterea, quod consequens est, non amplius numerandi codices, sed in classem redigendi [1]).

67. Nos igitur admisso principio *familiarum* etsi admodum adhuc incerto atque in pluribus suis partibus nutante [2]), duo statuimus: primo quidem, principium familiarum mirifice conferre ad γνησιότητα seu *genuinitatem* hujus versiculi constabiliendam; deinde hoc ipsum principium probabiliorem nobis suppeditare rationem omissionis, quæ in nonnullis familiis reperitur.

68. Et sane constituto semel familiarum principio, illa familia cæteris præferri debet, quæ antiquitate, dignitate auctoritate reliquis præstat. Talis enim vero est familia, ex qua versiculus controversus ad nos pervenit, seu quæ eundem nobis conservavit.

69. Ejusmodi est familia africana [3]). Antequam vero progrediamur, existentia hujus familiæ in tuto ponenda est, seu statuendum est *factum* existentiæ hujus familiæ, cujus testes locupletissimi sunt patres antiquissimi ejusdem ecclesiæ Tertullianus [4]), Cyprianus [5]), Marcus Celedensis [6]), S. Fulgentius [7]), Victor Vitensis [8]), quadringenti illi episcopi africani omnes, qui

sed nonnisi post publicationem, recensionum Griesbachii istud principium proclamatum fuit et *tres* numeratæ familiæ. Hoc ipsum denique principium perfecerunt duo catholici Hug professor in Univ. Friburgensi ejusque discipulus Scholz prof. in univ. Bonnensi, qui *quatuor* familiarum existentiam annunciarunt ad quas instrumenta ad hoc tempus cognita retulerunt. Cf. Collérier *op. cit.* sect. 4. *Histoire du texte.*

1) Alii autem paulo aliter hunc canonem enunciant; nempe: testimonia in favorem cujusdam variantis non habent individualem vim seu valorem independentem a recensione seu familia ad quam illa spectant, et lectio quælibet definiri debet non a numero distinctarum auctoritatum, sed ex pondere seu auctoritate recensionis, quæ eam continet. *Lectionis* nomine designatur modus legendi, *variantes* vero *lectiones* vocantur parvæ illæ diversitates quæ inveniuntur in editionibus, seu mss. codicibus, vel patrum citationibus circa eundem textum ejusdem auctoris.

2) Sane adhuc disputatur circa *numerum* familiarum, circa earum *originem*, *patriam*, *textum* uniuscujusque, Hinc Scholz in suo *N. T. Græce* vol. I. in 4. *Lips.* 1830, non solum Griesbachio sed etiam professori suo Hug contradicit, ut inferius videbimus. In *bibl. univ. Genév.* tom. XX. p. 112. dicitur. „Ce systeme ingénieux a des parties tres foibles."

3) Familia de qua hic disserimus confundi non debet cum Africanis duabus seu potius Ægyptiacis quas admittit Scholz quarum altera respondet familiæ *Alexandrinæ* altera *Occidentali* Griesbachii.

4) *Cont. Prax.* cap. 31.

5) *Ep. ad Jubajan. edit. maur. Paris.* 1776. ep. LXXIII. pag. 133. tum. in lib. *De unit. eccles.* p. 195. 196.

6) *Expositio fid. ad Cyrill.* inter *opp. Hier. edit. Vallars.* tom. XII. cap. 3. circa finem habet „*et hi tres unum sunt,* una divinitas et potentia et regnum." Cui addi debet, ex Africa Marcus Victorinus in *hymnis sacris* passim, sed præsertim *hymn.* 3 in *bibl. PP. edit. Gallandi* tom. VIII.

7) *Lib. de Trin. ad Felicem Notarium* cap. 4. tum in *Respons. contra arian. in resp. ad.* 10. *object.* circa finem ubi etiam laudat textum S. Cypr. ex lib. *de unit. eccl.* et in *lib. pro fide cathol. advers. Pintham. n.* 8. *edit. Paris.* 1684. Quod si auctor libri adv. Pintam diversus est a S. Fulgentio, ut pluribus criticis placet, novum habemus scriptorem africanum pro nostro textu.

8) Lib. 3. *de Persec. Vandalica, edit. Chifletii S. J.* ubi hæc leguntur: „et ut

Carthagine Hunnerico fidei confessionem una cum Eugenio episcopo carthaginensi obtulerunt [1]; Cerealis [2] et exinde idem testimonium desumpserunt Maximus confessor, Eucherius, Phœbadius, Idacius Clarus, et alter Idacius aliique non pauci. His nunc addendus codex ms. operis inscripti *speculum* quod S. Augustini creditur nuper repertus in bibliotheca sessoriana. qui quidem codex antiquissimus est, atque, ut creditur, sæc. VII, africanus pariter [3]. Jam vero hi scriptores non solum ut auctores africani spectari debent, vel pertinentes ad africanam ecclesiam prout hactenus factum est, sed tanquam repræsentantes recensionem africanam, vel etiam clarius, tanquam testes vocis ac textus magnæ criticæ familiæ, quæ in dubium revocari nequit, quique a cæteris omnino distinguitur.

70. Hujus familiæ existentia ita constituta, videndum superest, quinam sit ejusdem valor etiam comparative ad familias reliquas asiaticas nempe sive orientales, et occidentales, alexandrinam scilicet et constantinopolitanam. Quod ut assequamur observandum est textum africanum verum esse repræsentantem versionis originalis latinæ, quæ longe verisimilius primum in Africa facta est, antequam vel ipsa versio itala prodiret, seu potius modificatio ejusdem latinæ versionis, quæ primum in Africa adornata est. Constat enim tribus prioribus ecclesiæ sæculis familiarem fuisse in ecclesia romana tum in universo fere imperio usum linguæ græcæ [4], nec sollicitos propterea romanos fuisse de versione latina adornanda; priores patres græce scripsisse etiam in occidentali ecclesia. E contra vero in ecclesia africana nemo græce scripsit sed omnes latine, hinc Tertullianus antiquissimus patrum latinorum est, quorum opera ad nos pervenerint, et eum proxime secuti sunt Cyprianus, Minucius

adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque: *Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo Pater, Verbum et Spiritus Sanctus* et *hi tres unum sunt.*"

1) Lib. 1. *de Trinit.* et lib. 7. Textus inferius dabimus.

2) Ita quidem Bengel.

3) *Cf.* cl. Wiseman *Two letters on some controversy concerning 1. Jo.* v. 7. etc. *Rome* 1835., ubi hunc codicem illustrat, et plura habet, quæ ad nostram familiam africanam constabiliendam inserviunt, et antiquam italam versionem novæ criticæ subjecit p. 1. 3. seqq.

4) Certe omnes vel fere omnes scriptores et patres qui tribus prioribus sæc. floruerunt in ecclesia romana græce scripserunt Clemens rom. Hermas, Justinus, Modestus, Irenæus, Cajus, Asterius, Urbanus, Hippolytus portuensis, Felix I. etc. Omnes nunc critici consentiunt S. Marcum græce evangelium suum Romæ scripsisse, et ad rom. græce scripsit apostolus, græce Ignatius, græce scripta sunt supposititia Clementis opera. Hinc Romæ non solum honestiori loco nati omnes, sed quotquot aut mercaturam faciebant, aut stipendia ferebant, aut literis imbuti erant, paucissimis forte exceptis, græce sciebant; græci scientias Romæ profitebantur, græculos scitulos servos quilibet domi habebat, græca multa romani suis libris, suis commentariis, suis domesticis tabulis illinebant, quare vel ipse Juvenalis testatur. *Sat.* 6. v. 187. seq. edit. Taur. 1830.

. . omnia græce
Quum sit turpe magis nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas.
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Felix, Commodianus, Arnobius [1]). Tertullianus vero, ipso fatente I. M. A. Scholz, plerumque cum textu versionis alicujus antiquæ consentit [2]). Ergo ante Tertullianum jam existebat hæc antiqua versio. Neque argumenta interna, eaque validissima desunt, ex quibus conficitur versionem latinam originariam ex africa esse, talia sunt archaismi et præterea, si ita loqui fas est, africanismi, quibus hæc versio scatet, quæque non occurrunt nisi apud scriptores afros [3]). Eichhorn omnium primus suspicatus est versionem latinam esse originariam ex africa, sed mera conjectura ductus. Nunc vero post accuratum examen vix in dubium revocari posse videtur.

71. His præjactis sic iter nostrum insistimus: versio latina prima et originaria sacrarum scripturarum ex africa est, et ex africa cum nonnullis modificationibus ad cæteras occidentales ecclesias pervenit primum in Italia magno in usu fuit et *itala* propterea nuncupata [4]). Patres atque scriptores africani nec non codices nuper reperti totidem sunt instrumenta ejusdem originariæ versionis latinæ, seu recensionis ac familiæ africanæ, quæ nobis exhibet typum primitivum, ex quo versio facta est; cum vero exploratum sit ex ecclesia romana fidem, et una cum fide scripturas in africam pervenisse [5]). consequens est africanam recensionem nobis repræsentare typum primitivum scripturæ græcæ, qualis nempe primum obtinuit in ecclesia romana.

72. Rursum: versio latina, quæ ex dictis longe ante ipsum Tertullianum jam existebat, ad minus ascendit ad sæculum secundum; seu quod idem est: recensio africana, ac proinde ejusdem typus primitivus, anterior est omnibus aliis recensionibus seu familiis orientalibus et occidentalibus, quæ in quocumque systemate biblicorum criticorum non perveniunt nisi ad sæculum IV, vel ad finem sæculi III; ac pertinet ad nobiliorem et primam ecclesiam, id est ad ecclesiam romanam. Hinc valor familiæ africanæ tum antiquitate tum dignitate familiis reliquis longe præstat quarum instrumenta longe recentiora sunt. Sed

1) S. Hieronymus *De viris illustr.* c. 53, inquit: „Tertullianus presbyter, nunc demum primus post Victorem et Appollonium latinorum ponitur" tom. 2 ed. Vall.

2) *Novum testament. græce* vol. I, *Lips.* 1830, *Proleg.* c. 8, p. 155.

3) Cf. Wieseman loc. cit. pag. 50-55, *item a* pag. 55-67.

4) S. Augustinus solus est ex antiquis qui meminerit hujus *Italæ* versionis lib. 2. *De doctr. christ.* cap. 15, scribens: „In ipsis autem interpretationibus *Itala* cæteris præferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ." Quod si quis contendat ob hæc Augustini verba non solum recensione et modificationibus accidentalibus, sed etiam origine versionem italam diversam fuisse ab africana per me licet. Idem enim semper recurrit argumentum, si quidem hæc versio latina primum Romæ facta esset et ex ea africani accepissent. Millius versionem latinam nonnisi sub S. Pio I, qui ab an. 127, ad an. circiter 142 æræ vulg. pontificatum tenuit, adornatam fuisse autumat *prob.* pag. 41.

5) Tertull. *De præscript.* cap. 36. August. in *Brevic. Carthaginens. collation.* Tum in lib. *De unico Bapt. Epist. Innoc. I, ad Decentium ep. Eugubin. apud Constant.*

hæc familia, hic typus continet ex dictis versiculum nostrum. Ergo tantum abest ut principium proclamatum familiarum imminuat veritatem seu authenticitatem nostræ percopes quin potius eandem mirifice confirmet.

73. Restat ut alteram nostræ assumptionis partem evincamus, probabiliorem nempe ex eodem principio rationem erui omissionis, quæ reperitur in cæteris familiis. Quæcumque admittatur hypothesis circa originem trium vel quatuor familiarum, sive nempe Griesbachii, qui eas nominat ex regionibus, in quibus recensiones primum factæ perhibentur occidentalem scilicet alexandrinam et constantinopolitanam [1]): sive Hugii, qui eas ab auctoribus nuncupat, siquidem præter κοινὴν ἔκδοσιν seu vulgatam græcam hesychianam recenset, lucianæam, et origenianam: sive Scholzii, qui quindecim primis ecclesiæ sæculis factam aliquam recensionem negat [2]): semper demum deveniendum est ad primum aliquem typum, quem ejusmodi familiæ repræsentant. Quid autem vetat supponere hunc primitivum typum vel hæreticorum ebionitarum præsertim et cerinthianorum fraude vitiatum [3]), vel casu omissum ob duorum commatum septimi et octavi ὁμοιοτέλευτον idest similem terminationem, et si ita loqui fas est, ὁμοίαρχον; seu simile initium, quo fit, ut oculi librariorum facile excurrant, quemadmodum plura exempla nos docent [4])? Cum vero versiones ut antiquissimæ syriacæ, et *peschito* [5]), multo vero magis posteriores ut altera

1) Cf. Joan. Jac. Griesbachii *Comment. Critic. in textum græc. N. T. Particula 2. Jenæ 1811. Meletemata de vetustis textus N. T. recensionibus* §. 2, p. 40 seqq.

2) *Op. cit.* cap. 4, *proleg.* p. 25 seqq.; ubi recedit a principio etiam a se alias posito de recensionibus, et de IV familiis, nam nonnisi duas agnoscit, constantinopolitanam puriorem, et alexandrinam in pluribus a grammaticis fœdatam et interpolatam; fatetur priores codices familiæ constantinopolitanæ periisse, interpolationem codicum primis duobus ecclesiæ sæculis contigisse.

3) Cf. Germonium *De veteribus hæreticis ecclesiastic. codic. corruptoribus Paris.* 1713, par. 1, cap. 5 seqq.

4) Hujus rei plura exempla sufficit de Rubeis in dissert. *De tribus in cœlo testibus* cap. 13, §. 2, nos hic unum vel alterum exemplum indicabimus: Martianæus disserens de auctore *prologi* in *epist. canonicas*, observat in lib. *Josue*, cap. 21, juxta vulgatam commatum divisionem verba illa „Civitates quatuor cum suburbanis suis" quæ leguntur ver. 35, 36, 37, ansam tribuisse librariis ea prætermittendi. Sic Vallarsius, tom. x, opp. *S. Hier.* partem alteram *Bibliothecæ divinæ* complectente in nota ad ver. 7, de quo agimus hæc scribit: „in uno codice veronensis canonicorum bibliothecæ majusculis, ut vocant, literis maximam partem exarato, et quod est alterum probæ vetustatis indicium, nulla capitum aut versuum partitione distincto, non cœlestia, quæ tantopere urgentur, sed terrena testimonis, sive prius illud isocolon *tres sunt qui testimonium dant in terra* etc. desiderantur. Puto autem hinc novo augmento planissimo demonstrari, nonnisi librariorum festinationi, ac tam sæpe obvio errori, ubi eadem recurrunt verba, tribuendum eorum quoque codicum defectum, in quibus cœlestia ... sunt prætermissa" cf. *ib.* Exemplum item suppeditat codex cavensis monasterii de quo infra, ubi ver. 4, sic legitur: „quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum, fides nostra etc." ubi omittuntur verba „*et hæc est victoria quæ vincit mundum,* absque dubio ob homioteleuton, cum postremus versiculus desinat in verba *vincit mundum.* Bengel vero contendit omissum versiculum 7, a veteribus data opera, nempe ob doctrinam *arcani.* Cf. *Apparatus criticus etc.* §. 25, in *h. l.*

5) Versio *Peschito* purior habetur. Cf. *Biblia polyglotta Waltoniana* nec non Cel-

syriacæ philoxena, æthiopica et arabica, ex eodem corrupto fonte prodierint, patet qua de causa in iis comma istud desideretur.

74. Cæterum cum exploratum nunc ferme sit ex dictis versionem *italam* nuncupatam eandem, ad substantiam quod spectat, fuisse cum vulgata antiqua, quæ originarie africana est, etsi in nonnullis modificata, liquet hinc quare et in plerisque codicibus, latinis reperiatur versiculus noster, in aliis vero dedesideretur [1]). Codices scilicet exacti ad typum communem asiaticum, alexandrinum et constantinopolitanum pericopen non continent, qui vero ad familiam africanam exacti sunt eandem retinuerunt; ratio ex his præterea redditur, quare S. Augustinus nonnullique alii patres latini de hoc commate sileant, etsi illud non ignoraverint [2]), quia scilicet Augustinus etsi afer non africana recensione sed potius itala utebatur, quam secum in africam ex Italia detulerat, ut patet ex ejus citationibus [3]), quod

lérier *op. cit. sect.* 8, §. 1. *Versions syriaques.* Circa versionem armenam res est dubia vid. Bengel *l. c.* §. 22, in editione communi reperitur. In recentissima editione veneta *Zohrabi an.* 1805 fuit omissus. Calanus cl. reg. in op. *Conciliationes ecclesiæ armenæ cum romana. Romæ* 1650. *T. I.* profert acta conc. aisensis et adanensis lingua armena an. 1307, celebr. jam vero commata 7 et 8 leguntur prolata in his actis pag. 461 et 478; his tamen conciliis plures interfuerunt schismati addicti, quin tamen ullus reclamaverit adversus hæc prolata commata.

1) Horinc. a Bukentop. *de Vulg.* pag. 307 scribit: „Versus ille septimus legitur tum in epistola dominicæ in Albis dictæ tum in octavo responsorio in omnibus dominicis a festo SS. Trinitatis usque ad adventum. Reperitur etiam in optimis quibusque ac vetustissimis vulgatæ codicibus ita ut paucissimis sint in quibus deest." Quod fassus est vel ipse Richard. Simonius, qui gloriam inventionis eripuit protestantibus in rejiciendo hoc commate; nam in sua *Histoire critique du N. T. Rotterdam* 1699, par. 2, ch. 9, scribit: „Pour ce qui est de l'auteur du *Correctorium* de Sorbonne, il n'est pas surprenant qu'il l'ait lûe dans son édition latine avec le passage dont il est question, puisque il ne peut avoir compilé son ouvrage que vers le dixième sièle. Or il est certain qu'en ce temps-là *il y avait peu d'exemplaires* latins du N. T. où la Préface (seu prologus sub nomine S. Hieronymi) et ce passage ne se trouvassent, puisqu'on les y avait insérés dès le temps de Charlemagne." His addi debent codices omnes, quos Cassiodorus sæc. VI, diligentissime conquisierat et quidem *selectissimos* ex quibus suas *Complexiones in epistolas et acta apostol. et Apocalypsim*, confecit; sic vero in his legitur: „Cui rei testificantur in terra tria mysteria aqua, sanguis et spiritus, quæ in passione Domini leguntur impleta: in cœlo autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus: et hi tres unus est Deus." De his complexionibus cf. *Præfat. cl. Marc. Scipionis Maffei edit. Florent.* 1721, pag. 43 et pag. 124 - 125.

2) Certe S. Hier. *de viris illustr.* opera Tertulliani *pluribus nota*, Cypriani *sole clariora* dicit, quare omittit istorum operum catalogum. Legit igitur in horum operibus *v.* 7, citationem. Sic Cypriani librum *de unitate* citat Augustinus lib. 2, *cont. Crescon. c.* 33, et *epistolam ad Jubajan.* imo ea verba quæ allegatum illud, *Quum tres unum sint* et præcedunt, et sequuntur, refutavit lib. 4, *de Baptis. cont. donatist. c.* 4. Non potuerunt igitur laudati patres illud *tres unum* non videre. Cf. Bengel lib. *c.* §. 20, ubi ostendit S. Augustinum assuetum italicæ recensioni in qua *ver.* 7, deerat illum omisisse in suis disputationibus; cum tamen in africana legisset, dubium hæsisse; et sane ad illum aperte alludit tum in lib. 3 *cont. Maximin. c.* 22, ubi proponit allegoricam interpretationem *ver.* 8, ad loc. de spiritu et aqua et sanguine in *ep. 1, S. Joannis.*

3) Cf. Wieseman. *opp. cit.* p. 28 seqq. Certe id liquet ex lib. 3, *confess.* c. 5, *edit.* Maur. tom. I, pag. 91-97, item lib. 4, cap. 13, pag. 118; lib. 6, cap. 4, p. 122, cap. 11, pag. 129, item l. 9, cap. 4, pag. 160 seqq. cont. lit. *Petiliani* l. 2, cap. 6, tom. 8, pag. 219 etc. Sed satis est percurrere per singula volum. indicet loc. sacr. script.

a fortiori de cæteris dici debet. Contra vero in hispania versiculus noster obtinuit, ut liquet ex codice hispal. gothicis literis exarato versionis hieronymianæ [1]).

75. Si his addantur voces, ut vocant, individuales seu anomalæ MS. nempe codices, qui ad nullam scilicet determinatam familiam pertinent sive græci sive latini, voces omnes quas consuluit Cassiodorus in suis complexionibus conficiendis [2]); eæ, ad quas appellat antiquus auctor prologi sub nomine S. Hieronymi editi [3]); codices græci qui adhuc supersunt, eamque pericopen retinent, ususque publicus ejusdem commatis vetustissimus utriusque ecclesiæ; lectio vulgata utriusque pariter ecclesiæ latinæ et græcæ; si addantur allusiones apertissimæ ad hunc textum ex parte antiquissimorum patrum utriusque ecclesiæ [4]), evidenter colligitur tantum abesse, ut causa finita dici possit circa authenticitatem hujus commatis, prout rationalistæ plenis buccis crepant, ut nullum dubium supersit de ejusdem γνησιότητι, sola etiam critica biblica spectata. Dixi, ***sola***, ***etiam critica biblica spectata***, nam vera custos bibliorum non est, ***critica***, sed ***ecclesia catholica***.

76. Plura nunc addi possent ex argumentis internis ad ejusdem veritatis confirmationem, nos vero brevitatis gratia potiora tantum attingimus; ac 1° quidem cohærentia hujus versus cum illis quæ alibi scribit idem S. Joannes; ut cum Filium vocat ***Verbum*** Joan. I, et Apoc. XIX 13, cum refert testimonia Patris et ipsius Verbi incarnati Joan. VIII 18, et Spiritus S. ib. XV 26 et I, 32. 2° Necessitudo, seu relatio inter utrumque versiculum septimum et octavum, ut patet ex verbis ***in terra***, quæ leguntur in ver. 8 et dicunt necessariam relationem ad illa ***in cœlo***, quæ habentur in ver. 7 [5]); 3° dempto ver. 7, nulla ratio amplius dari potest illius clausulæ ver. 8, ***et hi tres unum sunt***, seu ***in unum sunt*** ut græce legitur, sive accipiantur de Spiritu S. aqua et sanguine, sive de spiritu, quem Christus moriens emisit, et aqua et sanguine, quæ ex ejus latere effluxerunt, quæ bene

1) Cf. Josephi Blanchinii *vindiciæ canonicarum script. vulgatæ. lat. edit. vol. un. in fol. Romæ* 1740, pag. 203: vid. ib. *præfat. Christoph. Palomares in exemplar gothic.* pag. 49 seqq.

2) Nuper verba dedimus quæ in Cassiodori complexionibus habentur.

3) Auctor hujus prologi videtur fuisse ex communi eruditorum calculo sæc. VIII. Sic vero scribit: „quæ si, ut ab eis digestæ sunt, ita quoque ab interpretibus fidelibus in latinum eloquium verterentur; ne ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum se se veritas impugnaret; illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus erratum esse fidei veritate comperimus: trium tantum vocabula, hoc est aquæ sanguinis et spiritus, in sua editione ponentes, et Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et fides catholica roboratur, et Patris et Filii ac Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur." Plures heic criticæ animadversiones instituendæ essent, quas brevitatis causa prætermittimus. Interea cf. *edit. Vallars. Opp. S. Hier.* tom. 10, pag. 1057, in nota (a) tum ejusd. S. doctor *opp. edit. Maur.* tom. 1, pag. 1670 seqq.

4) Cf. Bengel. *op. cit.* §. 23.

5) Vid. Maran *de divinit. leg.* 1, pag. 2, cap. 19, §. 1 seqq.

cohærent supposito quod de tribus testibus cœlestibus dixerit *et hi tres unum sunt*, id est natura et essentia, tres testes terreni suo modo pariter unum sunt utpote ejusdem ponderis et momenti [1]). Sane jam observaverat S. Greg. Nazianz. Joannem minus accommodate ad grammaticæ regulas dixisse ver. 8, „*tres qui* testimonium dant; et *hi tres* in unum *sunt*, cum neutrum genus expostulassent voces græcæ spiritus et aqua, et sanguis [2]), instituta ergo comparatio cum personis ver. 7, S. Joannem incitavit, ut vocum similitudinem in ver. 8, retineret. 4° Hic versus necessariam præterea habet connexionem cum ver. 6, 9 et seqq.; quorsum enim spectant illa verba ver. 9, *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* nisi ad testimonium Patris, Verbi et Spiritus Sancti de quibus agitur in ver. 7? In ver. 6, duplex habetur testimonium, nempe Spiritus Sanctus et aquæ et sanguinis: ***Hic est qui venit per aquam et sanguinem*, *J. C.: non in aqua solum sed in aqua et sanguine: et Spiritus est qui testificatur*** etc., ubi aperte distinguitur testimonium Spiritus Sancti a testimonio aquæ et sanguinis. Posito autem ver. 7, qui explicationem habet testimonii Spiritus Sanctus cum Patre et Verbo conjuncti, quæmadmodum et ver. 8, explicationem continet testimonii aquæ et sanguinis, omnia plana sunt; ver. autem 7 sublato, testimonium Spiritus Sancti vel penitus omittetur, vel confundetur cum testimonio aquæ et sanguinis, cum quibus Spiritus Sanctus unum dicetur, quod plane absurdum est. Si igitur in emendanda alicujus textus lectione lex illa a criticis statuta alte retinenda est, ut scilicet illa lectio retineatur, qua posita omnia cohærent et omnia apte conveniunt, qua mutata omnia confusa et inextricabililia evadunt, nullum dubium subesse potest præferendam lectionem esse in casu nostro, in qua ver. 7, retineatur, ut omnia interna argumenta postulant [3]).

1) Cf. Ibid. cap. 18, §. 2 et 3.

2) Orat. 37, n. 47, tom. 1, *opp. ed Paris* 1630, græcæ enim voces *τὸ πνεῦμα, τὸ υδωρ, τὸ αἷμα* neutrius generis sunt.

3) Cf. Maran loc. cit., ubi etiam observandum est hiatum reperiri manifestissimum, si hæc verba tollantur, contra vero græco textui supplementum hiatus præbet versio, quam magni faciendam esse in his casibus eruditi critici norunt. Non enim alia ratione suppletur hiatibus græci textus Matth. xvi, 2, 3, Luc. xxii, 43, 44, Joan. v, 3, 4, vii, 53, viii, 11, Act. viii, 37, quam per versionem latinam, atque interdum aliis in locis per collationem versionum reliquarum, quæ ubi textus nutat, magno semper adjumento sunt textui emendando. Merito propterea nonnullorum reprehensionem incurrit Scholz eo quod in op. *Biblisch-Kritische Reise etc.* seu *Critico-biblicum in Gallias, Helvetiam etc. Lips. et Sorav.* 1823, excluserit e censu instrumentorum criticorum antiquas versiones. Cf. *Bibliothéque univ. Genève* 1823, tom. 24, art. *critique sacrèe* pag. 354 seqq. videtur tamen hic A. aliquantisper attemperasse hoc suum placitum in edit. *N. T.* Cf. *Prol.* cap. 7, §. 46 seqq. Cæterum pro nostra africana familia illud animadversione dignum est eo fideliorem censendam eam esse, quod Tertull. græce sciverit, et noverit græca autographa ad quæ provocat lib, *de præscript.* cap. 36, illis verbis: „percurre ecclesias apostolicas apud quas ... ipsæ *authenticæ literæ* eorum recitantur; sonantes vocem etc." Hinc pro certo habendum Joanneum comma in ipsis eum vidisse; sane in lib. *de monog,* cap. 11, expressius adhuc provocat ad græcum textum inquiens: „Sciamus plane non sic esse in græco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syl-

77. II. Vindicata igitur ex argumentis extrinsecis et intrinsecis authenticitate Joanneæ pericopes, alteram jam assumptionis partem adstruamus oportet, qua statuimus hoc commate veritatem catholicam mirifice confirmari. Hoc autem quamquam breviter præstabimus directe et indirecte.

78. Directe quidem hinc confirmatur veritas catholica de SS. Trinitatis mysterio, si tres distinctæ per eum prædicentur personæ, et earundem unitas essentiæ; res vero ita se habet: nam aperte S. Joan. de Patre, Verbo et Spiritu S. affirmat *tres sunt qui testimonium dant.* Si itaque tres sunt qui testimonium dant, seu si tres sunt testes, ergo distinguuntur ab invicem: ergo Verbum et Spiritus S., qui conferuntur in testimonio dando cum Patre, non sunt duæ efficientiæ aut duo attributa, ut unitarii autumant. Rursum de his testibus dicitur, *et hi tres unum sunt* quæ verba, Clerico ipso fatente, eodem sensu posita sunt ac illa, ***Ego et Pater unum sumus.*** Jam vero his verbis, nemine diffitente, Christus se distinxit a Patre, ergo et illa, *et hi tres unum sunt* distinctionem important. Item vero prædicari citatis verbis unitatem essentiæ in divinis personis patet ex eo quod si una eademque non esset in Verbo et Spiritu Sanctu essentia ac natura, Filius et Spiritus Sanctus infinito intervallo distarent a Patre, numquam propterea de iis, quæ inter se infinite distant, dici posset: *unum sunt*, quemadmodum absque summæ impietatis nota de Deo et duobus angelis dici non posset: *et hi tres unum sunt.* Patet igitur propositum.

79. Indirecte autem id ipsum evincitur ex agendi ratione unitariorum et rationalistarum; etenim nisi vehementer percellerentur hoc testimonio, solliciti adeo non essent in ejusdem rejicienda authenticitate, nec totum studium suum et industriam huc conferrent, prout faciunt [1]). Ergo.

labarum aut callidam aut simplicem eversionem." Ex quibus deprehendimus manibus eum græca exemplaria trivisse; 2. discrepantias adnotasse inter textum et versionem latinam, *quæ in usum exierat*; 3. hanc versionem esse africanam ut patet ex testimoniis adductis in hoc ipso capite, quæ tamen pervenerat etiam ad ecclesiam romanam quam hic vellicat Tertull. Hinc magis confirmatur sententia nostra quod in authentico græco textu Tertulliani ætate reperiretur comma 7, ab ipso laudatum, demum jam a sæc. II, non omnes authentici textus editiones accuratissimas fuisse. Cf. Rigalt. hic *n. b. c.* Scholz vero in *prol.* pag. 130, videtur confundere recensionem *africanam* cum recensione *itala* antiqua, quæ tamen ex dictis distingui debent, etsi una originaria versio africana sit.

1) Aliquando antitrinitarii se ab hoc dicto admittendo, inquit Bengel loc. cit. §. 2. non abhorrere ostenderunt. Quanquam nonnulli hodie nimium sunt fastidiosi, et quo longius se se a tali oraculo removent, eo sibi prudentiores videntur. Atque utinam non deessent ex catholicis, in Germania præsertim, qui posthabito decreto concilii tridentini de recipienda scriptura prout legitur in vulgata editione *cum omnibus suis partibus*, malunt protestantium vestigiis inhærere! Quid de hoc versu sentiat Scholz adhuc incompertum est, cum nondum in lucem emiserit alterum volumen sui N. T.

DIFFICULTATES.

80. I. *Obj. adversus primam partem.* 1° Argumentum deductum ex familia africana nititur gratuita hypothesi, 2° nemo enim adhuc hanc novam recensionem agnovit. 3° Tertulliani auctoritas nimis dubia est, cum adhuc incertum sit, num citato loco cap. nempe XXV, lib. adv. Prax. alludat ad ver. 7. an vero ad Christi verba, ***Ego et Pater unum sumus;*** ut patet ex sermonis contextu, subdit enim: quomodo dictum est: ***Ego et Pater unum sumus;*** 4° incertum utrum S. Cyprianus tum in ep. ad Jubajan I. tum in lib. de unit. eccl. allegoricam potius versus 8. expositionem an vero 7. versum citaverit; 5° cum vero posteriores scriptores africani summo honore Tertullianum et Cyprianum prosequerentur, hanc allusionem primo receperunt, deinde in novum textum converterunt. Ruit propterea totum fundamentum novæ istius africanæ recensionis seu familiæ. Ergo.

81. ***Resp. ad*** 1^m^, ***Neg.*** Attulimus enim documenta, seu ut vocant instrumenta certissima, quæ illius existentiam evincunt.

82. ***Ad*** 3^m^, ***autem seu*** 1^m^, ***prob. trans.*** Heic siquidem non agitur nisi de applicatione principii; cum igitur eadem elementa, quæ ad constituendas tres vel quatuor familias insinuatas primum a Bengel proclamatas deinde a protestante Griesbachio, ac postea ad perfectionem adductas a catholicis Hugio et Scholz, concurrant ad familiam africanam constabiliendam, vel nuncius remittendus est principio familiarum, vel inter familias velint nolint unitarii et rationalistæ africana accenseri debet, quæ cæteris, ut dictum est, antiquitate, integritate, ac dignitate antecellit, et qua ipsi penitus jugulantur 1).

83. ***Ad*** 3^m^, ***Neg.*** Vetat enim quominus admittamus adversariorum conjecturam, scopus Tertulliani, qui est ostendere unam trium personarum ac præsertim Spiritus S. cum personis reli-

1) Profecto, si, ipsis criticis biblicis fatentibus, præcipua alicujus familiæ instrumenta sunt mss., versiones, patrum citationes, editiones criticæ, loca parallela, variantium collectio etc. cum hæc omnia concurrant ad familiam africanam constituendam, nullo modo ejus existentia in dubium revocari potest. Etenim nos seriem habemus patrum africanorum incipiendo a Tertulliano, qui vix 80. aut 90. an. a. morte S. Joannis floruit, usque ad sæc. 10, habemus codices mss. antiquissimos ejusdem ecclesiæ, cujusmodi esse vidimus cod. biblioth. sessorianæ, seu S. Crucis in Hierusalem in urbe, qui provenit ex bibliotheca nonantulana: porro in hoc codice hæc leguntur: „Item illic tres sunt, qui testimonium dicunt in cœlo Pater, Verbum et Spiritus Sanctus et hi tres unum sunt." Habemus et codices et patres, qui ex eadem familia hunc textum derivarunt in proprium usum, cujusmodi sunt omnes qui ad eam familiam quidem stricte sumptam non spectant, sed eam tamen mirifice confirmant ut patres hispani, galli, itali, et codices anomali et individuales latini, qui subsequentibus temporibus periocham Joanneam habent, quorum, fatente etiam Rosenmüllero, *major est pars;* id ipsum fatetur Griesbachius *ed. cit.* pag. 640., qui perperam ad eorumdem elevandam auctoritatem urget *variantes* lectiones, quæ pariter occurrunt in omnibus pene verbis sui textus græci, ut ex ejus editione compertum fit. Insuper vero in *not. ad v.* 25. *ep. Judæ* fatetur in nonnullis codicibus verba *σωτῆρι ἡμῶν Χριστῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν* deesse propter repetitum *ἡμῶν* seu homioteleuton; quare eadem ratio non militat pro ver. 7?

quis substantiam esse, ad quod evincendum affert Joannis periocham, in qua dicitur: *et hi tres unum sunt*, quæ nuspiam alibi reperitur; et sane hoc sensu intellexerunt scriptores subsequentes reliqui, qui iisdem pene Tertulliani verbis utuntur, et memorant periocham nostram [1]). Neque obstat quod idem addat: *quomodo dictum est Ego et Pater unum sumus;* hæc enim verba non adduxit Tertullianus nisi ad majorem confirmationem, seu potius declarationem sensus formulæ adductæ *tres unum sunt* cum hæc loca parallela sint, et textus evangelicus in persona prima sit positus, alter vero in persona tertia. Quare, ut observat Bengel, *quo brevior est Tertullianus in citando epistolæ dicto, eo notius tum celebriusque apophtegma ipsum fuisse ostendit* [2]).

84. *Ad* 4m, *Neg.* Satis enim est ad omne dubium tollendum conferre duo testimonia, in quibus S. doctor commatis nostri mentionem facit: porro primum desumitur ex epist. ad Jubaian. ubi scribit „Si templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si creatoris, non potuit, quia in eum non credidit; si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat *Deum* Christum. Si Spiritus Sancti, *cum tres unum sint*, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris inimicus est [3])?" Alterum vero extat in lib. de unit. ecclesiæ ubi ait: „Dicit Dominus; *Ego et Pater unum sumus.* Et iterum de Patre et Filio et Spirito Sanctu *scriptum est*: *et hi tres unum sunt.* Et quisquam credit hanc unitatem de *divina firmitate* venientem *sacramentis cœlestibus* cohærentem scindi in ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari [4])!" Quis porro hæc legens animo anticipatis judiciis vacuo aperte non videat hic a S. Cypriano adduci ver. 7. nec ab ipso fieri a longe petitam allusionem ad ver. 7? Cum præterea dicat: *divina firmitate*,

1) Ad eundem textum refertur locus insignis ejusdem Tertull. in lib. *de pudicitia* c. 21. scribentis „Nam et ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est *Trinitas unius* divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Illam ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis, qui in hanc fidem conspiraverint, ecclesia ab auctore et consecratore censetur" *edit. Rigalt.* sic S. Cyprianus in utroque textu a nobis adducto aperte alludit ad locum Tertulliani, quem *magistrum* suum appellabat teste Hieronymo in *catalogo*, et patet etiam ex unione duorum testimoniorum Joan. x. et I. Joan. ver. 7. Quod si Tertullianus l. c. locum parallelum allegat ex Joan. x. 30. non ad confirmandum, sed ad interpretandum illud *tres unum sunt* adducit. Cæterum observat Scholz *Prolog.* pag. 155 Tertullianum „negligentius ex memoria *contractim ad sensum* haud sine mutatione textus citare."

2) Loc. cit. §. II. Cf. etiam de hac Tertull. cit. Millium *proleg. ad N. T. græc. pag.* 60 *edit. Oxonii* 1707. Integer vero Tertulliani textus ita se habet: „Cæterum, de meo sumet, inquit, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, *qui tres unum sunt*, non unus; quomodo dictum est, Ego et Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem." *Edit Pamelii et B. Rhemani Basileæ* 1562.

3) *Epis.* 73. *ed. maur. Paris.* 1726. p. 133.

4) Pag. 195. 196. ejusd. edit.

sacramentis *cœlestibus*, nonne digito commonstrat verba Joannis *tres sunt qui testimonium dant in cœlis*, et illa *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* 1)?

85. *Ad* 5m, *Neg.* et nego præterea suppositum de *allusione*, ut patet ex modo dictis; non minori profecto erga Tertullianum et Cyprianum præsertim reverentia afficiebantur patres itali et galli quam africani, nulla igitur est ratio, cur dicantur majorem influxum Tertullianus et Cyprianus exercuisse super scriptores africanos, quam super cæteros, qui tamen eam clausulam non citarunt, eo quod nempe uterentur recensione citata, prout usus est Augustinus, qui propterea nec ipse apophthegma Joannis laudavit 2). Si igitur citarunt scriptores africani, unica ratio est, quod isti recensione africana uterentur, et exinde magis confirmatur sententia nostra, ac ruit adversariorum conjectura et conclusio.

86. II. *Obj.* 1° Si in familia africana Joannis periocha reperitur, qui factum est, ut in recensione *itala* non reperiretur, cum tamen ex dictis eadem esset utriusque recensionis seu familiæ versio originalis? 2° Qui fieri potuit, ut ab omnibus codicibus græcis exularet reliquisque familiis? 3° Nonne absurda

1) Notat autem Millius *prol. loc. cit.* quod mystica expositio de tribus terrenis *aqua, spiritu et sanguine,* quibus ex mente veterum significata est Trinitas personarum, non obtinuerit in ecclesia tempore Tertulliani; imo ne quidem auditum erat de ea quidquam ante annum Christi 428 quo nempe libros suos contra Maximinum edidit Augustinus. Eadem repetit in prolixa nota quam attexuit cap. 5 ep. I Joan. p. 743 ubi cum retulisset textum S. Fulgentii ex respons. contra Arianos sub finem, qui ita se habet: „B. Joannes apostolus testatur dicens: tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et tres unum sunt. Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus in epistola *de unitate ecclesiæ* confitetur dicens etc." subdit: levis plane momenti esse quod ex Facundo notatur, Cyprianum scilicet hæc ex versu octavo allegasse. Unde factum enim ut B. Martyris mentem melius noverit Facundus qui 300 post Cyprianum an. floruit, quam Fulgentius, qui Cypriano aliquanto propior? Unde etiam constat ætate Cypriani quemquam *aquam, spiritum et sanguinem* mystico sensu accepisse pro personis Trinitatis? Certe sicut apud græcos, qui ver. 7 non legerant, nusquam occurrit explicatio illa mystica: ita nec latinorum quisquam, ut opinor per annos a Cypriano plus 100 spiritualis hujus sensus mentionem facit. Sed leg. auct. ipse loc. cit. et rursum in *Proleg,* p. 97 col. I. Attamen Criesbachius non veretur ad hæc confugere.

2) Quod si quis contendat opus quod sub *speculi* nomine præfert codex sessorianus seu nonantulanus esse *Speculum* genuinum S. doctoris, ut nonnulla suadere videntur, quod diversum est a duobus aliis operibus sub eodem titulo vulgatis a maurinis in *append. ad tom.* VI. *opp.* S. doctoris, de quibus cf. editorum admonitiones eisdem præfixas; tunc dicendus S. Augustinus in ordinariis suis operibus usus recensione itala a qua ver. 7. exciderat; cum vero Speculum rogatu Possidii scripserit, adhibuisse recensionem africanam, in qua hoc comma habebatur. Hoc vero eo verisimilius videtur, quod ipse Griesbachius fateatur ipsum Origenem modo Marci codicem occidentalem, modo alexandrinam recensionem in usum adscivisse, imo Origenem non semper unum tantum eundemque novi test. codicem usurpasse. Cf. ejus *Comment. critic. in textum græc. partic.* 2 pag. 30-37. Quidni igitur idem potuerit præstare Augustinus?

Quod spectat ad Facundum Hermianens., qui ver. 7 omittit, observandum est eum magnam vitæ suæ partem Constantinopoli transegisse, ideoque africanam recensionem minime adhibuisse.

est hypothesis de corruptione inducta in primo typo, quem familiæ asiaticæ et occidentales repræsentant, quin unquam patres, seu codicum emendatores, qui recensuerunt codices in utraque ecclesia, ejusmodi corruptionem subodorati fuerint? Neque Lucianus, neque Esychius, neque Origenes, neque Hieronymus? Ergo.

87. ***Resp. Ad*** 1^m^, Quia vel casu vel hæreticorum fraude excidit, ut dictum est, cum sermo esset de primitivo reliquarum familiarum typo [1]).

88. ***Ad*** 2^m^, ***Neg.*** suppositum deesse, vel defuisse in omnibus græcis exemplaribus. Contrarium evincunt omnes voces anomalæ, seu codices MSS. qui ad nullam familiam determinatam pertinent, neque pauci sunt, quas Scholz recenset [2]).

89. ***Ad*** 3^m^, ***Neg.*** Cum de facto evidentia historica constet; quod spectat ad reddendam rationem silentii aliorum documentorum satis est ut ratio probabilis assignetur. Ea porro, quam assignavimus, quum et exemplis et documentis firmetur, non est quod ulterius inquiramus, cum ea abunde ad rem nostram sufficiat. Progressu temporis aliæ fortasse invenientur [3]).

90. III. ***Obj.*** Saltem nulla est ratio, quæ ex argumentis intrinsecis adducitur. Hæc enim potissimum nititur 1° in connexione ac relatione duorum commatum, ac præcise illorum ver-

1) Cf. Millium loc. cit. pag. 747 qui præterea observat vix potuisse tota illa persecutionis periodo codicibus recensendis vacari.

2) Cf. *op. cit. proleg.* cap. 6. Satis hic sit commemorare *codicem cyprium* quem ad nullam ex cognitis familiis pertinere post accuratum examen Scholz ipse pronunciavit, sed ad summum tum ex familia alexandrina, tum ex cpna coalescere existimat. Cf. ejusd. *curæ criticæ in historiam textus etc. Heidelberg* 1826. diss. 2 vid. art. in *bibl. universelle Genève* 1822 tom. xx pag. 109 seqq.

3) Placet hic in medium adducere verba Bengel, qui loc. cit. §. 28 scribit: „græca antiqua hujus dicti documenta, si ab iis, quæ §. 23 ægre corrogavimus, discesseris, nulla adhuc cernimus; sed non vanum est præsagium, fore, ut plura aliquando exoriantur. Historia lectionis χωρὶς *Heb*, II. 9. sive lectio placet cuipiam, sive displicet, huc pulchre quadrat. Citat eam Hieronymus: sed Hieronymi editor Erasmus eam annotationibus suis ad N. T. non inseruit: deinde mentio ejus apud græcos patres est eruta: nunc demum etiam græcus accedit codex, et accedent fortasse complures. Quid vetat, similes in dicto Joanneo sperare suppetias, præsertim cum græcos patres, latino interpreti propiores, hoc dicto caruisse nondum constet?" Ut aliud exemplum proferamus, notum est Clericum ejusque symmistas non paucos ex recentioribus biblicis criticis protestantibus Semlerum, Morum, Hænslenium, Bretschneiderum etc. qui scripturam ut libet truncant, rejiciunt, tollunt, evertunt, admittunt pro summo jure, quo gaudent, rejecta nempe ecclesiæ auctoritate, historiam mulieris adulteræ, quæ legitur Joan. VIII. I. seq. rejecisse, argumentis, ut clamabant, extrinsecis ductos. Nunc vero jam ab ipsis criticis biblicis admittitur ob nova documenta, inter quæ satis sit recensere *codicem cyprium*, de quo superius verba fecimus, qui totam hanc pericopem continet; id ipsum dicatur de historia probaticæ piscinæ Joan. v. 4, quem versum adulterinum esse suspicatus est Millius *proleg.* §. 433 atque fortassis ex hebræorum evangelio translatum, et turba criticorum, quæ eundem secuta est; attamen nunc admittitur hic versus ut genuinus, et eum exhibet idem codex. Cf. *bibl. univers.* loc. cit. p. 118. Id ipsum de pluribus aliis locis dicatur vel plane rejectis, vel in dubium revocatis, quæ brevitatis causa prætermittimus, e. g. *Marci* XVI 9. seqq., quæ omnia expungi deberent ex istorum critica, ut plures reipsa expungunt.

borum *in terra;* jam vero nemo est, qui nesciat et hæc verba excludi a familiis codicum, quo fit ut in recentioribus N. T. græci editionibus intra parenthesin includantur verba omnia, quæ habentur post *tres sunt qui testimonium dant* ver. 7. usque ad alia: *Spiritus* etc. ita ut legi debeat integer textus hoc modo: *tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum, vel in unum sunt* prout unanimiter legunt versiones syriaca, arabica polyglottæ atque Erpenii et æthiopica [1]; 2° nititur in verbis illis: *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est;* ast, si bene perpendantur, hæc non dicunt relationem nisi ad ea, quæ habentur in ver. 6 *Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas;* vel ut in aliis lectionibus habetur: *et Spiritus est veritas* [2]; vel etiam si placet, relationem dicunt ad. ver. 8 ubi nomine *Spiritus Sanctus*, prout veteres non pauci intellexerunt, designatur. Quæ cum præcipua sint argumenta interna, reliqua per se cadunt. Ergo.

91. ***Resp. Neg. antec.*** Quæ enim attulimus, integram omnino periocham exposcunt: ad 1m itaque argumentum quod spectat, utique fatemur ab audaculis criticis recentioribus privata auctoritate intra parenthesin laudata verba constringi; quonam autem jure id ipsi præstent ignoramus [3]. Cæterum Bengel codices affert in quibus deest ver. 7. et tamen exhibent voces illas *in terra*; alios in quibus tum verba *in cœlo et in terra* desunt, etsi habeant duo commata integra, illis vocibus exceptis [4]. Plures sunt codices, a quibus exulant voces ex octavo ver. *et hi tres unum, vel in unum sunt;* Millius censet voces *in terra* ab emendatoribus codicum, a quibus testes cœlestes absunt, fuisse sublatas utpote superfluas [5]. Si sibi propterea constare vellent

1) Cf. *Polyglotta Walton.*

2) *Ib.* versio tamen æthiopica eundem sensum præfert ac vulgata latina, Walton in *variantibus N. T. cit. cod.* 9 in quo legitur *Christus.* cf. tom. IV. Sabatier ad *h. l.* alios citat.

3) Sed neque in hoc critici protestantes habent meritum inventionis, siquidem Richardus Simonius in sua *Hist. critique du N. T.* pag. 2. ch. 9. pag, 110. *edit. Rotterdam* 1690. id ipsum jam innuerat, ubi conqueritur de eo, quod Robertus Stephanus in sua edit. posuerit semicirculum post verba *ἐν τῷ οὐρανῷ* cum juxta ipsum ponere debuisset immediate ante verba *ἐν τῇ γῇ* Quam audaciam miratur ipse Millius. Griesbachius in sua editione græca N. T. cæteris audacior omnino verba illa suppressit, qui deinde initio diatribes suæ tanquam ex tripode pronunciat: „quæ uncis inclusimus (ex integro textu eidem præmisso) spuria sunt, ideoque e sacro contextu eliminanda." Quanta securitate!

4) In *recens. variant. ad* ver. 7 *et* 8. Latini enim aliqui codices etsi pericope hac carentes apud Erasmum, Hentenium, Lucam Brugensem, Dorscheum voces tamen *in terra* habent; legerunt has easdem voces Facundus hermian. lib. I. *defens. trium capitul.* cap. 3 pag. 7. *edit. Sirmondi* ubi bis ver. 8. profert „tres sunt, qui testimonium dant *in terra*, spiritus etc." et rursum: „tres sunt qui testificantur *in terra* spiritus etc." et Beda in comment in *h. l.* „quoniam tres sunt, qui testimonium dant *in terra* spiritus etc." neuter tamen in suo exemplari habebat ver. 7. voculas item *in cœlo* et *in terra* non videtur legisse auctor *prologi* in *ep. catholicas*; cod. Schehornianus non habet voces *in terra*, habet tamen *in cœlo*. Plures codices carent vocibus *et hi tres unum sunt*, plures legunt *in nobis sunt*, vel etiam *unum sunt in Christo Jesu* etc. cf, etiam Sabatier in *h. l.*

5) Loc. cit. cf. etiam Maran. loc. cit.

critici hi biblici, deberent vel utrumque vers. 7. nempe et 8. eradere, vel utrumque retinere prout jacent.

92. *Ad* 2m, *Neg.* in hypothesi enim adversariorum sensus mutilus prorsus oriretur et truncus, cum enim vers. 6. meminisset aquæ et sanguinis et spiritus, apostolus Joannes consecrasset integrum versiculum 8 testimonio aquæ, sanguinis et spiritus, et nihil addidisset de Spiritu Sancto, et pari tamen ratione concluderet, *si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est;* imo se se extendens circa hoc Dei testimonium dum addit: *quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo* bene quidem admisso vers. 7 at hoc sublato, vix hæc cohærere possunt. Multo minus admittenda est altera evasio de *Spiritu Sancto* in vers. 7 nam hæc non est nisi paucorum codicum lectio explosa a censu familiarum. Si his præterea addantur, quæ adduximus in probationibus, patebit, quam vere dixerit ipse Bengel: *adamantina versiculorum cohærentia omnem codicum penuriam compensat* 1).

1) Loc. cit. §. 28.

Ex dictis etiam patet pessima agendi ratio Joan. Georgii Rosenmülleri, qui ad *h. l.* mala omnino fide refert argumenta contra *γνησιότητα*, seu *genuinitatem* hujus commatis, dum tradit primum *græce* prolatum hunc versiculum in græca translatione actorum conc. lateranensis an. 1215 habiti; codices *latinos* ante sæc. x exaratos plane eum non habere, a patribus *latinis* non citari, ubi vel maxime ad rem pertineret, atque omnino expectari posset, Vigilium Tapsensem primum videri, qui exeunte sæc. v. *clare* ad testes cœlestes provocarit, quin tamen conveniat ejus allegatio cum textu nostro nec in verbis nec in sensu etc. in quibus omnibus tot pene sunt mendacia quot verba. Etenim concil. lateranense loquitur de pericope Joannea tanquam de re omnibus tunc temporis explorata, ait enim: „quemadmodum in canonica Joannis epistola legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant* etc. statimque subjungitur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus, aqua et sanguis et hi tres unum sunt,* sicut in codicibus quibusdam invenitur;" quæ postrema verba referuntur, ut patet, ad postremam clausulam de testibus terrenis: *Et hi tres unum sunt,* de quorum authenticitate etiam dubitavit S. Thomas ut notum est. Ex hac porro observatione de clausula modo dicta, patet vulgatissimam fuisse tunc temporis lectionem de testibus cœlestibus eo maxime quod conc. later. interfuerint non pauci græci, quin tamen de hoc mussitaverint; *edit. Harduini* tom. xi. p. i.; addatur auctor *dialogi* seu disputationis *contra Arium* S. Athanasio tributæ qui Maximus M. vulgo creditur; cum enim in Africam venisset ibi nactus codices familiæ africanæ invenit textum nostrum, redux in orientem ansam sumpsit dialogum scribendi; hic igitur, quicumque demum sit, certe antiquus auctor, sub finem n. 1-5. cum locutus esset de baptismo, qui „inter beatissima nomenclatura fidelibus datur, adde, inquit, his omnibus, quod ait Joannes, *et hi tres unum sunt: οὐκ ἐν τῇ τρισμακαρίᾳ ὀνομασίᾳ δίδοται τοῖς πιστοῖς; πρὸς δὲ τούτοις πᾶσιν, Ἰωάννης φάσκει, καὶ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι.* (cf. inter *opp. S. Ath. ed. Maur.* vol. 4. pag. 229).

2° Falsum est quod dicit de patribus *latinis,* qui hunc textum non citarunt; nos documentis adductis contrarium ostendimus.

3° Falsum quod Vigilius Tapsensis omnium primus videatur, qui exeunte sæc. v. *clare* etc. ut patet ex dictis, quibus addimus Eucherium, qui floruit an. 434 id est 50 an ante Vigilium Tapsensem et in libro *formularum spiritualis intelligentiæ* cap. xi. n. 3. scribit: numerus ternarius refertur ad Trinitatem in Joannis epistola: tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus S. et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis." Numquid clarius aliquid proferri poterat?

4° Falsum quod allegatio Vigilii cum textu nostro nec in verbis, nec in sensu conveniat: nam lib. i. *de Trin.* inquit: „sicut et in hoc exemplo veritatis: in

93 IV. *Obj. contra alteram propositionis partem.* Data etiam *genuinitate* Joannei commatis nihil tamen inde eruitur ad distinctionem personarum in unitate essentiæ adstruendam: etenim 1° Pater, Verbum et Spiritus S. unum esse dicuntur non essentia, sed unitate seu consensu testimonii prout 2° exposuerunt doctissimi interpretes; 3° sane id postulat contextus et connexio duorum versiculorum 7 et 8; jam vero etiam de spiritu, aqua et sanguine pariter dicitur: *et hi tres unum sunt,* quin tamen aliquis adeo desipiat ut dicat, hæc unum esse *essentia,* sed unum dicuntur unitate testimonii, eodem igitur sensu de testibus cœlestibus dictum est unum esse, nempe unitate testimonii. Ita fere Clericus.

94. *Resp. Neg. antec.* Alioquin, ut superius notavimus, non adeo solliciti essent unitarii in hoc nobis eripiendo testimonio. Nam nonnisi odio veritatis tanto molimine frustra laborant; recolantur dicta in probationibus.

95. *Ad 1m, prob. Neg.* Nam 1° absurdum est Patrem, Verbum, et Spiritum S. unum dici etiam in testimonio ferendo, si

quo nomina personarum evidenter sunt ostensa, et unitum nomen divinitatis, clause est declaratum dicente Joanne Evangelista in epist. sua: *Tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo. Pater et Verbum et Spiritus: et in Jesu Christo unum sunt;* non tamen unus est, quia non est in his una persona." Judicet lector an in sensu conveniat, et in verbis nec ne cum textu nostro; et rursum sub finem ejusdem libri idem testimonium profert, addendo *Sanctus* ad nomen *Spiritus.* Et lib. 7 sine vocibus *in Christo Jesu* absolute scriptum dicit a Joanne: *Et hi tres unum sunt (Bibl. PP. Ed. Lugd.* tom. VIII. pag. 771 seqq.). Quam bene critici protestantes!

5° Falsum quod affirmat de codicibus latinis ante sæc. x scriptis. Contrarium nos ostendimus ex ipso Richardo Simonio, aliisque adductis, nec abnuit Griesbachius in *N. T. ed. Lond.* 1818 vol. 2. pag. 640. His addimus cod. nuper repertum in monasterio benedict. *Cavensi* Neapolim inter et Salernum, quem ante an. 1000 ab. Rozan scriptum censet, cl. vero D. Angelus Maj saltem ad sæc. VII. pertinere judicavit: legitur vero in hoc cod. „quia tres sunt, qui testimonium dant in terra etc. et hi tres unum sunt in Xpo. Ihu. et tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, et Sps. et hi tres unum sunt." Cfr. Wiseman loc. cit. pag. 10 et seqq. Hunc autem codicem perinde ac alium sessorianum Scholz non vidit. cfr. *prol.* §. 44. 47.

Sed nec minus aperte mentitur dum profert argumenta, quæ favent nostro textui; suppressis enim ex industria validioribus argumentis, profert tantum debiliora, quæ rursum extenuare nititur. Demum, confugit ad locum nunc communem inter rationalistas biblicos, ad historiam nempe Hezelii convicti a Griesbachio, qua causa finita est. Sed nos libenter ipsis concedimus suos Hezelios et Griesbachios, et Semleros, et Eichhornios etc. Væ nobis, si Christus Dominus his criticis scripturam custodiendam dimisisset! Vix frustula aliquot intacta superessent. Attamen Rosenmüller non attulit nisi argumenta, quandoque etiam ipsa verba Griesbachii, quæ proinde dicta sunt circa Rosenmüllerum, æque valent adversus Griesbachium, in quo præterea livor deprehenditur, ut patet ex ratione qua excandescit adversus Man. Calecam: quem vocat *græculum latinizantem, pseudo-græcum;* et hoc ob duplex ab eodem patratum crimem 1. quod *excitaverit* versum 7; 2. quod ecclesiam græcam orthodoxam (nempe *schismaticam*) priscam patrum suorum fidem tuentem (id est ut inferius ostendemus, a prisca patrum suorum fide desciscentem), acriter oppugnaverit, eique pontificis rom. primatum obtrudere, ac decantatum illud *filioque* nicœno symbolo a latinis adjectum defendere conatus sit. Gravia hæc profecto crimina sunt ac irremissibilia in oculis *tolerantissimi* protestantis, qui alioquin paratus esset eundem ut magnum virum proclamare, si schisma et hæresin fovisset et non *excitasset* hunc versum ipsi adeo in eo invisum.

infinito intervallo inter se distarent, ut esset in hypothesi unitariorum. Solus enim Pater Deus esset, Verbum autem et Spiritus Sanctus vel creaturæ vel efficientiæ, prout absurdum esset dicere de Deo et duobus angelis aliquid testantibus *et hi tres unum sunt.*

96. 2° Quia eadem ratione disserere debemus de testimonio Patris, Verbi et Spiritus S. hoc loco, ac de testimonio Patris, Verbi et Spiritus S. de quo sæpe Joannes in evangelio disseruit; jam vero Joan. XV, 26 tum XVI, 14. Christus commendat testimonium Spiritus Sancti ex eo quod a Patre procedit; et ex eo quod de suo accipiet, nempe ex unitate naturæ et essentiæ cum Patre et Filio; tum etiam suum proprium commendat testimonium ex eo quod ipse unum sit cum Patre suo dicens Joan. X, 30. *Ego et Pater unum sumus.* Non alio igitur sensu et hic scribere potuit idem apostolus *et hi tres unum sunt.*

97. 3° Quia hic innuit se magnum proponere mysterium, cum tamen accurate tres destinguat personas et conjungat imo unum tres esse dicat, sed si una non esset in tribus personis essentia, opus non fuisset tanta contentione et diligentia in distinguendis rebus disjunctissimis; sic nihil mirabile esset quod tres consentiant in ferendo testimonio. Itaque quaquaversus spectetur Joannis apophtegma, non alium sensum admittit præter illum, quem in eo tota agnovit antiquitas. Omnes enim patres, qui eum citarunt, constanter ad adstruendam unitatem essentiæ in tribus personis eo usi sunt [1].

98. *Ad* 2m, *Dist.* Id est Calvinus aliique ejusdem furfuris, *conc.* alii, *neg.*

99. *Ad* 3m, *Dist.* Eadem ratione de testibus cœlestibus et terrenis pronunciatur *unum sunt,* quoad pondus et auctoritatem testimonii relate ad id quod testatur, *conc.* quoad testes inter se, *neg.* Nempe ejusdem ponderis sunt testes terreni ad veram Christi humanitatem testandam, ac testes cœlestes ad testandam ejusdem divinitatem. Adde ex dictis in græco textu de testibus terrenis dici *et hi tres in unum sunt,* quod non dicitur de testibus

Ex his specimen habetur *moderationis,* quam adeo decantant protestantes et libertatis, qua iidem fruuntur in rejiciendis fidei articulis pro lubito, siquidem primi protestantes cum catholica ecclesia dogma de Spiritus Sancti processione etiam a Filio profitebantur.

1) Cum Rosenmüller refricet argumenta Clerici de consensu voluntatis etc. addit de suo hanc interpretationem si admitti posset, cum contextu et consilio apostoli non posse conciliari, quod jam *nonnulli veterum perspexerunt.* In margine vero editionis complutensis narrari Abb. Joachim negasse quod verba commatis 7 *hi tres unum sunt* ad unitatem personarum spectent, ac traxisse hæc verba ad unitatem consensus, atque provocasse ad comma 8 etc. Quod attinet ad marginem editionis complutensis non abnuimus adnotationem illam reperiri, sed falsum omnino est quempiam veterum perspexisse agere Joannem de consensu voluntatis vel non posse conciliari cum contextu ac consilio apostoli; quotquot enim textum illum adducunt ex veteribus, nemine excepto, proferunt ad evincendam unitatem essentiæ in tribus personis. Provocamus omnes criticos biblicos ac rationalistas, ut vel unum afferant qui verba illa acceperit de consensu voluntatis vel affirmaverit cum consilio et contextu apostoli hunc textum conciliari non posse.

cœlestibus, atque ex hac ipsa lectionis diversitate discrimen patet quoad naturum testium inter se [1]).

100. Et hæc de hoc gravissimo argumento in præsentia dicta sufficiant. Si autem Deus dederit, peculiarem opportuno tempore edemus, forsan dissertationem, in qua latius deducemus, quæ heic nonnisi contracta oratione, ut fert institutionum indoles, congessimus.

PROPOSITIO III.

Eadem veritas ex perpetuo ac constanti ecclesiæ sensu traditionali confirmatur.

101. Ipsa recta ratio et ars critices docet aptissimam regulam ad verum dignoscendum tum legis, tum cujusquam antiqui scriptoris sensum esse usum ipsum, et intelligentiam eorum, qui ipsis coævi fuerunt, vel proxime secuti eos sunt ac multo magis si ab auctoribus ipsis hunc eundem germanum sensum fuerunt edocti, seu perceperunt, quem deinceps posteritati transmiserunt. Jam vero sensum doctrinæ Christi Domini circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, et apostolorum, qui tum viva voce, tum scriptis eam prædicarunt ac promulgarunt eum esse, quem tenet ecclesia catholica, certissimis documentis adstruitur deductis ab ætate apostolica usque ad S. Justinum M., et a Justino usque ad concilium nicœnum et constantinopolitanum I. Ab hac enim epocha et deinceps universalem hanc fidem in ecclesia obtinuisse unitarii et rationalistæ ultro fatentur.

102. Ut vero ad certas classes hæc documenta revocemus, ne confusionem ingerant, sic ea distribuimus. 1° Sit praxis ecclesiæ, ejusque agendi ratio cum novatoribus circa hoc mysterium; 2° fidei professiones, 3° confessiones martyrum, 4° hæretici, 5° judæi et pagani, 6° patres singillatim sumpti, 7° socinianorum ac rationalistarum impugnandi ratio.

103. Itaque I quod attinet ad ecclesiæ praxim, ejusque agendi rationem cum novatoribus, insigne documentum est perpetuitatis fidei nostræ baptismi collatio in nomine SS. Trinitatis, ecclesia autem nunquam intendit baptismum conferre in nomine patris omnium, filii Messiæ, et vis divinæ ut recentiores unitarii autumant talem inesse vim huic formulæ, quin ullo unquam documento id ostendant, cum non sit nisi privata et nova ipsorum expositio. Imo ecclesia ex hac formula refellebat sabellianos personas confundentes [2]). Aliud documentum hujus praxis est re-

1) Cfr. Maran *op. cit. et loc. cit.*

2) Cfr. Joan. Chrysost. loc. cit. et ante ipsum Justinus M. *apol.* I. n. 61 referens modum regenerationis seu baptismi scribit: „Nam in nomine parentis universorum ac Domini Dei salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt: *Ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ*

cepta a primis ipsis ecclesiæ sæculis doxologia his fere verbis concepta: *gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* [1]), qua aperte et æqualitas simul et distinctio personarum exprimitur. Vix autem novatores aliqui impugnare aggressi sunt vel divinitatem alicujus personæ, vel earum distinctionem ut illico eos damnaverit, atque e sinu suo velut hæretica impietate infectos expulerit; ita se gessit cum ebionitis et cerinthianis, qui primo ipso ecclesiæ sæculo exorti sunt et Filii seu Christi divinitatem negarunt; ita postea cum Artemone ac Paulo samosateno eadem impietate obstrictis [2]); eadem ratione resistit Theodoto coriario, Noeto, Sabellio, patripassianis, reliquis denique omnibus [3]). Quod quidem argumentum est indubium veræ fidei, quam ecclesia semper professa est.

104. II. Fidei professiones, quæ ab apostolicis temporibus obtinuerunt, irrefragabile aliud suppeditant hujus fidei documentum. Harum in censum primo venit ipsum apostolicum symbolum, quod tironibus tradebatur; in hoc autem habetur pariter expressa fides in Deum Patrem, et Jesum Christum unicum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum ut personas tres distinctas in eadem divina natura [4]) ex sensu eccle-

Χριςοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου etc. et Tertull. lib, 1, *contra Murcion.* c. 28. „Baptismus, inquit, regeneratio est hominis: quomodo regenerat, qui non generavit? Iteratio enim non competit ei, a quo quid nec semel factum est. Si consequutio est Spiritus Sancti, quomodo Spiritum attribuet, qui animam prius non contulit?" Ex qua argumentatione constat Tertullianum pro certo sumere adversus Marcionem Filium et Spiritum Sanctum in quorum nomine confertur baptisma Deum esse eo quod nemo possit regenerari ab eo, a quo is conditus non est. Sed quod frangit audaciam rationalistarum est usus antiquissimus in primitiva ecclesia receptus conferendi baptisma per trinam immersionem cum distincta trium personarum invocatione, de quo usu loquuntur canones apostolici antiquissimi ac præcise can. L. Trinam autem hanc immersionem, quam patres passim ab apostolica traditione repetunt, usurpatam esse ad distinctionem clarius designandam trium personarum tradit idem Tertullianus *lib. adv. Praxeam* cap. 26, ubi sic cum perstringit „novissime mandans (Christus) ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in *singulas personas* tinguimur." Cf. Guillelm. Beveregius in *annot. ad can. L. apost.* nec non in *cod. canonum eccl. primit.* lib. 2, cap. 6.

1) Cf. S. Basilium *de Spiritu Sancto* cap. 29, qui testatur se doxologiam, seu glorificationem „Deo Patri et Filio D. N. J. C. cum Sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum, amen: *Τῷ Θεῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ χριςῷ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, δόξα, καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμὴν*, accepisse frequentatam in omnibus orationibus ac libris a S. Gregorio Neocæsariensi Thaumaturgo nuncupato, et a Firmiliano. Eandem præterea doxologiam frequentatam primis duobus ecclesiæ sæculis patet ex *constit. apost.* nuncupatis lib. 8, cap. 12, et rursum ibi cap. 13, et alibi passim; cf. apud Cotelerium *SS. patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt etc. Antuerpiæ* 1698, vol. I, pag. 199 et seqq. Joan. Bingham *orig. sive antiq. eccles.* vol. 5, lib. 13, cap. 2, §. 1 et seqq. innumera exempla profert ex remotissima antiquitate istius universalis usus penes christianos; cf. S. Joan. Damasc. in *epist. ad Jordan. de hymno trisagio* n. 6, ubi plura lectu digna habentur de recepta in ecclesia doxologia.

2) Vid. *epist. Alexandri episc. alexandrini ad Alexandrum episc. constantinop.* apud. Theodoretum *h. eccl.* lib. 1, cap. 3, Euseb. *h. eccl.* lib. 3, cap. 27, 28, Hieronym. *Prolog. in Matth. ed. Vallars.* tom. VII, pag. 5. Cf. Petavium *de trinit. præf.* cap. 2, §. 1.

3) Cf. Petav. ibid.

4) Unitarii omnia symbola antiqua rejiciunt, ac præsidium suum omne con-

siæ; nec non alia fidei professio, quæ edita est a patribus alexandrinis in epist. synod. ad Paulum samosatenum, in qua exposito fidei dogmate cum hodierna fide consentaneo de Filii divinitate ac de Trinitate testantur, ita et prædicasse SS. patres, et sibi confitendum, profitendumque tradidisse [1]); tum deinde synodus prior antiochena adversus eundem Paulum coacta, in qua emittitur verbis his de SS. Trinitate fidei professio: ***decrevimus fidem scripto edere, et exponere, quam a principio accepimus, et habemus traditam, et servatam in catholica ecclesia usque in hodiernum [diem a beatis apostolis ... esse unum Deum ingenitum ... et Filium genitum, unigenitum, sapientiam, et verbum ac virtutem Dei ante sæcula, non præcognitione, sed substantia, et hypostasi Deum, Dei Filium etc.*** concluditur autem: ***et omnes ecclesiæ catholicæ nobiscum consentiunt*** [2]). Huc demum refertur fidei professio S. Gregorii Thaumaturgi, quam refert in ejus vita S. Greg. Nyss. quæ ita se habet: ***Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo . . . Filius verus veri Patri . . . Unus Spiritus Sanctus . . . Imago Filii, perfecti perfecta; Trinitas perfecta, quæ gloria, æternitate, ac regno nec divisa est nec alienata*** [3]). Et hæc sufficiant: ex quibus discimus; 1° quænam fuerit germana fides ecclesiæ tribus prioribus ecclesiæ sæculis circa mysterium SS. Trinitatis: 2° hanc fidem ab apostolis ad ecclesias traditione pervenisse.

stituunt in symbolo romano, quod sua simplicitate se commendet et unice proponat fidem in Deum Patrem, et Filium ejus unicum Dominum nostrum conceptum de Spiritu Sancto, cum cætera quæ huic symbolo addita sunt non apostolis sed patribus platonicis sint tribuenda; ita quidem Simon Episcopius lib. 4, *instit.* cap. 23 et seqq. At perperam. Symbolum enim apostolicum etiam prout jacet evertit omnem impietatem unitariorum. Quid est enim credere in Deum Patrem, in unicum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum, nisi credere in tres personas distinctas? Cum Deus dicatur Pater et Jesus Christus ejus Filius, nonne prædicatur unitas naturæ in Patre et Filio, si accipiantur, ut accipi debent, in sensu obvio et absque glossis et explicationibus unitariorum? Addo fideles prius bene instructos fuisse circa verum sensum symboli antequam ad baptismum admitterentur.

1) Vid. *Epist. S. Dionys. episc. alex. adversus. Paulum samosat.* Sic vero se habent ejus verba post expositam doctrinam Trinitatis ac divinitatis Verbi et Spiritus Sancti „et sic confessi sunt eum (Verbum) sancti patres et ut confiteremur ac crederemus nobis tradiderunt: *Καὶ οὕτως ὡμολόγησαν αὐτὸν οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ παρέδωκαν ἡμῖν ὁμολογεῖν, καὶ πιςεύειν*: (in *biblioth. veter. patr. græc. lat.* tom. 1, pag. 275) et in *fragm. adv. sabellian.* n. 3, concludit „ita scilicet divina Trinitas et sanctæ monarchiæ prædicatio integra servabitur: *Οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία τριὰς καὶ τὸ ἅγιον κηρῦγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο.* Apud Athan. *de decretis* n. 2;, pag. 1, *opp.* tom. 1, pag. 231, *edit. Par.* 1698, atque in *bibl. Gallandi,* tom. III, pag. 540.

2) *Καὶ πᾶσαι αἱ καθολικαὶ ἐκκλησίαι συμφωνοῦσιν ἡμῖν. coll. conc. ap. Labb. 7, 7 coll. 446.*

3) *Εἷς κύριος μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ ... Υἱὸς ἀληθινοῦ πατρὸς ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἀφθάρτος ἀφθάρτου ... Καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον ... εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία, τριας τελεια δόξῃ καὶ αἰδιότητι, καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη.* apud Greg. Nyss. in ejus vita tom. III, pag. 546, qui refert hoc symbolum manu ipsius exaratum in ecclesia neocæsariensi asservari, et ad plebis instructionem quotidiano usu celebrari. Cf. annot. Ernest. Grabe ad *defens. fidei Nicæn. Georg. Bulli in* sect. 2, c. 12, §. 4.

Huic addi potest symbolum quod extat in *const. apost.* lib. 7, cap. 4, *apud. Coteler. loc. cit.*

105. III. Martyrum confessiones non minus illustre documentum suppeditant receptæ fidei de SS. Trinitate in universa ecclesia. Omissis igitur quæ expresse et directe spectant ad divinitatem Filii, de qua inferius, in actis MM. Lugdun. qui passi sunt an. 17, M. Aurelii legitur, quod S. Epipodius hæc verba profuderit coram præside, qui os martyris elidi pugnorum ictibus jusserat; *Christum cum Patre ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor;* atque in actis S. Polycarpi, qui *non solum ab apostolis edoctus et conversatus cum multis ex eis* (ut ait S. Irenæus) *qui Dominum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis, ecclesia constitutus episcopus ... hic docuit semper, quæ ab apostolis didicerat, quæ et ecclesia tradidit, et sola sunt vera*; hic, inquam, in oratione quam ante martyrium fudit, hæc habet, *propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per sempiternum pontificem Jesum Christum dilectum Filium tuum; per quem tibi cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc, et in futura sæcula sæculorum. Amen* [1]). In his profecto absque ambagibus absoluta confessio habetur et trium personarum distincta commemoratio in una divina essentia subsistentium. Quid ad hæc unitarii et rationalistæ cum suis metaphoris et platonicismo?

106. IV. Testes præterea sunt fidei nostræ ipsi ecclesiæ infensissimi hostes, hæreticos in primis dico, qui tribus prioribus religionis christianæ sæculis ab ecclesia expulsi sunt. Hos in duas classes dispertior: in eos nempe, qui intemeratam cum ecclesia catholica fidem de Trinitate servarunt et in eos, qui eam adorti sunt. Jam vero in priorum censum veniunt nazaræi, quorum secta antiquissima est, et apostolis coæva, nec non docetæ et phantasiastæ, ac gnosticorum quamplures sectæ. Ad aliam classem refero ebionitas, cerinthianos, Theodotum coriarium, carpocratianos, gnosticos reliquos, Pauli samosateni asseclas, sabellianos.

107. Jam vero primæ classis hæreticos recte sensisse de Trinitate, ac divinitate Filii produnt omnes antiqui scriptores, qui eorum errores recensent. De nazaræis, præter Justinum, Hieronymum et Augustinum, qui testantur eos recte de divinitate Christi sensisse, et hoc nomine præsertim distingui ab ebionitis [2]), testis est locupletissimus auctor recognit. et homil. sub nomine Clementis Rom., cujus jam meminit Origenes [3]). Hic

1) Apud Eus. *H. E.* lib. 4, cap. 14. Cf. Muran. *opp. cit.* lib. 2, cap. 4, Ruinart. *acta mm. sincera.*

2) Cf. diss. 7. *Damascenic.* doctissimi P. Le-Quien qui copiosissime præ cæteris egit de nazaræis, ubi in antecessum confutatus est Moshœmius, qui in institutionibus hist. christianæ antiquioris Helmstadii 1737, nonnisi ante sæc. 4, eos extitisse autumat.

3) Tom. III, *in Genes. philoc.* cap. 22 et in Matth. XXVI, 6; quod quidem eorum antiquitatem demonstrat. Scripti censentur hi libri sæc. II, exeunte; ac post an. 170.

igitur auctor qui erat ex nazaræis [1]) his verbis docet unum et eundem cultum SS. Trinitati adhibendum esse: *ad te enim pertinet æterna gloria, laus Patri et Filio et Spiritui Santo in omnia sæcula, amen* [2]); item baptismum conferri *ter beata invocatione* nempe trium divinarum personarum, ut liquet ex verbis nuper citatis; tum ex iis quæ alibi idem auctor scribit. *Ad ultimum autem, inquit Petrus. admonui eos, ut priusquam progrederemur ad gentes prædicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo, suscipientes Filium ejus. Aliter enim nullo modo eos ostendi posse salvari; nisi per Spiritus Sancti gratiam trinæ invocationis dilui baptismate properarent* [3]). Docetas autem et phantasiastas, ac alias gnosticorum sectas solam detraxisse Christo humanam naturam, quod Deo indignam putarent, testes sunt S. Irenæus [4]), Clemens Alex. [5]), Tertullianus [6]), Origenes [7]), Pamphilus in apologia ipsius Origenis [8]), Novatianus [9]), ut cæteros recentiores prætermittam; ergo hæretici isti omnes præter Patrem aliam agnoscebant in Deo personam: sed præterea Trinitatem agnovisse et admisisse nobis concedunt ipsi unitarii, qui viderunt hos hæreticos sibi non favere, et principes esse volunt nescio cujus Trinitatis allegorice fingendæ [10]). Cum autem, ut alibi a nobis observatum est [11]), hæretici illa, in quibus nobiscum consentiunt, nonnisi ab ecclesia, a qua vel discesserunt vel expulsi sunt, mutuati fuerint, totidem testes sunt fidei, quæ obtinebat in ecclesia ea ætate, in qua ab ea divisi sunt. Divisi porro sunt plerique ex recensitis hæreticis ab ecclesia catholica vel sub ipsis apostolis, vel paulo post; ergo.

1) Cf. Maran. lib. 2, cap. 7, §. 4.

2) Hom. 3, cap. 72. Σοῦ γάρ ἐςιν δόξα αἰώνιος, ὕμνος πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς συμπάντας αἰῶνας, ἀμήν.

3) *Ibid.* cum *diss. cit.* Guillelmi Beveregii *de trina immersione.*

4) Lib. 3. *adv. Hæres.* cap. 17 et 18 *ed. Massueti.*

5) *Pædag.* lib. 2, cap. 8.

6) In *lib. cont. Marc.*

7) In *Joan.* pag. 154, vol. 2, *edit. Huetii Colon.* 1685.

8) In *bibl. pp. Gallandi* tom. IV, pag. 23 et seqq.

9) *Lib. de Trin.* cap. 18.

10) Cf. Maran lib. 2, cap. 8. Etenim auctor *Irenici irenicorum* Simonis nugas Justino fucum fecisse declarat. Si auctor platonismi retecti fatetur gnosticis Verbum præexistens placuisse pag. 25 alibi vero, nempe pag. 74 cerinthianis hunc platonicismum adscribit, postea vero pag. 379 adscribit Marco ajens „Valentinianus Marcus, ut discimus ex lib. 1, *Irenæi* cap. 12, auctor est allegoricæ de Jesu Christi conceptione interpretationis, id est, primus eam ad sensum contemplationis et mysterii extulit." Si quidem isti nesciunt ubi pedem figant atque consistant. Cæterum hæreticos istos omnes non secus ac valentinianos, ipsosque manichæos ostendit Maran loc. cit. recte de divinitate Verbi sensisse ac solum circa humanitatem Christi errasse.

His si addatur, Praxeam ejusque asseclas accusasse catholicos tritheismi, eo quod ipsi tres personas distinctas colerent, teste Tertulliano *cont. eund.* cap. 3, scribente „Duos et tres jam jactitant a nobis (catholicis) prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt: quasi non et unitas etc." habetur ineluctabile testimonium receptæ apud catholicos fidei de unitate naturæ divinæ et trinitatis personarum, ut enim *ibid.* explicat Tertull. cap. 2, tres sunt *unius substantiæ et unius status, et unius potestatis*; quia unus Deus, ex quo (tres) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur."

11) *Tract. de vera relig.* pag. 2, prop. 5, n. 96.

108. Nunc facile est id ipsum concludere ex iis hæreticis, qui apostolicam fidem de Trinitate labefactare ac corrumpere nisi sunt. Ex his tria habemus 1° quod eam adorti fidem fuerint, quæ in ecclesia obtinebat, alias eam minime impugnassent, neque ut hæretici et novatores fuissent ab eadem expulsi: 2° Quod adeo firma esset et universalis antiqua hæc fides, ut nullos ferme sectatores nacti fuerint harum hæreseon architecti, et vix natæ defecerint, vel in tenebris delituerint [1]); 3° quod eorum impugnatores ipsis opposuerint perpetuam contrariam traditionem, et consensum omnium ecclesiarum, ita ut, ne detegerentur ipsorum errores, nonnisi clanculum et inter verborum ambages eos proponerent [2]). Sectæ igitur omnes antiquæ sive illæ, quæ intactam SS. Trinitatis fidem retinuerunt sive illæ, quæ contra ipsam insurrexerunt, totidem testes sunt fidei, quam a Christo et ab apostolis ecclesia catholica incolumem servavit usque ad nicœnam synodum, quæque a nicœna synodo ad nos usque pervenit de tribus divinis ac distinctis personis in eadem essentiæ unitate.

109. V. Sed testes præterea sunt ipsi judæi et pagani. Etenim semper in eo controversiæ cardo fuit inter christianos et inter judæos et paganos, quod judæis fuerit scandalum prædicatio Dei crucifixi, gentibus autem stultitia, ut patet ex epistola, quam adversus judæos scripsit Barnabas, seu saltem antiquissimus auctor sub ejus nomine, ex dialogo S. Justini cum Tryphone, qui hoc perpetuo objicit; ex difficultatibus, quas promovet ex persona judæi Celsus lib. II Origenis contra ipsum; quod spectat ad ethnicos ex disputationibus Arnobii, Cypriani, Tertulliani, Lactantii etc. adversus eosdem, ex irrisionibus et exprobationibus præsidum, dum martyres ab hac insania, ut

1) Soli enim ebionæi ab initio ex hæreticis divinitatem Christi negarunt, pauci omnino, quique numerari poterant, et sic permansissent nisi identidem eandem impietatem instaurassent Paulus samosatenus, aliique obscuri hæretici qui vix noti essent, nisi Arius ut videbimus, cum asseclis suis totum iterum turbasset christianum orbem. Certe cum Paulus samosatenus novitates suas obtruderet, patres conc. antiocheni ut testatur Euseb. lib. 6, cap. 30, scripserunt ad omnes provincias, et antequam damneretur, sex episcopi conati sunt literis missis eum ab errore revocare. In hac epistola sic de omnium ecclesiarum consensu gloriantur: „omnes ecclesiæ catholicæ nobiscum consentiunt" et hæc quidem sæc. III.

2) Exploratum est hæreticos et novatores omnes quovis tempore etsi novitatem in doctrina inducere tentarent vel tentent, affectasse tamen atque affectare similitudinem sermonis, qui obtinet in ecclesia catholica, ne si aperte traderent novitates suas, statim in ipso exordio catholicorum impetu opprimerentur. Hoc verum factum præcise etiam novimus ab hæreticis antiquis doctrinam de divinitate Christi vel Spiritus Sancti labefactare tentantibus. Errores enim suos quibusdam veluti integumentis obvolvebant, tum ut episcopos et presbyteros laterent, tum ut imperitis venenum suum callide propinarent" et propter hoc, inquit presbyter apostolorum discipulus apud Irenæum lib. 4, cap. 32, hi, qui alienas doctrinas inferunt, abscondunt a nobis quam habent de Deo sententiam, ne victi salvari periclitentur." Quamobrem recte concludit Maran. lib. 2, cap. 5, §. 4. testes sunt ipsi hæretici doctrinam apostolicam, quæ ab eis nefarie violata fuerat, omnibus catholicis sive doctis sive indoctis ratam et exploratam esse.

ipsi vocabant, retractarent. Sed præclarissimum documentum communis hujus fidei inter christianos illud est quod exhibet Lucianus, seu quivis alius est auctor dialogi qui *Philopatris* inscribitur [1]), hic enim christianorum mysteria et catechumenorum instituendorum rationem satis apte describit. In hoc porro inducitur Critias jurans per varios ethnicorum Deos, quos respuens Triephon, vult ut Critias juret per ***Deum alte regnantem, magnum, immortalem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria*** [2]): ***hæc tu Jovem puta, hunc existima Deum*** [3]), quibus verbis apertissime continetur christianorum fides de tribus personis distinctis in eadem divina essentia subsistentibus, et per quam ab ethnicis ipsi discrepabant.

110. VI. Testes patres singillatim sumpti. Cum vero contendant unitarii Justinum M. utpote Platonis institutis enutritum omnium primum hanc personarum Trinitatem in ecclesiam intulisse, ac omnes infecisse [4]), ut ostendamus eos impudentissime esse mentitos patres, et scriptores in medium afferemus Justino anteriores. Anterior itaque Justino est auctor epist. S. Barnabæ inscriptæ, hic porro vocat Christum ***Dominum orbis terrarum, cui dicit Deus ante constitutionem mundi: faciamus hominem etc.*** [5]) et rursum affirmat: ***Deum non venisse vocare secundum personam, sed super quos Spiritum præparaverat*** [6]); et en tres personas: Patrem qui dixit Filio faciamus, et Filium vocantem eos, super quos Spiritum S. præparaverat, et quidem consubstantiales, cum Filium Dominum seu Deum vocet subsistentem in sinu Patris, et Spiritum S. præparatum, seu missum a Filio. Anterior Justino est Hermas, qui dicit ***Filium Dei omni creatura antiquiorem esse, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam*** [7]), et

1) De auctore hujus dialogi magna est inter eruditos controversia. Sunt enim qui Luciano anteriorem faciunt; alii protrahunt usque ad ætatem Juliani imperatoris, futilibus, ut nobis videtur, conjecturis, ducti ut Gesnerus in diss. mox citanda. Alii volunt esse ipsum Lucianum. Cfr. *Dissertat. Matthiæ de ætate et auctore dialogi Lucianæi, qui philopatris inscribitur* ad calcem vol. 3. *opp. Luciani edit. Joan. Frid. Reitzii Amstel.* 1743.

2) Ethnico homini hæc permittenda et irrisori christianorum. Cæterum catholici non dicunt *tria* sed *tres*.

3) *Ὑψιμέδοντα θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.* n. 12.

Alia testimonia judæorum et ethnicorum cfr. apud Maran. lib. 2. cap. 2.

4) Ita quidem auctor platonismi retecti Steph. Curcellæus in *quatern. diss.* Clericus *op. cit.* aliique passim sociniani, quibus assentiuntur rationalistæ ut Wegsch. §. 88.

5) C. V. Cfr. de hoc testimonio Georg. Bull. *defensio fidei nicænæ* sect. I. cap. 2. §. 2. vol. I. fol. *Lond.* 1703 cum *annotatis Joan. Ern. Grabe*, ubi plura alia ex eadem epist. in rem nostram testimonia proferuntur.

6) Cap. 19. Sic in gr. textu hæc verba sonat: *ὅτι ἦλθεν οὐκ ἐπὶ πρόσωπον καλέσαι, ἀλλ' οὓς τὸ πνεῦμα ἡτοίμασε.* In nonnullis enim hujus epistolæ partibus originalis textus desideratur, nec superest nisi versio.

7) Lib. 3. simil. 9. cap. 12. in *bibl. pp. Gall.* tom. 1.

paulo infra meminit Spiritus S subdens *qui crediderunt Deo per Filium ejus induti sunt Spiritum hunc* [1]). Anteivit Justinum S. Clemens Rom. qui *vivit*, inquit, ***Deus et Dominus J. C. et Spiritus S.*** [2]) tum *beatus vir*, *qui cognoscit Patris donum per processionem sanctissimi Spiritus* [3]) qui rursum in ep. I. ad Cor. cap. II, meminit passionis Dei et effusionis Spiritus Sancti. Præcessit S. Justinum Polycarpus, cujus superius luculentissimum testimonium de SS. Trinitate posuimus; præcessit S. Ignatius M., qui in ep. ad magnesianos scribit: ***studete igitur ut confirmemini in dogmatibus Domini et apostolorum . . . in Filio et Patre et Spiritu Sancto*** [4]) et rursum ***Subjecti estote episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et apostoli Christo et Patri et Spiritui*** [5]). Anteriora sunt S. Justino acta martyrii ipsius S. Ignatii, quæ clauduntur hac ratione, ***cursum perfecit*** (Ignatius) ***in Christo Jesu D. N. per quem et cum quo Patri gloria et potentia cum Sancto Spiritu in sæcula. Amen*** [6]), quibus profecto non poterat clarius dogma adstrui SS. Trinitatis.

111. His accedit auctor carminum sybillinorum, quæ citantur a S. Justino. Porro vetustissimus ille scriptor lib. VII hæc habet

„Potens genitus est Verbum Patri, et Spiritu Sancto
Carnem indutus, cito evolavit in Patris domos [7])."

112. Demum cæteris omissis quod impudentiam unitariorum frangit, ipse est S. Justinus, qui de se referens, quod a sene presbytero cui acceptam refert conversionem suam, didicerit Spiritum Sanctum regiam mentem esse, qua anima humana non exornata Deum videre non potest: tum Christum verum et æternum esse Dei Filium a prophetis denuntiatum una cum Patre invocandum [8]).

113. VII. Demum testes hujus veritatis vel inviti sunt ipsi unitarii ac rationalistæ sua ipsa agendi ratione, nam in primis nobis dant a nicœnæ synodi ætate universam ecclesiam pervasisse doctrinam de SS. Trinitate; cum autem perspicua a catholicis adducta essent documenta fidei nostræ nicœnæ synodo ante-

1) Ibid. cap. 13.

2) Apud. S. Basil. lib. *de Spir. Sancto* cap. 29. n. 72 pag. 61 tom. III. *opp. edit. Maur.*

Ζῇ ὁ Θεὸς, καὶ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριϛὸς, καὶ τὸ ἅγιον.

3) *Μακάριος ἀνὴρ ὁ γινώσκων τὴν τοῦ πατρὸς δόσιν δὶ ἐκπορεύσεως τοῦ παναγίου πνεύματος.* Inter *fragm.* in *bibl. pp. Gall.* pag. 44. tom. I.

4) Cap. 13. *Σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δογμασιν τοῦ κυρίου, καὶ τῶν ἀποϛολων ... ἐν υἱῷ καὶ πατρὶ καὶ ἐν πνευματι.*

5) Ibid. *Ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ ἀλλήλοις, ὡς Ἰησοῦς Χριϛὸς τῷ πατρὶ, κατὰ σάρκα, καὶ οἱ ἀποϛολοι τῷ Χριϛῷ καὶ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πνεύματι.*

6) Cap. 7. *Τελειώσαντι δρόμον ἐν Χριϛῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δὶ οὐ καὶ μεθ' οὐ τῷ πατρὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς αἰῶνας. Ἀμήν.*

7) *Αὐθέντης γένετο λόγῳ πατρὸς* (vel ut corrigit Maran *γεννᾶτο λόγος πατρὶ*) *πνεύματι δ' ἁγίῳ Σῶματιε δυσάμενος ταχὺς ἔπτατο πατρὸς εἰς οἴκους.*

Plura alia *ibid.* vid. testimonia quæ in eandem doctrinam conspirant, lib. 2. cap. I. §. 5.

8) V. *Dial. cum. Triph.* a n. 4. ad 7.

riora, se receperunt ad Justinum M., eumque primum hujus dogmatis auctorem ex præconcepto platonismo affirmarunt; cum tamen adhuc luculenta sint documenta Justino antiquiora, recurrerunt ad nescio quam Trinitatem ab ebionitis allegorice excogitatam: sed neque hic consistere potuerunt, opponentibus catholicis documenta virorum apostolicorum, qui maxime ebionitas exagitarunt; tandem deposita larva tradere non erubuerunt apostolum Joannem, aliosque scriptores sacros ex Platone vel saltem ex hebraica cabalistica doctrina didicisse dogma istud, ac præconceptas opiniones suas Christi effatis affinxisse [1]). Ergo nobis dant ab apostolis usque ad Justinum M., a Justino usque ad nicœnam synodum, a nicœna synodo usque ad nos profluxisse doctrinam de una divina essentia ac Trinitate personarum, nunc restat inquirendum an socinianorum ac rationalistarum commentis majorem fidem adhibere debeamus quam universæ ecclesiæ, quam toti antiquitati sacræ et profanæ, juxta dicta, quam ipsis apostolis et evangelistis. Ferant ipsi sententiam.

DIFFICULTATES.

114. I. *Obj.* 1° Patribus apostolicis, qui quidem sicut plerique prioris ævi christiani Deum Patrem, Filium et Spiritum S. profitebantur, dogma illud de Trinitate plane ignotum fuit. 2° Sed jam inde ab ipsis rei christianæ primordiis alii Jesum pro

1) Ne hæc exaggerata atque amplificata videantur, proferam ex iis nonnulla testimonia ex quibus perversa istorum rationalistarum sentiendi ratio omnibus palam fiat. Sic igitur scribit Wegsch. §. 83. „Joannes quidem postquam alexandrinorum judæorum quibusdam philosophematibus, quorum vestiga in ipso V. T. atque apocryphis extant, imbutus erat, magistri summe admirandi virtutem ex oculis sublatam sublimioribus phantasiæ imaginibus sic exornavit etc."

Huic præiverat Paulusius *comment.* 4 pag. 8 et seqq. Eichhorn. *Einleit. in das N. T.* seu *introd. in lib. N. T.* II. 158 et seqq. Bertold. 1. *Christologia judæorum* 104 et seqq. et Kuinoel in *comment. in lib. N. T.* hist. III. 63 et seqq., quibus ideæ *λόγον* a Philone et ab Joanne adumbratæ, si non plane easdem, simillimas tamen, substratas fuisse notiones, ex eodemque V. T. et librorum apocryphorum fonte profectas plurimis jam probatum est.

Rursum Wegsch. 85 „Luce clarius patescit scriptores sacros sancta quadam magistri reverentia commotos esse ut ad summam ejus virtutem atque excellentiam commendandam ex judæorum et alexandrinorum et palestinensium de virtutibus seu viribus quibusdam divinis sub personarum specie cogitatis . . . in Jesum transferrent, quæque pro suo quisque ingenii scientiæ et phantasiæ modulo aptissima duxisset etc." Sic Baumgarten-Crusius *Bibl. Theol.* pag. 382. inquit: „Diversitas notionis seu ideæ (quæ nempe in apostolis reperitur) dum tamen eadem in ipsis viguerit persuasio excellentiæ Christi, jam ostendit, apostolos nec intendisse, nec potestate fuisse donatos hac in re dogma aliquod proponendi."

Dum hæc leguntur in profanis istis hominibus statim mentem subeunt, quæ S. Irenæus lib. 3. *cont. Hæres.* cap. 12. de antiquis hæreticis scribit, quæ apprime quadrant in hæreticos nostri temporis; siquidem idem spiritus omnium hæreticorum est, ac præsertim in eos quos recensuimus rationalistas" putaverunt, inquit, semetipsos plus invenisse, quam apostoli... et apostolos quidem *adhuc quæ sunt judæorum* sententes annuntiasse evangelium, se autem sinceriores et prudentiores apostolis esse."

homine tantum eximio habuere, quorum in numero sunt ebionitæ, eosque secuti Theodotus Byzantius et Artemon; alii docetismum præ se ferentes (cf. Joan. IV, 2. II. Joan. 7.), uti gnostici, qui ad cabalistarum de *emanatione* quadam virium divinarum sententias accessissent, æonem scilicet vim quandam, quæ a divina natura promanasset, cum Jesu conjunctam fuisse, statuere [1]). Ergo.

115. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Ignota erat *terminologia* hujus dogmatis, *trans.* dogma ipsum, ***neg.*** Voces ***naturæ***, ***personæ***, ***Trinitatis*** etc. serius fortasse inductæ sunt, quod non abnuimus; neque adhibitæ ab ecclesia, neque in usum adscitæ a patribus, nisi cogentibus hæreticis, qui confusione verborum summopere delectantur ad facilius proprias novitates ac impietates propinandas; ast ex hoc inferre non licet incognitum fuisse dogma ipsum, eo ipso, quod ut adversarius fatetur, patres apostolici ac plerique prioris ævi christiani professi fuerint Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quos certum est ut Deum habuisse, et distinxisse tamen Filium a Patre, et Spiritum Sanctum ab utroque, quin divinitatem multiplicarent, in hoc vero præcise dogma consistit. Ex ignoratione autem terminorum, seu vocum concludere ignorationem rei perinde esset ac concludere quempiam ignorare existentiam Petri, e. g. ac Pauli eo quod eorum nomina ignoret. En dialecticam rationalistarum, qui apicem sapientiæ attigerunt, respectu quorum cæteri omnes plebs ac populus sunt [2]).

116. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Et ideo quia recederent a recepta ecclesiæ fide damnati sunt et ab ecclesia expulsi, *conc.* quasi dubia esset vera ecclesiæ fides, ***neg.*** Eadem nempe ratione, qua nefas est inferre incertum in ecclesia esse, num adulteria aliaque infanda facinora honesta sint nec ne, eo quod aliqui methodistæ et fanatici negaverint esse inhonesta. Talis porro est inductio adversarii nostri. Addo præterea memoratos hæreticos non errasse directe contra Trinitatis dogma sed potius contra divinitatem Christi Jesu, eo quod negarent Filium Dei assumpsisse in unitate personæ humanitatem, nec ei fuisse conjunctum nisi in baptismate, vel quacumque alia ratione sua commenta exponerent, ut patet ex patribus, qui eos impugna-

1) Ita Wegsch. §. 88.

2) Apposite S. August. lib. 7. *de Trin.* cap. 4. n. 7. „Loquendi causa, inquit, de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris græcis una essentia, tres subsistentiæ: a latinis autem una essentia, vel substantia, tres personæ... et dum intelligatur saltem in ænigmate, quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quæreretur, quid tria sint, quæ tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium et Spiritum Sanctum, quod est donum Dei nec Patrem dicit esse nec Filium" et n. 9. „Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate parta hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversum insidias vel errores hæreticorum?" Quod quidem ibidem pluribus exemplis confirmat, et rursum cap. 6. n. 11.

runt [1]), et nos exposuimus in probationibus; neque adversarius diffitetur, ut ex allatis ejus verbis non obscure deprehenditur, etsi illorum theoriam non satis apte ac fideliter exponat [2]).

117. II. *Obj.* 1° Sententia vindicans Filio et Spiritui S. hypostasin, qui tamen Patri subessent, præeuntibus Justino M. et Theophilo antiocheno, qui verbum seu λόγος ἐνδιάθετον προφορικόν (*immanens* et *prolatitium*) distinguit, Irenæo, Clementi Alex. doctrinæ de *emanatione* Verbi et Spiritus Sancti auctore prævaluit. 2° Hæc namque duæ sententiæ præcipue ævo ante-nicœno per ecclesiam maxime propagatæ cernuntur. Doctrina autem de Trinitate hypostaseon a Tertulliano potissimum amplificata atque exornata est et ab Origene, qui notionem generationis æternæ proposuit, itemque a Dionysio, episcopo romano, qui consubstantialitatem Filii, scilicet substantiam Filii eandem esse cum substantia Patris, ejusque subsistentiam in Patre defendisse, proximeque ad sententiam formulæ orthodoxæ postea definitæ accessisse perhibetur [3]). 3° Cæterum formulam hanc publice receptam neque scriptores sacri diserte tradiderunt, neque ecclesiæ doctores affinxerunt ante sæculi III exitum, 4° quo quidem tempore ad *paganismi* errores suscipiendos procliviorem fuisse ecclesiam constat [4]). Ergo.

118. ***Resp.*** ***Ad*** 1m, ***Neg.*** Hoc est gratuitum mendacium. Nos contrarium ostendimus in probationibus, quas ab ætate apostolica deduximus usque ad S. Justinum et Theophilum [5]). Restat propterea explicandum adversariis, qui factum fuerit ut nemo catholicorum restiterit Justino et Theophilo, restiterint

1) Cfr. Petav. lib. 7. *de Incarnatione* capp. 2. et 3.

2) Cfr. Maran *op. cit.* lib. 2 a cap. 7 ad cap. 13, ubi fuse ostendit sectas omnes totidem testes esse receptæ in universa ecclesia catholica fidei de mysterio SS. Trinitatis.

3) Wegsch. loc. cit.

4) Ibid. §. 97.

5) Placet ad pleniorem rationalistarum confutationem verba hic subjicere quibus S. Irenæus testatur doctrinam Trinitatis ab universa ecclesia receptam sæc. eccl. II et III ab apostolis" etenim, inquit, lib. I cap. 10 ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa fidem eam ab apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, . . et in unum Jesum Christum Filium Dei nostræ salutis causa incarnatum et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas Dei dispensationes, et adventus prædicavit... Hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum prædiximus ecclesia; et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter hæc prædicat et docet, et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hac, quæ in Germania sunt fundatæ, neque hæ, quæ in Hiberis, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi constitutæ (Hierosolymitana scilicet aliæque in Palestina constitutæ juxta veterem christianorum opinionem): sed sicut sol creatura Dei, in universo mundo unus et idem est; sic prædicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire." Sic contra veteres hæreticos Irenæus.

autem Praxeæ, Noëto, Sabellio, Paulo samosateno, et Beryllo bostrensi personas confundentibus. Nos facile id explicamus, quia nempe primi tradiderint doctrinam in ecclesia receptam, alii innovaverint.

119. Irenæus autem, Clemens Alex. ac Tertullianus ideo clarius et novis formulis expresserunt vetus dogma, eo quod impugnaverint novatores ejusdem dogmatis hostes, ut fit. Idem dicatur de Dionysio romano, qui se se opposuit Paulo samosateno eumque damnavit; prout jam damnatus fuerat a synodo alexandrina, aliisque duabus synodis antiochenis adversus illius impietates ac novitates coactis [1]).

120. *Ad* 2m, *Neg.* doctrinam, seu sententiam patripassianorum unquam *per ecclesiam* propagatam cerni. Vix exorta est ac vix innotuit hæc hæresis, ut undique contra ipsam conclamatum sit. Et en fraudem delicati nostri rationalistæ qui in eodem censu collocat doctrinam catholicam, et doctrinam illorum nebulonum, quasi eadem utriusque ratio fuerit.

121. *Ad* 3m, *Dist.* Scriptores sacri formulam Trinitatis diserte non tradiderunt, neque ecclesiæ doctores affinxerunt ante sæculi III exitum quoad sonum materialem; si sermo sit de scriptoribus sacris, *conc.* si de ecclesiæ doctoribus, *trans.* [2]); non tradiderunt rem postea formula illa expressam, *neg.* Controversia autem non est de verbis, nec verba materialiter in se spectata sunt objectum fidei nostræ, sed res per verba expressa, dum igitur constat de re et sensu, quid refert si formula serius inducta fuerit?

122. *Ad* 4m, *Neg. suppositum.* Ridiculum sane est dicere ecclesiam procliviorem fuisse ad paganismi errores suscipiendos sub finem sæc. III quando innumeri ex ipsius filiis ne se contaminarent paganismi erroribus inter acerbissimos cruciatus sanguinem et vitam profundebant [3]). Ridiculum præterea est ex

1). Vid. *collect. conc. apud Labb.* tom. I. col. 827 tum col. 831 832.

2) Transmisimus quod dicitur de voce *Trinitatis* non ante sæc. III usurpata. Verum quidem est hanc vocem primum occurrere apud Theophilum Antioch. sæc. III scriptorem; sed non inde inferri potest vel debet hanc vocem illum omnium primum induxisse, eo magis quod ipse non ut novam proferat, sed tanquam usu receptam ac tritam. Ex hoc ad summum deduci posset primum documentum in quo hæc vox occurrit, pertinere ad sæc. III dixi *ad summum.* Nemo enim est qui nesciat hanc vocem occurrere in actis *S. Andreæ apostoli* conscriptis, ut præfertur, a presbyteris Achajæ sæc. I et II in his vero cap. I legitur „Pax vobis et omnibus, qui credunt in unum Deum perfectum *in Trinitate* verum Patrem qui genuit verum Filium unigenitum, verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et in Filio permanentem εἰρήνη ὑμῖν καὶ πᾶσιν τοῖς πιςεύουσιν εἰς ἕνα Θεὸν τέλειον ἐν Τριάδι, ἀληθῆ πατέρα, γεννήτορα, ἀληθῆ υἱὸν μονογενῆ, ἀληθὲς πνεῦμα ἅγιον ἐκπορευόμενον ἐκ πατρὸς, καὶ ἐν υἱῷ διάμενον. Haud ignoro ejusmodi acta passim rejici ab eruditis tanquam suppositiia, verum et illud scio ab aliis eruditis adhuc ut sincera defendi, nec solum a catholicis sed et ab ipsis protestantibus Cfr. Galland. *bibl. pp.* tom. I. *proleg.* cap. 4. illud certum est esse monumentum antiquissimum pertingens saltem ad sæc. IV.

3) Spectat huc quod Faustus manichæus objiciebat catholicis, eos vertisse idola gentium in martyres, quos vo-

eo, quod nova formula introducta fuerit ad rem antiquam magis determinate exprimendam concludere id factum esse ex proclivitate ad errores paganismi. Hoc est transire de genere in genus.

123. III. *Obj.* Incognitum ecclesiæ primordiis nedum formulam, sed et dogma ipsum Trinitatis plura sunt, quæ suadeant. Nam 1° Tertullianus sæculo II exeunte de Dei Trinitate quandam doctrinam plurimis novam et heterodoxam visam esse profitetur lib. I, adver. Prax. cap. 3, „simplices quique, scribit, ne dixerim imprudentes, et idiotæ, quæ *major* semper *credentium pars est* quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis sæculi ad unicum et verum Deum transfert . . . expavescunt ad *œconomiam*, numerum, et dispositionem Trinitatis . . . itaque duos et tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt." Hinc 2° factum est, ut alii Verbum ipsam Dei *rationem* dixerunt, seu sapientiam in ipso existentem ut Athenagoras in *legatione pro christianis*, Tatianus in *oratione contra græcos*, et Theophilus antioch. lib. II ad Autolycum 4; 3° nec nisi paulatim de Christi, seu Verbi natura subtilius quæri cœptum est, rarius vero de Spiritu Sancto, 4° quem *plurimi* aut vim divinam, aut hypostasin judicabant, a Filioque Dei non satis distinguebant, ut in primis Hermas simil. ver. 4 seqq. Justinus M. apol. 1, n. 36. Theophilus loc. cit. pag. 335. Lactantius instit. div. I. lib. IV 6-9. coll. Hieronym. epp. 49 et 65. Quod si Origenes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres singulares censet esse hypostases, monet tamen opportune Guericke [1]. diversæ eas posuisse dignitatis, ejusdem vero naturæ divinæ. Hanc autem naturæ unitatem *innuit* tantum, in primis de Spiritu Sancto obscurius. Quare veram *præcationem* (προσευχήν) Christo non deberi ipse Origenes fusius docet lib. de oratione. Ergo [2].

124. ***Resp. Neg. antec.*** Nos enim contrarium ostendimus. *Ad* 1m, *itaque prob. Dist.* doctrina de Trinitate nova visa est, et heterodoxa plurimis *hæreticis*, *conc.* catholicis, *neg.* Præfatus enim est Tertullianus cap. II doctrinam catholicam de Trinitate ex scriptura et traditione præscribere novitatibus hæreticorum, et loc. cit. affert argumenta patripassianorum, qui ea ratione dicebant novam esse de Trinitate doctrinam, qua postea protestantes novam dixerunt ecclesiæ catholicæ doctrinam de septem sacramentis, de necessitate bonorum operum, cæterorumque articulorum, quos ipsi utpote *emendatores sacrorum* sustulerunt [3]. Una semper eademque extitit vafrities hæreticorum.

tis similibus colerent. Sed de hac accusatione, ex qua luculenter patet antiquitas cultus sanctorum in ecclesia catholica nempe sæc. III. suo loco agemus.

1) *De scholæ alexandrinæ catecheticæ theologia Hal.* 1825. pag. 211.

2) Sic Wegsch. §. 88 *n. a.*

3) Sic enim loquitur Tertull. cap. 2. *adv. Prax.* „A Patre Spiritum Sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio

Et hic novum habetur specimen candoris rationalistarum in auctoritatibus quas proferunt.

125. *Ad* 2m, *Dist.* Rationem dixerunt Dei at hypostaticam et subsistentem in Patre, *conc.* absque hypostasi propria, *neg.* Nam ipse Tertullianus in lib. cit. λόγον vocat rationem Patris, sed præcise adnotat a Patre distingui, etsi natura idem sit cum Patre; nec alio sensu loquuntur Athenagoras, Tatianus, et Theophilus, alioquin non posuissent in Deo Trinitatem et expresse eam nominat Theophilus [1]).

126. *Ad* 3m, *Dist.* Propter novas insurgentes hæreses, *trans.* quasi ignorarent veram Christi seu Verbi naturam, *neg.* Nempe in clariori lumine posuerunt quod ex scriptura ac traditione, ecclesiarumque consensu acceperant. Cujus rei veritatem factum ipsum ostendit, ut enim quælibet hæresis adversus aliquod dogma prodibat in lucem, statim in illam omnes insurgebant. Cum vero serius divinitatem Spiritus Sancti directe aliqui impugnaverint, hinc nonnisi serius eadem ratione, qua factum est de divinitate Verbi seu Christi, in tuto seu in propatulo posuerunt divinitatem Spiritus Sancti, in quam universa semper credidit ecclesia, ut ex adductis documentis patet, et clarius adhuc ex dicendis manifestum fiet.

127. *Ad* 4m, *Neg.* Imo nemo unus ex patribus unquam confudit Spiritus Sancti hypostasin cum hypostasi Filii. Non inprimis Hermas, qui in objecto loco non dicit Filium Dei secundum hypostasin esse Spiritum Sanctum, sed filium fundi, cujus explicatur similitudo, declarat esse Spiritum Sanctum, servum vero,

evangelii decurrisse, etiam ante priores quosdam hæreticos ne dum ante Praxeam hesternum probabit tum ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni etc." Poterant ne rationalistæ impudentius mentiri? Ut autem magis pateat eos bona fide lectorum abuti, juvat proferre ea, quæ post citata ab advers. verba immediate Tertullianus subdit. „Se vero (hæretici qui hæc nobis opponunt) unius Dei cultores præsumunt, quasi vero non et unitas irrationaliter collecta (prout colligebatur a Praxea Sabellio eorumque asseclis, qui distinctionem personarum tollebant) hæresim faciat, et Trinitas rationaliter expensa veritatem constituat, monarchiam, inquiunt tenemus etc." Hinc pergit disputare adversus hos, quos vocat *monarchianos* et quidem *vanissimos* cap. 10 et postea semper de iisdem loquens sub finem capitis subdit „potuit (Deus) Praxeam et omnes hæreticos statim extinxisse, non tamen, quia potuit, extinxit, Oportebat enim et milvos esse et hæreticos." Sed notetur præterea rationalistarum incohærentia: paulo ante ut vidimus ex obj. n. 2 posita opponebant nonnisi sub sæculi III exitum inductam formulam Trinitatis, nunc nobis opponunt sub finem sæc. II. Tertullianum accusatum fuisse novitatis eo quod Trinitatem induxerit. Quomodo hæc inter se componantur ipsi viderint.

1) Lib. 2. *ad Autolyc.* § 15. scribens „Similiter tres illi dies, qui ante luminaria fuerunt imago sunt *Trinitatis*, Dei, ejus Verbi, ejusque sapientiæ." Ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι αἱ πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου, αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ. Et hic obiter notetur, quod infra uberius ostendemus, a veteribus Spiritum S. vocatum interdum fuisse *sapientiam*.

Trinitatis vocem post Theophilum usurpatam videmus a Dionysio alex. apud Athan. *de sent. Dionys.* tom. I. pag. 255 et apud Basilium *de Spir. Sanct.* cap. 29 opp. tom. III. pag. 61, atque a Gregorio Thaumat. eidem Dionysio coævo in *exposit. fidei* et ab Origene utroque antiquiore *comment. in Matth.* tom. XV n. 31 *edit. Maur.* tom. III pag. 698 et a Clem. Alex. qui Origene vetustior est *stromat.* lib. 5. pag. 710 *edit. Oxon.* 1715.

seu Verbum servili forma indutum esse Filium Dei [1]). Atque hoc ipso in loco Hermas distinguit tres personas, Patrem possessorem et Dominum fundi, filium cultorem fundi, et Spiritum Sanctum filii familias personam sustinentem in fundo, seu in ecclesia. Non Justinus, qui loc. cit. solum affirmat Verbo Dei movente sacros scriptores plura locutos fuisse non ex persona sua, sed ex persona vel patris, vel Christi, vel populorum etc. Passim vero Spiritum Sanctum a Verbo S. Justinus distinguit [2]). Non Lactantius siquidem Lactantius in cit capp. nec verbum nec syllabam habet de Spiritu Sancto de quo ibi non agit, sed solum de Filio Dei, quem Spiritum vocat, quia Deus spiritus est, et Verbum seu sermo aut λόγος de Patre procedit ut ibi exponit Lactantius [3]). Multo minus S. Hieronymus, qui in ep. 49 edit. maur. nihil aliud dicit nisi Deum spiritum esse, et quod spiritus ubi vult spirat; in quo nihil est quod innuat confusionem Spiritus Sancti cum persona Filii, in alio autem loco nihil pariter ad rem, cum illa sit epistola S. Augustini ad Hieronymum de alio argumento [4]). Ex his omnibus palam fit, quam infideles sint rationalistæ sub illo eruditionis velamine, et quam falsa affingant antiquis scriptoribus contra expressam illorum mentem.

128. Ad Origenem quod spectat, ipse posuit tres hypostases distinctas non *dignitate*, ut vult Guerike, sed *ordine* sive *origine*, quod omnes catholici sentiunt: nec alio sensu potuit eas hypostases distinctas ponere, eo ipso quod ejusdem eas esse naturæ et essentiæ affirmet, ipso Guerike fatente; non enim adeo rudis Origenes erat ut vellet ejusdem esse naturæ divinas hypostases, et tamen diversæ dignitatis in sensu adversariorum assereret [5]).

1) Cf. Cotelerium *pp. apost.* tom. I, pag. 105. Sed de hoc argumento iterum sermo erit, cum agemus de persona Spiritus Sancti.

2) Interim Cfr. *apol* I. n. 6, et iterum n. 13, ubi ait „quem ipsius Dei Filium esse edocti secundo loco habemus, et tertio ordine Spiritum propheticum: *Υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντος θεοῦ μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες πνευμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει* rursum ibid. n. 61 et n. 65, et alibi. En rursum sinceram agendi rationem adversariorum

3) „Deus, inquit . . . Sanctum et incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet" init. cap. 6 Judicent vero lectores num hoc sit confundere Filium cum Spiritu Sancto.

4) In *edit. Vallars* ep. 70. tempus tereremus afferendo S. Hieronymi testimonia quæ ostendant agnitam a S. doctore in Deo trium personarum distinctionem. Celebris est ipsius epistola ad Damasum in qua petit utrum unam an tres hypostases in Deo dicere deberet. Orta nempe Antiochiæ contentio erat ex ambiguitate et vario sensu vocis ὑποστάσεος, ut suo loco dicemus. De hac controversia vid. Nat. Alex. diss. 35 in sæc. IV.

5) Ad ostendendum Origenem æqualitatem divinarum personarum agnovisse satis sit in medium adducere quæ scribit tom. XII *in Matth.* de beneficio quod per Christum consequuntur qui baptizantur, „In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui quidem tres dies sunt, æternum simul existentes his, qui per eas filii sunt lucis: *Εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἅπερ τρεῖς ἡμέραι εἰσὶν ἅμα ἐνεστηκυῖαι αἰωνίως τοῖς δι' αὐτὰς υἱοῖς τοῦ φωτὸς ἀρχικὴν Τριάδα imperatricem Trinitatem.* Adorandam Trinitatem tom. VIII. *in Joan.* pag. 124 et alibi passim.

129. Sic: Origenes naturæ unitatem *innuit* tantum, *dist.* Quia res ipsi erat adversus Noëtum confundentem tres hypostases unamque asserentem, *trans.* quasi dubitaret unam esse trium personarum naturam, *neg.* Perpetuo insistebat Origenes in distinctione personarum ob hæresim tunc exortam, numquam tamen dubitavit unam trium personarum naturam esse; sic inter cætera scribit Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unam esse nubem, quæ justos obumbrat *Quænam*, inquit, *lucida ea nubes et justos obumbrans? An paterna forte virtus est, a qua Patris vox exit? . . . Forsitan vero et Spiritus Sanctus nubes lucida est? . . Quin et audacter Salvatorem nostrum lucidam esse nubem pronuntiabo . . . lucida quippe Patris et Filii et Spiritus Sancti nubes veros Jesu discipulos obumbrat* [1].

130. Item: veram *præcationem* etc. *Dist.* Quatenus contendebat fideles debere in precibus suis conformari praxi ecclesiæ, *conc.* quatenus in Christo veram non agnoverit divinitatem, *neg.* ecclesia enim consuevit tum in publica liturgia, tum in aliis publicis precibus orationem, et sacrificium offerre Patri ut fonti totius divinitatis per pontificem summum animarum nostrarum ac mediatorem Christum. Hoc ipsum contendit Origenes, præstandum esse a fidelibus omnibus ad servandam uniformitatem. Cæterum cum ibidem doceat Origenes fieri Filio *obsecrationem, postulationes* et *gratiarum actiones*, quæ profecto uni Deo debentur, patet quænam fuerit ejus mens [2].

PROPOSITIO IV.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis rectæ rationi adversari nullo modo ostendi potest.

131. Hanc propositionem adstruimus tum adversus incredulos, tum adversus socinianos et rationalistas, qui cum illis causam communem faciunt, et eo nervos omnes intendunt, ut evincant Trinitatis dogma repugnantiam involvere, ideoque rectæ rationi adversari. Ast perperam. Quod sic evincimus.

132. I. Indirecte: Ex dictis certum est dogma Trinitatis a Deo revelatum esse. Ergo, concludimus, impossibile est, ut rectæ rationi adversetur. Deus enim sibi adversari non potest, nec proinde tradere per revelationem contrarium ei quod nos docet per rationem, cum utriusque auctor sit.

133. II. Directe: Nullam possunt adversarii evincere repugnantiam in dogmate Trinitatis nisi ostendant unitati essentiæ

1) Tom. VII. *in Matth*, n. 42. *Φωτεινὴ γὰρ πατρὸς υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νεφελὴ ἐπισκιάζει τοὺς γνησίους Ἰησοῦ μαθητάς*. Cfr. etiam tom. VIII. *in Joan.* pag. 138 *Hom.* XVIII. *in Jerem.* n. 9.

2) Cfr. Maran op. cit. lib. 4. cap. 16. n. 8. Verum de hoc argumento iterum instruetur sermo ex occasione canonis cujusdam africani, qui pariter objicitur.

repugnare distinctos existendi modos, cujusmodi esse diximus divinas hypostases seu personas. Atqui hoc numquam ostendere potuerunt: 1° quia ipsi adæquatam divinæ essentiæ ideam non habent, neque adæquatam ideam modorum seu personalitatum, quæ afficiunt divinam essentiam; cum autem repugnantia ostendi non possit nisi per comparationem duarum idearum, quæ sese invicem excludant e. g. circuli et quadrati, ergo. 2° Quia ipsi judicium ferre non possunt nisi de iis, quæ subsunt naturali rationi; atqui dogma SS. Trinitatis est supra naturalem rationem; ergo impossibile unitariis est ostendere mysterium SS. Trinitatis rectæ rationi aliquo modo adversari.

DIFFICULTATES.

134. *Obj.* 1° Dogmate Trinitatis ad sanæ rationis principia revocato, neminem fugit *primum* omnem in Deo pluralitatem rationi aperte repugnare, 2° *deinde* quamlibet Trinitatis explicationem philosophicam, 3° sive unum subjectum et triplicem ejus rationem aut operationem, sive tria subjecta intelligendi et volendi (cf. Matth. XXVI 39) facultate prædita defendat, 4° necessario abire vel in *sabellianismi (modalismi)*, vel in *tritheismi* aut *arianismi* decreta, ab ecclesiis olim damnata. 5° Semina propterea varia hujus dogmatis, quæ in libris sacris reperiuntur, explicari debent *partim* e philosophematibus quibusdam judaicis et platonicis, quæ quidem ævi incultioris indolem redolentia jam ante religionis christianæ originem divulgata erant; 6° *partim* ex pio quodam in magistrum divinum reverentiæ sensu, quo imbuti sacri scriptores Jesu ipsius de messiana sua dignitate sententias exornarunt et amplificarunt [1]) Ergo.

135. *Ad* 1^m^, *Dist.* Neminem fugit omnem in Deo pluralitatem rationi aperte repugnare in divina natura vel essentia, *conc.* in personis, *neg.* Hoc postremum ostendere deberent adversarii, quod tamen non præstant, sed mera assertione contenti sunt [2]). Monotheismus, non obstante dogmate Trinitatis, semper fuit doctrinæ christianæ fundamentum.

136. *Ad* 2^m^, *Neg.* suppositum de explicatione philosophica, quæ locum nullum habet in hoc dogmate, in quo non agitur nisi de sola fide, qua credere jubemur tres distingui personas subsistentes in eadem numerica essentia divina. Explicatio philosophica non adsciscitur nisi ad ostendendam in dogmate nullam inveniri repugnantiam [3]).

137. *Ad* 3^m^, *Dist.* Si pro subjecto venit essentia divina, utique unum est, cujus una naturalis est operatio, voluntas etc.

1) Wegsch. §. 92 et 98.
2) Sane adversarius quem impugnamus, ut evincat hanc inesse apertam repugnantiam cum sana ratione remittit ad ea, quæ scripsit §. 59 at illic nec verbum quidem habet ad ejusmodi repugnantiam adstruendam. Hac ratione abutitur lectoris credulitate.
3) Recolantur superius dicta c. 2.

et triplex seu potius trina ratio subsistendi; sin vero pro subjecto veniant personæ, tunc tria subjecta in Deo inesse dicimus, et in quolibet eorum propriam esse personalem intellectionem et volitionem, quæ *notionales* etiam dicuntur. Locus autem citatus ex Matth. XXVI 39 ***Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut Ego volo, sed sicut tu***, solum evincit duas esse in Christo voluntates divinam et humanam pro utraque ipsius natura.

138. *Ad* 4m, *Neg.* Ecclesia enim catholica, quæ semper professa est dogma Trinitatis neque in *sabellianismi* aut *modalismi* neque in *tritheismi* aut *arianismi* decreta abivit, sed et antiquitus et nunc etiam ejusmodi decreta damnavit ac damnat. Quin potius dogma catholicum de Trinitate est sola ratio, qua possimus illis scopulis non impingi 1).

139. *Ad* 5m, *Neg.* Sed ex doctrina ipsius Christi ejusque sensu traditionali, qualis semper in ecclesia viguit, *semina* illa explicari debent, si tamen semina et non potius expressæ et apertæ sententiæ vocandæ sunt. Neque patres neque ecclesia, multo minus scriptores sacri quidpiam e philosophematibus judaicis aut platonicis mutuati sunt. Non est satis hæc affirmare, sed præterea ostendere factum istud deberent rationalistæ ad efficiendum quod intendunt, nec tamen probant. Contra vero, hæc tria explorata sunt 1° non aliunde veteres hæreses circa hoc mysterium ortas esse, quam ex eo quod voluerint earum auctores ad philosophorum placita revocare simplicitatem fidei 2); 2° ve-

1) Cons. Petav. *de Deo* lib. 2 capp. 3 et 4. in quo posteriori capite §. 8 et seqq. illustrat nonnullorum patrum doctrinam, qua ex distinctione divinarum personarum iidem deducunt summam Dei simplicitatem, ut Deus non esset summe simplex nisi tres realiter in eo distinguerentur personæ.

2) Cfr. Petav. *de Trin.* lib. I. cap. 1. 2. ac rursum cap. 8., ubi fuse ostendit nihil plane habere commune Platonis doctrinam in illa fucata Trinitate, quam insinuat, cum dogmate christianæ religionis, ac toto cœlo differre; quinimo merito adstruit omnes errores qui circa dogma Trinitatis in ecclesia profluxerunt, ex Platonis et Aristotelis commentis profluxisse, quibus magis addicti erant illi hæretici, quam doctrinæ a Christo traditæ.

Id ipsum præstitit Domnus Prud. Maran in *præf. editioni opp S. Justini* p. I. c. I., ubi ostendit nec Platonem, neque ejus discipulos quidpiam de Verbo Dei Filio suspicatos fuisse. Cfr. etiam *de Div. etc.* lib. 4. c. I. §. 8. frustra Cudworth *syst. intell.* c. 4. §. 36, nititur vindicare Platoni germanam de Trinitate sententiam. Quoniam vero incidimus in Trinitatem platonicam, juvat observare, adversarios nostros, qui neque in scripturis neque in primæva traditione inveniunt dogma de Trinitate, idem postea offendere fere penes omnes populos; sane Ammon *Bibl. theol.* I. p. 160 ejusdem semina antiquis populis haud ignota esse perhibet; Pfanner *syst. theol. gent.* cap. 3. fuse disserit in Trinitate ægyptiorum, perinde ac Jablonsky in *Pantheo ægypt.* Sic Vogel *Über die Religion der alten Aegypter* etc. seu *de religione veterum ægyptiorum et græcorum Norimber.* 1793. De Trinitate indorum scripsit Anquetil du Perron *Oupnekat*, hoc est, *decretum legendum* 2. vol, *Arg.* 1801. tom. I pag. 8. et seq. Sic pariter Schlegel *Weisheit der Indier* seu *sapientia indorum* p. 108. Meyer *Brahma, od. die etc.* Id est *Brahma, seu religio indorum* prouti est brahmaismus *Lips.* 1818 pag. 37 de Trinitate platonica vidimus egisse Cudworth *loc. cit.* Scripserunt præterea Tiedemann *Geist der speculat. etc.* seu *Spiritus speculativæ philosophiæ* cap. 2 pag. 118 et seqq. Tennemann *Über die göttl. etc.* seu *de divina mente ex platonica philosophia* in *Paulus memorabil.* p. I. Wundemann *Gesch. d. Christl.*

teres patres, qui passim platonismi ab adversariis nostris accusantur, summopere abhorruisse in rebus fidei ab illis placitis [1]; 3° doctrinam de Trinitate eos constanter ex traditione divina repetere in sacris literis fundata [2].

140. *Ad* 6^{m}, *Neg.* Hæc pariter gratuita assertio est, imo et blasphema atque injuriosa sacrorum scriptorum veracitati, quasi nempe ipsi voluerint omnes in gravissimum errorem et idololatriam inducere ob pium suum affectum erga Christi personam. Hoc tamen lucri habemus ex hac adversariorum confessione, doctrinam Trinitatis in scripturis contineri, quibus tamen ipsi fidem adhibere detrectant, licet profiteantur scripturas assumere tanquam unicam fidei regulam, ut indulgeant privato suo sensui. Videant hic protestantes, quo ducat ipsorum principium fundamentale.

etc., id est, *historia christianarum fidei doctrinarum etc.* I. 186 et seqq. — de Trinitate cabalistarum scripsit Eichhorn *bibl. biblicæ literat.* I.I. pag. 2. Hallenberg *secreta doctrina veterum orient. et hebræorum Lips.* 1805 pag. 93 et seqq et. 165 et seqq. Wundemann vero lib. I. 194 et seqq. et Stahl apud Eichhorn *bibl. bibl. litt.* IV. 814 et seqq. scripserunt super origine, quam (juxta ipsos) christianum de Trinitate dogma e Philonis de *Θεῷ λόγῳ καὶ πνεύματι θείῳ* (seu *de Deo, Verbo et Spiritu Divino)*, doctrina, duxerit.

Plura alia de Trinitate quam quidam visi sunt sibi deprehendere apud ethnicos, vid. apud Joan. Albertum Fabricium *bibliographiam antiquariam* cap. 8 n. 10. pag. 8. n 10. pag. 337 *edit. tert. Hamburg.* 1760.

Cæterum Cl. Dr. Joan, A Möhler in op. *Athanasius der grosse etc.* seu *Athanasius M. et ecclesia sui temporis etc. Mogunt.* 1827 pag. 56 et seqq.; præclare observat I. distinguendam esse fidem ecclesiæ circa Trinitatem ab explicationibus individuorum: fides est a scriptura et traditione et in eam omnes unanimiter conveniunt. Quomodo vero fides componatur cum rationis ideis, id non spectat ad ecclesiæ fidem. Discrepantia opinionum imo et errores individuorum in hac concordia instituenda non officiunt fidei. Si apologetæ christianæ religionis fidem in Trinitatem vel divinitatem filii invexissent, ipsimet sibi creassent difficultatem adversus religionis fidem, quam defendendam susceperant. Nemo vero, qui alicui causæ patrocinetur, eandem sibi difficiliorem efficit. Si igitur tuebantur divinitatem Christi, ideo est, quia hanc fidem invenerunt.

2. Distinguendam fidem Trinitatis ab animi notione seu mentis conceptu de eadem. Illa semper firma et inconcussa manet, at si obscurus sit mentis conceptus circa eandem, oriuntur obscuritates in ejus expressione ac vacillatio. Hic conceptus evolvi adhuc debebat, et ad hoc opus erat contradictione hæretica, et sane ex hæretica contradictione ejusdem fidei notio seu conceptus evasit magis firmus et determinatus.

3. Ad has dilucidationes speculativas specialim quod attinet, patres, juxta ipsum, interdum seduci passi sunt ab ideis platonicis. Sibi visi sunt aliquam mysterii Trinitatis dilucidationem deprehendisse in ideis platonicis, etsi obscuriosa sint, quæ Plato de his protulit ipso dogmate christiano, adeo ut dissenserint ipsi platonici in magistri mente exponenda (Petav. *de Trinit.* lib. I. cap. I.) Quod innocenter a patribus factum esse quisque fatebitur, qui recordetur non ita pridem gravissimos theologos gavisos esse philosophia naturali ac gloriatos se in ejus nonnullis considerationibus invenisse argumenta evidentissima Trinitatis, incarnationis etc. Male tamen quispiam contenderet universam ecclesiam catholicam fuisse philosophiæ naturali innixam. Ejusmodi ideæ in paucis inveniebantur, et ecclesia ipsis extranea omnino erat, id ipsum dicatur de patrum ætate. Ecclesia profitebatur in simplicitate ac fide redemptorem ut Deum, ac beata erat in hac fide. Quod sane patet ex confessione martyrum. Hinc patrum sensus in hac parte erat individualis. Hæc discussio respectu catholici exhibet quidem valorem *historicum* non autem *ecclesiasticum.* Eo magis quod ipsorum discrepantia in ejusmodi conceptu, Irenæo teste, molestiam ipsa ætate sua ingesserit.

1) Cfr. Baltus *défense des saints pères etc.* liv. 2 et 3.

2) V. Petav. in *præf. ad lib. de Trinit.*

141. I. *Inst.* 1° Axioma philosophicum est: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Huic vero principio directe opponitur mysterium Trinitatis: etenim Deus et persona realiter inter se minime distinguuntur; ergo si unaquæque persona idem est cum natura divina, divinæ personæ eædem erunt inter se. 2° Hinc sic licet argumentari ex illo axiomate: Pater est Deus, Filius est Deus, ergo Pater est Filius, et vicissim, et en nos in *sabellianismum.* 3° Quod si dicatur personas realiter distingui inter se, concludi pariter debet jam realiter distingui divinam naturam, ut patet ex ipsa personæ definitione tradita a Boëtio et ab omnibus theologis admissa, quæ est *rationalis naturæ individua substantia* 4° itaque, qua ratione valet hæc inductio: Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina: ergo tres sunt personæ divinæ, eadem ratione valet et ista: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: ergo sunt tres Dii; 5° imo et alia non minus absurda: Deus est trinus in persona: atqui quælibet persona divina est Deus, ergo quælibet persona divina trina est in personis. 6° Confirmatur ex eo, quod nomen personæ in se substantiam includit; ergo multiplicatis personis multiplicatur divina substantia, et en nos in *tritheismum* delapsos. 7° Restat igitur ut unicam admittamus in Deo personam, prout unicam in ipso agnoscimus naturam, quod exprimit ipsa vox et notio Dei, quæ indicat naturam subsistentem, ideoque personam unicam et singularem, 8° utpote infinitam et indivisibilem, 9° ac omnino simplicem, quæ non patitur vel compositionem, quæ ex numero personarum exurgit, 10° vel aggregationem ex pluribus entibus perfectis diversa existentia donatis cujusmodi sunt personæ, 11° et illud effugitur incommodum quod una persona divina careat ea perfectione, qua ab altera distinguitur. Ita fere nugatur Crellius.

142. *Resp. Ad* 1m, *Dist. maj.* In quo sunt eadem, *conc.* in quo non sunt eadem, *neg.* Hinc, *neg, min.* Personæ enim divinæ idem sunt cum natura divina et sub hoc respectu sunt pariter idem inter se, eadem siquidem in omnibus est divina natura, at idem non sunt in modo subsistendi, seu in personalitate, qua inter se relative distinguuntur. Nam paternitas non est filiatio, et idem dicatur de spiratione. Sic e. g. longitudo idem est cum spatio, quod afficit, altitudo pariter idem est cum spatio, id ipsum dic de magnitudine, quæ ex utraque exurgit, longitudo tamen non est latitudo et vicissim, quod æque valet in magnitudine, quæ præcise non est neque altitudo neque longitudo, sed ex utraque coalescit. Ac propterea negatur consequentia 1).

1) Cons. Card. Albarus Cienfuegos S. I. *Ænigma theologicum* 2. *vol. in fol. Vien.* 1717, cujus scopus est ostendere dogma Trinitatis nullatenus contradicere huic vulgato principio per se noto, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

143. *Ad* 2^m, *Neg.* Sed solum ex dictis inferri potest: ergo Pater et Filius sunt Deus, cum in natura tantum divina unum sint, non in modo subsistendi, et en quomodo evadamus sabellianismum.

144. *Ad* 3^m, *Neg. Ad prob. autem dist.* Persona est rationalis naturæ individua *substantia* id est *subsistentia, conc.* substantia simpliciter, *neg.* Nec alium sensum patitur Boëtiana definitio, neque alio sensu admittitur a theologis [1]).

145. *Ad* 4^m, *Neg. et nego paritatem illationis;* in prima enim argumentatione vox *persona* denotat modum subsistendi, qui distinctus et proprius in unaquaque persona est, ac proinde multiplicatis personis multiplicatur et modus subsistendi proprius; at in altera argumentatione vox *Dei* denotat naturam, quæ eadem in unaquaque persona est, ideoque multiplicatis personis seu modis subsistendi non multiplicatur natura, quæ eadem semper est, licet diversis modis affecta.

146. *Ad* 5^m, *Neg.* Hæc enim argumentatio non est, nisi merus paralogismus; diverso enim sensu vox *Deus*, sumitur in majori propositione, ab eo quo sumitur in minori; in majori enim usurpatur ad naturam significandam in concreto, prout in tribus personis subsistit; in minori autem prout contracta ejusmodi vox est ad unam subsistentiam, seu personam designandam.

147. *Ad* 6^m, *Dist.* Nomen *personæ* substantiam includit indirecte, *conc.* directe, *neg.* nam directe nonnisi subsistentiam significat illius ejusdemque naturæ, quæ in divinis a cæteris personis possidetur per propriam subsistentiam; ac proinde negatur consecutio. Et en rursum quam facile catholici se a labe tritheismi subducant.

148. *Ad* 7^m, *Neg.* Vox autem et notio *Dei* indicat naturam subsistentem, *dist.* Una vel multiplici, id est, trina subsistentia, *conc.* unica tantum ac singulari, *neg.* Ex divina enim revelatione novimus naturam divinam trina subsistentia affici.

149. *Ad* 8^m, *Dist.* Et hoc ipso quod infinita sit natura divina, plures admittit subsistentias, quarum capax non est natura finita, *conc.* obstat personarum pluralitati, *neg.* Hinc est quod in creatis pro multiplicitate personarum multiplicentur naturæ et individua, non autem in Deo, qui utpote infinitus potest sub diverso respectu affici, et plures subsistendi modos admittere. Ex eo autem quod natura divina indivisibilis sit, sequitur tantum personas esse indivisas, non autem indistinctas.

150. *Ad* 9^m, *Dist.* Si numerus exurgeret ex partibus divinæ naturæ, induceret compositionem, *conc.* si ex diverso tantum modo subsistendi ejusdem naturæ, *neg.* Eo magis quod modi

1) Cfr. Suarez. tom. II. *metaph.* disp. 34 n. 13 et in *comment. in* 3. *p. s. Th.* disp. 13 sect. 2.

isti non distinguantur inter se nisi relative, et identificentur cum ipsa natura divina.

151. *Ad* 10m, *Neg.* Ex nuper dictis; divinæ enim personæ non diversa, sed eadem existentia fruuntur, etsi modus existendi distinctus sit in qualibet persona [1]), ut sæpe diximus, nec tres personæ, proprie loquendo sunt tria entia, sed idem ens divinum trina subsistentia donatum.

152. *Ad* 11m, *Neg. suppositum*, tum quia adhuc quæstio est, num proprietas personalis possit dici perfectio, ad summum dici potest esse perfectionem relativam, ac mixtam, eo sensu quo expositum est in tract. de Deo [2]), tum quia ex identitate hujus proprietatis cum natura, quam unaquæque persona totam possidet, mediate saltem perfectiones et proprietates aliarum personarum secum habet.

153. II. *Inst.* Quo prosperiore successu ætas recentior historiæ, philosophiæ et philologiæ studiis operam dedit, eo difficilius sibi persuadere potuit de veritate dogmatis Trinitatis. Itaque factum est, ut et philosophi et ipsi theologi plus minusve ab eo deflecterent. Imo eorum, qui formulam publicam tueri volebant haud pauci variis modis eam sic explicare studebant, ut natura et usus dogmatis intelligerentur. Demum alii doctrinam istam nec cum libris sacris, nec cum sana ratione conciliari posse libere professi sunt. Cum igitur omnino dogmatis de Trinitate historia doceat, quicumque fuerint subtilius illud explicandi conatus, his vel ad *arianismum* vel ad *tritheismum* vel ad *sabellianismum* theologos abductos fuisse, præstat eo dimisso ad saniora nos convertere [3]).

1) Cf. Petav. *de Trin.* lib. 4, cap. 12, §. 5 et seqq.
2) N. 187.
3) Wegsch. §. 91.
Quid sentiant sansimoniani de Trinitate, expositum a nobis est in tract. *de Deo*, quid vero sentiant ipsorum fratres nuperi templarii, placet hic exponere ex ipsorum codice cui tit *Levitikon*, ou *Expose des principes fondamentaux de la doctrine des chretiens-catholiques-primitifs. Paris* 1831 (sic enim impii hi homines se vocant non contenti profiteri cum sansimonianis pantheismum et autotheismum) pag. 65 legitur: „Dieu est composé de trois puissances, savoir: *Père, fils et esprit.* Dieu père est l'*être infini* composé de tout ce qui est. Dieu fils est l'*action*, produit de la puissance éternelle du père, ou de tout ce qui est; produit infini, qui se manifeste sans cesse, en tout, pour tout, et par tout, et dans l'ensemble de tout ce qui est, et dans les modifications infinies et perpétuelles, que subissent les parties de tout ce qui est. Dieu esprit est l'*intelligence*, produit de la puissance du père et de la puissance du fils, produit infini, qui constitue l'intelligence de l'ensemble, ou réunion de tout, et les modifications infinies d'intelligence de l'infinité des parties dont se compose cet ensemble, ou grand tout, etc.
„Les trois puissances dont je viens de parler, ne pouvant pas exister l'une sans l'autre, forment *dans leur trinite* une puissance infinie, une et indivisible, qui est la *puissance universelle*, ou Dieu.
„Conséquence, chaque portion du grand tout, ou dieu, devant nécessairement participer aux puissances de ce même grand tout, ou dieu, chacune des portions infinies du grand tout doit nécessairement jouir d'une portion de son *existence*, de son *action* et de son *intelligence* infinies, quelles que soient, d'ailleurs, les modifications auxquelles peut être soumise, à l'infini, chaque portion du tout, tant par rapport à sa manière (état ou puissance) d'être; que par rapport à son état ou sa puissance d'action ou d'intelligence.

154. *Resp. Neg. cons.* Nam historia dogmatis de Trinitate prout a rationalistis traditur, non evincit nisi 1° absolutam necessitatem subjiciendi rationem nostram in obsequium fidei; 2° protestantismum suo fundamentali principio de omnimoda independentia rationis a legitima auctoritate divinitus constituta viam aperuisse omnibus recensitis aberrationibus; 3° theologos quorum adversarius meminit, non esse nisi protestantes, qui hac in parte ipsorum *Emendatorum sacrorum* vestigia secuti sunt, et facto ipso ostendere unicam viam ad tuendam fidem esse ecclesiæ auctoritatem; 4° omnes plus minus errasse, quo longius a tali auctoritate deflexerunt, ut spiritus privati commenta sectarentur, nec posse nisi per reditum ad eam ecclesiam, quam eorum majores reliquere, fidem, quam amiserunt, recuperare. 5° Non studium historiæ, philosophiæ ac philologiæ ætatem recentiorem (protestantismi) ad incredulitatem circa hoc mysterium aliaque christianæ religionis dogmata deduxisse, sed abusum ejusmodi studii, et malam fidem eorum, qui eam historiam consectati sunt, prout ostendimus.

CAPUT III.

DE VERBI SEU FILII DIVINITATE ET CUM PATRE CONSUBSTANTIALITATE.

155. Etsi valde affines sint errores veterum arianorum et socinianorum, aliquod tamen inter eos discrimen est. Etenim veteres ariani directe impugnarunt divinitatem Verbi, seu Filii ejusque cum Patre consubstantialitatem, ideoque indirecte divinitatem Christi; recentiores autem sociniani directe impugnant divinitatem Christi; indirecte autem divinitatem Verbi.

156. Rursum ariani, prout omnibus hæreticis contigit, numquam sibi constiterunt; ab initio enim Verbum creaturam dixerunt et in tempore conditum; postea vero creaturam quidem sed ab æterno procreatum ex non extantibus autumarunt; magis deinde magisque a primævo errore deflectentes divinitatem etiam ei tribuerunt sed inferioris dignitatis, et diversam ab ea quam Pater habet, sed numquam adducti sunt, ut eum Patri consubstantialem profiterentur [1]).

157. Semiariani juxta recentiores criticos veram fidem circa Filii divinitatem tenuerunt, sed in eo peccabant, quod abhor-

„Je crois à la verité de la religion catholique qui nous a été transmise par Jésus etc." En novum philosophema, quod valde arridere debet nostris rationalistis, si quidem et templarii protestantur se credere in Deum et Jesum Christum, sed ad *saniora* se converterunt, nempe pantheismum, et in hoc agnoscunt Trinitatem. En quo deveniat humana ratio sibi relicta!

1) Cf. Petav. *de Trin.* lib. 1, cap. 7 et seqq.

Vide etiam Chr. Lupi *dissertationem proœmialem ad syn. nicœn.* tom. 1, *opp.* cap. 12 et seqq.

rerent a voce ὁμοουσίου seu *consubstantialis*, cæterum circa dogma recte sentiebant, hinc est quod inter orthodoxos passim jam recenseantur [1]), etsi a pervicacia excusari nequeant in rejicienda fidei tessera ab ecclesia consecrata ad secernendos catholicos ab hæreticis [2]).

158. Rationalistæ et biblici neoterici omnem arianam impietatem et socinianismum non solum amplexati sunt, sed extenderunt, ita ut ariani et sociniani præ istis pii ac religiosi videri aliqua ratione possint. Nam non solum Christum ut purum hominem cum photinianis et samosatenis traducunt, sed eo progressi sunt, ut dicant Verbum seu Dei Filium non aliud esse nisi quoddam Dei attributum, non autem personam subsistentem; Christum vero ut *Theurgum* passim habent, qui se accommodavit præconceptis populi sui ideis, nec valuit ab omnibus erroribus popularibus contribules suos abducere, aliaque his similia blasphemantes effutiunt.

159. Quæ directe spectant ad Christum ejusque divinitatem reservantes ad tractatum de Dominica Incarnatione, hic nos tuendam tantum suscipimus Verbi seu Filii divinitatem ejusque cum Patre consubstantialitatem, etsi ob materiæ necessitudinem nonnulla dicere cogamur, quæ directe ad Christi divinitatem pertinent.

160. Ne vero propositiones absque necessitate multiplicemus, in tuto posita veritate fundamentali divinitatis et consubstantialitatis Verbi seu Filii, sive ex scriptura, sive ex sensu traditionali, per modum corollariorum deducemus ipsius peculiarem subsistentiam, et veritatem ac rectitudinem nicœnæ definitionis. Sit igitur

1) Cf. Nat. Alex. disp. 15, in sæc. IV, de voce ὁμοιούσιον ubi exponit diversum sensum, in quo vox ista accepta est; tum per eam exprimi fidem nicœnam æque ab voce ὁμοούσιον quosdam episcopos contendisse, ac semiarianos dictos hac de causa quod vocem ὁμοούσιον respuerent, recte de fide sensisse, ac proinde catholicos fuisse.

Cons. etiam Maran *op. cit.* lib. 2, c. 6, n. 5 et lib. 4, cap. 32, ubi ostendit falso cognomine semiarianos dictos fuisse episcopos illos, qui vocem ὁμοούσιον rejiciebant, quum in dogmate catholico adstruendo cum cæteris omnino convenirent. Hic ipse doctissimus auctor jam pridem, nempe an. 1722 dissertationem ediderat *sur les semiariens*, in qua novam editionem operum S. Cyrilli Hierosolymit. a P. Toutteo adornatam defendit adversus censuram PP. Trivoltiensium, in iis quæ ipse præsertim scripserat in diss. 3 præmissa operibus S. Cyrilli præsertim cap. 3.

2) Res semper periculi plena est velle a recepta et consecrata ab ecclesia loquendi formula recedere. Hæc enim unica fuit ratio, quare in suspicionem arianæ hæreseos venerint apud non paucos patres episcopi illi qui nunquam vocem *homousion* adoptare voluerunt, etsi dogma per vocem illam expressum ut dictum est, profiterentur. Quanquam enim verum sit, quod S. Hieronymus scribit in dialogo adversus luciferianos n. 34. „non erat curæ episcopis de vocabulo, cum res esset in tuto" quia, ut optime animadvertit S. Gregorius Naz. epist. 26, non in verborum sono, sed in sententiis veritas est. Attamen certum est ecclesiam semper sollicitam fuisse in sartis tectisque custodiendis nonnullis formulis, juxta apostoli monitum II, *ad Tim.* I, 13. „*formam* habe sanorum verborum" eo vel maxime, quod hæretici et novatores omnes sub ambiguitate quarumdam vocum, quæ optimum sensum præseferunt, soleant se tegere, et sic incautis venenum propinare.

PROPOSITIO I.

Verbum est vere ac proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantialis.

161. Est de fide, ut patet ex symbolo nicœno quo jubemur credere *in Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, consubstantialem Patri.* Sic vero ejus veritatem evincimus. I. Ex demonstratis in præcedentibus propositionibus tres sunt in una eademque divina essentia personæ distinctæ Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ergo, concludimus, Verbum est vere et proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantialis. Hinc illa omnia, quæ illic adduximus tum ex scriptura, tum ex traditione ad demonstrandum dogma SS. Trinitatis, Verbi pariter, seu Filii divinitatem ejusque cum Patre consubstantialitatem pariter demonstrant.

162. II. Directe præterea evincimus ex iis, quæ Filium peculiariter afficiunt, quibus jam allata majus robur accipiunt ac firmitatem. Ac primo quidem huc spectat initium Evangelii S. Joan. *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt* [1]). Ex his quatuor habemus Verbi æternitatem, *erat* enim *in principio* seu ante omne tempus; habemus Verbum ut distinctum a Patre, siquidem *erat apud Deum;* habemus ejus divinitatem; nam *Deus erat Verbum;* habemus denique virtutem ejus creatricem, etenim *omnia per ipsum facta sunt.*

163. Huic evangelii initio congruunt omnia, quæ in ipsius evangelii decursu de eodem Verbo carne facto dicuntur, et ita connexa inter se sunt, ut illo posito in nativa sua significatione, omnibusque metaphoris remotis, omnia cohæreant, illo sublato, cætera inintelligibilia fiant, ut cum Filius *Unigenitus qui est in sinu Patris* dicitur ibid. ver. 18, unigenitus Filius Dei III, 16 qui sit in cœlo, dum loquitur in terra ibid. 13 qui faciat, quæcumque Pater suus facit ver. 19 qui Patrem suum dicat Deum, æqualem se faciens Deo ibid. 18; qui sibi tribuat potestatem homines ad vitam resuscitandi VI, 40 et alibi passim; qui aperte profiteatur se e cœlo descendisse ibid. 38 exivisse a Deo XIII 13, XVI 27 exivisse a Patre ibid. 28 unum esse cum Patre X, 30 se in Patre esse et Patrem in se ibid. 38 suam præexistentiam non solum Abrahamo VIII, 58 sed et mundi creationi XVII, 5, prædicare se esse viam, veritatem et vitam XIV, 6; qui fidem in se tanquam in Filium Dei exigat; IX 35, XI 26, 27 et adorationem admittat ibid. 38 quo, uno verbo, tendit totum evangelium, ut credatur Filius Dei XX, 35. Unde sic: ille vere et

1) Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Οὐτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν. Πάντα δὶ αὐτοῦ ἐγένετο.

proprie Filius Dei et Deus est ac Patri consubstantialis, qui Deus et Filius Dei, æqualis Deo dicitur et creditur et adoratur; qui eadem æternitate, potestate præditus perhibetur cum Patre suo; qui a Deo procedere, exire dicitur, et ita tamen ut cum eo sit, unum sit, in eo sit etc. atqui ex allatis tale est Verbum seu Filius. Ergo.

164. His consonant, quæ idem apostolus et cæteri evangelistæ atque scriptores reliqui sacri de eodem scribunt. Joannes quidem I epist. I 1 seqq. eum vocat Verbum vitæ et vitam manifestatam, nempe in carne, vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis, et ver. 20 rursum eum vocat, verum Deum, et vitam æternam. Reliqui tres evangelistæ referunt eum fuisse morti adjudicatum eo quod se dixerunt *Filium Dei*, ut Matth. XXVI, 64; Marc. XIV, 62; Luc XXII, 70 et eo sensu ut blasphemiæ reus fuerit habitus ibid. et juxta legem mosaicam, prout eam pharisæi intelligebant, debuerit mori Joan. XIX, 7. Quare apostolus Paulus non solum eum vocat Filium *Dei proprium* Rom. VIII, 32. Filium *suum*, nempe Dei, Gal. IV, 4. *Deum* Rom. IX, 5. *Dominum gloriæ* I Cor. II 8, *magnum Deum* ad Tit. II, 13. *Deum Salvatorem* ibid. III, 4, et alibi passim, sed præterea Heb. I, 2 seqq. eum Filium dicit, *per quem* (Deus) *fecit et sæcula; qui sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens* quibus verbis tum æternitatem, ac omnipotentiam, omnimodam potestatem et divinam naturam hujus Filii Dei apertissime prædicat.

165. Quæ quidem aliaque permulta, quæ brevitatis gratia prætermitto, perspicua sunt adeo, ut rationalistæ ipsi inficiari non potuerint tum Christum sibi, tum apostolos et evangelistas denominationem Filii Dei una cum divinis attributis ei vindicasse [1]). Ex quibus rursum concludimus: vel Christus et scriptores sacri deceperunt nos, vel fatendum est Verbum seu Filium Dei vere et proprie Deum esse ac Patri consubstantialem. At primum dici nonnisi impie et absurde potest, quia Deus ipse auctor esset deceptionis nostræ, et quin Christus spectari posset ut veritatis magister et veritas ipsa et illuminator mundi, esset pessimus veterator, qui nos in turpem idololatriam conjecisset, cui, ut a pluribus observatum est, longe præferendus esset Mahumetes ipse, qui nonnisi Deum singularem aperte docuit seque ejus prophetam, omnemque prorsus idololatriam sustulit. Restat igitur ut Verbum vere et proprie Dei Filium, Deum, Patrique consubstantialem profiteamur.

1) „Verum enim vero, scribit Wegscheider §. 83, quin attributa divinis simillima (quare non *eadem?*) cum denominatione ista Filii Dei conjuncta et dignitatem divinæ proximam (dicere debuisset *eandem*) Christus et ipse sibi, ut Dei Filio, in dictis nonnullis ei attributis (notetur istud *attributis* juxta perversam rationalistarum intelligentiam) et apostoli Christo vindicaverint, dubitari nequit." Pretiosa certa est ista confessio ex ore adeo impiorum hominum.

DIFFICULTATES.

166. I. *Obj.* *Λόγος*, seu Verbum de quo Joannes primus et solus locutus est, quasi carnem induisset, non est nisi philosophema, quo ipse usus est ad summe admirandi magistri virtutem oculis hominum sublatam sublimioribus phantasiæ imaginibus exornandam. Hoc autem philosophemate indicat λόγον hoc est Dei vim spiritualem, scilicet rationalem, sapienter operantem, ante mundum conditum e Deo quasi progressam, et sub personæ seu substantiæ singularis specie sæpissime cogitatam, quæ *a Spiritu Dei*, scilicet *Sancto* judæorum palæstinensium (Joan. I, 33), priorumque evangelistarum (Matth. III, 16. Luc. I, 35 et alibi) et a *σοφίᾳ* seu sapientia in proverbiis (I, 20 seqq. VIII, 22), et Apocryphis (Sap. IX, 1—4. XVIII, 14—18, Siracidis, seu ecclesiastici I, 6—9. XXIV, 4 seqq.) commemorata haud longe abest, imo interdum eadem videtur. Similem imaginandi normam secuti Paulus et auctor epistolæ ad hebræos haud obscure tradiderunt, Deum condidisse mundum per naturam Messiæ sublimiorem (Col. I, 16. Heb. I, 2 seqq.), quæ ipsa ante omnia creata sit (Col. I, 15 collat. 18. Prov. VIII, 22. Eccli. XXIV, 14) et posteaquam tempore constituto ad conditionem Jesu servilem se se demisisset, peracta hominum expeditione (Heb. I, 5), in cœlum recepta ac Patri quidem subjecta (1 Cor. III, 22. XI, 3. XV, 25 seqq. Ephes. I, 22. Heb. III, 2), sed summa præ omnibus spiritibus creatis dignitate a Patre sit exornata (Eph. I, 20—23. Philip. II, 9. Col. I, 15 seqq. 1 Tim. III, 16. Heb. I, 2, 4) [1]). Ergo.

167. *Resp.* I. Ergo scriptores sacri ut indulgerent phantasiæ et imaginationi nos deceperunt, et universa ecclesia per XVIII sæcula in turpissimo errore versata est, donec orirentur Germaniæ sidera Paulusius, Suskindius, Eichhorn, Semlerus, Bertholdus, Rosenmüller, Kuinoel, Wegscheider aliique, qui demum sensum nobis reserarent, quo Joannes, apostolus Paulus cæterique scriptores sacri eas voces usurparunt. Atqui tamen doctores isti mirifice etiam inter se dissentiunt, et ab aliis impugnantur [2]) ejusdem scholæ. *Resp.* II. *Neg.* 1° quia ejusmodi

1) Wegsch. §. 83.

2) Ut habeatur aliquod specimen summæ discrepantiæ, quæ inter neotericos biblicos rationalistas viget circa interpretationem vocis λόγου, quæ initio evangelii Joannis occurrit, placet nonnullas sententias promere ex Georgio Rosenmüller tom. II, in cap. I, Joan. Juxta Clericum aliosque cum ipso, Joannes voce λόγος usus est, ut se opponeret iis, qui eo tempore voces nonnullas platonicas e Philonis sumptas commentariis, et nominatim τὸν λόγον christianæ ac judaicæ religioni inferrent, et phrases a Philone usurpatas ad orthodoxum sensum revocarent. Quod vero attinet ad hujus nominis significationem nonnulli putant τὸν λόγον dici rationem, eo modo quo dicitur *lux*, *vita*, *veritas*; et laudant pro hac sententia Origenem, et Epiphanium: illum in *comment. in Joan.* pag. 40, 41, istum *hær.* 73, qui asserit Christum dici τὸν λόγον quod sit *Patris interpres.*

Alii censent Christum dictum esse λόγον eo quod sit auctor rationalium creaturarum; et quod hominibus decreta Patris revelaverit; vel etiam, quod

excogitatio est valde injuriosa auctoribus sacris, ut patet; 2° quia sero nimis inducta, et toti antiquitati contraria, quæ ejusmodi commenta ne somniavit quidem; 3° quia est violenta et contraria toti orationis seriei. Numquam enim potest dici de prosopopeja, vel symbolica notione, quod caro facta sit et habitaverit in nobis, ut de Verbo scribit Joannes ver. 14 quod sit Filius Dei, Unigenitus Dei, æqualis Patri etc. Adde cætera omnia, quæ in probationibus allata sunt quæque nusquam in sensu proprio, sed semper in sensu figurato accipienda essent. Hujus autem sensus perpetuo figurati non solum nullum apparet vestigium in cit. testimoniis, sed aperte excluditur, si in sensu obvio accipiantur. Itaque philosophema non est scriptorum sacrorum, sed rationalistarum, qui contra omnes sanæ exegesis canones illud per nefas invexerunt. Profecto ipsos puderet illo uti in cujuscumque profani scriptoris interpretatione. Cum vero cætera, quæ ipsi persequuntur, huic falso fundamento

sit auctor *doctrinæ melioris, summus reræ sapientiæ auctor et doctor*, prout placet Doederlin, Storrio, Eckermano. Id alii rejiciunt, eo quod nuspiam in tali sensu reperiatur.

Alii contendunt Joannem ex paraphrasibus chaldaicis *λόγον* desumpsisse, ubi sæpissime מֵימְרָא יְיָ pro יְהוָה dicitur *Verbum Domini*. In hac voce, qua chaldæus utitur, præter descriptionem et periphrasin *Dei summi* nihil inesse plerisque videtur. Sed judæos per suum מימרא דיי significare voluisse divinam quandam *ἀπόςτασιν*, quam a Deo genitam, eique proximam atque simillimam judicarunt, ex V. T. chaldaicis paraphrasibus demonstravit Car. Aug. Theoph. Keil *de doctoribus veteris ecclesiæ culpa corruptæ per platonicas sententias theologiæ liberandis comment. II. in opusc. acad.* tom. II. pag. 483 et seqq. sic etiam Langius *die Schriften Joan.* id est: *scripta Joannis* tom. II. pag. 47. *De Cabbalisticis* judæorum opinionibus ad Messiam spectantibus, quæ ad christianos transiisse videntur scripsit Frid. Münter *Handbuch der alten christl.* etc. seu: *Manuale antiquiorum Christ. dogmatum historiæ* 1802 p. I. pag. 349. et seqq.

Contra vero Tittmannus, Cramerus et Ernestius in *neue theol. bibl.* seu in *nova theolog. bibl.* tom. III. pag. 129 et seqq. ita explicant, ut *λὸγος* hoc quidem loco (abstractum pro concreto) sit *promissio* et per metonym. *promissus*, quo sensu hebræi דָּבָר et *λόγος* apud LXX. haud raro occurrit.

Inter recentiores plerique intellexerunt sapientiam, sive rationem Dei, eamque personificatam, ut Joan. Frid. Guil. Jerusalem *nachgelassene Schriften* etc. seu *scripta posthuma, p. I. app. ad 3. consid.* pag. 618. Jos. Fr. Christ. Loeffler *kurze Darstellung* etc. seu *brevis expositio modi quo orta est doctrina de Trinitate etc.* aliique passim. Sic apprime inter se conveniunt sublimes isti doctores in re tanti momenti. Cf. etiam Kuinoel in *lib. N. T. historicos* vol. 3. *in prolegomenis* §. 7. de *λόγῳ* Joannis, ubi adhuc fusius et copiosius recensentur istorum doctorum placita, quæ se se invicem destruunt, adeo ut nullibi consistere liceat; omnes tamen in eo unice conveniunt, ut veram ac proprie dictam divinitatem hujus *λόγου* ac proinde Christi denegent. Sic enim fert progressus apud hos scriptores.

Quod attinet ad antiquiores unitarios non magis inter se uniformes sunt in expositione hujus initii evangelii S. Joannis. Interpretatio Socini absurdis figuris et asseverationibus luxuriat; interpretatio remonstrantium unionem moralem cum hypostatica, Deum Patrem cum Filio confundit; iisdem incommodis urgetur expositio Clerici. Cf. Maran par. 2. c. 7. 8. Crellius, qui sub Artemonii nomine librum edidit cui tit: *Initium evangelii Joannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum*, eo usque progressus est, ut mutaverit verba *Θεος ῆν ὁ λόγος*, seu *Deus erat verbum*, in *Θεοῦ ῆν ὁ λόγος*, seu *Dei erat verbum*. At vero omnes codices, versiones et patres græci et latini constanter legunt *Θεὸς Deus* Vapulat proinde Crellius a Bengelio ex Wetstenio, aliisque criticis biblicis.

superstructa sint, hoc sublato, sua mole ruunt, quin singillatim sine causa disjiciamus. Quis vero ferat a privatis nominibus libros, quos nos deutero-canonicos dicimus, apocryphis accenseri? Ast ipsi inter protestantes dictaturam sibi arrogant.

168. II. *Obj.* Nihil magis proficiunt theologi in vindicanda natura Divina Verbo seu Christo ex nomine Dei, aut Filii Dei, Unigeniti etc. 1° Notum est enim appellationi *Filii Dei* multiplicem notionem substratam esse; tribuitur primo angelis; deinde Israelitis (imo et Filiæ Dei commemorantur) præsertim justis; tertio magistratibus et regibus quasi vicariis Jehovæ. Sic Ps. II. 7. collat. Act. XIII, 33. Heb. I. 5. II. Reg. VII, 14. Ps. XXXIII, 6. LXXXVIII, 28. ubi Davidis filius primogenitus id est unice dilectus appellatur. Qui usus invaluit etiam apud reliquos antiquos populos [1]. 2° In N. autem T, libris tribuitur hominibus piis; 3° Christo autem sensu ideali et metaphorico, ita ut hoc nomen non diserte ad naturam referendum sit, sed ad virtutem ejus eximiam, et Dei specialem amorem erga ipsum, et ad ejus messianam dignitatem, 4° Neque aliud significant epitheta addita Filio Dei *Unigeniti*, *dilecti*, *proprii*, 5° *generationis* enim notio nonnisi ratione quadam symbolica et analogica in summum Numen transferri potest [2]. Ergo.

169. *Resp. neg. antec. Ad* 1m, *Dist.* Ad exclusionem notionis proprie dictæ, *neg.* secus, *trans.* Nec enim contendunt catholici semper in propria significatione accipi in scripturis denominationem *Filii Dei:* verum ex eo, quod interdum improprie accipiatur, inferri nequit proprie nunquam usurpari, alioquin idem inferre liceret de vocibus *agni*, *leonis* etc. quin et Dei ipsius. Id ipsum dicatur de voce *primogeniti* David attributa, cujus sensus clare patet ex contextu, cum dicatur *primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Itaque relative sumitur ad cæteros reges; si tamen de David et non potius de Christo, cujus David figuram gerebat, hæc dicuntur.

1) Et hic magno eruditionis apparatu id ostenditur de græcis apud Homerum lib. I. 279 II. 196 et seqq. *Odyss.* XI. 567. epitheta regum *διογενὴς, διοτρεφὴς, Διὸς υἱὸς* seu *Dei genitus, Deo altus, Dei filius.* De ægyptiis penes quos reges deorum nomine ornati sunt, teste Diodoro Sicul. I. cap 90. De æthiopibus lib. 3. ib. cap. 3. 5. similia refert. De persis ostendit Brissonius : de regio persarum principatu. Et ad hoc ostendendum certant inter se Gesenius *comment. üb. den Jesaia* etc. seu *comm. super Isaiam Lip.* 1821. I. De Wette *comment. üb. psal.* seu *comment. in psal. ed* 2. *ad* 4. I.

Sed frustra defatigantur in his congerendis, quum notissima hæc sint; neque solum apud memoratas gentes in usu illud fuerit verum etiam apud romanos, ita ut imperatores etiam post religionem christianam passim *divi* dicerentur : sic apud Judæos magistratus et principes Dii interdum vocati sint. At enim quid inde? Apud nonnullos populos reges et principes vel assentatione, vel analogia quadam ob auctoritatem, quam super cæteros obtinebant, aliave quacumque ratione Dei, vel filii Dei etc. vocati sint, ergo eodem sensu iisdemque rationibus Christus, seu verbum *Deus* dicitur et *filius Dei*? Quis ferat hanc argumentandi rationem? Jam vero talis est qua utuntur rationalistæ sub magnifico eruditionis indigestæ apparatu.

2) Wegsch. ib. §. 82.

170. *Ad* 2m, *Dist.* Tribuitur etiam hominibus piis sed diversa ratione ab ea, qua tribuitur Christo, *conc.* eadem ratione, *neg.* Numquam enim de hominibus piis prædicantur, quæ prædicantur de Christo, ut ex probationibus constat.

171. *Ad* 3m, *Neg.* Hæc est enim gratuita rationalistarum assertio, quam ipsi a socinianis mutuati sunt, quin eam solidius probent, et omnino violenta; quæcumque enim fuerit Christi virtus aut munus, si natura Deus non esset, neque Deus, neque Filius Dei, neque divinæ ipsi tribuerentur proprietates, quæ uni Deo competunt; adde sæpius in libris N. T. distingui appellationes Christi, et Filii Dei; cæteris omissis, inquit Joannes *hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei* 1). Deinde si synonima hæc essent: quare tanquam blasphemum Christum lapidare voluerunt judæi, eo quod se dixerit Filium Dei et juxta legem morti addixerunt eo quod Filium Dei se fecerit 2).

172. *Ad* 4m, *Neg.* ob eandem causam. Responsio patet ex modo dictis.

173. *Ad* 5m, vel *Neg.* vel *Dist.* Idest quoad modum, *conc.* quoad rem, seu originem viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ, *neg.* Ludunt propterea adversarii in am-

1) Ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιςεύσητε ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐςιν ὁ Χριςὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Joan. xx. 31.

2) Heic duo notanda sunt; 1° fere semper in N. T. distingui has voces, *Christus et Filius Dei*, ut loc. cit. *ex Joan. Matth.* xvi. 16. xxvi. 63. *Marc.* I. 1.; xiv. 61.; *Joan.* vi. 69, xi. 27.; act. viii. 37. etc., ut pateat has voces minime esse synonymas, sed perhiberi Messiam ut verum Dei Filium; ii° hac de causa adhuc ut blasphemum et jure morti propterea addictum fuisse Christum Dominum a patribus suis hodiernos judæos contendere. Ad cujus assertionis probationem satis sit duos afferre testes, qui rejici ab adversariis non possunt: prior est Orobius in amica collatione cum Limborchio, in tertio enim scripto eum accusat „quod Jesus affectaverit deitatem, vel cum Deo æqualitatem . . . Ex servo se fecerit Dominum ex creatura creatorem, et verba sua prædicaverit, non a Deo jussa" §. viii. pag. 109. seqq. et pag. 291. Hinc concludebat: ibid. pag. iii. „dato impossibili quod messias, quem expectamus eam doctrinam Israelem doceret, jure foret ut pseudo-propheta lapidandus." Alter vero est Salvador, qui in sua *histoire des institutions de Moïse, Paris* 1828. tom. ii. liv. iv. ch. iii. *jugement et condamnation de Jésus* pag. 82. hæc scribit: Jésus... parle de lui même comme d'un dieu; ses disciples le répetent, et la suite des événemens *prouve avec la dernière évidence* qu'ils l'entendaient ainsi. C'était un horrible blasphème aux yeux des citoyens etc." et ib. in nota „l'expression *fils de dieu* était d'un usage ordinaire chez les hébreux pour marquer l'homme d'une haute sagesse, d'une haute piété. Ce n'est point dans ce sens, que s'en servait Jésus-Christ; elle n'aurait pas causé une si vive sensation" et clarius adhuc pag. 87. „enfin le grand-pontife s'adresse à l'accusé, et lui dit: *Est-il vrai, que tu sois Christ, que tu sois fils de Dieu? Je le suis,* repond Jesus . . . à ces mots. Caïphe déchire ses vêtemens en signe de désolation: vous l'avez entendu, on délibère. La question déjà soulevée parmi le peuple était celle-ci: Jésus s'est-il fait Dieu? or le senat jugeant que Jésus fils de Joseph, né a Béthléem avait profané le nom de Dieu en l'usurpant pour lui même, simple citoyen, lui fit l'application de la loi sur le blasphème, et de la loi ch. xiii. *du Deut.* et art. 20. ch. xviii. . . . , la peine capitale fut prononcèe:" hos quidem suo loco refellemus, sed interea ex his patet quonam sensu judæi antiquiores et recentiores semper acceperint verba Christi, cum se dixit filium Dei, et ex istorum agendi ratione invictum et ineluctabile exsurgit *adversus* impietatem, subtilitates, metaphoras, figuras etc. unitariorum et rationalistarum argumentum.

biguo, dum asserunt nonnisi analogica ac symbolica ratione enuntiari posse generationem in divinis, et confundunt rei substantiam cum modo, quo generatio in creatis perficitur, qui certe in Deo, seu in personis divinis non reperitur, nec reperiri potest.

174. I. *Inst.* 1° Dei nomen Joan. I, 1 non Jesu Christo sed λόγῳ tribuitur, 2° Præterea Dei nomen in N. T. extenditur etiam ad homines, reges ac potiori jure ad Regem Messiam. 3° Jesus nusquam se ipse Deum aut λόγον divinum nominavit, 4° atque ipse filius diserte discernitur ab uno vero Deo (Joan. XVII, 3 cf. XI, 42. Matth. XIX, 16 17. Marc. X, 18. XII, 32. coll. 34. Luc. XVIII, 19 Matth. XX, 23) 5° a Patre (Joan. XIV, 28), ab illo, qui dedit ei omnem claritatem (ib. XVII, 22, 24), qui dedit ei habere vitam in semetipso (ib. V. 26) 6° quem itidem suum ipsius et suorum Deum appellat (ib. XX, 17 Cf. I. Tim. II, 6. VI, 13-18), 7° et nulla quidem duplicis cujusquam in Christo naturæ mentione injecta. 8° Discipuli Jesum numquam Deum salutaverunt; effata vero, quæ in subsidium dogmatis probandi afferuntur, vel dubiæ sunt lectionis (Act. XX. 28 I. Tim. III. 16), vel incertæ saltem interpretationis (Luc. I. 16 17 Joan. XX, 28 I. Joan. ver. 20 Rom. IX, 5. Philip. II, 6 Tit. II, 18 11. Pet. I, 1 2). Nihil igitur inde extundi potest [1]).

175. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Λόγῳ tribuitur ut personæ subsistenti, quæ carnem induit ex eodem Joan. I. 14 *conc.* λόγῳ ut vi divinæ, *neg.* Recolantur superius dicta [2]).

176. *Ad* 2m, *Dist.* Sed diversa significatione ac ratione, qua Verbo, seu Christo tribuatur, *trans.* eadem ratione, *neg.* Hoc probare debuisset adversarius ut aliquid concluderet, quod cum non præstet, nihil conficit.

177. *Ad* 3m, *Dist.* Expresse, *trans.* æquivalenter, *neg.* Recolantur probationes.

178. *Ad* 4m, *Dist.* persona, *conc.* natura; *neg.* Jam occurrimus huic difficultati cap. sup. num. 58.

179. *Ad* 5m, Idem responsum esto. Hoc ipso autem, quod cum Pater genuerit ex sua substantia, dedit ei omnem claritatem et vitam in semetipso. Hæc enim plane cohærent cum do-

1) Wegsch. §. 85.

2) His addatur etiam confusio eorum neotericorum biblicorum, qui fatentur ex seriorum judæorum sententia λόγον non solum vim, mentem et sapientiam, sed etiam naturam quandam, aut subjectum quoddam esse, ut ex Philone ostendunt Keil in cit. *comment.* pag. 89. tum pag. 77 et seqq. Klenker *über die natur. u. d.* etc. seu *de natura et de origine doctrinæ emanationis apud kabbalistas.* pag. 7 et seqq. Berthold *de Christologia judæorum Jesu apostolorumque ætate, Erlang.* 1811 pag. 104 et seqq. nec non Langius *loc. cit.* pag. 49 et seqq. Ziegler in *Gableri ephemeridibus* tom. IX. pag. 15 et seqq. Ammon. *progr. de prologo Joannis Evangelistæ fontibus et sensu, Goett.* 1800 cfr. Rosenmüller *schol. in Joan.* tom. II. in cap. I. Kuinoel *op. cit. proleg.* pag. 96 et seqq. vol. 3 edit. 6 *Lips.* 1825.

ctrina catholica, juxta quam, quidquid Filius habet, a Patre per generationem habet.

180. *Ad* 6^{m}, *Dist.* Sed diversa ratione, *conc.* eadem, *neg.* Neque enim dixit Christus *Patrem nostrum* et Deum nostrum: sed *ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* [1]). Cætera loca, quæ adducit adversarius non sunt ad rem, ut ea percurrentibus patebit.

181. Ad 7^{m}, vel *Neg.* vel *Dist.* Conceptis verbis, *conc.* æquivalenter, *neg.* Si enim Joannes vocat Verbum Deum, et de hoc ipso Verbo scribit, quod caro factum sit, luculenter duas naturas exprimit; imo hic fuit verus scopus S. Joannis in conscribendo suo evangelio, duplicem nempe asserendi Christo naturam, ut veteres testantur, (ac suo loco diximus) et apparet sive ex ipso evangelio, sive ex I. epistola ejusdem apostoli.

182. *Ad* 8^{m}, *Resp.* I. Quid si discipuli Jesum Deum salutassent, nonne rationalistæ evaderent ejusmodi salutationem, ut reliqua omnia, quæ ipsis non arrident? Nonne vanis phantasiæ et imaginationis commentis tribuerunt, quæ de Christo scriptores sacri literis consignarunt? Nonne eosdem traduxerunt ut imperitos ac deceptos philosophematibus judæorum alexandrinorum?

183. *Resp.* II. *Neg.* Nam 1° salutavit expresse Deum S. Thomas apostolus, Joan. XX, 28 *Dixit ei*: *Dominus meus et Deus meus.* Et en malam fidem. 2° Salutarunt cæteri in omnibus iis locis, quæ adversarius gratis traducit velut dubiæ lectionis et interpretationis, quia nempe perstringunt ipsius oculos [2]).

184. II. *Inst.* Neque demum rem conficiunt vel *perfectiones divinæ*, quæ Christo adscribuntur, vel *opera divina* eidem attributa, vel *honor divinus.* Non *perfectiones* illæ scientiæ e. g. absolutæ omnipotentiæ etc. Quia 1° partim a Patre illi communicatæ dicuntur (Matth. XI, 27. XXVIII, 18. Joan. III, 35. V, 26. XVII, 2. 7.), 2° partim divinæ naturæ consortium haud necessario probant. Etiamsi enim Filius Dei *primogenitus in multis fratribus* Rom. VIII, 29. *imago* et *forma Dei* appellatur Philip. II. 6 christiani tamen *conformes imaginis filii sui* Rom. VIII, 29. dicuntur, et illud *plenitudo divinitatis* Coloss. II, 9. in ipsos christianos transire docetur *et estis in illo repleti*, ver. 10. 3° Non *opera divina*, cujusmodi sunt *creatio, conservatio*

1) *Ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν.*

2) Sic enim ad nauseam usque regerit §. 85. „ex hac tanta effatorum de filio Dei diversitate et ambiguitate *luce clarius* patescit, scriptores sacros sancta quadam magistri reverentia commotes esse, ut ad summam ejus virtutem atque excellentiam describendam, æqualibusque commendandam, ex judæorum et alexandrinorum et palæstinensium de virtutibus seu viribus quibusdam divinis sub personarum specie cogitatis, deque *λόγῳ* et sublimiori Messiæ natura opinionibus in Jesum transferrent."

etc. quia ea Jesu Christo tanquam λόγῳ vel Messiæ, quasi summo Dei administro, non tanquam summo Deo assignata sunt. Cf. Joan. XVII, 3. 4° Non denique *honor divinus*, quo colendus Dei Filius præcipi videtur, omnia enim ejusmodi dicta dubiæ sunt interpretationis, neque Christus unquam adorationem divinam sibi poposcit, quippe qui Deo Patri eandem ipse præstiterit (Matth. XXVI, 39. Joan. XVII), et discipulos ad Patrem tantum preces convertere jusserit (Matth. VI, 9.); neque ullius exstat apostoli exemplum Jesum tanquam Deum vere adorantis; quæ enim dicunt apostoli gratiam christianis et a Christo et a Patre apprecantes, nihil repugnant. Ergo.

185. ***Resp. Neg. ad*** 1^m^, ***Dist.*** Tanquam Filio quem genuit, ut supra dictum est, *conc.* ut creaturæ, *neg.* Hoc est, quod rationalistæ non ostendunt; nam etiam catholici docent Verbo seu Filio omnia communicata esse non exclusa ipsa substantia divina, quam Filius per generationem a Patre accepit, ideoque hæc ne attingunt quidem catholicam doctrinam.

186. *Ad* 2^m^, *Neg.* Neque obstat, quod participatæ et communicatæ perhibeantur ipsis creaturis, cum longe diversa ratione Filius dicatur imago et forma Dei, et ille, in quo plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, ab illa qua christiani dicuntur *conformes* imaginis filii sui, aliaque ejusmodi. Filius enim ita dicitur imago, ut sit etiam splendor gloriæ Dei, per quem Deus omnia creavit, qui portat omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens etc. Sic dicitur in forma Dei, ut non rapinam arbitratus sit esse *se æqualem* Deo, quæ numquam de creaturis dicuntur; neque unquam christiani dicuntur repleti divinitate, aut in ipsis *inhabitare divinitatem* corporaliter ut de Christo dicitur, sed divitiis pleni spiritualibus et gratia per Christum.

187. *Ad* 3^m^, *Neg.* Nam hæc omnia Christo, seu Verbo ut summo Deo ita tribuuntur, ut Deus expresse dicatur Joan. I. 1. adde creationem et conservationem non posse simplici creaturæ communicari, quæ potentiam infinitam postulant. Ad textum cit. Joan. XVII, 3 qui ad rem non est, jam respondimus.

188. *Ad* 4^m^, *Neg.* Certe omnia, quæ adversariis non favent, semper sunt dubiæ interpretationis, quin ullam tamen hujus assertionis rationem afferant; falsa vero, violenta et absurda, quotquot ipsi comminiscuntur, certa omnia et evidentia sunt. Falsum est Christum non sibi poposcisse divinos honores; ex formula baptismi contrarium constat, ut superius diximus; admisit adorationem cæci nati Joan. IX, 38 apostolorum omnium Matth. XXVIII, 17 et alibi. Quod si ipse adorationem Patri præstitit, præstitit in forma servi, seu in natura humana. Et en quomodo semper in doctrina catholica omnia apprime cohæreant, ac secum, quæ videntur contrarie dicta de Christo, apte

concilientur, nulla vero ratione cohærere possunt in systemate socinianorum et rationalistarum.

189. Sic, Patrem discipulos suos orare docuit veluti fontem totius divinitatis, vel Deum, prout pater communis omnium hominum est, quo sensu preces ad tres personas simul diriguntur. Addatur Christum docuisse discipulos suos etiam seipsum orare Joan. XIV, 14. Ergo falsa est adversarii assertio; prout falsa ea est qua affirmat apostolos numquam Christum vere adorasse; nos contrarium evincimus in resp. ad 4m, Apostolus præterea Rom. XIV, 11. ex persona Christi inquit: *mihi flectetur omne genu*, et Philipp. II. 10. ***In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum***, quid hæc sibi volunt, nisi veram et propriam adorationem?

190. Non repugnat autem gratiam apprecari a Christo sicut et a Patre, quia una est Patris et Filii divinitas, ideoque unus gratiarum fons; repugnaret autem si Filius non esset nisi creatura, ut patet.

191. III. ***Obj.*** cum veteribus arianis 1° Sapientia Prov. VIII, 22. *creata* dicitur; et iterum Eccl. XXIV, 14. Christum propterea vocat apostolus 2° *primogenitum omnis creaturæ* (Col. I. 15.) Qui de se testatur Joan. XIV, 28. 3° ***Pater major me est.*** 4° Se negat bonum esse, bonitate nempe essentiali, quæ uni competit Deo, Matth. XIX. 17, ignorare se 5° fatetur judicii diem Marc. XIII, 32 et sane 6° Pater secundam substantiam *ingenitus* dicitur, ergo Filius, qui genitus est, diversæ est substantiæ a Patre. Quod si dicatur Pater gignere Filium, gignit ne 7° voluntate an necessitate? Si necessitate valde miser est; si voluntate ergo potuit non gignere: 8° adde nec posse Filium dici æternum, quia antequam nasceretur non erat. Nativitas præterea 9° denotat dependentiam, quæ Deo non competit, 10° nec esset a se. Ergo.

192. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Creatione improprie dicta, seu generatione, ***conc.*** proprie dicta, ***neg. Fortes creantur fortibus et bonis*** inquiebat Horatius, et Virgilius Æneid. X. ***Silvicolæ Fauno Driope quem nympha crearat;*** in hebr. veritate in 1° textu est ***possedit*** [1]).

1) יְהוָה קָנָנִי *Deus possedit me*, ut leg. *Genesi* IV. p. אִישׁ קָנִיתִי אֶת־יְהוָה *possedi hominem per Deum.*" Plures patres legentes hoc loco *condidit* vel *crearit* collegit in *vet. Ital.* Sabatier ord. Ben. vol. 2. Attamen Eus. Cæsar. vir nonsuspectus lib. 3 *de eccl. theol.* cap. 2 in quo fuse de toto illo capite disputat, admonet neminem aliorum interpretum *ἔκτισε*, hoc est *condidit* aut *crearit* adhibuisse, sed omnes constanter *ἐκτύσατο possedit* „multum autem interest, inquit, inter *creare* et *possidere*, quod creatio ex communiori notione, transitum significet ab eo quod non est ad id quod est; possessio vero rei jam existentis proprietatem in eo, qui possidet „*πλείςη δ' ἂν γένοιτο καὶ τοῦ ἔκτισε, καὶ τοῦ ἐκτύσατο, διαφορὰ τῷ τὴν μὲν κτίσιν κατὰ τὴν κοινοτέραν διανοίαν τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πάροδον σημαίνειν· τὴν δὲ κτῆσιν τοῦ προυπάρχοντος ἰδιάζουσαν οἰκειότητα πρὸς τὸν κτώμενον.*

193. *Ad* 2m, *Dist.* Causalitate et dignitate vel in natura assumpta, *conc.* in ordine ad creaturas, *neg.*

194. *Ad* 3m, *Dist.* Ratione originis ut exponunt patres græci vel ratione humanæ naturæ ut patres latini explicant, *conc.* ratione naturæ, *neg.*

195. *Ad* 4m, *Dist.* Ad mentem juvenis cui respondit, *conc.* simpliciter, *neg.*

196. *Ad* 5m, *Dist.* Ad manifestandum, *conc.* absolute, *neg.*

197. *Ad* 6m, *Neg.* Patrem dici ingenitum secundum substantiam sed per negationem originis ab alio, ut suo loco expositum est [1]).

198. *Ad* 7m, Dico gignere necessitate et voluntate; gignit enim necessitate naturæ et voluntate consequente, ut passim dicitur, quæ tota fertur in hanc generationem; sic nos voluntate et necessitate prosequimur felicitatem in genere, quin propterea hac de causa miseri simus.

199. *Ad* 8m, *Neg.* Quia natus in æternitate, in qua non est prius ac posterius nisi ratione et ordine.

200. *Ad* 9m, *Dist.* In processione, *conc.* in natura, *neg.*

201. *Ad* 10m, *Dist.* Secundum personalitatem, *conc.* secundum essentiam, *neg.*

202. Hæc autem vix attigimus utpote obsoleta et antiquata, ne nimii essemus, cæterum qui ea evoluta videre cupit, adeat Petavium, Tournelium etc. [2]):

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex traditione invictissime ostenditur.

203. Suppositis omnibus, quæ ex traditione retulimus ad ostendendam perpetuam fidem de Trinitate, nunc ex iisdem fontibus hæc speciatim adjicimus, quæ directe divinitatem Verbi seu Filii afficiunt.

204. Ac I. quidem universalis ecclesiæ fidei circa divinitatem Verbi seu Filii consensus et quidem primis duobus ecclesiæ sæculis, nempe usque ad Justinum m. quem unitarii per summam impudentiam dicunt primum hoc dogma invexisse; testes sunt Irenæus et Hegesippus, qui hæreticos sui temporis negantes Filii divinitatem provocant ad contrarium ecclesiæ consensum.

1) Cap I. n. 29.
Petavius *de Trin.* lib. 2 cap. I §. 10 et 11 sapientiam hoc loco censet per prosopopejam poeticam virginis instar ac reginæ a Deo ante omnia genitæ, ac procreatæ et ea productione acquisitæ ac possessæ Salomonem exhibere. Hæc expositio etiam a Nat. Alex. in *hist. ec.* sæc. IV. diss. 42 admittitur, imo et a nonnullis veteribus patribus probatur. Attamen propter rationalistarum abusum non eam facile admitterem, eo vel magis quod contraria expositio communis inter veteres patres sit.

2) Pet. *de Trin.* lib. 3. cap. 9 et seqq. Tournely *de Trin.* quæst. 4 ar. 2 sect. 3.

Irenæus enim lib. I cont. hæreses cap. II. *Ecclesia enim*, inquit, *per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem omnipotentem . . . et in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute* [1]). Hegesippus testatur apud Euseb. *Se cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eandemque audivisse doctrinam. In singulis autem episcoporum successionibus, et per singulas civitates eadem manent, quæ per legem ac prophetas, et a Domino ipso prædicata sunt* [2]). Hegesippus autem loquitur de eadem fide de qua Irenæus, æquales enim erant.

205. II. Textes sunt symbola, seu fidei professiones. Celebre est illud, quod exhibent const. apost. l. VII, cap. IV, in quo sic fides in Christum exprimitur: *et in unum Dominum J. C. unigenitum ejus Filium, qui ante sæcula beneplacito Patris genitus est, non creatus; per quem omnia facta sunt in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia* [3]): symbolum S. Greg. Thaumaturgi jam dedimus.

206. III. Martyres. In actis S. Ignatii cum interrogasset Trajanus *quis est Theophorus?* Ignatius respondit: *qui Christum habet in pectore . . . Unus est Deus ... atque unus est Christus Jesus, Filius Dei unigenitus* [4]). In actis S. Symphorosæ, respondet ipsa Hadriano: *Si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro* [5]); et in act. S. Felicitatis et filiorum ejus, Martialis inter eos natu minimus, sic respondet Publio: *omnes qui non confitentur Christum verum Deum esse in ignem æternum mittentur* [6]). Nescio an hoc philosophema rationalistis placeat. In actis S. Achatii, hæc notatu digna sunt ad confundendos unitarios: *Quod discere semper optabam* (inquit præses), *confessus es errorem vestræ persuasionis et legis. Habet ergo, ut dicis, Filium Deus? Resp. Achatius: habet. Marcianus ait: quis est Filius Dei? Respondit Achatius*: *Verbum veritatis et gratiæ... Nomen explana; respondit sanctus Achatius*: *Jesus Chri-*

1) Cfr. etiam lib. 3 cap. 4 n. 2 et alias sæpe hæreticos provocat S. martyr ad consensum ecclesiarum ut lib. 4 cap. 33 n. 8. lib. 5. cap. 20.

2) Lib. 4 cap. 22. *Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ κύριος.*

3) *Καὶ εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, τὸν πρωτολόγον πάσης κτίσεως, τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκία πατρὸς γεννηθέντα, οὐ κτισθέντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατά.* Notandum vero Cotelerium levi nimis ratione ductum existimasse adjectam fuisse vocem *οὐ κτισθεντα* non creatum eo quod ibid. cap. 36 pag. 319 sapientia a Deo condita dicatur. Cum tamen certum sit ab Athenagora, Origene, aliisque Filium conceptis verbis increatum dici, dum alibi tradunt sapientiam conditam juxta lectionem græcam *Prov.* VIII. Cfr. Maran tom. II. cap. 3 n. 2.

4) Apud Ruinart *act. mm. sincera edit. Veron.* 1731 pag. 14.

5) Ibid. pag. 21.

6) Ibid. pag. 24.

stus vocatur. Marcianus ait: ex qua dic uxore conceptus est? Respondit S. Achatius . . . Filius Dei Verbum ex corde processit. Ideo scriptum est: eructavit cor meum Verbum bonum. Et ista sufficiant, in quibus profecto nullæ metaphoræ nulla philosophemata inveniuntur, sed fides quam edocti ab ecclesia erant [1]).

207. IV. Hæretici, judæi et pagani testes pariter sunt receptæ fidei in universa ecclesia duobus prioribus sæculis circa Filii divinitatem. Hæretici enim, cum ipsis objiceretur publica apostolorum doctrina de Filio Dei carnem induto, non negabant, sed ut faciunt nostri rationalistæ, se apostolis ipsis adæquabant, imo præferebant, aut eos alia publice, alia secreto dicebant prædicasse; publicam illam et communem traditionem ecclesiis relinquebant, arcanam sibi arrogabant: sic testantur Irenæus et Tertullianus. Irenæus enim lib. III, c. II, inquit: *cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successionem presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse fidem;* et Tertull. *solent dicere*, inquit præscr. cap. XXII, *non omnia apostolos scisse; eadem agitati dementia, qua rursus convertunt, omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse,* ita impugnatores divinitatis Christi, et Dominicæ Incarnationis [2]). Eadem semper impiorum et hæreticorum agendi ratio. Huc etiam referri debent sectæ omnes antiquissimæ nazaræorum, docetarum etc. quæ omnes miro consensu professæ sunt Filii divinitatem, si obscuros excipias eosque paucos ebionitas; de quibus superius diximus.

208. Quod spectat ad judæos, ut antiquiores prætermittamus, de quibus in prop. III [3]), recentiores etiam nobis suffra-

1) Ibid. pag. 131. Alia non pauca exempla in actis mm. occurrunt hujus fidei in divinitatem Christi, quæ ibid. videri possunt, præsertim in *actis mm. scillitanorum* ex ms. Colbert pag. 76., ubi Donata hoc præclarum dedit Christo testimonium: „Honorem Cæsari reddimus: timorem autem aut cultum Christo Deo vero præstamus." Hæc autem aliaque similia ingenua testimonia ad figuras, aut metaphoras detorqueri nullo modo possunt. Hæc propterea responsa publica data coram tyrannis monumenta sunt ineluctabilia fidei ecclesiæ circa præcipuum hunc articulum.

2) Legi meretur integrum cap. XXII. *præscript.* in quo eloquentissime Tertullianus hæreticos illos confundit; ex hac porro hæreticorum responsione duo colliguntur maximi momenti, ac 1. quidem eandem de Verbi divini incarnatione fidem in omnibus ecclesiis viguisse; 2 hanc fidem a Christo et apostolis traditam; cum enim aliter non possent se a pondere hujus argumenti subducere de universa et constanti ac publica traditione atque universa et unanimi totius ecclesiæ professione, cogebantur se recipere ad aliam secretam traditionem sibi solis cognitam. Nimirum nondum invenerant effugium figuræ et metaphoræ cæterasque subtilitates nostrorum hæreticorum, seu incredulorum.

3) Superius eorum verba attulimus. Præstat nonnulla hic afferre ex iis, quæ veteres judæi opponebant christianæ doctrinæ circa hunc articulum, quæque habentur in duobus primis libris ab Origene scriptis contra Celsum, siquidem ibi judæum loquentem inducit, in cujus persona judæorum dicteria promit. Inter cætera hic personatus judæus lib. I, n.

gantur. Orobius enim et ex ipso novissime Salvador tueri nituntur synagogam, quod Christum morti addixerit, quia ipse contra legem se naturalem Filium Dei prædicaverat, ut suo loco pariter ostendimus.

209. Idem dicatur de paganis, Celsus enim passim exagitat christianos quod dicere solerent Deum humanæ salutis causa in hunc mundum venisse [1]); Deum crucifixum et natum admitterent; contendit ex christianorum doctrina de incarnatione sequi Deum mutatum. Sic cæteri ethnici eadem absurda objiciunt apud Arnobium, et apud Tertullianum [2]). Ex quibus patet agi de re exploratissima. Si his addantur acta Pilati, saltem ante Justinum et Tertullianum exarata (admissa ipsorum suppositione), quæ Christum ut Deum exhibent [3]), epistola Plinii ad Trajanum testantis se deprehendisse quod christiani *soliti essent stato die Christo quasi Deo carmen dicere secum invicem* [4]) epistola Hadriani ad Servianum exprobrantis alexandrinis *ab aliis Serapidem, ab aliis adorari Christum* [5]) evidentiam historicam factam istud assequitur, quod nunquam evertent rationalistæ suis subtilitatibus.

210. V. Nunc coronidis gratia subjicimus testes particulares ex duobus primis sæculis, seu alios addimus jam allatis prop. II, cap. II. S. Ignatius in epist. ad ephes. cap. 18, vocat Christum *Deum in utero gestatum* [6]) et ad Magnes. cap. 8. *Verbum*

57, sic Christum compellat: „Si quisquis singulari Dei providentia genitus est, hunc *Filium Dei* esse dicis, qua in re præstas cæteris?" n. 66, quærit per jocum judæus cur Christus in Ægyptum fugerit, cum *Deum* mortem timere non deceat, ait enim: „at metus mortis *in Deum* non cadit" *Θεὸν γὰρ οὐκ εἰκὸς ἦν περὶ θανάτου δεδιέναι*" At non potuit magnus ille Deus, qui jam duos propter te angelos miserat, te *proprium Filium suum* domi tutum præstare? „*φυλάσσειν ὁ μέγας Θεὸς τὸν ἴδιον υἱὸν οὐκ ἐδυνάτο.* et num. 67. „Quamvis in templo te provocaverint judæi, ut manifesto aliquo signo *te Dei Filium* esse declarares" *ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς;* et ita passim. Numquid ad hæc respondet Origenes male a judæo exponi doctrinam de divinitate Christi? Absit; sed quo magis ille quærebat impugnare hanc divinitatem proprie dictam, ipse magis confirmare satagebat distinguens duas in Christo naturas divinam et humanam. Limborchius non ita respondit Orobio, eo quod fuerit socinianus; et en novum argumentum antiquæ ecclesiæ fidei, et quam vulgata apud judæos et ethnicos. His addantur, quæ in actis leguntur martyrii S. Polycarpi „Suggerentibus atque instantibus judæis," *Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυόντων Ἰουδαίων.* Scilicet ut Dalces proconsulem adiret, moneretque ne cadaver illius (Polycarpi) donaret: ne forte, ut ajebant, relicto crucifixo, hunc deinceps christiani colere inciperent *τοῦτον ἄρξωνται σέβεσθαι* (apud Euseb. lib. 4, cap. xv). Adeo notum erat judæis Christum ut Deum a christianis adorari!

1) Cf. lib. 4, Origen. *cont. Cels.* n. 7, 8, 10, 14, item n. 5, 7, nec non lib. 7, n 13, lib. 8, n. 41.

2) Tertull. *adv. Jud.* cap. 7, 9, 11, Arnob. *disput. adv. gent.* lib. I, n. 23 et seqq. in *bibl. pp. edit. Ven.* tom. IV.

3) Apud. Euseb. lib. 2, cap. 2 et apud Tertull. *apol.* cap. 5, apud Just. *apol.* I, n. 48.

4) Lib. I. ep. 97, Frustra auctor *platonismi retecti* part. 2, c. I, nititur ostendere illis verbis Christum ut Deum minime designari, qui natura Deus sit. Sic frustra Wegscheider §. 85, *n. b.* ex tripode pronunciat: „hoc testimonium Plinii per se nullius momenti est, neque cultum religiosum Christo, ut summo Deo, a christianis exhibitum esse demonstrat." Cum hoc testimonium mire torqueat unitarios dicendum est potius illud maximi esse momenti præsertim si cum cæteris documentis conferatur.

5) Cf. Lamprid. in *vita Alexandri Severi.*

6) *Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριςὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας.*

æternum a Patre prodiens [1]). Presbyter ille apostolorum discipulus apud Irenæum lib. IV, cap. 27, de Christo inquit: *Christus Filius Dei, et Dominus Salomonis.* Et ex eodem inquit Irenæus ib. cap. IV, *Et bene qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, qui et capit eum.* Auctor qui XII patriarch. testamenta supposuit, passim vocat Christum *Deum* ut in test. Simeonis n. 8. *Deus corpus assumens et comedens cum hominibus salvabit eos* [2]) et alibi. Auctor lib. sybill. eadem tradit ex recepta ecclesiæ doctrina; sic lib. VI, pag. 652

O lignum beatum, in quo Deus extensus est!

et lib. VIII, pag. 659. *Ipse genitus magnus Deus* [3]). Et ista delibasse sufficiat ut jam concludamus: Factum, quod constat ex publica professione, ex confessionibus publicis coram persecutoribus pro tribunali interrogantibus, ex consensu sectarum omnium antiquissimarum (una dempta ab omnibus spreta vel impugnata), ex impugnatione et irrisione publica judæorum et ethnicorum, ex testibus omnibus singularibus, qui ea ætate scripserunt, omnia veritatis, imo evidentiæ historicæ præsefert argumenta, ut nonnisi a pyrrhonista in dubium revocari possit; atqui tale est factum fidei universalis quoad divinitatem Verbi, quæ primis duobus ecclesiæ sæculis obtinuit, ut ex allatis constat. Ergo.

211. Ex his inferimus I. Ergo nugæ sunt argumenta, quæcumque excogitarunt unitarii et rationalistæ ad eludendas scripturarum auctoritates testantes veram divinitatem Verbi.

212. II. Ergo Verbum, sive λόγος est persona divina subsistens, et non ratio, vis, aut sapientia ipsius Dei, ut iidem autumant, sed verus Deus et Filius Dei, Patri consubstantialis.

213. III. Ergo cum in Deo dari non possit diversitas naturæ, eo ipso quod Verbum sit Filius Dei et Patri consubstantialis, merito patres nicœni ad tollendas omnes arianorum evasiones vocem *homousion* ut fidei tesseram consecrarunt prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

214. I. *Obj.* Inconstantia in Filii Dei notione constituenda conspicua inde videtur repetenda, quod ab initio rei christianæ pro christianis habebantur, quicumque Jesum *Messiam* esse existimarent, nulla sive data sive postulata hujus nominis expli-

1) *Ὅς ἐςιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, κ. τ. λ.*

2) *Ὁ Θεὸς σῶμα λαβὼν, καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις ἔσωσεν αὐτούς.*

Plura huic similia ibid. videri possunt *bibl. pp. ed. Ven.* tom. I. Grabe in *annot. ad Georg. Bulli defens. fidei nicænæ* sect. 2, pag. 64, potiora in unum collegit. Quod attinet ad ætatem hujus scriptoris communis sententia est a Dodwello, Wolfio, Ruchato aliisque criticis sæculo I desinente eum floruisse. Cf. Gallandi *prolegom.* cap. 4, n. 2.

3) *Ὦ ξύλον ὦ μακάριςον, ἐφ' ᾧ Θεός ἐξετανύσθη.*

Αὐτὸς ὁ γεννηθεὶς, ὁ μέγας Θεὸς.

Alia plura refert Maran lib. 2, cap. I, n. 5.

catione. Ita factum est, ut, quæ apud judæos obtinerent ideæ populares, ad christianos propagarentur, nec novarum opinionum fingendarum libertas tolleretur, modo natura Jesu humana Deoque summo subjecta, (quod N. T. liberi vetabant) in dubitationem non vocaretur [1]). Ergo.

215. ***Resp. Neg. suppositum.*** Omnia documenta historica contrarium evincunt et gratuitam adversarii assertionem evertunt. Qui ad christianam religionem ab initio accedebant, ex iis erant, quibus Jesus Christus crucifixus aut scandalum aut stultitia fuerat, ideoque antequam admitterentur in ecclesiam per baptismum, diligenter instrui debebant ut anticipata judicia deponerent, et firme crederent in Trinitatem personarum divinarum, atque in mysterium Incarnationis et redemptionis. Quare symbolum edocebantur, atque ipsis idem diligenter explanabatur. Recepta proinde erat apud christianos illa dicendi formula, quam nobis servavit Celsus acerrimus christianæ religionis impugnator. Hic se profitebatur apprime istructum circa modum erudiendi catechumenos, ait enim: ***omnia novi;*** deinde sic eorum magistros loquentes inducit: ***Crede hunc, de quo te doceo, esse Filium Dei, quamvis inhonestissime vinctus et turpissime cruciatus fuerit; quamvis heri et nudius tertius in omnium oculis maxima ignominia jactatus, et volutatus sit; tanto magis crede*** [2]). Hinc etiam ibidem commune illud effatum christianis omnibus tribuit: ***crede si vis salvus esse aut abi*** [3]). In systemate rationalistarum nihil facilius fuisset, quam credere purum hominem crucifixum fuisse, ast longe difficilius est credere in Deum crucifixum. Insulsissimum autem est quod subdit acutus criticus noster de popularibus ideis judæorum propagatis inter christianos ad invehendam fidem de Christi divinitate, cum judæi hac ipsa de causa Jesum sæpius tanquam blasphemum lapidare voluerint, ac demum morti addixerint, eo quod se ***æqualem Deo***, ac ***Filium Dei*** fecerit, et ***Patrem suum diceret Deum.***

216. Quod tertio loco addit partim falsum est, partim ipsius hypothesin destruit; falsum est sollicitos fidei præcones unice fuisse de adstruenda humana Christi natura: nam ut ostendimus, Joannis in suo evangelio conscribendo duplex scopus fuit, tum se opponendi hæresi ebionitarum, qui Christi divinitatem negabant: tum simonianorum ac docetarum, qui ejusdem impugnabant humanam naturam. Diximus præterea destrui ipsius hypothesin in eo, quod de studio adstruendi dicit humanam Christi naturam, quia in hanc nefariam hæresin inciderant docetæ, quod indignum ipsis videretur Deum iis subjici, quæ humana sunt, præsertim vero pati et mori. Ex hoc patet quam altas radices egerit sub ipso rei christianæ initio dogma divinitatis Christi, quum potius

1) Wegsch. §. 83.
2) Lib. 6, *Orig. cont. Celsum* n. 10.
3) Ibid. n. 11.

negaretur ipsius humanitas quam divinitas; quod confirmatur ex eo, quod ebionitæ paucos et obscuros habuerint fautores, innumeros vero docetæ [1]).

217. I. *Inst* 1° Nazaræi, ipso non excluso Hegesippo, qui erat unus ex ipsis, Christi divinitatem inficiabantur, teste Epiphanio hæres. XXIX, cap. 2, et Theodoreto hær. fabul. I, II, cap. 2; 2° imo ipso Origene, qui docet omnes judaico-christianos ebionitas fuisse [2]). 3° Cum præterea Hegesippus apud Eusebium lib. IV, cap. 22 inter hæreticos minime recenseat cerinthianos et ebionitas, 4° imo ibid. cap. 21, testetur se cum Romam profectus esset, ubique eandem fidem invenisse, patet Christi divinitatis dogma duobus primis sæculis minime obtinuisse, et contrariam potius ubique viguisse sententiam [3]). 6° Quod vel ipse fatetur Justinus, dum in dialogo cum Tryphone n. 48, ait: *sunt quidam, amici, ex genere nostro, qui Christum* (Messiam) *esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient: quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quæ mecum consentit, idem diceret* [4]); ex quibus habemus 1° satis esse ad religionem christianam profitendam credere in Christum Messiam; 2° eos qui negabant Christi divinitatem minime inter hæreticos fuisse recensitos, sed ad ecclesiam pertinuisse 3° hanc non fuisse nisi sententiam privatam Justini aliorumque, qui cum eo idipsum sentiebant. Ergo falsum est antiquam traditionem huic dogmati suffragari. Sed dicendum a Justini platonica philosophia in ecclesiam sensim sine sensu disseminari cœpisse [5]).

218. *Resp. Ad* 1m, *Neg.* Justinus et Hieronymus qui nazaræos bene noverant et cum quibus conversati sunt, aperte eos distinguunt ab ebionitis ex eo quod illi crederent in Filium Dei, seu Christi divinitatem, isti autem purum hominem dicerent Christum. Justinus enim cum tanquam dogma ad salutem necessarium adstruxisset Christi divinitatem, loquens de iis, qui religioni christianæ commiscebant legis mosaicæ observantiam, nempe nazaræos, putat eos salvari posse, dummodo ejusmodi observantiam cæteris ad salutem necessariam esse non defenderent. Quod profecto de ebionitis negantibus Christi divinitatem non dixisset contra sua principia. S. Hieronymus autem sæpissime id ipsum testatur; nobis satis erit recitare ipsius verba ex epist. 80, ad August. *quos vulgo nazaræos nuncupant, qui credunt in Filium Dei natum de Virgine Maria* [6]).

1) Cf. Maran. lib. 2, cap. 8.

2) *Hæres.* 29, cap. 7, Theodoret. lib. 2. *Hæret. fab.* cap. 2.

3) Ita auct. libri *judicium patrum*, apud *Bullum de primitiva et apost. trad.* c. 3.

4) *Καὶ γὰρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριςὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδ᾽ ἂν πλ εἰςοι ταῦτα μοὶ δοξάσαντες εἴποιεν.*

5) Hoc argumentum urgent Steph. Curcellæus *in Quaternione* diss. 1, n. 66, et auctor *platonismi retecti* p. 2, cap. 4.

6) Cf. Le-Quien diss. 7. *Damasc.*

Hieronymo assentitur Augustinus qui in lib. de hæres. ait *Nazaræi cum Filium Dei Christum fatentur... ebionæi Christum etiam tantummodo hominem dicunt.*

219. Quod si Epiphanius dubitat an idem senserint nazaræi cum cerinthianis, et Theodoretus affirmat Christum ab eis ut hominem justum honorari, ratio est, quia agebatur de secta obscura ac parum cognita [1]).

220. Ex his responsio patet ad id, quod subdunt per summam injuriam de Hegesippo viro ob integritatem fidei ab omnibus antiquis commendato [2]), qui propterea etsi de circumcisione fuerit, nuspiam inter nazaræos recensetur.

221. *Ad* 2^m, *Dist.* Idest quoad legis mosaicæ observantiam, *trans.* in neganda Christi divinitate, *neg.* Hoc numquam dixit Origenes, et contrarium constat de judæo-christianis tum ex auctoribus antiquissimis Irenæo lib. IV. cap. 2, n. 4; Tertulliano lib. III, cont. Marc. cap. 12 et lib. adv. Jud. cap. 9, tum ex ipsorum scriptis. Auctor enim homiliarum et recognitionum, quæ vulgata sunt sub nomine S. Clementis, quique citatur ab Origene tom. III, in Genes. Philocal. cap. 22, et in Matth. XXVI, 6, et erat ex circumcisione, passim prædicat Filii divinitatem, æternitatem, omnipotentiam etc. quæ profecto valde discrepant a sententia ebionitarum [3]).

222. *Ad* 3^m, *Dist.* Non recensuit ob ipsorum obscuritatem, et paucitatem, *trans.* eo quod hæreticos eos non habuerit, *neg.* Transmisimus autem primam partem, cum longe probabilius sit Hegesippum perinde ac Justinum eos comprehendisse, dum pseudo-Christos, pseudo-prophetas, pseudo-apostolos commemorat [4]). Cum præterea notum sit ejusmodi hæresin admodum obscuram et ad paucissimos redactam, mirum esse non debet si de ea expressam mentionem non fecerit. Erant enim his sæculis de Christi carne longe acriores controversiæ.

223. *Ad* 4^m, *Dist.* In abstruenda Christi divinitate, *conc.* in ebionitarum dogmate, *neg.* Opponit nempe Hegesippus ecclesiarum consensum hæreticis marcionitis, valentinianis etc. negantibus mundum a Dei Filio creatum, eumque descendisse in Virginis uterum, veramque carnem assumpsisse; quæ quidem aperta fronte pugnant cum ebionitarum commentis [5]). En quam impudenter unitarii in re tam gravi mentiantur.

1) Hoc adeo verum est, ut Moshæmius, pront superius vidimus, censuerit ad sæc. IV vel V, istorum ortum referendum esse.

2) Cf. Bull. loc. cit.

3) Cf. Maran lib. 2, cap. 7. Sed nullum dubium relinquit Sulpicius Severus qui lib. 2, *sac. hist.* cap. 45, scribens de primitiva ecclesia hierosolymitana, quæ nonnisi ex circumcisione habuit episcopos suos usque ad Hadriani tempora diserte testatur „*Christum Deum* sub legis observatione credidisse."

4) Loquens Hegesippus apud Euseb. lib. 4, cap. 22, de hæreticis simonianis, cleobianis aliisque pluribus concludit: ex iis orti sunt pseudo-christi, pseudoprophetæ, pseudo-apostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus unitatem ecclesiæ disciderunt: *ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται κ. τ. λ.*

5) Cf. Euseb. loc. cit.

224. *Ad* 5^m, *Neg.* Totum enim hoc argumentum, in quo triumphum canunt unitarii, non est nisi mendaciorum contextus. Ac 1° falsum est Justinum illis verbis *ex genere nostro* designasse catholicos; sed per oppositionem ad judæos cum quibus disputabat, generali illa denominatione designat hæreticos eadem ratione, qua si nos disputaremus adversus eosdem vel adversus islamitas et paganos, christianos vocaremus protestantes et unitarios, qui in Christum se credere profitentur; 2° falsum est per illam *maximam partem* denotasse catholicos, quos num. 35, et 80, omnes inter se consentire asseverat, sed maximam partem sectarum, quæ ex eodem Justino num. 35, conveniebant cum ecclesia catholica in confitendo Jesum et Christum et Dominum esse. Et sane nonnisi ebionitas, qui pauci et numerabiles erant, Christi divinitati per ea tempora detraxisse historica monumenta testantur; 3° falsum proinde est Justinum inter hæreticos minime eos recensuisse, qui in Christi divinitatem non crederent, cum hanc sententiam velut humanæ doctrinæ commentum contrarium doctrinæ prædicatæ a prophetis et Christo ipso rejiciat, subdit enim: *Neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis, quæ et a beatis prophetis prædicata, et ab ipso tradita sunt* [1]; 4° demum falsum est Justinum ut privatam suam aliorumque cum ipso sentientium dedisse sententiam de Christi divinitate, sed e contra adeo firmiter profitetur se adhærere huic fidei, ut si non solum sectæ, sed, facta impossibili hypothesi, vel ipsi catholici hoc dogma desererent, tamen semper se eidem adhæsurum protestetur. Qua loquendi ratione etiam usus est Tertullianus disserens de scripturis cap. XVI in Praxeam. Quod certe de libera opinione minime dixisset S. Justinus.

225. Ex his proinde inferimus 1° traditionem de Christi divinitate adeo fuisse vulgatam, ut eam non solum catholici omnes, sed omnes sectæ ab ecclesia separatæ admitterent, si paucos excipias ebionitas; 2° eos qui contrariam doctrinam tenebant adversatos esse prophetarum et Christi ipsius doctrinæ, eosque propterea quod consequens est extra ecclesiam ac salutis viam fuisse [2].

226. II. *Inst.* Si talis fides et constans traditio obtinuisset 1° tanta non reperiretur in patribus antenicænis circa hoc dogma discrepantia, ipso fatente Petavio lib. I. de Trin. capp. III. IV.

1) *Ἐπειδὴ οὐκ ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ χριστοῦ πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῖς διὰ τῶν μακαρίων προφητῶν κηρυχθεῖσι, καὶ δι᾽ αὐτοῦ διδαχθεῖσι.*

2) Cfr. Maran lib. 4. cap. 5. et hic notetur quomodo mentita sit iniquitas sibi. Juxta unitarios Justinus omnium primus induxit in ecclesiam suum platonismum et proinde doctrinam de divinitate Christi, ac ita profecit ut in universam ecclesiam irruperit, attamen juxta eosdem auctores teste Hegesippo, qui an. quadraginta post Justinum scripsit, nempe sub Eleuthero, universa ecclesia profitebatur doctrinam ebionitarum contra divinitatem Christi. Quam bene!

et V. Hinc patres antenicœnos antiquissimos jam fidem nicænam strenue professos esse, frustra probare conatus est Georg. Bullus in sua defensione fidei nicænæ 2° sententiam contrariam præ cæteris bene defendit Dan. Whitby in op. Disquisitiones modestæ in Bulli defens. fidei nic. edit. 2. Lond. 1720. Ergo.

227. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Non reperiretur discrepantia circa dogma, ***conc.*** circa modum, seu loquendi formulas in dogmate ipso, vel ejus consectaria exponendo, ***neg.*** In dogmate enim divinitatis Filii patres antenicæni concordes et unanimes sunt, neque unus ex ipsis afferri potest, qui contrarium aperte doceat, neque hucusque ab unitariis prolatus est. Ast nondum certa loquendi forma, seu, ut cum recentioribus loquar, ***terminologia*** universim constituta, minus interdum accurate aliqui ex ipsis juxta Petavium locuti sunt. Non aliud porro voluisse Petavium, patet luculentissime ex iis, quæ ipse scripsit in erudita præfatione, quam adtexuit libris de Trinitate, in qua ostendere aggressus est ***primum*** ut ipse loquitur, ***universe et infinite traditionem in ecclesia versatam esse de Trinitatis vera et catholica fide; tum singillatim ex trium sæculorum scriptoribus.*** Sane Bullus cæterique omnes Petavii insectatores, illis ipsis usi sunt patrum textibus ad vindicandos patres antenicænos, quos in eadem præfatione delegit ac illustravit vir summus, et quo nemo melius adversus Crellium aliosque unitarios dimicavit quique eos plane contrivit [1]).

228. ***Ad*** 2m, ***Neg.*** Neque enim Whitby vel quilibet alius id unquam efficiet, agitur enim de documentis, quæ omnium manibus teruntur, quæ nisi in alienum sensum detorqueantur vel mutilentur, non possunt unitariis favere. Omissis patribus apostolicis, quorum luculenta testimonia dedimus in probationibus,

1) Mirum est quot latratus in se excitaverit Petavius tribus recensitis capitibus; ut enim omittam Clericum, Jurium, Faiditium qui socinianis summum virum ac acerrimum socinianorum impugnatorem accensent, Bullus in *præf.* ad *defensionem fidei nicænæ* eum acriter insectatur, et omnigena hæretico homine digna somnia sibi fingit. Attamen summum virum Franc. Oudinus, Petrus Lazzeri, Bossuetus in *primu ad protestantes admonitione num.* 28. Maranus in opere sæpe a nobis citato *de divinitate D. N. J. C. P.* Raymundus Adami in *Florentino doctorum hominum diario* tom. v. pag, 3. art 7. part. 112. seqq. aliique non pauci ab omni suspicionis labe vindicarunt. Sed ante hos omnes apologiam suam Petavius ipse contexuit in eruditissima præfatione in qua totius antiquitatis patres illustravit, ostenditque unam semper viguisse catholicam apud patres antenicænos sententiam; et ex ea, qui post eum scripserunt; Bullo ipso non excepto Petavii insectatore, potiora documenta sua desumpserunt. Sed digna est quæ legatur Petavianæ doctrinæ apologia, quam doctissimus p. Zaccaria præmisit in *editione veneta* notis ab ipso illustrata anno 1757 libris de Trinitate. Certe B. Card. Thomasius ita suspiciebat aurea scripta Petavii, ut profiteretur unica eorum pagella magis erudiri, quam si spissa multorum volumina diurna ac etiam nocturna manu versaret, ut refert cl. P. Vezzosius cl. reg. in notis ad primum vol. operum card. Thomasii pag. 155; me dies deficeret si omnia vellem eruditorum ac doctorum hominum testimonia adferre, qui certatim extollunt Petavii nomen non solum ex catholicis sed et ex ipsis protestantibus, qui unanimiter vocant virum incomparabilem ac de theologia patrum optime meritum. Horum specimen cf. in edit. cit. Zaccariæ vol. I. p. 21.

qui dimicarunt adversus ebionitas, photinianos, samosatenos, aliasque ejus generis pestes quique feliciter adeo rem confecerunt, ut arianam hæresim ante ipsius ortum penitus contriverint, nobis satis sit in medium adducere verba, quibus Irenæus ebionitas refellit lib. III. cap. 19 ubi inter cætera hæc habet: *ingrati existentes Verbo Dei, qui incarnatus est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo; et qui Filius Dei est, filius hominis factus est commixtus Verbo Dei* 1).

229. Hinc patres nicæni ad arguendos arianos impietatis eos provocant ad perpetuam et constantem ecclesiæ patrum traditionem. Sed de Whitby patrum contemptore et irrisore cons. Feller in dictionario historico.

230. III. *Inst.* Atqui non in sola loquendi ratione, sed in ratione præterea sentiendi patres antenicæni discrepabant ab hoc dogmate; 1° enim alii docuerunt Dei Filium, seu Verbum non ab æterno, sed ante res cæteras fuisse prolatum vel genitum, ut Deus eo tanquam administro ad res condendas uteretur, ut Tertullianus lib. cont. Prax. Theophilus antioch. II, n. 19. Tatianus in orat. cont. græcos n. 5. Athenagoras in apol. n. 10. Hippolytus lib. de antichristo n. 30; alii 2° Filium etiam quoad naturam divinam esse Patri inferiorem, ita diserte Hippolytus, qui ib. n. 15 tradit Verbum non fuisse perfecte Filium nisi post incarnationem, et Tertull. loc. cit. cap. IX Filium modulum dicit divinæ substantiæ cujus plenitudo in solo Patre est; et Filium proprie factum esse docet, nec Deum semper fuisse Patrem, tum loc. cit. cap. XII tum in lib. cont. Hermog. quibus in hac sententia præiverant Ignatius, Justinus, Irenæus; 3° vel solum Filium a prophetis visum docent eo quod nec invisibilis ut Pater, nec immensus sit, ita rursum Justinus, Theophilus, Tertullianus; quæ quidem omnia aliaque his affinia satis ostendunt patres antenicænos longissime abfuisse a novitate inducta per concilii nicæni patres, quæ vel ex eo deprehenditur, quod 4° nonnisi post altercationes plurimas ipsi, ut refert Eusebius lib. III, de vita Constantini cap. 13, in eandem demum sententiam convenerint. Ergo 5° merito concludit Jurius Arii doctrinam *omnium theologiam, nemine excepto, ante nicænam synodum fuisse*

231. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Dist.* Et hæc dixerunt de sola generatione, seu verius de sola Verbi manifestatione *ad extra*, *conc.* de generatione *ad intra* et propria dicta, *neg.* Ut vero distinctio intelligatur hæc præ oculis principia ex veterum theologia habenda sunt: 1° Existentia Verbi coæterna Patri; 2° Verbi ipsius manifestatio in rerum creatione, quæ Verbo tribuitur 2);

1) *Καὶ ἀχαριςοῦντας τῷ ὑπὲρ αὐτῶν σαρκωθέντι λόγῳ τοῦ Θεοῦ· εἰς τοῦτο γὰρ ὁ λόγος ἄνθρωπος . . . ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον χωρήσας.* Sed præstat integrum caput legere.

2) Rationalistæ rerum creationem prout in scripturis traditur mythum esse autumant.

3° Verbi ipsius manifestatio in carne, cum scilicet homo factum est, et habitavit in nobis. Primam aliquando supponunt, cum de alterutra loquuntur, vel utraque posteriori manifestatione, tametsi utramque comparare videntur quasi ad hanc tantum contrahant ipsam Verbi existentiam. Atque hinc etiam est, quod in alterutra ex hisce manifestationibus hærentes Verbum interdum exhibere videntur quasi ita inexistens, ut neque a Patre distinguatur.

232. Talem esse mentem Tertulliani patet ex iis, quæ scribit cap. VIII, contra Praxeam, ait enim: ***Sermo*** (seu Verbum) ***et in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre et apud Deum semper sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum; et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus.*** Quid ergo sibi voluit, dum cap. VII, dixit genitum ***perfecte*** Filium, cum dixit Deus ***Fiat lux***, nisi tunc externe manifestatum? Athenagoræ præterea, Tatiani, Tertulliani, Theophili, et Hippolyti hanc fuisse mentem explicat ipse Hippolytus cont. hæres. Noëti cap. 10 dicens, quod ante mundi constitutionem. ***Nihil erat præter ipsum*** (Deum), ***ipse solus multus erat, nec erat sine ratione*** (τῷ λόγῳ), ***sine sapientia sine potentia, sine consilio: omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quod omnia fecit . . . quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inadspectabile fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans*** [1]. Adnotat porro Georg. Bullus sect. VI, c. 9 hanc secundam nativitatem *metaphoricam* per operationem scilicet *ad extra* prædicatam etiam ab Athanasio aliisque patribus fuisse, qui tamen æternam naturalemque Verbi nativitatem propugnabant [2].

233. ***Ad*** 2^m^, ***Dist.*** Ratione originis, ***conc.*** ratione naturæ, ***neg.*** Hoc sensu Hippolytus *alium* docet esse Filium a Patre, non *aliud*, statim enim subdit: ***cum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, aut aquam ex fonte, aut radium a sole*** [3]. Eodem sensu Tertullianus contra Praxeam cap. IX. *totam substantiam* Patri tribuit, Filium autem ***portionem Patris*** nominat, ***portionis*** enim nomen pro derivatione,

1) *Οὐδὲν πλὴν αὐτὸς ἦν· αὐτὸς δὲ μόνος ὤν, πολὺς ἦν· οὔτε γὰρ ἄλογος, οὔτε ἄσοφος, οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀβούλευτος ἦν· πάντα δὲ ἦν ἐν αὐτῷ, αὐτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν· ὅτε ἠθέλησεν, καθὼς ἠθέλησεν, ἔδειξε τὸν λόγον αὐτοῦ καιροῖς ὡρισμένοις παρ᾽ αὐτῷ, δὶ οὐ τὰ πάντα ἐποίησεν . . . τὸν λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἀόρατον τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ, ὁρατὸν ποιεῖ, προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος, φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν.* ***Bibl. PP. edit. Venet.*** tom. II. pag. 460.

2) Quod quidem evincit tum ex ipso anathematismo symboli nicæni epistolæ imperatoris Constantini, S. Zenonis, ac præcipue, ut diximus S. Athanasii. Verum cavendum ab hujus auctoris lectione juvenibus præsertim est, quia ubique fere odium suum in ecclesiam catholicam patefacit.

3) *Ἕτερον δὲ λέγων, οὐ δύο Θεοὺς λέγω, ἀλλ᾽ ὡς φῶς ἐκ φωτὸς, ἢ ὡς ὕδωρ ἐκ πηγῆς, ἢ ὡς ἀκτῖνα ἀπὸ ἡλίου.* ibid. n. 11.

vel emanatione, quam nos *processionem* dicimus, usurpat, quæ derivatio totius sit substantiæ in Filio. Nec enim ignorare poterat vir doctissimus quod et rudes sciunt, divinam substantiam simplicissimam esse et indivisibilem, ex qua *portio* nulla rescindi possit, sed quæ aut tota communicetur aut nullo modo [1]).

234. Eodem sensu intelligendi sunt Ignatius, Irenæus, Justinus aliique dum Filium vocant ***Patris administrum, Patris subditum*** dicunt, ejusque ***voluntati servientem, consilio ac voluntate Patris genitum;*** quia nempe Pater per ipsum omnia condidit, at quia non invite etsi ***necessario***, summa tamen voluptate ipsum genuit, dum e contra creaturæ sola ipsius voluntate ex nihilo prodierunt. Sic Justinus alibi Filium secundam post Patrem *potestatem* appellat, id est personam, aliquando Patrem *causam* Filii dicit, id est principium. Cæterum et ipsi S. Athanasius orat. III, cont. arianos, Hieronymus apol. I. cont. Ruffinum, Augustinus adversus Maximinum, et Cyrillus alex. dial. III. de Trin. iisdem vocibus sæpe usi sunt; quia scilicet totum quod habet Filius, accipit a Patre et quia Patris ratio excellentiam quandam exprimit, qua major aliquo modo sit Filio.

235. ***Ad 3***^m^, ***Dist.*** Solum Patrem ***invisibilem*** et ***immensum*** dixerunt ratione nempe missionis ac derivationis *ad extra*, quam utique nullam habuit Pater, ***conc.*** ratione præstantioris naturæ, ***neg.*** Itaque non de derivatione ***ad intra***, ***sed de sola*** derivatione ***ad extra*** sermonem habent patres citati, et præsertim Tertullianus dum contra Praxeam cap. XIV, dicit: ***Patrem invisibilem pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium pro modulo derivationis*** quod solis similitudine explicat, quem nobis intueri non licet, ***radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, quæ in terram inde porrigitur.*** Scilicet quidam veteres patres in ea fuerunt sententia, quod Deus, cum loqueretur prophetis et patriarchis, Filium suum miserit in ea humana figura, quam assumpturus erat in incarnatione. Cæterum privata hæc fuit veterum illorum opinio. Augustinus aliique patres apud Petavium lib. VIII de Trin. cap II modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum, modo Trinitatem totam visam a prophetis in symbolis ac schematibus docent. Certe ***invisibilem*** et ***immensum*** etiam Filium dixerunt veteres, ***qui ne animo quidem comprehendi possit*** [2]) ut ait Auct. antiquissimus ep. ad Diognetum inter opera S. Justini [3]); superius S. Irenæi in hanc sententiam testimonium protulimus.

236. ***Ad 4***^m^, ***Dist.*** Ex parte eusebianorum, vel Arii fautorum, ***conc.*** ex parte catholicorum, ***neg.*** In ea siquidem synodo Ario favebant Eusebius nicomediensis, Theognis Nicææ, Maris Chal-

1) Bullus l. c. 10. fuse exponit mentem Tertulliani, sed melius Maran lib. 4, cap. 11. et 12.

2) *Τὸν λόγον, τὸν ἅγιον, καὶ ἀπερινόητον.* Verbum sanctum ac incomprehensibile.

3) Hunc auctorem plures eruditi ipso Justino anteriorem ætate censent.

cedonis, Theonas Marmaricæ et Secundinus Ptolemaidis episcopi, viri subdoli, eloquentes, acuti, qui subtilitatibus suis turbare simpliciores ac minus eruditos poterant; subdit tamen Eusebius ibid. *unius fidei consonantiam apud omnes obtinuisse* [1].

237. *Ad* 5m, *Neg.* Pessimam enim ac falsam ejusmodi Jurii consequentiam prorsus evertit S. Athanasius, dum in op. de synodi nicænæ decretis pag. 233 sic arianos alloquebatur: ***En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam*** (de Filii cum Patre consubstantialitate) ***a patribus ad patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi Judæi et Caiphæ discipuli, quos demum assertionum vestrarum patres ostendere valetis? Ne unum quidam e prudentibus et cordatis nominare potestis: cuncti vos aversantur, præter unum diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit*** [2].

238. IV. *Inst.* 1° Si ita est, qui igitur est factum, ut ariana doctrina totum ferme orbem pervaserit? Cur 2° in baptismi administratione nulla fiebat expressa divinitatis Filii et Spiritus Sancti mentio, ut patet ex compendiosa fidei professione, quam baptizandus emittere debet: ***credo in Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum?*** Cur 3° denique ejusdem harum personarum divinitatis nulla mentio occurrit in symboli expositionibus apud Irenæum et Tertullianum?

239. ***Resp. Ad*** 1m, *Neg.* factum quod falso supponitur 1° Ariani proprie dicti semper pauci fuerunt 2° quo se tegerent formulas suas catholicæ fidei conformes in cortice saltem literæ ediderunt; 3° populi alieni semper ab hac impietate fuerunt, 4° fraudibus interdum ut mos est hæreticorum hominum, venenum ac subdole propinare, interdum vi et aperta violentia ingerere ariani moliti sunt; 5° fides nicæna magno plausu ab omnibus catholicis ecclesiis excepta triumphum cecinit.

240. *Ad* 2m, *Neg.* pariter quod nimia confidentia Episcopius obtrudit. Superius ex Celso rationem ostendimus, qua catechumeni instruerentur; quod confirmatur ex fidei professione emissa ab Eunucho reginæ Candacis, antequam ad baptismum admitteretur, dicens: ***Credo Filium Dei esse Jesum Christum.*** Vix in tantulo verborum circuitu, quem nobis objicit Episcopius, clarius Filii et Spiritus Sanctus divinitas exprimi potuit, accedente præsertim hujus formulæ expositione.

241. *Ad* 3m, Nullam reperiri, ut ait Episcopius, apud Tertullianum et Irenæum divinitatis Christi mentionem, tam aperte falsum est, ut plane nesciam, inquit Bullus, quo judicio, qua

1) *Ὁμογνωμόνας καὶ ὁμοδόξους ἐπὶ ἀμφισβητουμένοις ἅπασιν.*

2) *Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δὲ, ὦ νέοι Ἰουδαῖοι, καὶ Καϊάφα μαθηταὶ, τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι πατέρας; ἀλλ᾽ οὐδένα τῶν φρονίμων, καὶ σοφῶν ἂν εἴποιτε· πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται, πλὴν μόνου τοῦ Διαβόλου· μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποστασίας πατὴρ, κ. τ. λ.* N. 27. *edit Maur.*

fide, quave conscientia illud tam fidenter affirmare potuerit. Sed ita est nisi hæretici et increduli mentiantur, nihil proficiunt. Plura exempla dedimus.

242. II. *Obj.* Saltem nicæna synodus vocem consecravit obscuram et ambiguam. Vox enim 1° ὁμοούσιος sponte sua non ad unitatem *numericam*, sed *specificam* refertur. Aristoteles vocat stellas ὁμοουσίας, homines ὁμοούσιοι sunt, quia ad eandem speciem pertinentes substantiæ. Quare 2° merito hanc vocem proscripserat longe ante nicænum concilium synodus antiochena contra Paulum samosatenum an. 269 vel 270. Dicendum propterea 3° patres nicænos fuisse tritheismi labe infectos ut patres alii non pauci per ea tempora. Ergo [1]).

1) Ita Clericus in *epist. crit.* 3. pag. 91. Qui exinde infert patres nicænos fuisse tritheitas „credebant enim, inquit in notis ad illud Joan. *et hi tres unum sunt, substantiæ unitatem* non *numeri singularitatem*, ut loquitur Tertull., hoc est, unicam esse specie substantiam Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed numero triplicem" et vades tam iniqui judicii dat Petavium, Curcellæum, Cudworthum etc. Et eadem repetit pluribus locis præsertim tom. 3. *Biblioth.* pag. 507. tom. x. pag. 29 30, 434. etc. Quem imitatus Gibbon in *Hist. casus imperii rom.* vol. 4. *edit. Med.* c. 20. 21. loquens de voce *homousion* spectat eam „qual termine misterioso, che ognuno era libero d'interpretare secondo le proprie opinioni; come un *temperamento politico della maggior parte* dei vescovi presenti al concilio niceno, alcuni dei quali inclinavano ad una Trinità nominale, ed altri che erano i santi allor più alla moda, il dotto Greg. Naz., e l'intrepido Atanasio favorivano il *Triteismo* etc.

At I. inique prorsus Clericus et Curcellæus Petavium inter patrocinatores suos recensent „quo, ut loquitur Maran lib. 4. c. 29. n. 1., nemo melius unitatem essentiæ numericam ex græcis latinisque patribus demonstravit." Sane Petavius lib. 4. *de Trin.* cap. 13, unicam esse numericam essentiam in tribus personis ex doctrina patrum quinque argumentis invicte demonstravit. Hæc apud Petavium Clericus legere debuit, præsertim cum ipse sub ementito nomine Thomæ Alethini notulas apposuerit Petaviano operi *edit. Antuerp.* 1700. et ad loc. cit. not. 26 juxta præconceptam suam sententiam scripserit: „Ut hodierno more responderemus, unam rationem unitatis diceremus singularitatem unius numero essentiæ: qua posita, cæteræ memoratu dignæ non sunt. *Sed aliter olim philosophabantur.*" Sed maluit Curcellæum sequi, qui in *append. ad* suam *dissert.* accisum et detruncatum Petavii locum descripsit. Curcellæum et Clericum imitatus est *Faydit* in *apol. system. ss. pp.* pag. 89. Num melius quidquam expectes ab iis, quos neque fides neque conscientia urget?

II. Quod attinet ad tritheismum patrum juxta Gibbonium aliosque ejusdem farinæ homines, qui accusant potissimum de hoc errore S. Athanasium etc. cæteris prætermissis, satis nobis sit iis opponere alium heroem, cujus auctoritatem ipsi recusare non possunt. Wegscheider enim §. 89. in not. *a* sic fidenter scribit: „Vocabulum ὁμοούσιος a patribus nicænis non eodem, quo postea ad normam, doctrinæ orthodoxæ definitum est sensu; hoc est de *identitate* naturæ et substantiæ dictum fuisse, *negari nequit.* (Miraminor intrepidi judicis definitivam sententiam!) Patres nicæni hac voce potius substantiam divinæ omnino ὁμογενῆ et unitatem quandam *specificam* arctissimam quidem et perfectissimam, cujusmodi in nullis aliis ejusdem speciei naturis deprehenditur, significasse videntur, ita ut Patri et Filio singulas virtutes divinas, velut æternitatem, immutabilitatem, eodem sensu attribuerent, hoc tantum inter Patrem Filiumque discrimen statuentes ut ille ἀγένητος sit, hic ἐκ τῆς φυσίας τοῦ πατρὸς ab æterno genitus. Athanasius autem postea huic vocabulo a synodo nicæna non accuratius definito suam ipsius de Filio, τῷ λόγῳ scilicet sapientia Dei ab æterno subsistente sententiam substruxit qua et ipse *unitatem Patris et Filii numericam* (ἑνότητα καὶ ταυτότητα τῆς οὐσίας, τριάδα ἐν μονάδι *unitatem et identitatem naturæ, Trinitatem in unitate*) non *ternionem* quendam sed *trinunitatem*, ab Augustino demum strictius finita indicabat... Qua trinunitate accepta ὁμοουσίας (*consubstantialitatis*) notio ad doctrinam or-

243. ***Resp.*** *Ad* 1m, *Neg.* in sensu quo a nicæna synodo usurpata fuit. Nam adeo explorata res erat, per vocem ***consubstantialem*** patres nicænos intellexisse unitatem numericam, ut nullum lapidem non moverint ariani eorumque fautores, ut eos ab hac voce consecranda dimoverent; sed frustra, quia patres deprehenderunt aptissimam hanc vocem esse ad omnes versutias et fraudes eusebianorum præcavendas. Post nicænam synodum nihil intentatum illi hæretici reliquerunt ad illam formulam supprimendam, aliamque ipsis minus incommodam substituendam, ut patet ex tot formulis ab ipsis editis atque ex ipso concilio ariminensi. Catholicos per contemptum ***homousianos*** vocabant. Porro de voce obscura et ambigua vaferrimi hæretici adeo soliciti minime fuissent.

244. *Ad* 2m, *Neg.* Exploratum jam est apud melioris notæ criticos, supposititiam esse illam synodi antiochenæ damnationem vocis *ὁμοουσίας*, quod patet 1° ex eo quod nonnisi post 90 annos a celebratione illius synodi a semiarianis in conc. ancyrano anno 358 mentio hujus damnationis facta fuit; 2° ex silentio arianorum, quos profecto illa damnatio, si extitisset, non potuisset latere; 3° ex silentio eruditissimi Eusebii cæsariensis addictissimi arianis et cui semper illa vox displicuit: qui non solum tacet de prætensa illa damnatione, sed ultro fatetur vocem illam ab antiquis patribus *fuisse* usurpatam; quemque constat eidem in conc. nicæno subscripsisse; 4° ex eo quod S. Athanasius, Hilarius, Basilius decepti in hac re facti a semiarianis, fatentur se acta illius synodi non vidisse [1]; 5° ex accusatione data Dionysio alex. apud Dionysium rom. pont. quod ***Filium rem creatam nec Patri consubstantialem*** *ὁμοούσιον* ***diceret;*** 6° ex apologia S. Pamphili pro Origene post paucos annos ab illo decreto exarata, in qua ostendit Filium consubstantialem Patri; 7° ex eo quod in damnatione Pauli samos. sæpius eadem voce utitur eadem synodus [2].

245. *Ad* 3m, ***Resp.*** hanc non esse nisi infamem calumniam prolatam in illos sanctissimos patres a nostris unitariis, quibus nimis patres nicæni odiosi sunt et invisi. Quod veteres ariani ne suspicati quidem sunt, id nunc rationalistæ, quibus in asserendo perfricta frons est, pro certo ac indubitato habent [3].

thodoxam accommodate sic constituitur, ut tres dicamus esse personas *αὐτοθέους* in una eademque essentia divina solo charactere hypostatico a se invicem distinguendas." Juxta Clericum, Curcellæum, Gibbon etc. Athanasius fuit coriphæus tritheitarum; juxta Wegscheider, Fuchs, Münscher, seu rationalistas idem Athanasius fuit auctor unitatis numericæ. Sed cf. ipse Athanasius in lib. *de Decret. nic. syn.* n. 19 et 20. et apparebit quanta sit impiorum omnium impudentia.

1) Cf. Maran lib. 4. c. 29. §. 2.

2) Cf. Dissert. Magan. *sur les sémiariens Paris* 1722. nec non *Diss. de voce homousion auct. P. Liberato Fassonio Congr. schol. Piar. Romæ* 1753. quamque suo *Thesauro Theologico* inseruit P. Zaccaria vol. 3 pag. 211.

3) Cf. Maran lib. 4. c. 30. ubi usque ad evidentiam ex publicis et notoriis factis evincit numeralem essentiæ uni-

CAPUT IV.

DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

246. Divinitatem Spiritus Sancti præter obscuros nonnullos hæreticos, quorum meminit S. Ignatius in ep. ad Trallianos, directe impugnarunt macedoniani sic dicti ab auctore sectæ Macedonio ariano sub imperatore Constantio antistite constantinopolitano intruso. Hic docuit, Spiritum Sanctum creaturam esse ac proinde natura et dignitate Deo longe inferiorem. A pluribus synodis tunc temporis celebratis proscriptus ejusmodi error statim fuit, ac præsertim in œcumenica constantinopolitana 1ª anno 381.

247. Sociniani ulterius progressi inficiati sunt, Spiritum Sanctum personam esse subsistentem, sed contendunt eo nomine non designari nisi Dei virtutem, seu vim et efficaciam.

248. Rationalistæ eandem instaurarunt impietatem, ac nusquam in scripturis hypostaseos veræ notionem Spiritui Sancto tribui contendunt [1]).

249. Hi omnes in Spiritum Sanctum blasphemi reique propterea *æterni delicti* communi *pneumatomachorum* nomine censentur. Quibus armis dogma SS. Trinitatis ac divinitatis Verbi propugnavimus, iisdem Spiritus Sancti divinitatem adversus eos defendere nunc aggredimur. Quum vero illa argumenta, quæ ex SS. literis et universa traditione promemus, non modo eum vere proprieque Deum esse evincant, sed et peculiarem hypostasin seu personam subsistentem, hinc postremum istud instar corollarii, prouti nempe præstitimus de Verbo agentes, ex asserta ipsius divinitatis veritate deducemus. Sit itaque

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est, ut in primis ex scripturis constat.

250. Est de fide, prout ex omnibus fidei nostræ professionibus ac symbolis patefit.

251. Sic vero ejus veritatem ostendimus ex sacris literis: scripturæ Spiritui Sancto Dei nomen tribuunt ac divinas proprietates et operationes; ergo ex scripturis Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est.

tatem a patribus nicænis et subsequentibus propugnatam fuisse.

1) Henke lib. I. pag. 104. et seqq. Ammon *bibl. theol.* d. pag. 252 et seqq. Et *Summa theol. christ.* 92 et seqq. Schmid *Die Christl. religion als etc.* seu *Christiana religio tanquam scientia, Jen.* 1797 pag. 317 et seqq. Loffler *zu souverain üb. den platonismus etc.* seu in *Souverain de platonismo ecclesiæ patrum* pag. 426 et seqq.

252. Ac primo quidem Dei nomen et appellationem Spiritui Sancto exhibent actus apostolici ver. 3. 4. Sic enim Petrus Ananiam objurget: *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? . . . Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ille enim cui mentitus est Ananias Deus dicitur, atqui hic est Spiritus Sanctus, ergo Spiritus Sanctus Deus vocatur. Rursum Heb. III, 7, ait Apostolus: *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis;* hunc autem Spiritum Sanctum ver. 12. Deum vocat dicens: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Ex quibus idem exurgit argumentum; quod pariter conficitur ex Isai. VI, 9 ubi Dominus Deus Sabaoth locutus esse dicitur: *Audite audientes et nolite intelligere.* Atqui hæc verba tanquam prolata a Spiritu Sancto refert apostolus act. ult. 25 dicens: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam . . dicens, vade ad populum istum* etc. Ergo ex apostolo idem est Dominus Sabaoth, ac Spiritus Sanctus. Idem præterea apostolus I Cor. III, 16 fideles templum Dei vocat; *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Ac postea eosdem Spiritus Sanctus templum esse confirmat dicens: *an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* (I. Cor. VI, 19.) Deum propterea Spiritum Sanctum expresse nominat; et alibi passim.

253. II. Nec solum nomen sed et proprietates, quæ uni Deo competunt, passim scripturæ Spiritui Sancto tribuunt, cujusmodi sunt *omniscientia*, I Cor. II, 10. et seqq. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei . . . quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, et Joan. XVI, 13 *Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, item *omnipræsentia* Sap. I, 7 *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, et ps. CXXXVIII, 7. *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Omnipotentia* ps. XXXII, 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ac Luc. I, 35. *Virtus altissimi* dicitur; nec non vivificandi vim Rom. VIII 11 Apostolus ei tribuit scribens *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis . . . vivificabit et mortalia corpora vestra.*

254. III. Tribuunt præterea operationem, et efficientiam divinam, talis est *inspiratio prophetarum* I, Pet. 1, 11. qui futura de Christo prænunciarunt, prout significavit in eis *Spiritus Christi*, ac rursum II, Pet. I, 21. *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines; creatio* et *rerum conservatio* ps. CIII, 30 *Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terræ; operatio miraculorum* Matth. XII, 28 *in Spiritu Dei ejicio dæmonia*, et I, Cor. XII, 4; *opera gratiæ* cujusmodi sunt *Christi conceptio* Luc. I, 35; *unctio* et *missio* Is. LXI, 1; *peccatorum remissio* et *regeneratio* I, Cor. VI, 11;

regimen ecclesiæ Act. XIII, 2, *collatio donorum* I, Cor. XII; *Divisiones gratiarum sunt*, *idem autem Spiritus. Divisiones ministrationum sunt*, *idem vero Dominus*, *et divisiones operationum sunt*, *idem vero Deus*, *qui operatur omnia in omnibus*; *sanctificatio* II, Thess. II, 13. et I, Pet. I, 2; *diffusio charitatis* Rom. ver. 5; *resurrectio* mortuorum Rom. VIII, 11.

255. IV. Idem cultus et honor tribuitur Spiritui S. æque ac Patri et Filio, ut patet ex forma baptismi de qua superius diximus; et rursum II, Cor. XIII, 13 sic apostolus tres personas conjungit dicens: *gratia D. N, J. C. et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

256. V. Ita Spiritus S. Filio comparatur, ut de eo dicatur Joan. XIV, 16 *alius Paraclitus* per comparationem ad Christum: eadem origo divina adscribitur ibid. XVI, 26 vocante eum Christo *Spiritum veritatis*, *qui a Patre procedit* eadem ratione ac de Filio dicitur, quod *exierit a Deo.*

257. Ex quidus omnibus sic instruimus argumentum: Ille vere et proprie Deus dicendus est, cui Dei appellatio, divina attributa, divinæ operationes, divinus cultus, honor et dignitas, divina demum processio et origo tribuuntur; atqui ex dictis talis est Spiritus S. juxta scripturas: ergo.

258. Rursum: Ille non sola vis, attributum et efficientia, sed vera hypostasis, seu persona subsistens dicendus est, qui perhibetur vivens et operans eadem ratione ac dicitur de iis personis quibus comparatur; quique mitti dicitur et alius dicitur, procedere dicitur, perinde ac Filius Dei, qui certe est persona subsistens; atqui ex demonstratis talis est Spiritus S. Ergo Spiritus Sanctus et Deus et divina peculiaris subsistens persona est.

DIFFICULTATES.

259. I. *Obj.* 1° Nusquam substantia quædam corporea, scilicet *materialis* hujus Spiritus divini commemoratur, 2° neque modus, quo procedat a Deo, ostenditur. Quod si 3° prædicata divina Spiritui S. tribuuntur, recte id fit, quatenus vel ipse Deus hoc Spiritus S. nomine significatur (Joan. IV 24 seqq. et I Cor. III, 16, XII 6-11), vel 4° vis quædam Dei in animis hominum efficax, quæ pro rudioris ævi ingenio ac dicendi genere tanquam peculiaris natura a Deo procedens cogitatur, ideoque proprietatibus divinis potest ornari. Attamen 5° in ipsis libris sacris nec veræ hypostaseos, nec processus a Filio notio satis perspicue declaratur. Ergo [1]).

260. *Resp. ad* 1^m, *Dist.* Idest *subsistens*, *neg.* alio sensu, *conc.* Toties enim in scripturis substantia proprie dicta et sub-

1) Wegsch. §. 86.

sistens Spiritus S. prædicatur, quoties Deus dicitur vivens et operans, et distinguitur expresse a persona Patris et Filii, quod fit ubi a Patre procedere dicitur ac mitti, item accipere de eo quod est Filii ut Joan. XVI, 15 et inferius expendemus, et mittitur a Filio ib. XV 26. Tum Luc. III 22. *et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum* (Christum) *et vox de cœlo facta est: tu es Filius meus dilectus* quibus verbis tres personæ subsistentes et distinctæ commemorantur. Quod pariter constat ex I Joan. ver. 7 juxta superius demonstrata cap. II prop. II. Falsum igitur est, quod assumunt adversarii [1]).

261. *Ad* 2m, *Trans.* et *Neg. cons.* Ex eo enim quod modus alicujus rei expresse non tradatur, concludi nequit non existere rem ipsam. Modum ignoramus quo anima agat in corpus et vicissim, ergo non existit anima? Digna rationalistarum dialecticæ consecutio.

262. *Ad* 3m, *Dist.* Ratione naturæ, *conc.* ratione personæ quatenus scilicet Pater Spiritus antonomastice, vel Spiritus S. dicatur, *neg.* Nuspiam enim Pater prout persona peculiaris est a reliquis distincta Spiritus, multo minus Spiritus Sanctus vocatur. Primus autem locus Joan. IV 24 qui nobis objicitur *Spiritus est Deus* refertur, ut patet ad divinam naturam in concreto; reliqua autem duo de Spiritu Sancto sunt, qui Deus dicitur et donorum auctor et distributor. Dicitur enim idem Deus, idem Spiritus, dividens prout vult.

263. *Ad* 4m, *Dist. antec.* Spiritu S. immissa seu producta, *conc.* ad exclusionem Spiritus S. personæ, *neg.* Spiritus S. persona cum ipsius operationibus ac donis seu effectibus confundi nequit, prout unitarii et rationalistæ passim faciunt. Falsum præterea est a rudioris ævi ingenio nondum a rationalistis exculto tanquam peculiarem naturam (catholici dicunt *personam*) procedentem a Deo excogitatam esse; sed a Christo ipso, ut vidimus, et sacris scriptoribus originem habet dogma istud.

1) Ut specimen sumant lectores exegeseos neotericorum biblicorum protestantium placet hic subjicere quæ in cap. 3. *S. Matth.* ver. 17. adnotavit Georg Rosenmüller ad illa verba: *Et ecce vox de cœlo.* etc. „קוֹל יְהוָה sæpe, inquit, est *tonitru ps.* XXIX. 3. et seqq. XVIII. 14. et sic *φωνὴ* legitur etiam *Apocalyps.* VI. 1. Hebræi autem æque ac græci et romani fulmina et tonitrua annumerabant signis præsentiæ Dei, et prodigiis divinitus factis quorum significationem ex rerum circumstantiis dijudicabant. Vid. I. *Reg.* VIII. 10. XVIII. 38 39. Ovid. *fast.* IV. 834. Virg. *Aeneid.* II. 693. Tonitru igitur Joanni erat publica declaratio Dei Jesum esse Messiam... Sed illa filia vocis (*vox de cœlo φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν*) plerumque nihil aliud fuit, quam vox aut echo temere aliunde auribus illapsa, ex qua, divina ei origine adscripta, auguria captarunt homines superstitiosi: vel etiam vox hominum aliorum, quam ominis loco arripuerunt, et in rem suam interpretati sunt" ex quibus patet nihil aliud intervenisse in baptismate Christi quam tonitru, et ignea species, ut in *v. præced.* exponit ex quibus Joannes Baptista ac reliqui præsentes omen sumpserunt de Jesu Messia etc. Si hoc non sit verbum Dei pervertere, quid sit nescio.

264. *Ad* 5^{m}, *Neg.* Contrarium enim ostendimus, et clarius adhuc fiet ex iis, quæ adversus græcos disseremus.

265. I. *Inst.* Spiritus S. in columbæ specie apparitionem non esse nisi mythum inde patet, quod 1° fieri nullo modo possit, ut natura infinitæ finitæ speciem et formam induat, et ut Deus corpore qualicumque in oculos sensusque incurrat, id quod in N. T. libris diserte negatur (Joan. I 18. I Tim. VI 16.); sic 2° narratio, quæ act. apost. II 1 seqq. legitur de dono peregrinis linguis loquendi primum apostolis tributo conferre licet cum mytho de confusione linguarum, qui Gen. XI 1 seqq. exponitur [1]). *Cultus* autem 3° *divinus* qui Spiritui S. tribui dicitur, non innititur nisi argumentis dubiis ex Matth. XXVIII 19, II Cor. XIII 13, Rom. IX 1 petitis, ergo ex his nihil confici potest ad adstruendam peculiarem Spiritus S. hypostasin, ejusque divinitatem.

266. *Resp. Neg. antec. ad* 1^{m}, *Neg.* pariter nihil enim vetat quominus natura infinita finitæ speciem et formam induat. Tunc solum haberetur repugnantia, si diceretur natura infinita simul finita esse, minime vero si dicatur hæc infinita natura, seu Deus adsciscere speciem et formam naturæ finitæ sive realem, ut factum est in incarnatione, sive symbolicam, ut ex veterum patrum sententia factum legitur in tot apparitionibus, quas exhibet V. T. in quibus utique Deus potest in oculos sensusque incurrere. Ast hoc non arridet rationalistis. Quid inde? Insanientes corrigere supervacaneum est. Iis autem non repugnant objecta scripturarum loca in quibus dicitur; ***Deum nemo videt unquam***, vel ***quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;*** quæ intelligi debent de natura divina prout in se est, non autem in assumpta specie, vel forma sive reali sive symbolica.

267. *Ad* 2^{m}, *Neg.* Jam alias adnotavimus hoc mythorum inventum non esse nisi somnium rationalistarum ad eludendam scripturarum auctoritatem in iis omnibus, quæ naturæ vires excedunt, quæque ipsi admittere nolunt. Quis ferat dici mythum, factum illud, quo commota est universa Solymorum civitas, ac multa hominum millia Christi fidem amplexa sunt; quod repetitur act. X 44 in Cornelio ejusque familia; et ib. XIX 6, de dono loquendi linguis peregrinis disserit apostolus I Cor. XIV tanquam de re notissima atque inter primos fideles communi. In hypothesi adversariorum scriptura inscribi deberet *mythologia sacra.*

268. *Ad* 3^{m}, *Neg.* Ea enim argumenta ad hæc usque tempora pro certis habita sunt. Quotiescumque rationalistæ nesciunt se ab iis expedire ea vocant dubia, quin talis dubii aliquam rationem afferant.

1) *Wegsch. Ibidem.*

269. II. *Inst.* 1° Eodem jure, quo ex locis Joannis *alium* Paraclitum pollicentibus *personæ* notionem exsculpunt veteres, postulari poterat, ut vere novum quendam post Jesum doctorem, qualis ipse Jesus, prodiisse atque in susceptum ab Jesu opus successisse probarent [1]). Verum 2° ejusmodi personam apostoli neque expectarunt, neque ipsis adfuisse unquam professi sunt; quippe 3° Spiritum illum in alia quadam natura, sive Deo, sive Christo, sive homine versantem et operantem plerumque inducunt, quemadmodum mortem (Rom. ver. 12 Jac. I 15), peccatum (Rom. VI 12 seqq. VII 14 seqq.), legem (Rom. VII 23 Gal. III 24 et scripturam sacram Gal. III 8) personæ forma induunt, nec usquam tanquam naturam quandam individuam exhibent. Ergo.

270. *Resp. ad* 1^m^, *Dist.* Si Jesus alium hunc paraclitum pollicitus esset visibilem ac sibi similem in natura assumpta, *conc.* si tota orationis ejus series invisibilem ac in propria divina natura subsistentem eum indicabat, *neg.* Omnes vero notæ quibus Christus promissum paraclitum designavit, tales sunt, ut decipi apostoli non potuerint circa modum quo esset ipsis ille alius paraclitus adfuturus. Nam Joan. XIV 17 eum vocat *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Sicut ac de Patre suo et de se dixit ver. 23 *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum* (justum) *faciemus*; et ib. XV 26 *Cum autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me:* et rursum act. I 4 seqq. iis characteribus Spiritum S. in quo baptizari debebant, exposuit, ut ne suspicarentur quidem apostoli se visuros, veluti alterum Jesum, promissum sibi Paraclitum, qui igitur vocatur Spiritus veritatis, qui venturus esset ad apostolos et cum iis eorumque successoribus mansurus in æternum ea ratione, qua, Pater et Filius habitaturi erant in anima justi, non poterat ab apostolis expectari ut persona adspectabilis atque ut alter Jesus; atqui talis est alius Paraclitus a se distinctus, quem ipsis pollicitus est Christus; ergo immerito rationalistæ a veteribus possunt postulare, quod non est nisi ipsorum rationis figmentum. Addo veteres etiam ex traditione scire potuisse cujusmodi esset promissus ille Paraclitus.

271. *Ad* 2^m^, *Dist.* In sensu adversariorum, *conc.* alio sensu, *neg.* Acta apostolorum nobis eos exhibent expectantes sibi promissum Spiritum S. et apostolum Petrum præ concione exposuisse quid acceperint; et rursum cap. XI 15 et alibi passim. Mentiuntur propterea rationalistæ, dum talia obtrudunt.

1) Ita Henke *Lin. Fid. Christ.* pag. 106.

272. *Ad* 3^m^, *Neg.* Etsi enim frequenter apostolus delectetur ejusmodi prosopopejis, ex subjecta materia figura facile intelligitur; at per prosopopejam designasse pariter Spiritum S. numquam evincent adversarii. Talia enim in scripturis occurrunt, quæ eam omnino excludant; ut ex dictis constat.

273. III. *Inst.* 1° Ipsa appellatio *Spiritus Dei, Spiritus Christi*, quæ passim in scripturis Spiritui S. tribuitur, ostendit peculiarem personam eum non esse, prout non est persona spiritus hominis, qui in ipso est, nec ab eo distinguitur. 2° Baptizamur præterea in Spiritu S. at in quo baptizamur, persona esse non potest, siquidem baptizamur pariter in aqua. Addatur 3° Spiritum S. sæpe dici Dei donum; et 4° in multos effusum ut die pentecostes (Act. II). Rursum 5° Spiritus S. mentibus quasi inhærens excitari perhibetur (ps. L. 13 14. Is. LXIII 10 11); sic pariter homini cuidam tribuitur et aufertur vel mediorum externorum ope (I. Reg. X 6 11. XVI 14 verbi g. unguento XVI 13. Jud XV 14. XVI 20.); et quasi particulæ ejusdem ab uno viro, qui eo imbutus est, ad alios multos transferuntur (Num. XI 17, 25). Quæ quidem aliaque his similia personæ subsistenti convenire non possunt. Ergo.

274. *Resp. ad* 1^m^, *Dist.* Si hæc denominatio referretur ad essentiam seu essentiæ partem, cujus Spiritus dicitur, *conc.* si ad personam et quidem relative ac notionaliter, *neg.* Hinc patet discrimen quod intercedit inter hanc denominationem quando usurpatur de homine, et quando usurpatur de persona divina. De homine vox spiritus non potest sumi nisi quoad ipsius partem essentialem; at quoad Deum si sumatur relative, non potest accipi nisi de persona; contra vero si absolute accipiatur denotat ipsam divinam essentiam seu naturam. Ex subjecta proinde materia dignosci debet, quando vox *spiritus* relative, quando vero absolute accipiatur, tum etiam quando pro essentia, aut parte essentiali, quando autem de persona. Quod si apostolus I Cor. II, 11 comparare videtur Spiritum qui in Deo est, cum spiritu qui est in homine, liquet ex contextu comparationem referri ad modum cognoscendi, non autem ad modum subsistendi, eo magis quod in divinis præsertim una persona in altera esse possit juxta illud Christi dictum Joan. X 38 *Pater in me est, et Ego in Patre.*

275. *Ad* 2^m^, *Dist.* Improprie, *conc.* proprie, *neg.* Dicimur autem baptizari in Spiritu S. sicut dicimur baptizari in Christo, qui utique persona est, ipsis fatentibus unitariis, improprie tamen, nempe in virtute Christi ut causæ meritoriæ justificationis, quam per baptismum adipiscimur in virtute Spiritus S. ut causæ efficientis ejusdem justificationis; baptizamur in aqua ut causa instrumentali.

276. *Ad* 3^m^, *Dist.* Donum Dei personale et subsistens, *conc.* accidentale, *neg.* Eadem scilicet ratione Spiritus S. interdum in

scripturis sic vocatur, qua ipse Filius pariter donum Dei dicitur, ut Joan. III 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* et alibi passim, quatenus Deus ex sua in nos gratuita misericordia Spiritum Sanctum misit prout miserat Filium.

277. *Ad* 4m, *Dist.* Effusum novo effectu in apostolos atque credentes, *conc.* divisum, *neg.* Sed idem potius Spiritus est, qui dona sua dividit singulis prout vult, ut dicitur I Cor. XII 11 ideoque active, non passive effunditur Spiritus S. quemadmodum dicimur Christum induere, aliaque ejusmodi.

278. *Ad* 5m, *Dist.* Excitare perhibetur in suis effectibus, seu in gratia, *conc.* in se, *neg.* Eadem ratione dicitur tribui et auferri. Falsum vero est ac purum putidumque mendacium mediorum externorum ope id fieri, neque id asserunt loca ab adversario citata; quod si I Reg. XVI, 13. Samuel cornu olei inungit David in regem, non dicitur tamen quod ope unguenti directus sit Spiritus Domini in David, quod de suo adjecit rationalista; sed totum refertur, quod uncto David in regem, Spiritus Domini directus in eum sit et recesserit a Saul, quod intelligendum est de speciali Dei benevolentia et directione. Multo minus id dicitur in aliis locis ab ipso adductis, in quibus nec syllaba est de unguento aliisve mediis externis [1]).

279. II. *Obj.* Dato etiam quod Spiritus S. sit persona subsistens, non sequitur inde ipsum Deum esse. Nam 1° nusquam expresse in scripturis *Deus* appellatur, nusquam 2° adorandus vel invocandus proponitur, 3° Dei dona et beneficia enumerans apostolus I Cor. VIII 6 Patri ac Filio tribuit, nulla injecta de Spiritu S. mentione, quem 4° vel primi Christi-fideles penitus ignorabant act. XIX 2. Siquidem a Paulo duodecim discipuli interrogati, num Spiritum S. accepissent credentes, responderunt: *Sed neque si Spiritus S. est audivimus.* Quin potius 5° a Filio non obscure *factus* perhibetur illis verbis Joan. I 3. *omnia per ipsum facta sunt.* Ergo.

280. *Resp. Neg. antec. ad* 1m, *prob.* et *Resp.* I. Etsi expresse diceretur Deus numquid tamen putandum est unitarios in eum fore credituros? Non puto: Verbum seu Filius Dei sæpissime, ut vidimus expresse *Deus*, et *verus Deus*, et *magnus Deus*, et *super omnia Deus* vocatur, numquid propterea credunt in ejus divinitatem? Eadem ratione se gererent relate ad Spiritum S. si expresse, ut ipsi contendunt, Deus in scripturis ipse vocaretur, cum non scripturæ sed sibi tantum fidem adhibeant.

281. *Resp.* II. *Neg.* Nam expresse Spiritus Sanctus Deus dicitur iis omnibus locis, quæ in probationibus adduximus.

1) Habes novum speciem malæ fidei rationalistarum, dum adeo aperte mentiri non verentur.

282. *Ad* 2^m, *Neg.* Nam in forma baptismi vera invocatio, et cultus Spiritus S. præscribitur, et cum apostolus II Cor. XIII, 13. scribit: *Gratia D. N. J. C. et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* [1]).

283. *Ad* 3^m, *Dist.* Ad exclusionem Spiritus S., *neg.* ex peculiari causa, *trans.* Nec enim quando una vel altera nominatur persona, alia excluditur, ut sæpe fit in scripturis; alioquin e censu divinarum personarum Pater ipse esset excludendus, quod adversarii profecto non admittunt. Cæterum idem apostolus tum alibi, tum præsertim ibid. XII, divina charismata Spiritui S. tribuit.

284. *Ad* 4^m, *Dist.* Solo baptismate Joannis tincti, *conc.* baptismate Christi, *neg.* Porro ipsis judæis ignotum non fuisse Spiritum S. patet ex pluribus locis N. T. in quibus de Spiritu S. sermo est, tanquam de re notissima Luc. enim I, 35 Angelus sic Mariam Virginem affatur *Spiritus Sanctus superveniet in te* ver. 15 pariter dicit idem Angelus Zachariæ *Spiritu Sancto replebitur etc.* Sic Matth. I 20. dicitur Joseph *quod in ea natum est de Spiritu Sancto est;* ut alia omittam.

285. *Ad* 5^m, *Neg.* Etenim post allata verba subdit evangelista: *et sine ipso factum est nihil, quod factum est* itaque omnia per Verbum facta sunt, *quæ* nempe *facta sunt.* At Spiritus Sanctus non est factus, *sed a Patre procedit* ut dicitur Joan. XV, 26 et *a Filio accipit* ib. XVI, 14.

286. I. *Inst.* Quæ in scripturis Spiritui S. tribuuntur, Deo convenire non possunt. Talis 1° est oratio de qua apostolus Rom. VIII, 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nec 2° dici potest *efficienter* id præstare quatenus nos postulare faciat, nam tunc æque Patri ac Filio adscriberetur hujusmodi efficientia, quæ utpote actio ad extra communis est tribus personis. 3° Negatur ipsi scientia dicente Christo Joan. XVI, 13 *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* 4° In eandem sententiam apostolus I Cor. II, 10 inquit: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; jam vero scrutari est inquirere in aliquam rem, quæ perfecte non agnoscitur, quod de divina scientia dici non potest, hinc 5° est quod ab hac scrutatione reliquæ personæ excludantur. 6° Demum idem apostolus ibid. cap. XIV, 32 universim pronunciat *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.* Spiritus autem prophetarum ipse Spiritus Sanctus est, qui propterea Deus esse non potest. Ergo.

287. *Resp. Neg. antec. Ad* 1^m, *Dist.* Quæ sit *improprie*, ut dicitur, et *efficienter*, *conc. proprie* et *formaliter*, *neg.* ut pa-

1) Quum ista testimonia ab adversariis inter dubia numerentur, argumentum est apertissimum, validissima hæc esse, nec illos habere quidpiam ad illorum vim eludendam.

tet ex contextu. *Spiritus*, inquit apostolus, *adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat* (id est postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus* [1]). Cfr. Matth. X, 20.

288. *Ad* 2m, *Dist. seq.* per se, *conc.* per *appropriationem*, *neg.* Nempe ea ratione tribuuntur Spiritui Sancto gratia, aliaque subsidia omnia, quæ ad nostram sanctificationem conferunt qua Patri opera omnipotentiæ, Filio quæ ad sapientiam spectant, etsi hæc omnia totius Trinitatis per se atque absolute propria sint.

289. *Ad* 3m, *Neg.* vel *Dist.* Scientiam mutuatur a Filio, quia ab eodem æque ac a Patre habet essentiam per processionem ab utroque, ut inferius ostendemus, *conc.* ipsi proprie dicta scientia negatur, *neg.*

290. *Ad* 4m, *Dist.* Scrutari interdum idem est ac inquirere, *conc.* semper et in sensu apostoli, *neg.* Idem enim hic valet *scutari* ac plene perfecteque cognoscere, ut de Deo usurpatur psal. VII, 10 dum dicitur *Scrutans corda et renes Deus* et alibi passim. Et sane nonne ipsi unitarii hæc verba exponunt de Deo ipso cui imperfecta scientia convenire nullatenus potest?

291. *Ad* 5m, *Neg.* Sed, ut contextus postulat, creatæ intelligentiæ solum excluduntur.

292. *Ad* 6m, *Dist.* Prout in prophetis est, *conc.* prout est in se, *neg.* ideo autem spiritus prophetarum subjectos esse dicit apostolus ob deceptionis periculum, cum fieri facile possit ut quis falso putet se moveri a Spiritu Sancto, vel etiam fingat se Spiritu Sancto moveri, ac proinde fallatur et fallat. Quare apostolus Joannes I, epis. IV, 1. *Charissimi*, scribit, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.*

293. II. *Inst.* 1° Spiritus Sanctus non est vox relativa. Deinde 2° vel genitus est vel ingenitus; si genitus, Filius est; si ingenitus, Pater. Rursum 3° si a Patre procedit sicut et Filius, fratres igitur erunt; quod si procedat per Filium Pater avus ipsius erit quæ omnia absurda sunt. Sic veteres pneumatomachi apud S. Athanasium [2]).

294. *Resp. ad* 1m, Per se, *trans.* [3]) relative non usurpatur, *Neg. Ad* 2m, vero *resp.* Nec genitum nec ingenitum esse, sed procedere ut fidei formulæ et scripturæ nos docent. *Ad* 3m, Dico procedere a Patre et Filio tanquam ab unico principio, ut ostendemus. Sicque evanescunt frigidæ ejusmodi cavillationes in quibus diu immorari nefas puto.

1) V. S. August. cp. XCVII. al. CV.
2) *Epist. 1. ad Serapionem.*
3) S. Thom. I. p. q. 36 a. I.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex sensu ecclesiæ traditionali confirmatur.

295. Iis omnibus suppositis, quæ ex traditione attulimus ad veritatem adstruendam Trinitatis personarum, quæ pro persona divina Spiritus S. pariter militant; addere placet peculiaria documenta, quæ tertiam hanc divinæ Trinitatis personam propius attingunt.

296. Ac I quidem tanquam peculiarem personam eamque divinam ac subsistentem exhibent patres apostolici atque inter cæteros Hermas seu vetus auctor pastoris, qui floruit sub finem sæc. I, vel sub initium sæc. II qui lib. III, cap. V, ubi Angelus explanat parabolam patris familias, de qua supra egimus, aperte distinguit Spiritum Sanctum a Patre et Filio dicens: ***Orbem terrarum fundus ille significat, qui in similitudinem est positus. Dominus autem fundi demonstratur esse is, qui creavit cuncta . . . Filius autem*** (fundi) ***Spiritus Sanctus est. Servus vero ille Filius Dei est*** [1]; et infra ***Quare autem Dominus in consilio adhibuerit Filium*** (fundi, id est Spiritum Sanctum) ***de hæreditate et bonos angelos? Quia nuncius audit Spiritum Sanctum, qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus.*** Ex quibus habemus 1° quod Spiritus Sanctus apertissime distinguatur a Patre (secus ac placet socinianis et rationalistis) a quo in consilium adsciscitur; 2° ejusdem esse naturæ cum Patre eo ipso quod dicat ***Filium*** ad exprimendam intimam cum Patre conjunctionem eandemque utriusque naturam [2]). 3° Corpus servo (fundi nempe Filio) a Spiritu Sancto conformatum docet ut dignum et idoneum esset, in quo Deus habitaret [3]). Quæ omnia evincunt Hermam aperta fronte rationalistis adversari. Vidimus præterea Spiritum Sanctum glorificari a S. Polycarpo una cum Patre et Filio et ab utroque distingui.

297. S. Clemens Rom. ***Ille ergo***, inquit, ***Spiritus Sanctus est et rectus, qui ab ipso*** (Patre) ***procedit*** [4]). Ergo rursum

1) Vocat Hermas Filium *servum*, eo quod, ut *ibidem* exponit etsi omnium Dominus sit, servilem formam induit in incarnatione quibus verbis alludit ad illud Pauli „qui cum in forma Dei esset etc."

2) Vox enim *amici* non exprimebat quod Hermas intendebat ideoque eam angelis servavit.

3) Ex quo patet quam longe abfuerit Hermas a socinianis qui contendunt Christum dici Filium Dei eo quod conceptus fuerit de Spiritu Sancto, dum e contrario Hermas affirmat, ideo Christum conceptum esse de Spiritu Sancto, quia est Filius Dei, et Spiritus Sanctus ipsi Filio Dei dignum seu idoneum aptavit corpus.

4) *Ἔστιν οὖν τοῦτο, ἅγιον καὶ εὐθὲς, τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ προελθόν.* Apud. S. Basil. *lib. de Spiritu Sancto* cap. 29, n. 72, tom. III, pag. 61, *a. edit. Paris.* 1730, cf. integrum textum etiam in *bibl. pp. gall.* tom. I. pag. 44.

et Deus, et distinctus a Patre Spiritus Sanctu perhibetur, si enim procedit a Patre Deus est, et a Patre distinctus.

298. Item S. Ignatius M. in epist. ad Trall. n. VI, inter hæreticos recenset eos qui *Spiritum Sanctum nec esse confitentur*, quique dicunt *eumdem esse Patrem*, *Filium*, *et Spiritum Sanctum* 1); et en rursum Spiritum Sanctum ut personam subsistentem, et distinctam a Patre et Filio, et quidem divinam utpote quæ confertur cum Patre et Filio, et quem ibidem S. Martyr Deum dicit 2).

299. II. Patribus apostolicis subsequentes patres concinunt, eandemque fidem prædicant; cum enim atheismi accusarentur christiani ab ethnicis, apologetæ religionis nostræ repellebant impactam christianis calumniam profitentes christianos credere in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum eosque adorare, ita S. Justinus 3), et Athenagoras 4), qui fidem et praxim exponebant totius ecclesiæ. His addendi cæteri ejusdem ætatis patres, quorum alii vocarunt Spiritum Sanctum *perfectum Deum*, ut Tatianus, eumque *Dei portionem*, eique Patris et Filii substantiam traditam docet 5); alii *Sapientiam Patris* vocarunt Creatorem, ac cum Patre et Verbo *solum verum Deum*, *Spiritum Dei*, *Spiritum Patris*, æternum, omnipotentem, ut S. Irenæus 6); sic etiam S. Theophilus antiochenus eundem Spiritum Sanctum vocat Sapientiam, eumque distinguit a Patre et a Verbo, et in eadem essentia prædicat cum Patre et Filio 7); ita

1) *Τὸ πνεῦμα, οὐδὲ ὅτι ἐϛὶν ὁμολογοῦσι... ταὐτὸν δὲ εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον.* Apud Cotelerium *patrum apost.* tom. II, pag. 65.

2) Plura alia testimonia de Spiritu Sancto inveniuntur apud eundem Cotelerium *op. cit.*

3) *Apol.* 1, num. 6, „sed eum (Patrem) et Filium . . . et Spiritum propheticum colimus et adoramus" *Ἀλλ' ἐκεῖνον καὶ τὸν παῤ αὐτοῦ υἱὸν . . . πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν.*

4) *Legat. pro Christ.* n. 10. „Quis non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum et in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant? *Τὶς οὐχ' ἂν ἀπορήσαι λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ, ἑνώσει, δύναμιν καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους;* et rursum n. 12, „quæ trium unio, inquit, et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris" *ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἐνουμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρός.*

5) In *orat. cont. græcos* n. 4. „Est, inquit, diviniore Spiritu inferior ille Spiritus, qui materiam pervadit; qui quidem cum animæ assimilatus sit, non eodem, ac *perfectus Deus* honore colendus est." *Πνεῦμα γὰρ τὸ διὰ τῆς ὕλης διῆκον, ἔλαττον ὑπάρχει τοῦ θειοτέρου πνεύματος· ὅπερ δὲ ψυχῇ παρώμοιωμένον, οὐ τιμητέον τῷ τελείῳ Θεῷ.* „et n. 7, dicit eum *Θεοῦ μοῖραν*, *Dei portionem*, juxta loquendi usum tunc temporis receptum ad designandam consubstantialitatem personarum. Cf. Maran op. cit. lib. 4, cap. 7, n. 7.

6) Lib. 4, *adv. hæres.* cap. 20, n. 1, *edit. Massueti* „adest, inquit, ei semper Verbum et sapientia, Filius et Spiritus per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* ipse a semettipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens" et lib. 3, c. 24. „Verbo suo confirmans, et sapientia compingens omnia, *hic est solus verus Deus*" et lib. 5, cap. 12, n. 2, vocat spiritum sempiternum dicens „aliud autem est, quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus."

7) Lib. 2, *ad Autolyc.* cap. 15, „tres dies, inquit, qui ante luminaria fuerunt,

etiam Clemens alex., Tertullianus, S. Hippolytus, Origenes, antiquus auctor constitutionum apostolicarum, Minutius Felix, S. Cyprianus, Novatianus; qui omnes, ut subsequentes prætermittam, in eandem unanimiter sententiam conveniunt in asserenda divina Spiritus Sancti persona a Patre et Filio distincta, eique tribuenda eadem divina essentia cum Patre et Filio, æternitate, omnipotentia, aliisque divinis perfectionibus [1]).

300. III. His accedunt testimonia MM. Jam superius attulimus verba S. Epiphodii coram judice exclamantis: ***Christum cum Patre et Spiritu Sancto Deum esse confiteor.*** Spiritus Sancti virtus atque omnipotentia et consilium celebrantur etiam in actis sanctæ Felicitatis et septem filiorum ejus, et in epistola ecclesiarum viennensis et lugdunensis apud Ruinartium [2]).

301. IV. Monumenta antiquissima, cujusmodi sunt inscriptiones sepulchrales, tabulæ musivæ, in quibus sub columbæ specie Spiritus Sanctus distinctus a Patre et Filio exhibetur animas in baptismo gratia sanctificans, vel B. Virgini ab angelo salutatæ obumbrans, vel Christi in Jordane baptismum a S. præcursore suscipientis divinitatem contestans, quas collegit et illustravit Gener [3]), nec non Arringhius, et Boldettus, aliique non pauci [4]). Quibus addi debent tabulæ diptichæ Græco-Moschæ, quas protulit et illustravit Papebrochius [5]).

302. Quæ omnia sic unico perstringimus argumento: ille ex sensu ecclesiæ traditionali perpetuo Deus dicendus est, et persona Divina subsistens a Patre et Filio distincta, quem patres apostolici eorumque immediati successores usque ad tertium sæculum Deum vocant adorandumque prædicant ut Deum, quem unum cum Patre et Filio dicunt, ac ordine ab iisdem distinctum, eadem tamen æternitate, potestate cæterisque divinis perfectionibus præditum, quem martyres Deum pariter unum cum Pa-

imago sunt Triadis, Dei, ejus Verbi, ejusque sapientiæ." *Αἱ τρεῖς ἡμέραι, αἱ πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι τύποι εἰσὶν τῆς Τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς Σοφίας αὐτοῦ* et lib. I, n. 7. „quis est iste medicus? Deus, qui per Verbum et Sapientiam sanat et vivificat. Deus per Verbum Sapientiam condidit universa: nam *verba ejus firmati sunt cæli, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*" *Τίς ἐστιν ὁ ἰατρός: ὁ Θεὸς, ὁ θεραπεύων, καὶ ζωοποιῶν διὰ τοῦ λόγου καὶ τῆς σοφίας. Ὁ Θεὸς διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας ἐποίησε τὰ πάντα· τῷ γὰρ λόγῳ αὐτοῦ ἐστερεώθησαν οἱ οὐρανοὶ, καὶ τῷ πνεύματι αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν.* Labitur proinde Petavius dum in primo textu duas tantum a Theophilo admitti autumat personas, Filiumque cum Spiritu Sancto confundi. Luculenter enim ex his textibus patet Theophilum Spiritum Sanctum quem Sapientiam appellat, distinguere a Verbo. Mirum vero nemini esse debet Spiritum Sanctum dici sapientiam, quo nomine plures alii patres eum vocarunt, ut Irenæus loc. cit. Origenes, Marius Victorinus, ut Bullus ipse ac Petavius observant (Bullus sect. 4, cap. 3, Pet. *de Trin.* lib. 7, cap. 12). Didymus in lib. *de Spiritu Sancto* hanc affert causam cur ita vocetur, quod Spiritus sapientiæ in scripturis recenseatur. Cf. Maran loc. cit. cap. 8.

1) Cf. Maran loc. cit. cap. 10 — 19, qui singulorum patrum dicta expendit ac vindicat.

2) Pag. 22. 60, *edit. Veron.* 1731.

3) Joan. Bapt. Gener. S. J. *Theologia dogmatico-scholastica. Romæ* 1768, tom. II, pag. 494 et seqq.

4) Apud eundem ibid.

5) In *apparatu ad tom.* I, *Maji.* ubi versat ephemeridas græco-moschas p. XI.

tre et Filio confitentur, quem antiquissima monumenta una cum Patre et Filio distinctum exhibent. Atqui ex dictis talis est Spiritus Sanctus. Ergo.

DIFFICULTATES.

303. I. *Obj.* 1° Cum scriptores sacri pro manca quæ est ævi incultioris scientia, sibi ipsis non constiterint in iis, quæ de ideis et notionibus exposuerunt [1]) et 2° hellenistæ plurima, quæ judæi palæstinenses Spiritui Dei (πνεύματι θεοῦ) tribuerunt, de λόγῳ seu Verbo visi sint prædicasse, nil mirum esse debet, si eadem confusio apud veteres reperiatur. Nam 3° varie disputatum est num Spiritus, et λόγος, seu Verbum idem sint, quod 4° post Justinum M. Dial. 2, Irenæum adv. hær. I, et Joan. Damascenum III, cap. 2, theologi nonnulli 5° recentiores Baver lib. I, 268 seqq. auctor comment. in Henke magaz. (repertorium) IV, 126 seqq. demonstrare conati sunt [2]); sane 6° Tertullianus adversus Prax. cap. XXVI, *Spiritu Dei*, inquit, *et sermone et virtute collatis in Virginem quod de eo nascitur Filius Dei est* quare 7° Eichhorn [3]) vocabula logos et dabar (λόγος דָּבָר) et spiritus et ruach (πνεῦμα רוּחַ) in eo convenire observat, quod vim seu voluntatem Dei efficacem modo quodam symbolico describunt, ita quidem ut *logos* eam sub specie Verbi, *spiritus* (πνεῦμα) eandem sub specie halitus ex ore Dei emissi adumbret. 8° Hanc logi notionem bene significavit Athenagoras Legat. cap. X, vocibus *ideæ* et operationis ἰδέας καὶ ἐνεργείας); et 9° ævo antenicæno rarius substantiæ unitas cum Patre et Filio vindicata fuit Spiritui Sancto; 10° Patri Filioque quodammodo subesse Spiritum Sanctum docuerunt veteres illi, nec nisi 11° ante mundum conditum Spiritus Sancti peculiarem hypostasin prodiisse contenderunt [4]). Ergo.

304. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Si scriptores sacri non fuissent divina inspiratione afflati, *trans.* [5]), supposita divina inspiratione,

1) Ita Wegsch. §. 83, ubi inter hellenistas, qui plurima, quæ judæi palæstinenses Spiritui Dei tribuerunt, de logo prædicant, recenset S. Joannem qui distinguit Spiritum Sanctum a logo, cum tamen creationem, quam Verbo tribuit evangelista, tribuat Joan. Baptista singulari cuidam τοῦ πνεύματος ἁγίου efficaciæ, seu efficaciæ Spiritus Sancti Joan. I, 32 et seqq. cf. III, 34; quasi præcursor contradiceret Joanni evangelistæ. Ast et in hoc mira elucet rationalistæ impudentia, nam in locis citatis nec verbum habet S. præcursor de creatione, quam tributam asserit a Joan. Baptista Spiritus Sancti efficaciæ. Ista est potissima ratio, quare ipsi contenti sint loca indicare quin testimonia afferant, ut securius illudant et mentiantur.

2) Ibid.

3) Ibid. in *Einl. in das neue Testament* seu *introd. in N. T.* tom. II, p. 160 et seqq.

4) Ibid. §. 88.

5) Transmisimus in falsa hypothesi adversarii. Cæterum etiam in hac hypothesi absonum est admittere melius novisse rationalistas veritates a Christo traditas, quam ipsi sacri scriptores, qui eas ex Christi ore acceperunt etiam juxta solas critices regulas; nonne tumidi isti sapientes imitantur, imo vincunt arrogantiam veterum gnosticorum et hæreticorum, qui apostolos ut simplices ac rudes traducebant, seseque illis præferebant? Adeo verum est unum eundemque semper esse hæreticorum omnium spiritum, et sentiendi rationem et impietatem!

neg. Jam vero apostolus de se scribebat *loquimur Dei sapientiam* (I. Cor. II 7); *an experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (II. Cor. XIII, 3) et B. Petrus *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* (II. Petr. I, 21): ac de apostolo Paulo testatur, quod scripserit *secundum datam sibi sapientiam* (Ibid. III, 15), ut alia prætermittam, quæ rationalistarum impium systema prorsus evertunt, qui nihil, nisi humanum in scripturis agnoscunt. Cum igitur non juxta ævi incultioris scientiam sed juxta scientiam sibi divinitus communicatam sacri scriptores literis consignaverint, quæ a Christo didicerunt; negamus sibi non constitisse. Unica vero ratio cur autument adversarii nostri scriptores sacros sibi non constitisse est, quia cohærere non possunt ea, quæ illi literis exararunt, et viva præterea voce transmiserunt, cum illis ideis, quas sibi serius nimis cuderunt ex sapientia et prudentia humana, quæ inimica est Deo.

305. *Ad* 2m, *Neg.* ex data responsione, ac nego præterea illationem ex falso supposito; nimirum confusionem, quam sibi rationalistæ confingunt, penes veteres reperiri, qui, ut ex probationibus constat, perpetuo tres distinxerunt in Deo personas, nec unquam alteram cum altera confuderunt, cujus confusionis nullum vestigium apud ipsos occurrit, nec ullam adversarii ejusdem confusionis probationem adducunt. Nos vero meris verbis rationalistarum non acquiescimus.

306. *Ad* 3m, *Neg.* Numquam siquidem de hoc disputatum est, sed semper *logos* distinctus exhibetur a Spiritu Sancto ut ex dictis patet.

307. *Ad* 4m, *Neg.* Nemo enim ex adductis patribus Verbum idem esse dixit cum Spiritu Sancto, sed semper unum ab altero distinguunt.

308. Non in primis S. Justinus, qui loco cit. ab adversario nec syllabam de his habet: quod si in apolog. I, num. 33, de ipsa Verbi persona exponit quod apud S. Lucam dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei;* ita ut Verbum quoad carnem in utero B. Mariæ V. sit ille Spiritus Sanctus et virtus Altissimi, quæ obumbravit Mariæ, non inde sequitur S. martyrem confudisse simul Spiritus Sancti personam cum persona Verbi, sed solum, quod hoc loco idem ipsum designatur Verbum nomine Spiritus Sancti, et virtutis Altissimi: in quo nihil est quod reprehendi debeat. S. Justinus Spiritum Sanctum solet vocare *Spiritum propheticum* ut patet ex hoc eodem numero sub initium; tum n. 6 et n. 13, ubi eum dicit tertiam Trinitatis personam [1]), seu tertiam ordine. Ex hac

1) N. 15, inter cætera hæc habet: „Jesum Christum . . . crucifixum veri Dei Filium esse edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habemus ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus" *Ἰησοῦν Χριςὸν*

potius interpretatione evertitur principium socinianorum, qui contendunt ideo Christum dictum esse Filium Dei eo quod conceptus sit Spiritus Sancti virtute.

309. Non S. Irenæus, qui lib. I, cap. XIX, (in edit. Massueti XXII), non solum Verbum cum Spiritu Sancto non confundit sed contrarium præcise statuit, ab eo quod dicit Wegscheider; en ejus verba: *Pater... per Verbum et Spiritum suum omnia faciens et disponens et gubernans*, *et omnibus esse præstans* [1]). Habes iterum specimen bonæ fidei rationalistarum.

310. Non S. Joan. Damascenus, qui et ipse loc. cit. nomine *virtutis* intelligit ipsum Filium Dei, qui, ut ibidem subdit *conspersionis nostræ primitias ipse sibi compegit ... conditoris more per Spiritum Sanctum* [2]); ubi, quæso, confusio Verbi seu Filii Dei cum Spiritu Sancto? Mira præterea apparet rationalistarum impudentia, dum audent pro se afferre auctoritatem S. Joan. Damasceni, qui lib. I, non solum data opera agit de S. Trinitate (cap. VIII) sed distinctim de persona Verbi, et de persona Spiritus Sancti (cap. VI, VII).

311. *Ad* 5m, *Dist.* Id est profani et impii ex rationalistarum grege id demonstrare conati sunt, sed perperam, ut ex dictis constat, *conc.* ostenderunt, *neg.* Nunquam enim id efficient, obsistente sibi tota antiquitate, nec nisi pervertendo sensum veterum possunt sibi blandiri, imperitis fucum facere.

312. *Ad* 6m, *Neg.* Hic pariter Tertullianus de Filio Dei exponens angeli verba *Spiritus Sanctus* etc. ac unum idemque significari asserens sive per Spiritum Sanctum, sive per virtutem Altissimi, quæ virtus juxta ipsum non est nisi proprietas sermonis, seu *logi*, contendit adversus Praxeam; qui divinas confundebat personas, non Patrem sed solum Filium, seu ut ipse vocat, sermonem in uterum Virginis descendisse. Cæterum hoc ipso in capite Tertullianus tres expresse distinguit personas di-

τὸν σταυρωθέντα ... υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως Θεοῦ μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες, πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, ὅτι κατὰ λόγον τιμῶμεν, ἀποδείξομεν. *ed. Maran.* Quis vero nisi insanus post adeo luculentum testimonium asserere audeat S. Justinum confudisse Spiritum Sanctum cum Verbo?

Quod vero per Spiritum Sanctum qui Lucæ I dicitur descendisse in Mariam V. et per virtutem Altissimi a nonnullis veteribus patribus intellectus sit ipse Dei Filius, nemo mirari debet, qui observet ideo ab ipsis id factum esse, quod veteres interdum nomen *Spiritus Sancti* tum naturæ divinæ universim, tum singulis personis aptaverint; sic etiam ex eo quod apostolus vocaverit Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Cæterum hanc expositionem præter S. Justinum, Hermam lib. 3 *simil.* 5. Tertullianum, Cyprianum, Lactantium adoptarunt etiam post concilium nicœnum S. Hilarius Pictaviensis lib. 10, *de Trin.* et ib. lib. 2, n. 26, saltem juxta interpretationem Constantii editoris opp. S. Hilarii illis verbis; „Spiritus Sanctus desuper veniens... naturæ se humanæ carnis immiscuit" et alibi, tum S. Athanasius *lib. de incarn.* pag. 72, *ed. maur.* nec non Rufinus in *expositione symboli* ac demum aliis omissis S. Joan. Damascenus in loco nobis objecto; cf. *præfationem* edit. maur. in opera S. Hilarii pag. 18, §. 2, n. 57 et seqq.

1) Ac veterum more affert verba *ps.* XXXII. „Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;" quibus per ipsos designatam esse personarum Trinitatem res notissima est.

2) Ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος... δημιουργικῶς, διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

vinas dicens, *novissime mandans* (Christus) *ut tinguerent in Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter ad singula nomine in personas singulas tinguimur* 1).

313. *Ad* 7m, *Dist.* Pro lubito suo vim scripturæ inferendo et contra sensum totius antiquitatis, *conc.* jure merito, *neg.* Responsio patet ex dictis.

314. *Ad* 8m, vel *Neg.* vel *Dist.* Confundens Verbum cum Spiritu Sancto, *neg.* De solo verbo seu logo id dicit Athenagoras, *subd.* Per oppositionem ad falsorum deorum genealogias, *conc.* ad solam Patris adstruendam ideam et operationem qua negaret logon esse personam subsistentem distinctam a Patre, *neg.* Athanagoras igitur ad expungendam calumniam atheismi a christianis, de qua superius diximus, asserit christianos colere Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ne vero putarent ethnici per hoc vel tolli unitatem Dei vel induci deorum sobolem, ut ipsi præstabant, Athenagoras utramque suspicionem sustulit affirmans Patrem mente Filium genuisse, et Patrem ac Filium unum esse, nempe natura; item Spiritum affluentiam Dei esse emanantem ac redeuntem veluti radium solis. Postea concludit *quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant?* 2) Quod si quis hæc conferat cum sensu Wegscheider et Eichhorn, videbit tam inter se distare sensum Athenagoræ et quem isti ei affingunt, quam inter se distant lux et tenebræ.

315. *Ad* 9m, *Neg.* Quoties enim sese obtulit occasio patres illi eandem substantiæ unitatem tum Patri, tum Filio, tum Spiritui Sancto vindicarunt, ut ex probationibus constat. Addatur præterea nondum exortas hæreses quæ directe divinitatem Spiritus Sancti ejusque subsistentiam impeterent. Cæterum strenue patres illi distinctionem divinarum personarum adversus sabellianos seu patripassianos propugnarunt. Divina enim providentia permisit, ut ipso christianæ ecclesiæ exordio ejusmodi errores exorirentur, ut sic in antecessum arianorum, macedonianorum, ac postea socinianorum, et rationalistarum et damnatio in propatulo poneretur et impietas.

316. *Ad* 10m, *Dist.* Subesse dependentia improprie dicta, seu ordine in processione, *conc.* proprie dicta, *neg.* Hoc nunquam patres docuerunt.

317. *Ad* 11m, *Dist.* Prodiisse externa manifestatione, ut dictum est de persona Verbi, *conc.* processione interna, *neg.* Recolantur superius dicta.

1) *Edit. Rigalt.*

2) Textum græcum superius dedimus pag. 425.

318. II. *Obj.* 1° Etsi ariani inficiati essent divinitatem Spiritus Sancti, numquam tamen a patribus hac de causa impugnati sunt, vel 2° dogma istud assertum a nicœna synodo. 3° Quod si concilium constantinopolitanum I, divinitatem Spiritus Sancti asseruit adversus macedonianos, nusquam tamen Deum ipsum appellat, quam agendi rationem 4° tenuerunt patres ipsi, qui vel Trinitatem propugnaverunt, ut S. Hilarius, qui in XII libris de hoc argumento conscriptis nullibi Spiritum Sanctum Deum dicit, vel qui data opera scripserunt de Spiritu Sancti ut S. Basilius, qui præterea auctor fuit presbyteris tharsensibus, ut contenti professionis nicæne, nihil aliud a macedonianis exigerent, nisi ut faterentur *Spiritum Sanctum creaturam dici non oportere* 1). Quod quidem argumento est satis firmam per ea tempora non fuisse fidem in divinitatem Spiritus Sancti, prout magis confirmatur ex objurgatione S. Basilii in S. Dionysium alexandrinum, eo quod, Spiritum Sanctum *ab adorata deitate sejungens et inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans* 2) ei detraxerit. Ergo.

319. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Indirecte et ex consequenti, ***conc.*** directe et primario, ***neg.*** Itaque patres ne novas lites sererent, contenti fuerunt ipsos arianos adoriri circa præcipuum et primarium eorum errorem, qui versabâtur contra Verbi divinitatem, rati, quod destructo errore primario alter sua sponte concideret. Interea non destiterunt in eos invehere etiam ob negatam ab ipsis divinitatem Spiritus Sancti 3).

320. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Directe et expresse, ***trans.*** indirecte et æquivalenter, ***neg.*** ***Quippe de his***, inquit S. Epiphanius, *quæ singulis temporibus occurrunt cavere synodi ac decernere solent* 4); cum propterea ariani directe saltem, ut diximus, nonnisi Verbi divinitatem impugnaverint, hinc contenta fuit nicœna synodus contrariam veritatem directe adstruere, quin tamen omnino divinitatem Spiritus Sancti dimiserit teste S. Athanasio, qui in epist. synodica ad Jovianum imperat, inquit: ***Neque etiam Spiritum Sanctum a Patre et Filio disjunxere sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere*** (PP. nicæni), ***in una sanctæ Trinitatis fide, quia nempe una est in sancta Trinitate divinitas*** 5).

1) *Τὸ μὴ δεῖν λέγεσθαι κτίσμα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ed. maur.*

2) Ep. IX, *ad Maximum philosophum* al. XLI, n. 2. *Τῆς προσκυνουμένης αὐτὸν θεότητος ἐξορίζων, καὶ κατώπου τῇ κτιςῇ, καὶ λειτουργῷ φύσει συναριθμῶν.*

3) Cf. S. Athanas. orat. 2, *in arianos* tum epist. I, *ad Serapion.* n. 2, *opp. S. Ath.* tom. I, par. 2, pag. 649 *ed. maur.*

4) *Πρὸς γὰρ τὸ ὑποπίπτον ἐν καιρῷ, καὶ καιρῷ αἱ σύνοδοι τὴν ἀσφάλειαν ποιοῦνται. Hær.* LXXIV, n. 14, *edit. Pet.* Ibidem vero ostendit synodum nicænam veram circa divinitatem Spiritus Sancti fidem satis expresse professam esse illis verbis „credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum Jesum Christum."

5) *Ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξασαν αὐτὸ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας Τριάδος πίςει, διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι θεότητα. Epis. ad Jovianum de fide n. 4, edit. maur.*

321. *Ad* 3m, *Dist.* Conceptis verbis juxta illius temporis œconomiam, *conc.* æquivalentibus, *neg.* Eo ipso quod ***Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum,*** definivit Spiritum Sanctum, ipsum verum Deum Patri ac Filio consubstantialem esse docuit. Abstinuit autem a voce Dei, quia sic ferebat usus loquendi per illa tempora receptus, quem synodus servare constituit.

322. *Ad* 4m, *Dist.* Plerique ex prudenti œconomia usu consecrata, *trans.* omnes, et ex dubio super hoc articulo fidei nostræ, *neg.* Itaque in primis observo non omnes abstinuisse ab appellatione Dei agentes de Spiritu Sancto, cum eum Deum expresse vocaverit S. Dionysius alex. [1]), Tatianus [2]), aliique: deinde, ut modo dictum est, id ex quadam religione ac reverentia erga receptum loquendi usum ab ipsis apostolis inductum, ne christianis adhuc teneris ac pene musteis ex gentilitate conversis nomen Dei multiplicatum in Filio et Spiritu Sancto esset offendiculo, quasi plures dii admitterentur, prout advertit Petavius [3]), de simili argumento disputans. Cæterum omnes unanimiter patres in eandem fidem conveniebant sive in professione unitatis divinæ naturæ in Trinitate personarum, sive in divinis attributis unicuique personæ asserendis, æternitate e. g. omnipotentia, sapientia etc. sive demum in cultu divino eisdem decernendo, ut suo loco ostendimus.

323. Atque hinc responsio patet ad id quod objicitur ex agendi ratione Basilii in lib. de Spiritu Sancto, qui postea non veritus est hanc appellationem eidem tribuere in ep. VIII, al. CXLI, scribens: ***cum confiteri oporteat Deum Patrem Deum, Filium, Deum Spiritum Sanctum ut eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt*** [4]); tum S. Hilarii, cujus luculenta verba sunt in comment. ad illud Matth. ult. Euntes in mundum etc. ***ut quorum est una divinitas, sit una largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est*** [5]).

324. Quod demum attinet ad objurgationem S. Basilii in Dionysium alex. vel hæc non respicit nisi verba non satis caute in æstu disputationis usurpata adversus Sabellium, ut Garnierio placet [6]), vel dicendum quod facta fuerit priusquam in Basilii

1) Cfr. textum inferius allatum.

2) In *Orat. cont. græcos n.* 4. Ejus verba jam dedimus in prob.

3) Lib. 3. *de Trin.* cap. I. §. 4. Ex auctoritate S. Joan, Chrys. qui *hom.* 20. *in* 1. *ad Cor.* observat neque Deum appellare Jesum Christum illo loco voluisse Paulum neque Patrem Dominum; ne cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii plures esse Deos suspicarentur ac Dominos, seque ad antiquam superstitionem relapsos in qua plures dii erant ac domini. Hanc eandem fuisse causam addit, cur neque Spiritus Sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret. Idem observat Basilius, Theodoretus, Œcumenius et Theophylactus ibid.

4) *Δέον ὁμολογεῖν, Θεὸν τὸν πατέρα, Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ὡς οἱ θεῖοι λόγοι, καὶ οἱ τούτους ὑψηλότερον νενοηκότες ἐδίδαξαν.* n. 7. *edit. maur.*

5) Tom. I. *opp. edit. maur. n.* 3.

6) In not. ad h. l. ubi observat S. Basilium fateri Dionysium non pravitate sententiæ peccasse, sed studio oppu-

manus pervenerit apologia, quam ad ejusdem nominis Romanum pontificem miserat Dionysius, ut suspicatur Tillemontius. Certum enim est Dionysium recte de Spiritus Sancti divinitate sensisse, cum in responsione ad propositiones Pauli samosateni scripserit: *non impune feret is, qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus* et alibi passim; hinc idem S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto inter eos qui divinitatem Spiritus Sancti prædicarunt Dionysium recenset, ejusque testimonia profert [1]).

325. *Inst.* 1m, Ecclesia nunquam preces ad Spiritum Sanctum dirigere consuevit 2° quin potius in conc. carthag. III, cap. 23, sancivit *ut cum ad altare assistitur semper ad Patrem dirigatur oratio*, atque 3° in veteri doxologia recepta illa formula erat *Gloria Patri et Filio in Spiritu Sancto*, *quibus* omnibus luculenter adstruitur Spiritum Sanctum nec Deum creditum nec personam divinam vel saltem reliquis duabus personis æqualem.

326. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* In publica liturgia ob peculiarem rationem alias allatam cum de Verbi divinitate loqueremur, *conc.* quasi ecclesia in divinitatem Spiritus Sancti minime crediderit, *neg.* Ecclesiæ enim catholicæ fides eadem semper est, quod propterea nunc credit de augustissimo Trinitatis mysterio et singularum personarum divinitate semper credidit, ut omnia allata documenta ostendunt. In sacra liturgia autem consuevit orationes suas dirigere ad Patrem per Filium *in* vel *cum* Spiritu Sancto, non quasi discernens gradus, sed originum statuens distinctionem [2]).

327. *Ad* 2m, *Dist.* Ad uniformitatem in publica præsertim liturgia servandam et ad privatorum errores præcavendos, *conc.* alias, *neg.* juxta dicta. Sensum vero capituli XXIII conc. carthaginensis talem esse eruitur ex ipsis capituli verbis, quæ ita se habent: *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Fi-*

gnandi Sabellii, atque ut plenam et redundantem victoriam obtineret. Hinc consubstantialitatem ab eo admitti dicit in apologia ad Dionysium romanum; in aliis autem libris non alio consilio rejici, nisi ut adversetur Sabellio hac voce abutenti. Etsi vero rejiciat conjecturam Tillemontii, dat tamen S. Basilium paulo acerbius vellicasse S. Dionysium, deceptum fortasse testimoniis ab arianis confictis ac S. Dionysio perperam attributis. Hæretici enim semper fraudibus ac dolis utuntur ad impugnandam catholicam veritatem. Cæterum de sincera fide S. Dionysii legatur S. Athanasius ejus in alexandrina sede successor in *epist. de sententia Dionysii*, ubi illustria illius patris testimonia in medium affert tum de Filii, tum de Spiritus Sancti divinitate, præsertim, n. 17 ubi facta mentione Patris, Filii et Spiritus Sancti ita concludit Dionysius; „Sic quidem nos indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatam iterum, quæ imminui nequit, in unitatem contrahimus:" *Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἰς τε τὴν Τρὶαδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν Τρὶαδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα.* Quibus nihil præclarius afferri potest. *Opp. S. Athan.* tom. I. cap. I. *edit. maur.*

1) Tom. III. cap. 29. n. 72.

2) Noto antiquissimam esse in liturgia orationem illam „Suscipe sancta Trinitas etc." in utraque ecclesia tum latina tum græca. cfr. Benedictum XIV. *de sacrificio missæ* lib. 2. cap. II. n. 7. Addatur usus doxologiæ in publica liturgia, de qua superius diximus, ad tres personas distinctas directæ.

lium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructoribus fratribus contulerit [1]).

328 *Ad* 3^m^, *Resp.* I. *Neg. antec.* Contrarium enim non pauca antiqua documenta evincunt, quæ collegit S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto cap. XXIX, num. 72 seqq. [2]).

329. *Resp.* II *dato antec. neg. cons.* Eodem quippe sensu ejusmodi doxologiam usurpatam antiquitus fuisse ac *cum* Spiritu Sancto, vel Spiritui Sancto, fuse ostendit cit. loco S. Basilius eo ipso quod promiscue utraque particula *in*, et *cum* veteres uterentur, sic S. Dionysius alex. ib. suam apologiam concludit: *Deo autem Patri, et Filio D. N. J. Cum Sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen* [3]). Populus ex antiqua traditione ætate ipsius S. Basilii solebat canere *laudamus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum Dei* [4]). Africanus historicus gratias agit *Patri qui præbuit nobis suis creaturis universorum servatorem ac Jesum Christum, cui gloria, majestas cum Sancto Spiritu in sæcula* [5]).

CAPUT V.

DE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO PROCESSIONE.

330. Duplex quæstio agitatur circa processionem Spiritus Sancti inter latinos et græcos schismaticos. Altera quæ præcipua est respicit dogma ipsum; altera quæ est secundaria, habet pro objecto additamentum seu fidei expositionem ac declarationem adjectam symbolo constantinopolitano per particulam *Filioque.*

331. Utrumque enim græci latinis crimini vertunt, tum quod doceant Spiritum Sanctum a Patre et Filio tanquam unico principio procedere; tum quod contra concilii ephesini vetitum particulam *Filioque* inseruerint symbolo.

332. Incertum est quo tempore cœperit prima controversia, et quo potissimum auctore. Verisimile tamen est eam ab aria-

1) Apud Labbè tom. II. col. 1170. Cæterum S. Fulgentius africanus sic canonis africani sensum exponit, inter cætera scribens: „dum ad solius Patris personam sermo dirigitur, bene credentis fide tota *Trinitas* honoratur: et quum ad Patrem litantis destinatur intentio sacrificii munus *omni Trinitati* uno eodemque offertur litantis officio" (*ad Monim.* lib. 3. cap. 5). Cfr. Bingham *Orig.* vol. 5. lib. 13. cap. 2. §. 5.

2) Modum glorificandi Patrem et Filium *cum* Spiritu Sancto S. Dionysius ib. vocat *formam ac regulam a presbyteris, qui ante ipsum vixerunt, acceptam.*

3) *Τῷ δὲ Θεῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςῷ, σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς εἰώνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.*

4) *Αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ*, n. 73.

5) *Σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰώνας* ib, integrum hoc caput esset legendum. Cfr. Petav. lib. 2. *de Trin.* cap. 6. ubi expendit vim particularum *ἐν, σὺν, διὰ, ἐξ, in, cum, per, ex* juxta veterum sensum et usum.

nis ac macedonianis originem habuisse, seu verius eorum occasione [1]); rursum vero ex occasione anathematismi noni sancti Cyrilli ex duodecim, quos ipse opposuerat Nestorio, in quo asseruit Spiritum Sanctum esse *proprium Christi*, quem quidem anathematismum perstrinxit hac de causa Theodoretus, quo sensu postea videbimus; jurgium de hac processione pariter excitarunt monothelitæ ex occasione epistolæ synodicæ S. Martini I teste S. Maximo Homologeta cujus auctoritatem affert Le-Quien in diss. I Damasc. §. x. Iterum vero litem movit de ipsa hac processione Spiritus Sanct. a Filio Constantinus Copronymus cum suis iconomachis eo quod se proscriptum acceperit ab apostolica sede [2]), et sæculi IX, initio exagitati a quodam Joanne monacho fuerunt monachi in monte Oliveto degentes [3]). Demum sopitam fere hanc controversiam impotenti furore Photius excitavit, ut suum cohonestaret schisma, ulcisceretur que damnationem a Nicolao I sibi impactam. Ex his habemus usque ad Photium neminem ex græcis impugnasse processionem Spiritus Sanctus a Patre et Filio, præter Nestorii fautores, monothelitas et iconoclastas hæreticos.

333. Ad alteram quæstionem quod attinet de additamento iniecto symbolo constantinopolitano, res pariter incerta est sive quoad auctorem sive quoad tempus. In occidentalibus ecclesiis ac præsertim hispanica usum invaluisse canendi in Missa symbolum cum additamento ***Filioque***, quo tempore gothi ejurata hæresi ariana catholicam fidem professi sunt anno 589 in synodo toletana III certum omnino videtur [4]); ex Hispania idem usus dilatatus est in Galliam, deinde vero in Germaniam et Italiam [5]). Romani pontifices circa receptum hunc usum passive, ut ita dicam, se ha-

1) Cfr. S. Hilar. lib. 8. *de Trin.* §. 20., cujus verba hæc sunt: „Neque in hoc nunc calumnior libertati intelligentiæ, utrum ex Patre, an ex Filio Spiritum paracletum putent esse. Non enim in incerto Dominus reliquit: nam sub iisdem dictis hæc ita locutus est: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare illa modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso... ille me clarificabit: quoniam de meo accipiet . . . omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi de meo accipiet et annunciabit vobis.* A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum id ipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere; certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere a Patre (seu ut ms. vat. habet: *Quod sit a Patre procedere*)." Ex his patet non solum veterum patrum doctrina, sed patet præterea eisdem argumentis patres usos esse ad ostendendam Spiritus Sancti processionem a Patre ac Filio, quibus nos utimur. Liquet præterea veteres nonnullos arianos ideo negasse Spiritum Sanctum a Filio procedere, quia exinde patres colligebant Filii divinitatem.

2) Cfr. Le-Quien diss. 1. *Damasc.* §. 11.

3) Cfr. ibid. §. 16 ubi ostendit ex irrefragabili chronologia perperam Pithæum et Vossium existimasse hunc Joannem monachum auctorem tumultum adversus monachos de monte Oliveti, esse S. Joannem Damascenum; hi enim tumultus, ob processionem quam monachi profitebantur Spiritus Sanctus a Patre et Filio, excitati sunt anno 808 et seqq. sub Leone III postremis Caroli M. temporibus; S. Joannes vero Damascenus obierat ante septimam synodum generalem seu nicænam II. quæ anno 787 celebrata est sub Hadriano R. P.

4) Ib. §. 26.

5) Ibidem.

buerunt usque ad Photii ætatem, nec nisi eo temporis intervallo, quod a Photio ad Michaelem Cerularium schismatis græci instauratorem effluxit, adjectam in romana ecclesia symbolo fuisse particulam *Filioque* verisimilius videtur, cum nempe Benedictus VIII, adnitente Henrico imperatore, ægre tamen indulsit ut Romæ in missarum solemniis symbolum constantinopolitanum caneretur [1]). Certe neque Photius neque alii ante id temporis insertæ hujus particulæ romanam ecclesiam accusarunt, quod profecto non omisissent, si mos iste Romæ jam obtinuisset, quare Michael Cerularius omnium primus hac de causa reprehendit romanam ecclesiam deinde Leo Acridanus, ac Nicetas cognomento Pectoratus [2]).

334. In œcumenicis conciliis lugdunensi, et ferrariensi seu florentino ad unionem græci cum ecclesia latina redierunt approbantes ac profitentes dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio una cum additamento symbolo inserto. Donec agente potissimum Marco ephesino rursum ad pristinum schisma a florentina synodo vix digressi plerique relapsi sunt [3]).

335. Theophanes Procopowicz archiepiscopus novogradensis quondam collegii græci in hac alma urbe alumnus, honorum ac divitiarum spe illectus, ut interdum ab iis fit, in patriam redux ad schisma defecit, atque adversus ecclesiam illam, in qua altus fuerat arma contulit, quæ ad ejus defensionem ipsi data fuerant. Hic propterea in suo tractatu ***De processione Spiritus Sancti*** [4]) sordes omnes verrere non dubitavit atque in unum colligere, quæ jamdiu disjectæ atque explosæ erant a tot eruditis viris, sive contra processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio, sive contra particulam symbolo adjectam [5]).

1) Ib. §. 27. Quum hortatu Henrici imp. rom. pontifex, ægre tamen ferente clero, eo quod numquam romana sedes in errorem lapsa fuerit, indulserit ut in ecclesia romana intra missarum solemnia symbolum constantinopolitanum caneretur, cani cœpit prout canebatur in ecclesiis omnibus occidentalibus, id est cum additamento *Filioque*.

2) Ibid.

3) Non formali schismatis declaratione, sed potius facto ipso græci se iterum separarunt ab ecclesia romana. Quod observatione dignum est. Cæterum de nova hac græcorum defectione cfr. *Ge. Pachymeris Andronicus Palæologus interprete P. Possino S. J. Romæ* 1669. præsertim lib. 1. cap. 2. 3. 9. 10. 34. 35. et lib. 2. cap. 1. 2. 3. Licet enim hic auctor schismaticus sit satis tamen aperte patefecit artes et vafritiem suorum in hac defectione exordienda et consummanda.

4) *Edit. Gothæ* anno 1772.

5) Novissime excusum denuo fuit hoc argumento opus cui polonice tit.: *Rosmowy miedzy etc.* seu *Dialogi inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis græco-russæ ecclesiæ. Petropoli* 1829. Auctor horum dialogorum est celebris apud suos Filaret actualis Moscoviæ metropolita et membrum sanctissimæ synodi permanentis petropolitanæ, ut refert ejusdem op. interpres archimandrita Innocentius in sua præfatione. Scopus horum dialogorum est tollere a catholicis spiritum quem vocant *intolerantiæ* (soli enim catholici ubique oppressi, sunt intolerantes, oppressores vero *liberales* semper sunt), ac vincere horrorem, quem ipsi experiuntur erga schismaticos. Incipit vero ab ecclesia, et ostendit ecclesiam græco-russicam *tolerantissimam* esse, cum in sinum suum admittat innumeras prope familias, seu sectas protestantes. Deinde pergit ad ar-

336. Hinc duo ostendere debemus adversus græcos schismaticos 1° veritatem catholicam; 2° jus quo ecclesia pollet inserendi symbolo justis de causis fidei suæ professionem. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.

337. Est de fidè, ut constat de definitione duorum conciliorum œcumenicorum lugdunensis II sub B. Gregorio X et florentini sub Eugenio IV in quorum primo hæc edita est fidei professio: *Credimus et Spiritum Sanctum . . . ex Patre Filioque procedentem* 1) in altero vero *definimus . . . quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit* 2).

338. Quod quidem fidei dogma sic primo ex scripturis adstruimus. Christus Joan. XVI, 13 seqq. hæc de Spiritu Sancto ait; *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* 3); unde sic: ille in divinis non minus a Patre quam a Filio tanquam fonte et origine procedere dicendus est, qui de eo accipit, et ideo de eo accipere dicitur quia omnia cum Patre communi fonte et origine communia habet: atqui ex verbis Christi talis est Spiritus Sanctus: ergo Spiritus Sanctus æque a Patre et a Filio originem habet, seu, quod idem est, æque a Patre et a Filio tanquam ex uno eodemque principio procedit.

339. Minor etiam confirmatur ex antiquis versionibus ante excitatam de hac processione controversiam adornatis. Etenim versio syriaca omnium antiquissima, sic refert verba Christi: *ipse glorificabit me, quippe de meo accipiet . . . quidquid habet Pater meus, meum est: propterea dixi vobis ex meo accipiet;* versio persica: *et ille est, qui me glorificabit: propterea quod a me accipiet;* arabica vero: *et ille me glorificabit: nam*

ticulum de processione Spiritus Sancti, et ostendere nititur purum dogma conservari apud ecclesiam græco-russicam, non autem apud catholicam (siquidem protestantes qui idem dogma cum catholicis profitentur, ut moris est omnium hæreticorum, et schismaticorum dimittit). Nihil vero profert, quod millies contritum a catholicis non fuerit, ut videbimus.

1) *Πιςεύομεν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον . . . ἐκ πατρὸς υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον.* Ap. Labb. tom. XI. par. 1. col. 963.

2) *Ὀρίζομεν . . . . ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἀϊδίως ἐςὶ, καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι ἔχειν ἐκ τοῦ πατρὸς ἅμα καὶ του υἱοῦ, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως ὡς ἀπὸ μίας ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται.* ib. tom. XIII. col. 514.

3) *Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.*

accipiet de eo quod meum est [1]). Quæ quidem versiones, ut patet, manifeste declarant Spiritum Sanctum accipere de eo quod est Filii, ex eo iterum quod Filii est, quia quod habet Filius a Patre habet; jam vero Filius a Patre propriam substantiam per generationem habet, ergo Spiritus Sanctus accipit ex substantia Filii communi seu potius identica cum substantia Patris procedendo ab ipso, seu originem a Patre ac Filio trahendo.

340. Hinc est quod Spiritus Sanctus in iisdem sacris literis missus perhibeatur a Filio (Joan. XVI, 7), quæ quidem missio indicat dependentiam ab eo qui mittit; atqui hæc dependentia nequit esse vel naturæ divinæ in se spectatæ neque imperii, quod in divinam personam cadere non potest, ergo originis dicenda seu processionis, ut de Filio pariter dicitur respectu Patris. Spiritus Sanctus propterea vocatur *Spiritus veritatis* (ibid.) quæ Filius est, *Spiritus Christi* (Rom. VIII, 9), *Spiritus Filii* (Gal. IV, 6).

341. Atque hanc semper fuit utriusque ecclesiæ orientalis nempe atque occidentalis doctrina ut ex certissimis utriusque ecclesiæ documentis patet; de ecclesia occidentali seu latina nullum dubium esse potest, inde enim abunde constat, quod quoties hæretici græci a romana ecclesia damnati sunt, ipsi non aliter valentes de ipsa vindictam sumere, eidem crimini verterunt, quod doceret Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, ita monothelitæ, teste S. Maximo qui in epist. ad Marinum Cypri presbyterum scribit non aliud reprehendisse græcos monothelitas in epistola synodica S. Martini, quam duo *quorum alterum est*, inquit, *de divinitatis ratione; quia dixit, ajunt, procedere etiam ex Filio Spiritum Sanctum* [2]). Ita rursum iconomachi teste Adone viennensi in chronico scribente: *facta est nunc temporis synodus, et quæstio ventilata est inter græcos et romanos de Trinitate, et utrum Spiritus Sanctus sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio; et de sanctorum imaginibus* [3]). Hos imitatus est Photius, ejusque deinceps in impietate successores. Id ipsum constat ex conciliis hispanicis, gallicis, germanicis, italicis a quibus longe ante schisma photianum non solum retenta avita fides de Spiritus Sancti a Filio quoque processione, sed præterea, ut jam innuimus, adjecta est symbolo constantinopolitano particula *Filioque*.

342. Sed non minus certis documentis constat perpetua fides ecclesiæ orientalis. Ecclesia enim orientalis non ignorabat profecto fidem ecclesiæ occidentalis circa eundem articulum. Nota ipsi erat epistola Hormisdæ rom. pontificis ad imperatorem Justinum anno 521 conscripta in qua divinitatis et incarnationis

1) Vid. *Polyglotta Waltonii*, tom. v. pag. 922. 923. *edit. Lond.* 1657.

2) Cfr. Le-Quien *diss. cit.* §. 10.

3) Ibid. §. 11.

fidem exponit ubi de processione hæc habet: *Notum est, quia proprium est Patris ut generaret Filium, proprium Filii ut ex Patre Patri nasceretur æqualis, proprium Spiritus Sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis* [1]) quin tamen quispiam græcorum moverit querelam. Sane qua ratione scribere potuisset S. Hormisdas adeo asseveranter *notum est* etc. nisi constitisset de eadem fide circa hunc articulum in utraque ecclesia, et quidem in fidei expositione, in qua vel ipsi apices expenduntur? Sic ephesina synodus œcumenica non solum improbavit symbolum nestorianum a Charisio presbytero oblatum, in quo de Spiritu Sancto dicebatur: *Sed nec Filium illud putamus, neque per Filium existentiam habentem* [2]). Sed præterea exprèsse approbavit anathematismos S. Cyrilli una cum ipsius declarationibus, et epistolam synodicam suo et totius ecclesiæ ægyptiacæ nomine conscriptam ad Nestorium, in qua hæc habet. *Nam etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenus in seipso consideretur, quatenus Spiritus est et non Filius, sed tamen non est alienus ab eo, Spiritus enim veritatis nominatur et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit* [3]) et anathematismo IX Spiritum Sanctum *proprium Filii* vocat; atque in declaratione ejusdem anathematismi non solum Filium Spiritum Sanctum proprium habere profitetur, sed aperte asserit *qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest* [4]).

343. Plenus propterea semper extitít utriusque ecclesiæ consensus in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre et Filio, neque unus unquam reclamavit circa hunc articulum ex catholicis; sed solum obscuri aliqui hæretici homines, ut vidimus, absque ullo successu.

344. Hinc deprehendimus sensum patrum utriusque ecclesiæ circa hunc articulum. Quod attinet ad patres latinos res extra dubitationis aleam est. Hilarius enim pictaviensis non solum vocat Filium *largitorem* Spiritus Sancti sed etiam *auctorem*; Spiritum Sanctum esse *ex Patre et Filio auctoribus* [5]) tanquam scilicet ab uno principio ob unam amborum naturam, sed lib. VIII, de Trin. §. 20. recitatis Christi verbis superius relatis, concludit: *A Filio igitur Spiritus S accipit qui ab eo mittitur, et a*

1) Ep. LXXIX, apud Labb. tom. IV col. 1553.

2) *Ἀλλά . . . . καὶ οὔτε υἱὸν νομίζομεν, οὔτε διὰ υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός.* Ap. Labb. tom. III col. 677.

3) *Εἰ γὰρ καὶ ἐστιν ἐν ὑποστάσει τὸ πνεῦμα ἰδικῇ, καὶ δὴ καὶ νοεῖται καθ᾽ ἑαυτοῦ καθ᾽ ὃ πνεῦμά ἐστι καὶ οὐχ υἱός· ἀλλ᾽ οὖν . . . ἐστιν οὐκ ἀλλότριον αὐτοῦ· πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται, καὶ ἐστι Χριστὸς ἡ ἀλήθεια καὶ προχεῖται παρ᾽ αὐτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός,* ib. col. 406. §. 10.

4) *Καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον,* Ib. coll. 823. Declar. IX.

5) Lib. 2. *de Trin.* n. 4.

Patre procedit; deinde ostendit perinde esse *accipere* ac procedere ut superius in nota retulimus, demum concludit; *Non permittenda itaque ad impiæ intelligentiæ libertatem hæretica perversitas est; ut dictum hoc Domini, quod quia omnia, quæ Patris sunt, sua sunt, idcirco a se accipiet Spiritus veritatis, non ad unitatem confiteatur referendum esse naturæ* [1]); sic cæteri latini patres quorum una sententia expressa est, Spiritum Sanctum a Patre ac Filio procedere, ut conceptis verbis docent S. Ambrosius [2]), Marius Victorinus [3]), S. Augustinus [4]), S. Leo M. [5]), Gennadius [6]), S. Fulgentius [7]), auctor symboli athanasiani [8]), S. Gregorius M. [9]), ut subsequentes prætermittamus.

345. Nec minus concors est patrum græcorum sententia circa eundem articulum. Etenim S. Athanasius lib. de Trin. n. 19. ait *Spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum Sanctum edoceamur*, rursum ib. *est Filius fons Spiritus Sancti*, et orat. III. Cont. Arian. n. 25. *ipse* (Filius) *dat Spiritui, et quæcumque Spiritus habet, hæc a Verbo habet* [10]). Athanasio consonat S. Basilius, qui lib. de Spiritu S. cap. XVII *Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus, secundum traditum in baptismo verborum ordinem* [11]). et ibid. cap. XVIII, *quia et Spiritus Christi dicitur.... denique tanquam paracletus in se ipso exprimit paracleti, a quo missus est, bonitatem et in sua propria dignitate, ejus a quo processit majestatem exhibet* [12]). Consonat S. Joan. Chrysostomus, qui comparans Spiritum Sanctum aquæ, quæ procedit de fonte, qui Filius et Pater est, concludit *ob id etiam ex Patre*

1) Cfr. Ibid. num. 26. ubi principii loco sumit processionem Spiritus S. a Filio ad evincendam Filii divinitatem adversus arianos. Adeo res explorata erat!

2) Lib. I. *de Spiritu S.* cap. II. n. 120. „Spiritus quoque Sanctus cum procedit a *Patre et Filio* non separatur a Patre, non separatur a Filio" *ed. maur.* et alibi passim.

3) Lib. I. *adv. Arium* „ex Filio Spiritus Sanctus, sicut ex Deo Filius, et Spiritus S. ex Patre:" nempe et ipse ex processione Spiritus S. a Filio arguit adversus Arium et inde ostendit divinitatem Filii. In *bibl. pp. De-la-Bigne* tom. V. p. 282.

4) Tum alibi tum lib. 15 *de Trinit.* cap. 17. ubi n. 27. *de Spiritu S.* inquit: „qui Spiritus Sanctus secundum scripturas sanctas nec Patris solius est, nec Filii solius, sed amborum" et num. 29. „de quo (Patre) procedit principaliter Spiritus S. . . ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus S. procedere reperitur."

5) Ep. XV. *ad Turribium Asturic. ep.* cap. I „nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de *utroque* processit. *ed. Baller.* tom. I.

6) *Lib. de eccl. dogm.* cap. I.

7) *De fide* cap. II. n. 52.

8) De cujus auctore Cfr. Le-Quien *diss. cit.* n. 17. et Caj. Merati *diss. de Auctore et tempore symboli, quod S. Athanasii dicitur in thesauro theol. Zaccariæ* tom. III.

9) Hom. 26. *in Ev.* n. 2.

10) *Αὐτὸς γὰρ (υἱὸς) τῷ πνεύματι δίδωσι, καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ του λόγου ἔχει.*

11) *Ὡς τοίνυν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, οὕτω πρὸς τὸν υἱὸν τὸ πνεῦμα κατὰ τὴν ἐν τῷ βαπτίσματι παρεδεδομένην τοῦ λόγου σύνταξιν.* n. 43.

12) *Ἀλλὰ καὶ πνεῦμα Χριςοῦ λέγεται.... καὶ ὡς παράκλητος δὴ ἐν ἑαυτῷ χαρακτηρίζει του ἀποςείλαντος αὐτὸν παρακλήτου τὴν ἀγαθότητα· καὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ ἀξιώματι, τὴν μεγαλωσύνην ἐμφαίνες τὴν του ὅθεν προῆλθεν.* n. 46.

procedit [1]: consonat S. Epiphanius in ancorato dicens num. 67. *cum Christus a Patre profectus, Deus videlicet a Deo credatur, et Dei Spiritus a Christo, utpote qui ab utroque procedit; id quod Christus ipse testatur: qui a Patre procedit, inquit et hic de meo accipiet* [2]; consonat Didymus alexandrinus, nobilis sæc. IV, [3]) scripturæ interpres, qui lib. de Spiritu S. num. 34 prolatis Christi Domini verbis *non enim loquetur a semetipso* sic prosequitur inducens Christum loquentem ... *quia non ex se est, sed ex Patre et me est, hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est* [4]. Demum aliis omissis, auctore nempe antiquissimo homil. de incarnatione inter opera S. Joan. Chrysostomi, Anastasii sinaitæ, Simeonis metaphrastis, qui apud Petavium videri possunt [5]; sic placet rem ipsam conficere ex ipsa hæreticorum agendi ratione.

346. Ariani, et macedoniani 1° ex receptissima in ecclesia doctrina de processione Spiritus Sancti a Filio occasionem nacti sunt asserendi Spiritum Sanctum a Filio procreatum esse. 2° Macedoniani ex eodem principio sic argumentum instruebant adversus doctrinam catholicam apud S. Athanasium in ep. ad Serapionem num. 15. *Si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus Sancti* [6]. 3° Eunomius sic arguebat apud S. Basilium lib. III, num. 1. *Ut jam de Paracleto quoque dicamus, non vulgi opiniones temerarias sequuti, sed sanctorum in omnibus doctrinam servantes: a quibus cum didicerimus eum dignitate et ordine tertium, tertium quoque natura esse credimus.* Cui adhærens S. Basilius quoad sanctorum doctrinam de ordine tertio processionis negat illatam inde Eunomii consecutionem dicens: *Nam dignitate secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo*

1) *Διὰ τοῦτο καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.* Apud Petav. lib. 8. *de Trin.* cap. 4. §. 4. ex quibus patet pro explorato habere S. Joan. Chrysostomum Spiritum S. procedere a Filio. Duo alia ejusdem Patris testimonia, quæ ex *homil. in symb.* citari solent consulto omisimus eo quod duæ illæ homiliæ absque græco textu, non reperiantur neque in *edit. Moreli*, neque *Maurin.* sed solum in *editione Paris. Cherallon.* 1536. tom. v.

2) *Εἰ δὲ Χριςὸς ἐκ τοῦ πατρὸς πιςεύεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριςοῦ, ἢ παῤ ἀμφοτέρων ὥς φησὶν ὁ Χριςὸς, ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ οὗτος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. ed. Pet.* et alibi passim.

3) Objit an. 399. nonagenario major ut ex Hier. *l. de viris illustribus* c. 109. et ex Palladio simul collatis discimus.

4) In *bibl. pp. Galland.* tom. VI. pag. 276.

5) Loc cit. cap. 3. et seqq.

6) *Εἰ δὲ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, οὐκοῦν πάππος ἐςὶν ὁ πατὴρ τοῦ πνεύματος*, ex hac doctrina perversa macedonianorum factum est ut patres institerint in asserenda Spiritus Sancti processione *a Patre.* Mirum proinde non est, si Adam Zernikaw ac Teophanes Prokopowicz, ut refert Filaret *op. cit.* p. 49, collegerint quinquaginta patrum testimonia, in quibus hæc veritas reperitur: sed mala fides horum auctorum in hoc est, quod dissimulaverint omnia testimonia, quæ certe pauciora non sunt, in quibus iidem patres asserunt Spiritum Sanctum procedere a Patre et a Filio vel a Patre per Filium. Quis unquam catholicorum negavit Spiritum Sanctum procedere a Patre? Verum dum hoc adstruitur, aliud non negatur, ideoque ærem verberat Filaret dum cum suis Adam et Theophane opponit quinquaginta testimonia patrum, ut aliquid proficeret deberet afferre vel unum testimonium in quo Spiritus Sanctus dicatur a *solo* Patre procedere, ut ipse cum suis græcis contendit, quod profecto numquam efficiet.

. . . .

habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat pietatis sermo tradit; verum tertiam usurpare naturam neque a sacris literis edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi [1]).

347. Ut igitur paucis quæ hucusque disputavimus contrahamus, sic ponimus argumentum: Ex indubiis monumentis constat 1° ecclesiam latinam semper dogma tenuisse de Spiritus Sancti a Patre Filioque processione, 2° ecclesiam græcam cui id innotuit in communione semper fuisse cum ecclesia latina, nec unquam, exceptis hæreticis, quempiam de hoc movisse querelam imo in quinque œcumenicis conciliis eandem fidem approbasse confirmando S. Cyrilli epistolam ad Nestorium; 3° patres utriusque ecclesiæ in eandem sententiam convenisse, 4° ipsos hæreticos antiquissimos licet invitos testes esse ejusdem fidei sua ipsa agendi ratione. Ergo vel dicendum universam ecclesiam per plura sæcula veram amisisse fidem, vel græcos schismaticos in turpi hæresi versari, at primum, ipsis fatentibus repugnat, posterius igitur unice remanet.

DIFFICULTATES.

348. I. *Obj.* 1° Quoties de Spiritu Sancto Christus loquitur, eum procedere *a Patre* testatur ac præsertim expresse Joan. XV, 26 dicens: *Cum venerit Paraclitus: quem Ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* [2]). Nec 2° quidquam adversus hanc veritatem prolatæ a latinis scripturarum auctoritas conficiunt. Nam verba illa: *mittam vobis Spiritum Sanctum* quo sensu accipi debeant Christus ipse patefacit dicens: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis* (Joan. XVI, 16). Mittitur igitur Spiritus Sanctus a Filio moraliter *rogando*, non physice eum *spirando.* 3° Ea quoque verba: *Ille de meo accipiet, et annuntiabit vobis* palam de suis dogmatibus esse intelligenda tota contextus ratio postulat.

1) *Ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ, παῤ αὐτοῦ το ειναι ἔχον καὶ παῤ αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον παραδίδωσιν ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος· φύσει δὲ τῇ τρίτῃ χρῆσθαι, οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεδιδάγμεθα, οὔτε ἐκ προειρημένων κατὰ τὸ ἀκόλουθον δυνατόν συλλογίσασθαι.*

Sic porro legendum esse hunc S. Basilii textum ex serie orationis tum ex parallelis sancti hujus patris sententiis, tum ex auctoritate codicum invicte ostendit Petavius lib. 7, *de Trin.* cap. 3, Miror proinde quomodo lectionem græcorum ex paucorum mss. auctoritate præferre lectioni latinorum adeo in concilio florentino excusæ, atque strenue vindicatæ maurinus editor maluerit. Certe Manuel Calecas strenuus catholicæ fidei propugnator hæc scribere non dubitavit cap. 10. „Quod si quis additamentum hoc esse dicit (verba *πάῤ αὐτοῦ* etc. id est *ut qui* usque ad illa: *causa pendeat* inclusive), calumniatur. Primum enim in antiquissimis libris ista lectio deprehenditur, quorum tanta est vetustas, ut eos ante schisma perscriptos esse quivis fateatur, quorum aliqui lituras etiam exhibent: cum quidam doctoris sententiam tanquam spuriam calumniati essent, ob idque ferro in scripturam grassati ut contradicere possent. Sed et consequentia sermonis, et phrasis ip a valde cohærens est, et doctoris proposito consentanea."

2) Quod quidem Christi dictum græci *acutum telum* vocare consueverunt adversus latinos.

Dixerat enim: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem . . . Ille de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (Ibid. XVI, 12 seqq.). Quid porro accipere de Christo poterat, ut discipulis nuntiaret? Certe scientiam illam, quam intelligere tunc discipuli non poterant [1]); quod confirmatur ex ipso Maldonato, qui illud *de meo accipiet* exponit de mea doctrina, eo ipso quod in futuro sit dictum. 4° Demum etiam illud *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt* nihil evincit, alioquin cum omnia, quæ habet Pater, ubi non intercedit relativa oppositio, habeat pariter Spiritus Sanctus cum in generatione Filii nulla interveniat oppositio relativa inter Patrem et Spiritum Sanctum sequeretur Filium pariter a Spiritu Sancto gigni, quod absonum a fide est. Ergo.

349. ***Resp. ad*** 1^{m}. vel ***Neg.*** ut ex probationibus patet; vel ***Dist.*** Eum procedere a Patre testatur in sensu inclusivo Filii, *conc.* in sensu exclusivo, *neg.* Ut enim observat S. Augustinus ***Cum de illo*** (Spiritu Sancto) ***Filius loqueretur***, ait, ***de Patre procedit: quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo dedit ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus. Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis, accipite Spiritum Sanctum*** [2]); vel etiam ut ait S. Cyrillus alex. in cap. XV Joan. ideo a Patre procedere Spiritum Sanctum dixit Christus, ut identitatem substantiæ Filii et Patris ostenderet; ***Ecce enim***, inquit, ***ecce cum Spiritum veritatis; id est suum Paracletum dixerit, a Patre ipse ait procedere. Sicut enim proprius est Filii Spiritus naturaliter et in ipso existens, et per ipsum procedens, ita etiam Patris.*** Demum concludit: ***In unam Deitatis rationem Sancta Trinitas constringitur*** [3]). Et sane neque Athanasius, nec cæteri patres græci, licet et ipsi legerint in evangelio ***Qui ex Patre procedit*** a latinorum propterea sententia recesserunt, cum minime ignorarent in evangelio pariter legi: ***Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt:*** ex quo intellexerunt non posse Spiritum Sanctum a Patre procedere, quin procedat a Filio ***propter ipsam inseparabilitatem***, ut loquitur Augustinus [4]), divinæ substantiæ. Addatur patres minime illum scripturarum morem ignorasse quædam attribuendi certis personis, quæ omnibus ex æquo conveniunt, ut cum dicitur de

1) Has easdem difficultates repetit Filaret *op. cit.* pag. 47.

2) Lib. 2, *contra Maximin. Arian.* cap. 14, num. 1, quod totum fere est de hoc argumento.

3) *Ἰδοὺ γὰρ, ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας τοῦτ᾽ ἐςιν, ἑαυτοῦ τὸν παράκλητον εἰπὼν, παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸν πορεύεσθαι φησίν· ὥσπερ γὰρ ἐςὶν ἴδιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φυσικῶς, ἐν αυτῷ τε ὑπάρχον, καὶ δἰ αὐτοῦ προϊὸν, οὕτω καὶ τοῦ πατρὸς .... εἰς ἕνα θεότητος λόγον ἡ ἁγία τριὰς ἀνασφίγγεται.* Hanc vero doctrinam profitetur se accepisse ex sanctorum patrum fide *τον ἁγίων πατέρων ἰχνηλατοῦντες πίςιν.* Sanctorum patrum fidei vestigiis insistentes lib. 10, in Joan. in v, 26, 27, c. 15.

4) Lib. ı, *de Trin.* cap. 8, n. 17, imo toto hoc capite fuse istud argumentum prosequitur.

Filio *erat lux vera*, cum Pater et Spiritus Sanctus lux vera similiter sint [1]).

350. *Ad* 2m, *Neg. Ad prob. autem dist.* Christus de morali loquitur missione simul et physica, *conc.* de morali tantum; *neg.* Loquitur enim Christus ut Deus cum dicit: ***Mittam vobis Spiritum Sanctum;*** loquitur ut homo cum addit: ***Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.*** Sic utramque missionem complectitur, quam simul græci confundunt dum ad solam moralem exigunt.

351. *Ad* 3m, Dato etiam, quod Christus de scientia loquatur cum dicit ***Ille de meo accipiet;*** *neg. cons.* Etenim, si Spiritus Sanctus, qui Deus est de Filii scientia accipit, ergo non a se,

1) Cf. S. August. *loc. cit.* cap. 9, num. 19, ubi usitatam ejusmodi scripturæ loquendi rationem his verbis exponit: „Propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis, dicuntur quædam separatim: non tamen aliis separatis intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unitatem unamque substantiam, atque deitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Post clara adeo S. Augustini testimonia aliaque non pauca, quæ afferri possent in quibus toties inculcat Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere; esse *Spiritum amborum, ab ambobus tanquam unico principio procedere*, etc. quis suspicari potuisset Filaret nobis objicere auctoritatem S. Augustini, et latinos accusare, quod in novis editionibus ausu temerario corruperint S. doctoris textum ex lib. 15, *de Trin.* cap. 27, n. 50, ut propriæ causæ ipsi patrocinarentur? Causa accusationis est quod his ibi mutaverint vocem *cognitionis* in vocem *cogitationis* contra omnium prope mss. fidem.

Jam vero observo 1, me non propugnare agendi rationem editorum maurinorum, quin potius superius notavi cum ageretur de textu S. Basilii, in quo contra omnium fere mss. fidem faverunt potius causæ græcorum, quam latinorum, cæca ratione semper eorum lectioni standum non esse.

2. Si fraude ac dolo atque ad patrocinandum causæ latinorum dictam mutationem induxissent græca fide, non admonuissent „omnes prope mss. habere *cognitionis ejus*." Adde fraudem et dolum dotem esse propriam eorum, qui errorem tuentur, hæreticorum scilicet et schismaticorum.

3. Nego suppositum, hic S. Augustinum favere hæresi schismaticorum sive legatur *cognitionis* sive *cogitationis:* quod ut pateat afferam argumentum, quod recitatis, non absque aliaque infidelitate, S. doctoris verbis conficit Filaret pag. 47 eruamus, ait ipse, præcipuas ideas quæ sibi mutuo respondent:

Scientia sive *cognitio-Pater*
Verbum sive *cognitio-Filius*
Voluntas sive *amor-Spiritus*
Voluntas procedit a cognitione
Ergo *Spiritus procedit a Patre.*

Ast 1° S. D. expresse docet voluntatem seu dilectionem a cognitione seu cogitatione, quæ est Verbum, quod gignitur a *scientia,* quæ adumbrat Patrem, procedere, ideoque Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio. 2° Congruit scopus S. Augustini, qui hic est ostendere discrimen quod intercedit inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti, quare nempe processio Filii sit *generatio* non autem *processio* Spiritus Sancti. Utitur autem similitudine animæ nostræ in qua verbum quod a scientia producitur præsefert imaginem et similitudinem scientiæ seu conceptus qui in mente est et a qua procedit, ex quo infert processionem Verbi esse generationem; contra vero voluntas quæ de cogitatione (seu cognitione) procedit cujus objectum est appetere, non præsefert cogitationis, (seu cognitionis) imaginem et similitudinem: ex quo concludit processionem Spiritus Sancti non esse generationem, etsi voluntas in sua processione dependeat et a scientia et a cogitatione seu Verbo. Legatur totus contextus, et hunc genuinum esse sensum hujus loci quisque percipiet. Et hæc quidem cohærenter ad ea quæ dixerat in hoc ipso capite; nam num. 38 scribit: „Inter cætera enim cum per scripturarum sanctarum testimonia docuissem *de utroque* procedere Spiritum Sanctum: si ergo, inquam, et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit *de Patre procedit?* etc.

sed a Filio hanc scientiam habet, adeoque a Filio emanat; scientia enim et essentia in Deo idem sunt, et qui unum a Filio accipit, alterum pariter accipiat necesse est. Cæterum quominus præcise de scientia non autem de essentia sua Christum locutum esse dicamus, secus ac Theophilactus, Maldonatus aliique autument, obstant non solum allatæ patrum sive græcorum, sive latinorum interpretationes, sed ipse antiquissimæ versiones quas pariter protulimus, quæ hujusmodi effugium excludunt.

352. Ad Maldonatum quod spectat energice respondet Petavius ostendendo expositionem veterum, perinde esse *de meo accipiet*, ac *a me procedit*, non solum probabilem, sed plane necessariam esse ex ipso contextu. Si enim, assentiente Maldonato, *Omnia quæcumque mea sunt* essentiam significant, cum Christus dixerit ideo Spiritum Sanctum *de meo accipiet* quia *Quæcumque habet Pater mea sunt*, hoc ipso patet, quod cum dixit Christus de Spiritu Sancto *de meo accipiet*, de sua essentia ipsum locutum esse; non aliter autem Spiritus Sanctus de essentia Filii accipere potest quam procedendo.

253. Nec obstat quod loquatur in futuro *de meo accipiet* tum quia in æternitate nulla successio est, ideoque vere potest dici accepit et accipiet, tum quia Christus his verbis alludit potissimum ad externam processionem Spiritus Sancti, quæ in interiori fundatur, quæque externæ cujusdam efficientiæ gratia fieri dicitur; quare cum Christus de hac externa missione loquatur, quæ futura adhuc erat, futuri itidem verbo temporis eam exprimit [1]).

354. *Ad* 4^m^, *Dist.* Si Spiritus Sanctus non esset in processione ordine secundus, *conc.* Secus, *neg.* Jam vero, ut patet, ex ipsa formula baptismi, in ratione personæ Spiritus Sanctus ordine tertius est, ac proinde processionis ordine secundus, fieri proinde nequit ut Spiritus Sanctus gignat Filium qui ordine ac processione anterior est ipso, etsi in activa generatione Patris nulla sit oppositio relativa cum Spiritu Sancto.

355. *Inst.* Sed si Spiritus Sanctus reipsa a Filio quoque proce dit quare Christus id aperte non tradidit? Quin potius cum eum a Patre procedere affirmet nonne in errorem nos induxisset, si res aliter se haberet?

356. *Resp.* 1° Nostrum non esse in rationem inquirere, quare Christus his potius quam aliis verborum formulis usus sit in doctrina sua tradenda; 2° Christum aperte satis et æquivalenter id docuisse in ipsis capitibus, dum Spiritum Sanctum a se mitti affirmat, de suo accipere et se unum esse cum Patre, omniaque se habere cum Patre communia; 3° ex hoc evinci necessitatem magisterii semper viventis pro scripturarum explanatione.

1) Cf. Petav. lib. 3, *de Trin.* cap. 8, §. 7 et seqq., ubi frangit audaciam Crellii auctoritate Maldonati abutentis.

verique earum sensus assecutione; ut græci ipsi admittunt adversus hæreticos omnes qui auctoritate scripturarum abutuntur ad suos errores cohonestandos [1]).

357. II. *Obj.* 1° Per symbolum constantinopolitanum jubemur profiteri *Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit.* Quod quidem evidens argumentum est veterem ecclesiam sic credidisse: sane 2° cum S. Cyrillus posuisset in suis anathematismis Spiritum Sanctum proprium Filii esse, acriter vapulat a Theodoreto, quin tamen doctus et pius hic antistes in suspicionem hac de causa erroris venerit, nec Cyrillus huic objurgationi quidquam respondit, sed 3° paulatim a persuasione hac sua recessit, et 4° ille perrexit avitam doctrinam tueri sive in epist. ad monasteria, sive in cap. VIII, epist. ad rom. tum in I ad corinth. II, 12, ac in lib. ult. hæret. fabul. cap. III. Atque hinc 5° factum est ut reliqui patres passim doceant Spiritum Sanctum a Patre procedere *per Filium*, 6° inter quos S. Athanasius, qui præterea tum in refutatione hypocrisis Meletii et Eusebii, tum in *quæst. sacris.* Spiritum Sanctum *a solo* Patre procedere testatur; sic etiam S. Basilius ep. XLIII, S. Greg. nazianz. orat. XXIV, ac ipse Cyrillus alex. lib. II, in Joan. can. III. Quorum 7° principiis imbutus S. Joan. Damascenus non solum perpetuo Spiritum Sanctum a Patre procedere docet per Filium, sed ad omnem tollendam æquivocationem lib. I, de fide orthod. cap. VIII, aperte scribit: *Spiritum Sanctum et ex Patre esse, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus* [2]). Nec tamen 8° vel ipse, vel Photius ob hanc doctrinam damnati sunt, sicut ante ipsos Theodorus mopsuestenus, nec Theodoretus, 9° quare ecclesia græca antiquitatis tenacior quam latina veram et receptam a patribus doctrinam professa est, a qua per summum nefas recessit ecclesia latina [3]).

1) Quoniam vero nonnulli Maldonati verbis abutuntur præstat ex eodem rationem afferre, quare Christus Dominus *loc. cit.* dicat Spiritum Sanctum a Patre procedere et non etiam a se „quia id, inquit, apud homines magis minuere, quam commendare poterat ejus (Spiritus Sancti) testimonium. Cum enim de ipsomet ageretur, suspectum Spiritus Sancti testimonium videretur, si dixisset a se procedere, præterquam quod, ut modo diximus, modestius ita loquitur.

2) *Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν· ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν· πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν.* Frustra Hugo Etherianus spuria hæc verba esse contendit cum in omnibus mss. reperiantur.

3) His addit Moschus metropolita Filaret *op. cit.* pag. 49, ex auctoritate S. Augustini *(serm.* cxxix, *de tempore)* et Theodoreti (lib. 5, *hær. eccl.* cap. 11), quorum alter latine in Africa, alter græce in Asia eodem ferme tempore quin alter de altero sciret scripserunt, referunt decretum Damasi ac totius concilii romani „Si quis non dixerit Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie sicut Filium de divina substantia, et Deum verum, Dei Verbum: anath. sit." Hinc exsultat adversus catholicos. At bonus vir multipliciter labitur ac 1° in eo quod tribuat S. Augustino sermonem cxxix, qui spurius est et conflatus ex diversis operibus et nestorianis favens; 2° in eo quod assecutus non sit sensum decreti Damasi in cit. anathematismo, qui aperte eruitur sive a Theodoreto, sive a consarcinatore sermonis Augustino tributi: sic vero apud Theodoretum incipit

358. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* per oppositionem ad macedonianorum errorem qui Spiritum Sanctum a Filio procedere docebant ad exclusionem Patris, *conc.* ad excludendam processionem a Filio, *neg.* Macedoniani enim utpote arianorum surculi cum tres gradus in personis divinis ponerent, autumabant Spiritum Sanctum a Filio procreatum esse; ut igitur patres cpni directe huic impietati se se opponerent adjecerunt in symbolo citata verba. Atque hinc est quod subsequentes patres solliciti semper in eo fuerunt ut adstruerent Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere, ut mox dicemus [1]). A Filio vero procedere, cum pro certo haberetur, synodus illa nihil de hoc decrevit.

359 *Ad* 2m, *Dist.* Ex falsa suppositione quod Cyrillus his verbis Apollinaris et Macedonii impietates exprimeret, *conc.* in sensu catholico, *neg.* Hanc veram esse causam reprehensionis Theodoreti liquet ex ejus epist. ad monasteria scripta adversus anathematismos Cyrilli, quæque lecta est in quinta synodo cujus hæc verba sunt: ***Blasphemat vero*** (Cyrillus) ***et Spiritum Sanctum non ex Patre ipsum procedere dicens, secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste vero Apollinaris seminum fructus est; propinquat vero et Macedonii malignæ culturæ*** [2]). Ergo eatenus improbata est a Theodoreto Cyrilli sententia, quatenus ex ejus mente Cyrillus Apollinaris et Macedonii errorem præseferebat, non improbaturus, si alio sensu dixisset. Aliam vero esse mentem S. Cyrilli inutile est ostendere, cum id plane compertum sit [1]). Exinde ratio habetur cur nec Theodoretus ob hanc causam in suspicionem heterodoxæ doctrinæ venerit, et S. Cyrillus non institerit.

confessio fidei catholicæ quam Damasus papa in Macedoniam misit ad Paulinum: „Quoniam post concilium nicænum hic error emersit ut quidam ore profano dicere audeant Spiritum Sanctum per Filium factum esse (τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον γεγονεῖςαι διὰ τοῦ υἱοῦ) anathematizamus eos;" atque in eumdem sensum postea subjungit anathematismum modo prolatum, et alium „Si quis dixerit Spiritum Sanctum *facturam* (ποίημα) ac per Filium factum: anath. sit." Auctor vero citati sermonis incipit: „Credimus quoque Sanctum Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre *Filioque procedit*" post quam confessionem et cohærenter ad hanc fidei confessionem adjicit anathematismos. Non igitur dictum est a Damaso Spiritum Sanctum a Patre procedere ad exclusionem ejus processionis a Filio, sed ad profitendam ejusdem cum Patre divinitatem adversus errorem macedonianorum.

1) Compertum etiam est arianos docuisse Spiritum Sanctum immediate a solo Filio tanquam per instrumentum esse productum a Patre, cui errori refellendo Patris insitebant. Inferius hujus assertionis, quæ magnam affert lucem ad dictiones patrum explanandas, documenta dabimus.

2) Apud Labb. tom. v, *coll. conc.* col. 505.

3) Appollinaris enim adducto exemplo solis, radii et splendoris qui a sole per radium emittitur, Spiritum Sanctum magnum, Filium majorem, Patrem maximum, diversos gradus in Trinitate statuendo, effutiebat, ut, sicut Filius minor esset Patre, utpote natus ex Patre, ita quoque Spiritus Sanctus esset Filio minor quia procreatus ex Filio. Hunc vero sensum propositioni S. Cyrilli affingebat Theodoretus, ut eum carperet, pro livoris æstu quo erga præstantissimum doctorem agebatur. At omnem apollinarismi suspicionem S. Cyrillus tam circa hoc, quam circa alia doctrinæ capita a se repulit in secunda præsertim epistola quam scripsit ad Successum quæ prostat tom. v. pag. 11 *edit. Paris* 1638. pag. 141 *epist.*

360. *Ad* 3[m], *Neg.* Hæc gratuita calumnia græcorum est, quæ ab omnibus operibus a S. Cyrillo post anathematismos conscriptis refellitur. Etenim Spiritum Sanctum procedere a Filio docet in thesauro assertione XXXIV, in dialogis de Trinitate, ac præsertim dial. VII ubi in illa Joannis verba ***In hoc cognoscimus*** etc [1]) infert Spiritum Sanctum non esse alienum substantive et sejunctum a Filio, quippe qui *ex ipso*, *et in ipso*, *et ipsius proprius sit;* et alibi sæpe eadem repetit [2]).

361. *Ad* 4[m], *Dist.* In sensu exposito, *conc.* in sensu græcorum schismaticorum, *neg.* in omnibus siquidem citatis locis constanter docet Spiritum S. a Patre procedere et ex Deo esse ad respuendam hæreticorum insaniam, qui eum Filii facturam existimabant. Hic satis sit ejus verba proferre ex lib. V Hæret. fab. cap. III ubi prolatis apostoli verbis ex I Cor. II. ***Nos enim non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est***, addit: ***Hac ratione cum Patre et Filio semper conjungit*** (Apostolus), ***cum creatura autem nunquam conjunxit. Non enim creaturæ partem illum esse novit, nec primam facturam nominat secundum Arii et Eunomii et Macedonii blasphemiam*** [3]).

362. *Ad* 5[m], *Dist.* Id est *a* Filio, particulam *per* loco *a* usurpantes, *conc.* diverso sensu, *neg.* Quamcumque cavillationem diluerunt florentini patres declarantes. ***Quod id, quod sancti patres et doctores dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significet Filium quoque esse secundum græcos quidem causam, secundum latinos vero Principium subsistentiæ Spiritus Sancti sicut et Patrem*** [4]). Enim vero Nazianzenus, Cyrillus, Epiphanius modo voces ***ex Filio*** sumunt, modo ***per Filium*** [5]); promiscuas pariter in scripturis has voces esse exploratum est; ac demum explicavit orientalis ecclesia russorum an. 1752 ut refert Frantz [6]).

1) I. Joan. IV, 13.

2) Cfr. Le-Quien *diss. cit.* §. 4.

3) *Ταύτητα τῷ πατρὶ καὶ υἱῷ αὐτὸ διατελεῖ συντάττων, τῇ κτίσει δὲ οὐ συνέταξε πώποτε· οὐ γάρ οἶδεν αὐτὸ τῆς κτίσεως μόριον, οὐδὲ πρῶτον ποίημα ὀνομάζει, κατὰ τὴν Ἀρείου, καὶ Εὐνομίου, καὶ Μακεδονίου βλασφημίαν.*

4) Apud Labb. *coll. conc.* tom. XIII. col. 1166.

5) Cfr. Petav. *de Trin.* lib. 8. cap. 17. §. 2. et *seqq.* ubi fuse ostendit, innumeris prope sive ex sacris literis, sive ex græcis patribus productis exemplis, promiscue sumi particulas *διά per*, et *ἐξ ex*, ideoque, quod consequens est, tantumdem esse Spiritum dicere, per Filium a Patre procedere, atque ex Filio.

6) V. P. Ignatii Frantz S. I. in Pragena Univers. prof. *dissert. super formulis græcorum et latinorum de confitenda Spiritus Sancti processione, quæ habetur in thesauro theologico Zaccariæ* tom. III. Jam vero hic auctor sub finem §. 3. hæc habet: „Solemnis *ὁμολογία* (confessio) ecclesiæ orientalis pro ecclesia russorum quam græci *sororem* appellant suam recentibus typis edita an. 1751. pag. 81. hæc continet: *ὡς φησὶν (Ἰωάν. α. ι.) ἡ γραφή· ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δἰ αὐτοῦ ἐγένετο, τοῦτ' ἐςιν, ἐξ αὐτοῦ. Docente scriptura Joan.* I. v. 10. *in mundo fuit, et per ipsum* (verbum) *mundus factus est*, hoc est: *ab ipso.* Ubi jam ante oculos est, quemadmodum græci *διὰ*, et *ἐξ* pro eodem sumere non vereantur."

363. *Ad* 6^m^, *Neg.* Siquidem primum opusculum nunc critici inter dubia, alterum vero inter apocrypha ejusdem S. doctoris opera recensent [1]).

364. *Ad* 7^m^, ***Dist.*** et per illud ***ex Filio*** (*ἐκ τοῦ υἱοῦ*) S. Joannes Damasc. exclusit a Filio *principalem causam* divinarum processionum, quam græci *τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν* (procatarcticam causam) appellant, ***conc.*** processionem ipsam, ***neg.*** Nempe citatis verbis id unum vult S. doctor Filium non esse principium ***absque origine***, sed solum esse principium Spiritus Sancti ***cum origine***, eo quod solus Pater tale principium ***sine origine*** sit, cum omnia quæ Filius habet a Patre acceperit, et ideo confestim addit S. Joan. damascenus: ***Solus Pater principium est.*** Ita explicant hunc locum græci ipsi doctores Manuel Calecas. cap. XXXIX Demetrius ***de Process. Spiritus Sancti*** cap. XI. Bessarion in ***Orat. dogm.*** cap. VI. Sane noluisse per citata verba Joannem Damasc. excludere processionem Spiritus Sancti a Filio patet ex pluribus locis in quibus expresse tradit SpiritumSanctum a Patre per Filium produci vel procedere, sic in cap. de ***divinis nominibus*** Pater dicitur ***per Filium producens manifestantem Spiritum*** [2]); et rursum ***Spiritus autem Filii, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens*** [3]) et in fine epist. ad Jordanem æternam Spiritus Sancti processionem diserte enuntiat his verbis; ***Spiritus Sanctus est, ex Patre siquidem per Filium procedit, non tamen filiationis more*** [4]) et alibi passim [5]).

1) Consulatur maurinus editor opp. S. Athanasii tom. II. seu vol. III. in *admonitione in refutationem hypocrisis etc.* n. 2. Ubi tum ex materia ipsa, tum ex styli varietate, tum ex tractandi ratione scriptoris hujus opusculi, qua orthodoxæ piæque sententiæ argutiis atque cavillis impugnatur, ac demum ex veteribus codicibus ostendit hujus opusculi auctorem S. Athanasium non esse. Vid. pariter ib. monitum præmissum alteri opusculo S. Athanasio tributo cui tit. „Quæstiones aliæ" ubi ait neminem esse qui Athanasium tantarum nugarum, quot in eo reperiuntur patrem esse suspicari possit; censet vero harum quæstionum auctorem vixisse post exorta certamina inter latinam et græcam ecclesiam. Idque sane luculenter evincitur ex quæst. 11 et 12.

2) *Διὰ λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος.*

3) *Καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον.*

4) *Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς γὰρ, διὰ τοῦ υἱοῦ καὶ λόγου προιὸν, οὐκ υἱκῶς δὲ....* quæ est epistola *De hymno Trisagio* num. 28.

5) Ut in *Dial. contra manichæos* etc. Cfr. Le-Quien in *nota ult.* ad cap. 8. *libri* I. *de fide orthod.* ubi ostendit I. S. Joannem Damasc. cæteris patribus græcis apprime consentire in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre per Filium. 2. Non alio sensu eundem negare Spiritum S. *a Filio*, seu *ex Filio* esse, quam quo S. Maximus in ep. ad Marinum presbyterum Cypri scribit latinos patres interpretandos esse, ubi Spiritum Sanctum ex Filio procedere asserunt, ut *Filium non* esse Spiritus S. *causam senserint οὐκ αἰτίαν τὸν υἱὸν ποιοῦνται τοῦ πνεύματος. unam enim noverunt, cum Filii, tum Spiritus S. causam, Patrem scilicet:* sed ut significent eum *δι' αὐτοῦ προϊέναι, per ipsum prodire, atque hoc pacto substantiæ cognationem et indifferentiam exprimant.* Id est ad denotandum Filium non esse causam principalem (procatarcticam) Spiritus S. cujusmodi solus Pater est. Cum hac ratione caverent veteres, ne more ariano Spiritus S. productio in Filium præsertim refunderetur, et quidem actione quæ a paterna distincta sit. 3. Ostendit tum S. Joan. damascenum, tum reliquos antiquos patres docere Spiritum

365. *Ad* 8ᵐ, *Resp.* Quoad Joannem damascenum falso aborare supposito græcorum exceptionem, ut ex modo dictis patet.

366. Theodori vero mopsuesteni symbolum quod exhibuit Charisius presbyter concilio chalcedonensi ac Theodoreti scripta adversus S. Cyrillum exarata, reipsa repudiata fuerunt; symbolum quidem Theodori a concilio ipso ephesino [1]. Theodoreti vero scripta partim rejecta sunt et retractata ab ipsomet Theodoreto cum Cyrilli synodicas epistolas suscepit, ut animadvertit Card. Norisius [2]; ac demum in concilio œcumenico V proscripta fuerunt [3].

267. Photius damnatus non fuit sive a romanis pontificibus sive a conc. VIII etsi processionem Spiritus Sancti a Filio negaverit, quia ad evertendum tantum ejus schisma synodus VIII celebrata est et in hoc principale factum incubuerunt Romani pontifices non quasi approbaverint ipsius errores.

368. *Ad* 9ᵐ, *Neg. maj.* Ab iis enim 1° quæ ad fidem pertinent ecclesia latina, seu potius ecclesia catholica deficere ne latum quidem unguem potuit quin Christus promissis suis defuerit. Addo 2° nec potuisse deficere ecclesiam latinam quin cum ipsa ecclesia etiam orientalis defecerit, quæ semper usque ad Photium cum ipsa in perpetua communione fuit, exploratum autem est ecclesiam latinam, ut ex omnibus allatis monumentis constat, professam fuisse processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio; 3° Non potuisse recedere ab antiqua fide quin ejusdem prævaricationis rea facta fuerit ecclesia græca, quæ solemniter in duobus conciliis œcumenicis lugdunensi II et florentino eandem doctrinam professa est. 4° Patres græcos nonnisi in loquendi ratione, neque id constanter, a patribus latinis dissentire, quia quod latini exprimebant per verba *a Filio* græci dixerunt *per Filium* sed quoad rem ipsam per diversa verba significatam apprime inter se convenire. Dixi *nec constanter*, quia interdum Patres græci dixerunt Spiritum Sanctum procedere *a Filio* et patres latini interdum et ipsi dixerunt eundem procedere *per Filium* [4]. 5° Græcos non posse ad adstruendam propriam sen-

S. a Patre *per Filium* progredi ut illius actionis naturalis qua Pater profundit Spiritum nequaquam exsors sit Filius, quantumlibet Pater solus fons, oculus, scatebra, principium et auctor Spiritus habeatur: quinimo divina natura, ut intelligitur a Patre communicari prius. secundum ordinem originis, Filio, quam Spiritui S. suam illam servet in Filio quoque fæcunditatem, quæ incepit in Patre, prout eleganter expressit S. Gregorius Naz. celebri illo effato: „unitas a principio in dyada seu binarium progressa, in triade seu Trinitate constitit" *μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δύαδα κινηθεῖσα μέχρι τρίαδος ἐςι.* Seu, ut ait S. Greg. nyssenus, una deitatis substantia, unus voluntatis optimæ motus „a Patre proficiscitur, perque Filium progreditur, et in Spiritu completur „*ἀπὸ πατρὸς παρορμῶται, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ πρόεισι, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τελειοῦται.*

1) Cfr. *Act. conc.* ap. Labb. tom. III. col. 690.

2) In *Diss. de Synodo* 5. cap. II. tom. I. *opp. edit. Veron.* 1729. col. 793.

3) Act. VIII. Can. XIII. ap. Labb. tom. V. col. 578.

4) Ita passim S. Epiphanius et S. Cyrillus alex. qui aperte processionem Spi-

tentiam proferre aliquem ex græcis patribus qui aperte neget Spiritum Sanctum *a Filio* procedere nisi unum S. Joan. damascenum, qui non floruit nisi sæc. IX quo autem sensu id negaverit ostendimus tum ex contextu ipso, tum ex aliis ejusdem patris parallelis locis, in quibus et ipse cum cæteris patribus docet Spiritum Sanctum procedere a Patre *per Filium*; 6° quod proinde consequens est græcos hallucinatos esse in vocibus illis *per Filium* dum impugnarunt latinos, et latenter, ut ita dicam, semper apud ipsos quosdam tenuisse errorem, qui antiquitus apud factiosos nonnullos obtinuit, quia licet sectæ extinguantur et transeant, apud pertinaciores aliosque semper aliquid sectæ extinctæ conservatur, donec data occasione foras erumpat, ut patet ex criminationibus intentatis, ut vidimus, circa hunc articulum, ecclesiæ romanæ tum a monothelitis, tum ab iconomachis, ac demum a Photio ejusque fautoribus; et sic ratio redditur ejusmodi doctrinæ, quæ sensim sine sensu in ecclesia græca invaluit [1]). Quod cum viderint græci pii et docti, qui sincero animo veritatem quærebant, non dubitarunt errorem dimittere ac se in ecclesiæ catholicæ unitatem recipere [2]).

ritus S. ex Patre, et Filio repetunt. Ille quidem in *Ancorato* cujus superius locum citavimus ex num. 67. ubi Spiritum S. tum *a Christo ἐκ τοῦ χριστοῦ*, tum *ab ambobus*, Patre nempe et Filio procedere ib. his in eadem pag. repetit *παῤ ἀμφοτέρων* n. 71 et *Hær.* LXXIV. n. 8 tum *Hær.* LXII 2. 4. etc. Alter vero tum alibi tum in *dial.* VII *de Trin.* ubi Spiritum Sanctum *ex ipso* (Filio) *ἐξ αυτοῦ* esse affirmat; et cap. 34. *Thesauri ex Patre et Filio* procedere pro certo sumit *ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ*. His addendus Didymus cujus verba pariter retulimus. His addatur S. Greg. Nyssenus qui *Hom.* III. *in orationem dominicam* „Spiritus S. et ex Patre dicitur, inquit, et *ex Filio* esse perhibetur *τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται.* etc.

E contra ex latinis patribus non desunt, qui doceant Spiritum Sanctum procedere *per Filium*; sic Tertull. *lib. cont. Praxeam* cap. 4 ubi „Spiritum inquit, non aliunde puto, quam a Patre per Filium" *ed. Rig.*

1) Ubi obiter notandum juges simultates græcorum adversus latinos fuisse exercitas ex quadam æmulatione ob imperialem ipsorum urbem, quarum non pauca suppetunt exempla in antiquitatis monumentis, nil mirum proinde si amarulento animo causas dissensionis nectere numquam fere destiterint.

2) Inter hos celebriores sunt Joannes Vecus seu Beccus, Gennadius, Bessarion, Cydonius, Demetrius, Niceph. Blemmyda aliique bene multi, quorum præterea scripta adversus græcorum errores partim exhibet Leo Allatius in sua *Græcia orthodoxa duobus vol. in* 4. *Romæ* 1652. et 1659. partim Petrus Arcudius *vol.* I. *in* 4. Romæ 1630 in op. *Opuscula aurea theologica.*" Inter eos qui cæteris palmam facile præripuerunt in hoc argumento eminet Manuel Calecas ord. præd. cujus libros IV contra errores græcorum ex græco in latinum vertit Ambrosius Camaldulensis, post alias editiones novam adornavit ex bibliotheca bavarica ac notis illustravit Petrus Stevartius *vol. 1 in* 4. *Ingolstadii* 1608.

Sic ipse Leo Allatius de suo scripsit „De ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione libros tres" *vol.* 1 *in 4 Colon. Agripp.* 1648. laudandum præterea se se exhibet Nic. Comnenus Papadopoli Cretensis, qui an. 1699. Patavii ubi sacrorum canonum erat interpres vulgavit suas „Prænotiones mystagogicas ex jure canonico" in quibus energice schismaticos impugnat. Cfr. *Resp.* 5. sect. 3. §. 9. et seqq. ubi quæ spectant ad argumentum nostrum compendio collegit et græcorum tricas dissolvit.

369. III. *Obj.* Nisi Spiritus Sanctus a solo Patre procedere dicatur, plura sequerentur absurda; ac 1° quidem quod a duplici spiratione dimanet; 2° Quod Patris appellari possit nepos. 3° quod magis distet a Patre quam Filius; 4° Quod prius hic sit genitus, quam ille spiratus; 5° Quod Filius esset supervacaneum Spiritus Sancti principium, cum Pater per se sufficiens sit ejusdem principium. Ergo.

370. ***Resp.*** I. Cum de facto revelationis constet frustra rationis falsa commenta objici. Quare ne videremur ratione theologica, quæ non omnibus probatur, dogma fidei adstruere, consulto abstinuimus ab afferenda illa, quæ petitur ex eo quod si Spiritus Sanctus a Filio quoque non procederet, non distingueretur amplius realiter a Filio ipso, cum in divinis, juxta tritum scholarum effatum, omnia sint unum, ubi non intercedit relationum oppositio; etsi hæc ratio solidissima sit, et non solum a S. Anselmo et a S. Thoma, sed a nonnullis etiam patribus græcis afferatur [1]). Multo minus attendi debent, quæ a græcis urgentur quæque magna ex parte a patribus ipsis jamdiu disjecta sunt, ne tamen ea absque solutione dimittamus. Hinc

371. ***Resp.*** II. *ad* 1m, *Neg.* Cum enim nulla sit inter Patris ac Filii spirationem realis oppositio, una est utriusque spiratio. Non duo proinde sunt Spiritus Sancti principia sed unum, quemadmodum Pater, Filius et Spiritus Sanctus una sunt rerum creatarum causa ratione unius ejusdemque omnipotentiæ [2]).

372. *Ad* 2m, 3m et 4m, *Neg pariter*; etenim ut observat S. Thomas [3]), sicut generatio Filii generanti coæterna est, sic processio Spiritus Sancti coæterna est suo principio, quare non prius fuit genitus Filius, quam Spiritus Sanctus procederet, sed utrumque æternum est. Hinc negamus Spiritum Sanctum Patris appellari posse nepotem, tum quia nepos filius est Filii, et Spiritus Sanctus Filii seu Verbi filius non est, tum quia nepos non procedit immediate ab avo, prout Spiritus Sanctus procedit a Patre [4]); solo quippe ordine tertius est, qui quidem ordo nihil in re aut tempore ponit [5]).

373 *Ad* 5m, *Neg. denique sequelam et suppositum.* Eadem nempe ratione ac non valet hæc argumentatio. Pater est sufficiens creationis causa: ergo neque Filius, neque Spiritus S.

1) Cfr. Petav. lib. 7. *de Trin.* cap. 3. §. 4. tum ib. cap. 9. §. 11. et seqq. A scotistis tamen non admittitur, qui contendunt distingui Spiritum S. a Filio etsi ille ab hoc non procederet, eo quod Filius ab intellectu, Spiritus S. a voluntate procedat. Sed non video an hoc solidius sit.

2) Cfr. Petav. ib. cap. 15. §. 12. et seqq. ubi ostendit non minus ex substantia Filii Spiritum S. procedere, et sic dissolvitur argutula græcorum objectio.

3) I. p. q. XXXVI. a. 3. ad 3.

4) Petav. ib. cap. II. ostendit quo sensu processio Spiritus S. mediata dicatur ab aliquibus patribus, quod quidem a nonnullis aliis videtur negari, cum tamen utroque modo dici possit Spiritum S. a Patre procedere.

5) Superius vidimus a macedonianis hanc prolatam esse difficultatem; eam vero repetere ac suam facere græci recentiores non verentur.

causa sunt creationis; sed potius dicendum: Pater est creator, ergo et Filius et Spiritus Sanctus qui eandem habent cum Patre omnipotentiam. Pariter non tenet ista: Pater est sufficiens Spiritus Sancti principium: ergo Filius non est principium Spiritus Sancti, sed potius concludi debet, Spiritus Sanctus procedit etiam a Filio cui omnia quæ Pater habet communia sunt, una excepta paternitate [1]).

PROPOSITIO II.

Immerito græci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulæ Filioque.

374. Ita in primis statutum fuit in concilio florentino græcis consentientibus: ***Explicationem verborum illorum, Filioque veritatis declarandæ gratia, imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam*** [2]). Jamque antea in concilio lugdunensi II an. 1247 celebrato, latini et græci simul intra missarum solemnia ad publice profitendam utriusque ecclesiæ concordiam cecinere symbolum una cum declaratione ***Qui ex Patre*** Filioque ***procedit.***

375. His præmissis sic adstruimus enunciatam propositionem: Si qua ratio foret culpandi ecclesiam latinam ob insertam symbolo particulam ***Filioque,*** hæc esset decretum concilii ephesini id prohibentis: atqui hæc ratio nulla est. Ergo.

376. Major hujus argumenti unanimiter a græcis admittitur, qui bene norunt morem hunc viguisse in ecclesiis sive orientalibus sive occidentalibus quidpiam majoris declarationis gratia et ingruentibus hæresibus adjiciendi symbolo apostolico usque ad ephesinam synodum, ut ex certis historicis monumentis constat [3]). Eadem præterea assertio patet ex eo quod græci nul-

1) Præter græcos auctores quos recensuimus, consuli poterunt circa gravissimam hanc controversiam inter cæteros S. Anselmus in monologio cap. 50. et seqq. *ed. maur.* S. Th. *contra gentes* lib. 4. capp. 24. et seqq. et in *summa q. cit.* Bellarminus lib. 2. *de Christo* cap. 20. et seqq. Petavius lib. 7. *de Trin.* Le-Quien *diss.* I *Damasc.* Nat. Alex. *dissertat.* 18. *in sæc.* 9 *et* 10. *adversus Photium aliosque græcos schism.* Bernard. de Rubeis Or. Pr. *diss. hist. et dogm. de process. Spiritus S. etc. in op. Georgii, seu Gregorii Cyprii vita vol.* I. *in* 4. *Ven.* 1753. aliæ dissertationes inveniuntur in *Thesauro theologico Zaccariæ* tom. III. sed præstat adire acta ipsa concilii florent. apud Labb. tom. XIII. in quibus omnia quæ ad quæstionem præsentem faciunt plene discussa sunt, donec tandem veritate agnita græci subscripserunt editæ fidei definitioni ibid. col. 1170. Vide etiam aureum librum S. Anselmi *de processione Spiritus S.* Cfr. etiam Galani CL. reg. *conciliation. eccl. armen. cum romana, Romæ* 1658. tom. I. p. 2. q. 9. *de Christo Filio Dei producente una cum Patre Spiritum S.* ubi ex scriptura ac patribus græcis ac latinis et fuse ostendit hanc veritatem adversus armenos dissidentes.

2) Sess. XXV. apud Labb. col. 515 integra verba hæc sunt: *Ἔτι διοριζόμεθα τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν τὴν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ χαρὶν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνεσθῆναι, ἀνάγκης τε τότε ἐπικειμένης, θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι.*

3) Etenim symbolum apostolicum brevius et simplicius ac in præsentia sit,

lam aliam objurgandi ecclesiam latinam causam proferant præter ephesinum decretum.

377. Minorem vero ut evincamus juvat afferre tum motivum, tum verba ipsius memorati decreti. Motivum edendi ejusmodi decretum fuit symbolum a nestorianis interpolatum quodque ephesinæ synodo obtulit Charisius presbyter, et quo plures incaute decepti fuerant. Quo recitato, ad omnem ejusmodi deceptionis occasionem in posterum tollendam ephesina synodus decretum emisit his verbis conceptum: *Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex judaismo, sive ex qualicumque hæresi; hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clericatu decrevit; si vero laici fuerint, anathemati subjici* [1]).

378. Vel igitur per *alteram fidem*, ut plures contendunt, concilium intellexit fidem *contrariam* aut *diversam* a fide tradita in symbolo nicæno, et tunc evidens est ipsum non vetuisse il-

tribus primis ecclesiæ sæculis in omnibus ecclesiis iisdem pene verbis conceptum viguit sive in Oriente sive in Occidente: erat autem ejusmodi: „Credo in Deum Patrem omnipotentem et in Christum Jesum, unicum, Filium ejus, Dominum nostrum. Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Sanctam ecclesiam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem." Quod quidem in sua simplicitate, seu nulla auctum declaratione ad plura sæcula servavit ecclesia romana. Ecclesia ravennatensis, teste S. Petro Chrysologo in *sermonibus in symb. apost.* addebat *vitam æternam.* Absque his postremis verbis retinebat ecclesia turinensis ut fidem facit S. Maximus *hom. in tradit. symbol.* Ecclesia aquilejensis, teste Rufino in *symb. exposit.* inter opera S, Cypriani, addebat ad primum art. *invisibilem* et *impassibilem*, ac postea *descendit in inferna,* in fine, *hujus* carnis resurrectionem. „Sic in ecclesia africana auctum quinque verbis exhibet S. Augustinus *serm.* CCXII. et seqq. et in eccles. hispanicis, ut illud recitat Etherius episcopus uxamensis lib. I. *adversus Elipandum arch. toletanum* anno 785 in quo ad 2. art. videmus adjectum *Deum,* ad 4. *passus,* sic postea inveniuntur verba *descendit* ad *inferna,* resurrexit *vivus,* ad dexteram *Dei* Patris *omnipotentis,* ecclesiam *catholicam*, remissionem *omnium* peccatorum, et *vitam æternam.*

Eadem viguit quoad verba varietas in symbolis ecclesiarum orientalium. Symbolum commune non differebat a symbolo communi recepto in occidente superius recitato nisi in duabus voculis „credo in *unum* Deum, et in *unum* Dominum etc." cæterum in formula ecclesiæ alexandrinæ, et ecclesiæ hierosolim. plura sunt adjecta; prima videri potest apud Socratem *H. E.* lib. I. cap. 22. et Sozom. lib. 2. cap. 27. altera apud Tutteum in *edit. opp. S. Cyrilli hieros.* post *catechesim.* V. Hac vero varietate nihil obstante nunquam inter ecclesias interrupta pax est. Cfr. De-Rubeis *op. cit.* diss. 2. cap. I.

1) Act. VI. ap. Labb. tom. III col. 690. Sic porro se habet græcus textus: „*Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν, κ. τ. λ.*

lud additamentum, quo solum expressius declaretur eadem fides in eodem nicæno symbolo contenta, cujusmodi profecto est illud propter quod nobis græci litem movent. Vel per *alteram fidem* intellexere patres ephesini rigorose quamcumque ulteriorem declarationem symbolo addendam et tunc ex facto ipso patet decretum non afficere nisi peculiares ac privatas personas sive individua, alioquin orientales et græci ipsi primi fuissent hujus decreti violatores.

379. Etenim I concilium chalcedonense quod post ephesinum celebratum est, etsi renovaverit sanctionem ephesinam, attamen *Propter illos, qui Spiritu Sancto repugnabant* commendat additamenta facta a centum quinquaginta patribus constantinopolitanis et ipsum symbolum ab iisdem auctum recepit, et in usum communem totius ecclesiæ deduxit [1]).

380. II. Ecclesiæ orientales non solum symbolum Cpnum susceperunt, quod etiam *nicænum* dictum est, sed præterea ipsum inseruerunt fidei formulæ.

381. III. Non obstante lege ephesina, peculiares vigebant fidei formulæ *antiochena*, *jerosolymitana*, *philadelphiensis* ab utraque sive nicæna, sive Cpna formula *discrepantes*, quin tamen violatæ legis ecclesiæ illæ accusatæ fuerint, sive ab ecclesiis cæteris orientalibus, sive ab ecclesiis occidentalibus, quæ semper retinuerunt in sua simplicitate symbolum apostolicum pro instructione catechumenorum atque in ritu baptismatis, neque inseruerunt symbolum liturgiæ.

382. IV. Eadem lege non obstante licitum sibi duxerunt orientales, novis ingruentibus hæresibus, monothelitarum præsertim et iconomachorum prolixioribus verbis formulas nicænam et Cpnam exponere ad rectam fidem profitendam, atque se ab omni erroris suspicione purgandos, ut patet ex actis synodorum generalium VI et VII imo a Tharasio episcopo Cpno fidei for-

1) Eutychiani enim sub prætextu adhærendi formulæ, seu symbolo nicæno rejiciebant additamenta huic symbolo facta a conc. Cpn. I. ut sic facilius proprios errores tegerent. Hinc patres synodi chalcedonensis celebratæ anno 451 nempe post concilium ephesinum, „Machinationem omnem hæreticorum contra veritatem claudere volentes" ut ibid. legitur, Act. v. decreverunt: „Ante omnia, fidem integram et intemeratam permanere trecentorum decem et octo sanctorum patrum (nicænorum) doctrinam confirmantes, quæ de substantia Spiritus Sancti a patribus centumquinquaginta postea congregatis in regia civitate (Constantinopoli) tradita est propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant:" Apud Labb. tom. iv col. 565 integrum decretum legi meretur et ex eo tempore factum est commune ecclesiæ Orientali universæ symbolum Cpnum quod nondum receptum universim erat in usum præsertim liturgicum. Quæ quidem agendi ratio patrum chalcedonensium ineluctabile suppedidat argumentum ecclesiæ occidentali ad defendendam declarationem eidem symbolo insertam per verba *Filioque*. Dixi ecclesiæ universæ orientali commune effectum symbolum Cpnum; nam ecclesiæ occidentales, præsertim romana, adhuc perstiterunt in simplicitate symboli apostolici per plura sæcula. Concilium autem ephesinum per symbolum nicænum intellexisse symbolum illud rigorose sumptum absque additamentis symboli Cpni, compertum fit ex recitatione ejusdem symboli nicæni facta in eodem concilio, prout postea idem præstitum est in conc. chalcedonensi una cum recitatione symboli Cpni ibid.

mula ad patriarchas transmissa est hoc additamento: ***Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem*, *qui ex Patre per Filium procedit*** [1]).

383. V. In ordinatione episcoporum græci tres fidei professiones ad instar symboli emittunt, seu ipsum Cpnum. symbolum adjectionibus pluribus locupletatum recitant.

Si igitur orientalibus et græcis licuit inconsulta sede apostolica præfatas declarationes symbolo nicæno adiicere, et in usum communem deducere, diversas fidei professiones componere nicænæ fidei consentaneas justis de causis, non obstante decreto ephesino, argumentum ineluctabile est, ipsos vel legem ephesinam interpretatos esse de additamentis fidei nicænæ contrariis, vel eam spectasse ut sanctionem disciplinarem a qua, gravi urgente necessitate, licitum esset sin a privatis personis, saltem ab ecclesiis, ubi hæc vigebat necessitas, recedere. Frustra igitur crimini vertunt ecclesiæ latinæ, quod eadem libertate, qua usa est ecclesia græca, ipsa utens, urgente eadem necessitate, hanc declarationem admiserit in symbolo Cpno multo vero minus accusari poterat ecclesia romana quæ utpote omnium ecclesiarum mater et magistra, ut declaratur in concilio florentino, suprema pollet in ecclesias omnes potestate.

384. Rursum: compertum est, a sæc. VI ecclesias hispanicas ex occasione conversionis gothorum ad catholicam fidem qui secum ex oriente errores detulerant arianorum, macedonianorum et eunomianorum ***Filium minorem Patre ac Filio minorem Spiritum Sanctum factumque a Filio*** profitentium qui præterea negabant ***Spiritum Sanctum a Filio procedere,*** statuisse ut caneretur ad exemplum græcorum intra missarum solemnia symbolum fidei particula ***Filioque*** adauctum ***quo et fides vera manifestum testimonium habeat*** [2]). Nec tamen vel accusatæ sunt ecclesiæ hispanicæ a græcis violati decreti, neque se ab illis separarunt. Compertum pariter est ecclesias gallicanas sæc. VIII ex occasione iconomachorum, qui accusabant latinos hæreseos eo quod profiterentur Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, hoc additamentum adoptasse una cum ritu liturgico hispaniarum, ac sensim dein sine sensu ecclesias Ger-

1) Quod idem est, ut ex dictis patet ac *Filioque* procedere. Cfr. act. IV. et act. X. conc. Cpni III. ap. Lab. tom. VI. loc. 681. et seqq. et col. 841 et seqq. nec non act. III. conc. nicæni II. ibid. tom. VII. col. 163. Verba autem seu fidei professio ad rem nostram quod attinet hæc sunt: *καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιοῦν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς δὶ υἱοῦ ἐκπορευόμενον.* Eadem ratione hæc ipsa verba leguntur in collectione Harduini, quæ omnium accuratissima censetur tom. IV col. 132.

2) Hæc synodus toletana III celebrata est anno 589 sub Reccaredo rege; in hujus can. III anathemate percellitur „Quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre et Filio procedere: eumque non dixerit coæternum esse Patri et Filio et coæqualem." Ex quibus patet gothos illos ante conversionem professos esse processionem Spiritus Sancti a *solo Patre*. Hinc eadem synodus *capituli* II hæc statuit: „Pro reverentia sanctissimæ fidei, et propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi et glorio-

maniæ et Italiæ idem exemplum secutas esse [1]), quin propterea a græcis catholicis accusatæ sint ecclesiæ istæ tanta sæculorum intercapedine. Cur igitur Michael Cerularius inde ansam arripuit schisma faciendi ab ecclesia romana eo quod ipsa nonnisi ante paucos annos symbolum tandem admiserit cum additamento et canere cœperit in missa uniformitatis gratia cum cæteris occidentalibus ecclesiis [2])? Soli ne ecclesiæ romanæ non licuit, quod et orientalibus et occidentalibus ecclesiis semper licitum fuit? Violati præcepti solane rea erit ecclesia romana eo quod inconsultis græcis particulam illam admiserit, et immunes erunt ab hoc crimine ecclesiæ orientales, quæ, inconsulta ecclesia romana, tot admiserant additamenta?

385. Concludendum igitur est nullam prorsus rationem esse criminandi ecclesiam latinam ob adjectam declarationem symbolo nicæno deductam ex decreto ephesino, tum quia, ut longe probabilius est ex dictis, decretum non afficit nisi solas formulas fidei nicænæ professioni contrarias aut diversas; tum quia si respicit etiam declarationes nicænæ professioni consentaneas, non afficit nisi privata individua seu peculiares personas non autem ecclesias ipsas, urgente præsertim gravi causa, ut ex factorum ineluctabilium serie colligitur, et ex perpetua ipsa agendi ratione eorundem græcorum; multo vero minus nunc ob ejusmodi declarationem culpanda ecclesia latina est; cum a duobus œcumenicis conciliis admissa atque approbata sit, quæ eadem ac ephesinum potestate et auctoritate gaudent.

386. Seu quod idem est immerito græci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulæ ***Filioque.***

DIFFICULTATES.

387. *Obj.* 1° Lex ephesina lex generalis fuit ab universa ecclesia in concilio congregata statuta, et communis universæ ecclesiæ, ergo nonnisi ab eadem ecclesia universali abrogari seu mutari poterat. 2° Frustra propterea vel exemplum concilii chalcedonensis vel alterius cujuscumque œcumenici concilii adducitur, eo enim ipso quod œcumenica essent ejusmodi concilia po-

sissimi domini nostri Reccaredi regis sancta constituit synodus: ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galleciæ *secundum formam orientalium ecclesiarum* concilii Cpni, hoc est 150 episcoporum *symbolum fidei* recitetur; ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur. quo et fides vera etc " Cfr. Labb. tom. v. coll. 1000. 1009. Hanc additionem retinuerunt et prepagarunt subsequentes synodi hispanicæ.

1) Cfr. de Rubeis *diss. cit.* cap. 4. §. 2. et seqq.

2) Certum est Leonem III ægre tulisse additionem symbolo appositam, et indicasse legatis francorum modum eandem tollendi a symbolo, quin tamen aliquid profecerit. Possunt consuli acta collationis istius apud Baronium ad anno 809. n. 54 et seqq. romana enim ecclesia tenacissima semper fuit antiquitatis, nec nisi ut plures volunt sub Bened. VIII anno 1014 ut initio hujus capitis diximus, adoptatum symbolum cum addidamento est.

terant legem ephesinam tum interpretari tum eidem derogare. 3° Frustra pariter cæterarum formularum exempla urgentur, cum istæ non essent fidei professiones universæ ecclesiæ communes, sed particulares. 4° Hinc patet quare ecclesia græca toleravit factum additamentum ab ecclesiis sive hispanicis, sive gallicis, vel germanicis, reclamaverit vero tanquam violati præcepti adversus ecclesiam latinam, cum romanus pontifex illud commune ecclesiæ occidentali fecit.

388. ***Resp.*** *Ad* 1^m^, *Dist.* Quæ haberet pro objecto formulas fidei nicænæ fidei contrarias vel diversas, *conc.* formulas declarativas ejusdem fidei in symbolo nicæno contentæ vel *neg.* vel *subd.* Quæ afficeret privata individua, *conc.* ecclesiam vel ecclesias legitima causa urgente, *neg.* Responsio constat ex dictis in probationibus quibus edocemur non alio sensu ecclesias orientalem et occidentalem decretum illud intellexisse. Sane œcumenica recensita concilia admiserunt et approbarunt fidei professiones ab episcopis confectas et conciliis oblatas, quod non fecissent, si rigoroso illo sensu quo græci recentiores intelligendum contendunt, intellexissent decretum ephesinum.

389. *Ad* 2^m^, *Neg.* Ex his enim conciliis, quæ renovarunt et confirmarunt ephesinum statutum, semper magis patefit sensus illius legis, alioquin concilia illa non derogassent eidem legi in ipso actu confirmationis. Si his addantur expressæ declarationes duorum conciliorum œcumenicorum lugdunensis II et florentini, res plane confecta est; nec quidpiam ulterius græci habent quod reponant.

390. *Ad* 3^m^, *Neg.* Quia ex his pariter elucet sensus in quo majores nostri acceperunt decretum concilii ephesini; si enim ad verbum, ut præfertur, seu ad literam vellemus illud resecare, istæ quoque formulæ particulares a quovis confectæ et ab ecclesiis particularibus admissæ, totidem fuissent violationes ejusdem decreti; cum vero et istæ confectæ fuerint atque in usum deductæ a particularibus ecclesiis, quæ postea a conciliis œcumenicis sancitæ sunt et approbatæ, evidens est, alio omnino sensu ab eo quem græci autumant decretum illud confectum fuisse. Adde quod si lex illa in sensu græcorum communis fuisset toti ecclesiæ, seu universæ ecclesiæ imposita et constituta, multo minus ecclesiis particularibus licitum fuisset ab illa recedere.

391. *Ad* 4^m^, *Neg. seq.* Sed verum motivum hujus reclamationis fuit tum denegatio tituli patriarchæ œcumenici ex parte romani pontificis, quem frustra Michael Cerularius ab eodem sibi concedi expetierat, tum ob latum in se pervicaciæ nomine anathema a legatis pontificis. His commotus Cerularius schisma instauravit ad quod cohonestandum post plures alias causas et hanc intexuit de corruptione symboli; nullum vero ipse cum

contribulibus suis delictum reperisset, si titulum exoptatum obtinuisset [1]).

392. *Inst.* 1° Illicitam esse in symbolo adjectionem et legi ephesinæ contrariam agnovit ipse Leo III rom. pontifex, qui referente Anastasio bibliothecario in ejus vita num. 410 *pro amore et cautela orthodoxæ fidei*, fecit scuta argentea duo, descripto in utrisque symbolo, in uno quidem literis græcis, in altero vero latinis [2]); quin tamen adjectionem ***Filioque*** apposuerit; censuit igitur orthodoxæ fidei cautelam id exposcere. 2° Idque merito, tum quia bene noverat patres Cpnos verba *qui ex Patre procedit* accepisse ex ipsismet Domini verbis, quæ in evangelio leguntur Joan. XV, 26 nec proinde debuisse Christi vocibus aliquid interseri [3]); tum 3° quia sciebat romanum pontificem non potuisse vel saltem non debuisse, prætermisso consilio cæterorum patriarcharum, qui cum ipso divisum habent regimen ecclesiæ communi symbolo quidpiam adjicere. Ergo.

393. ***Resp. Ad*** 1^m, ***Dist.*** Id est pacis et œconomiæ gratia adjectionem ***Filioque*** in symbolo sua cura descripto Leo III insere noluit, *conc.* quasi illicitam putaret, *neg.* Quod si referente Anastasio, *pro amore et cautela orthodoxæ fidei* Leo III voluit describi symbolum in tabulis argenteis, id cautum voluit ne liberum cuique esset ad symbolum addere quidpiam, vel quidpiam ex eo minuere, ne hujusmodi additionibus aut imminutionibus aliquid aut irreperet aut tolleretur, quod *fidem orthodoxam* læderet atque corrumperet [4]).

394. *Ad* 2^m, *Neg. Ad* 1^m, *autem probat. neg.* Patres Cpnos ipsa verba Christi Domini prout in evangelio leguntur usurpasse, sed solum sensum retinentes verba alia ipsi adhibuerunt: sane verba Christi, prout jacent in evangelio hæc sunt: *Qui a* (παρὰ) ***Patre procedit*** [5]), in symbolo autem: ***Ex Patre procedentem*** [6]); quod si patribus Cpnis licuit Christi verba in alia mutare, quidni licebit ecclesiæ romanæ voculam unam interpretationis ergo subjicere? Eo vel maxime quod synodus VII ac totus oriens permiserit Tharasio hæc ipsa verba Domini duabus

1) Cfr. De Rubeis *diss. cit.* cap. 5. n. 2. et *diction. hist. de Feller art. Michael Cerularius.*

2) *Edit. Fran. Blanchinii* Cfr. Baron. ad annum 809 num. 62. Frustra hinc colligeba Photius Leonem III. sensisse Spiritum Sanctum a solo Patre procedere. Hanc enim calumniam dispellunt verba ejusdem pontificis, quæ in collatione cum synodi aquisgranensis legatis protulit: „Ita sentio, inquiebat loquens de processione Spiritus S. a Patre ac Filio, ita teneo cum omnibus auctoribus et sacræ scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo (inhibeo). Et nisi conversus fuerit et secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio.” Quid clarius? Itaque nonnisi cujusdam temperamenti gratia nolebat prudentissimus pontifex ut symbolo tunc temporis insereretur particula *Filioque.*

3) Et hoc ipsum opponit Filaret *op. cit.* pag. 33. at quam inepte patebit ex responsione.

4) Cfr. de Rubeis *loc. cit.*

5) *Ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.*

6) *Τὸ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον* ex quibus liquet mutatam a PP. Congregationis particulam *παρὰ* in *ἐκ*, tum tempus *ἐκπορεύεται* in participium *ἐκπορευόμενον.*

vocibus *δὶ υἱοῦ per Filium* interpolari. Et ante ipsum Epiphanio absque adulterationis periculo licuit tum in Panario tum in ancorato de Spiritu Sancto profiteri. *Qui ex Patre Filioque procedit* [1]).

395. ***Ad*** 3^{m}, seu 2^{m}, ***prob. Resp.*** 1°, ***Neg. suppositum***, scivisse nempe romanum pontificem a se non posse in iis præsertim quæ ad disciplinam pertinent aliquid decerni pro universa ecclesia, eo vel maxime quod concilia ipsa œcumenica totam vim suam habeant, ac robur acquirant a confirmatione romani pontificis, cujus rei luculentum exemplum suppeditat canon XXVIII concilii chalced. qui per plura sæcula nullam vim habuit, resistentibus romanis pontificibus, de quo suo quidem loco diximus. Sed et hoc dato, ***Resp.*** 2°, ***Dist.*** Et ex hoc ad summum conficeretur inconsultis patriarchis non decuisse romanum pontificem sancire ut adjectio illa admitteretur ab universa ecclesia, ***trans.*** ab ecclesia occidentali cujus ipse patriarcha est, ***neg.*** Nunquam vero romanus pontifex, etsi, utpote totius ecclesiæ caput, id præcipere potuisset, coegit ecclesiam orientalem ad admittendam hanc declarationem, sed solum annuit votis episcoporum occidentalium in ea permittenda, ac postea adoptanda. Cæterum tum in concilio lugdunensi, tum in conc. florentino orientales liberi declarati sunt circa admissionem hujus particulæ, quod denuo confirmavit Clemens VIII [2]). Addendum præterea est orientales, inconsulta romana ecclesia et episcopis occidentalibus, in concilio constantinopolitano I, plura adjecisse symbolo nicæno, iisdemque inconsultis in usum communem ac in liturgiam invexisse. Eodem itaque jure usi sunt occidentales episcopi ac præsertim romanus pontifex adoptando additamentum inconsultis orientalibus, et in usum deducendo in liturgia [3]).

1) *Τὸ παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον.* Cfr. Le-Quien *diss. cit.* n. 37.

2) In conc. lugdun. imperator Michael Palæologus postulavit „ut ecclesia sua symbolum semper dicat prout dicebat illud ante schisma usque in hodiernum diem" quod tum a pontifice tum ab episcopis ipsi concessum est. Sic in concilio florentino nemine ex latinis repugnante, græci dixerunt „additionem nequaquam omnino nos recipimus sed concedimus vobis, ut eam habeatis in ecclesiis vestris."

Clemens vero VIII *Bulla* xxxiv, §. 6, decrevit ut græci credere teneantur Spiritum Sanctum ex Filio procedere, sed non teneantur pronuntiare, nisi subesset scandalum" Cf. Le-Quien *dissert. cit.* n. 38.

Ex dictis patet frustra Marcum Ant. de Dominis lib. 7, *de repub. christ.* cap. 10, affirmare periculosum quidem esse non tamen hæreticum illam processionem negare. Quod mirum esse non debet in homine apostata infallibilitatem œcumenicorum conciliorum minime agnoscente.

3) Circa hoc additamentum præter auctores superius cit. consuli potest Fanc. Xaver. Piacevich. S. I. in *Controversia, seu colloquio latinum inter et græcum de additione particulæ Filioque ad symbolum fidei*, quæ extat in *thesauro theol. Zaccariæ* tom. III, nec non erudita *dissert. Christiani Lupi ord. S. August.* tom. I, *synodorum generalium ed. Venet.* 1724.

CAPUT VI.

AD EA, QUAE DICTA SUNT SCHOLIA, COMPLECTENS.

396. Ne in re tanti momenti cujusmodi est ineffabile et augustum Trinitatis misterium alicui subesse possit ex ignorantia ac defectu rectæ notionis errandi periculum, tum ut nonnulla enucleatius exponantur, quæ in tractatus decursu vix attigimus, operæ pretium duximus nonnulla adjicere scholia quibus ea quæ dicta sunt de processionibus, relationibus aliisque id generis illustrentur juxta catholicam doctrinam et communem doctorum sensum.

397. Scholion I. Binæ processiones admittendæ sunt, ac binæ origines *generatio* et *processio*; et quod consequens est quatuor relationes: ***Paternitas***, ***Filiatio***, ***Spiratio activa*** et ***Spiratio passiva.*** Duas namque dari origines ex scripturis constat. Nam Filius *genitus* dicitur a Patre psalm. II, 7 et Spiritus Sanctus *procedere* Joan. XV, 26. Patris nulla est origo. Ipse enim divinarum omnium originum fons est, seu, ut græci loquuntur, *causa procatarctica*, ut suo loco adnotatum est, quam nos *principium summum* vocamus: *ingenitus* proinde Pater dicitur, *improductus*, *et innascibilis*.

398. Has autem processiones fieri debere per actiones, ut vocant, immanentes, intimas nimirum Deo seu intra Deum manentes nemo est qui dubitet, ac per hoc distinguuntur ac differunt ab actionibus transeuntibus ad extra, seu externis, cujusmodi sunt res creatæ omnes, quæ exterius a Deo producuntur. Actiones item immanentes ex theologorum doctrina non sunt nisi duæ *intelligere* et *velle* propter summam Dei perfectionem qua omnia, quæ a Deo cognoscuntur, unico ipse actu comprehendit, omnia quæ ab eo probantur, unico pariter ipse voluntatis actu complectitur.

399. Ex quo theologi plerique inferunt principium proximum processionum neque divinitatem esse per se spectatam, neque hypostasim aut relationem, quæ divinas potius processiones supponunt, sed intellectum et voluntatem, quatenus facultates *notionales* sunt. Scripturæ enim et patres passim Filium ***Verbum et Sapientiam*** vocant quæ spectant ad intellectum; Spiritum Sanctum vero ***Amorem***, ***Charitatem***, ***Gratiam*** ut plurimum dicunt, quæ quidem voluntatis sunt. Cum insuper Filius terminus adæquatus sit intellectus utpote qui eum exhauriat, quemadmodum et Spiritus Sanctus, qui totam exhaurit voluntatis fæcunditatem, divinæ voluntatis terminus est adæquatus, clare colligitur quare nec plures nec pauciores divinæ processiones sint, quam duæ commemoratæ [1]).

1) Nemo est qui nesciat rationem qua divinæ personæ produci dicuntur (an scilicet immediate a natura, vel mediate tantum ab intellectu et voluntate)

400. Sunt qui cum D. Thoma 1 p. q. 27 a. 4. generationis Filii et processionis Spiritus Sancti diversitatem derivent ex originum *modo*. Generatio enim cum sit origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ, ad generationem propterea proprie dictam requiritur ut geniti origo sit a gignente per actionem ad communicandam naturæ similitudinem suapte ordinatam, ut patet in idea mentis, quæ rem exprimit. Cum vero processio non dicat nisi emanationem unius ex altero, et

quatenus cogitatione distinguuntur a divina essentia non attingere dogma ipsum sed diversas in scholis obtinuisse ac obtinere sententias, etsi alia aliis probabilior sit ac magis communis. Quod quidem observo ne sociniani vel rationalistæ quibus hac sententiæ non probantur ansam sumant, ut passim ab ipsis fit, inde impugnandi dogma ipsum quod integrum semper subsistit, etsi modus exponendi has productiones seu processiones, qui apud theologos obtinet, rejiceretur. Cf. Suarez lib. 1, *de Trin.* cap. 5.

Sic non desunt, qui negent Filium seu Verbum a Patre produci, seu generari per intellectum, et destruere moliuntur principia quibus hæc sententia innititur. Qui enim hanc sententiam tuentur, ajunt, hoc principio tanquam axiomate nituntur: omne verbum mentis expressa est imago, et similitudo rei cogitatæ (Cfr. Petav. lib. 6. cap. 2. §. 2.) atqui, subsumunt impugnatores, hoc principium est falsum; nam quæ per tactum, gustum etc. percipimus sunt affectiones mentis, et tamen istæ non præseferunt imaginem et similitudinem rei perceptæ. Ergo.

2. Alterum principium horum TT. est, quod mens intelligendo se pariat ideam, quæ sit mentis imago; atqui, insurgunt alii, hoc pariter falsum est: nam mens dum reflectit super se ipsam seu cogitat mentem suam, sine dubbio mens habet ideam sui, nimirum cogitat seipsam, hæc autem cogitatio non est imago mentis, quam nemo vidit et adhuc ignoratur mentis essentia, qua ignorata, deest imago ejusdem saltem in omni cogitatione.

3. Ut sensu fit oculorum, imagines rerum experimur, positis jam rebus diversis a mente, ergo si Pater conciperet intelligendo imaginem quæ Filius esset, oporteret concludere illum concipere imaginem quia Filius jam existeret, non autem Filium existere quia Pater conciperet imaginem, quæ Filius esset.

4. Hoc magis patebit, analysi instituta cogitationis, seu intellectionis sui ipsius. Intelligere se ipsum est veluti convertere et contrahere se ad se ipsum, imo recipere se tandem, ut ita loquar, intra se ipsum. Atqui gignere est *profundere* aliam hypostasim, est veluti extra se *progredi* etc. Ergo.

5. Actus intellectionis exercitæ sic concipitur a theologis: Pater intelligendo se concipit, exprimit, generat alium se ipsum, porro intelligere se totum est veluti recipisse se totum contemplandum intra se ipsum contemplantem, est seipsum per seipsum dimetiri, ac interiori persuasione judicem ac testem sibi esse factæ hujus contemplationis ac dimensionis. Atqui judicium intimum non est imago ulla, ut quisque intelligit. Ergo.

6. Si Pater per intellectionem suam Filium gigneret, hunc tota sua intellectione gigneret, et quoniam intellectio hæc tota qua gigneret Filium respicit ut gignendum, hinc tota Patris intellectio cognosceret Filium ut gignendum, nec unquam cognosceret ut genitum: id est cognosceret certissime semper habiturum se Filium, nec habuisse tamen a tota æternitate cognosceret.

7. Non est persona sine intelligentia et voluntate; quod si eo Filius actu prodiret, quo se Pater intelligit: prodiret ante consideratam voluntatem, nimirum cum nondum respici undique ut persona posset: seu quod idem est. Filius minime ex persona Patris nasci dicendus esset, si per intellectum, ut explicant, germinaret, maxime quod per hos theologos tertius e Trinitate ut voluntatis terminus respiciatur. Ergo.

Hæc aliaque similia non pauca urgent TT. contrariæ sententiæ, quæ eo consilio protuli non ut probem, sed ut pateat quot difficultatibus obnoxia sit opinio quæ tamen inter TT. communior est. Quod a fortiori de cæteris dicendum, ita ut satius sit dogma ab opinionibus secernere, cum illud ab his nullo modo pendeat. Cæterum communis TT. sententia satis solidum fundamentum habet in scriptura et patribus sive græcis sive latinis; propositæ autem difficultates a psychologia ut plurimum petitæ non possunt applicari operationibus divinis, quæ longe nimis a nostris distant.

voluntas seu charitas, quæ est voluntatis operatio ad amandam rem, non ad inducendam rei similitudinem sit ordinata, hinc in Verbo vera generatio est, et ideo *Filius* dicitur; at in Spiritu Sancto qui est charitas et est ex voluntate, sola processio est, et ideo ipse Filius non est. Exemplo Evæ id illustrant, quæ licet esset vivens et a vivente Adamo originem duceret, eique similis in natura esset; Adæ tamen *filia* nec fuit nec dici potuit, quia non Adæ actione, sed sola Dei voluntate eidem similis facta est. Sunt qui cum S. Augustino sentiant, quod solus Filius sit genitus, quia solus ab uno procedit: nullus quippe Filius duos patres habere potest; Augustino assentitur S. Bonaventura et alii cum ipso [1]. S. Anselmus diversas sententias conciliare nititur in Monologio lib. I cap. LVII [2]. Fatendum vero est hujus rei nullam evidentem rationem proferri posse, unde monebat S. Gregorius Nazianzenus tam generationem Filii, quam Spiritus Sancti processionem honorandas potius silentio quam investigandas [3].

401. Etsi vero juxta superiorem sententiam generatio intellectu, spiratio autem voluntate fiat, ob miram tamen Dei simplicitatem, in qua intellectus et voluntas *unum* sunt, etiam ipsa generatio et spiratio non duplici, sed uno eodemque actu fiunt, originesque illæ duæ in duobus terminis distinctæ idem sunt in suo principio [4].

402. II. Proprietates peculiares quibus divinæ hypostases gaudent *notiones* a theologis dicuntur. Notio idcirco, prout ab initio tractatus diximus, est character, tessera, seu nota singularis qua divinæ personæ internoscuntur. Proprietas tamen et relatio et notio una eademque res divina sunt. ***Proprietas*** quatenus e. g. est ***Paternitas*** soli Patri competit; *relatio* quatenus respicit Filium: *notio* quatenus Patrem constituit et a Filio discernit. Notiones quinque vulgo numerant theologi. Sunt autem ***Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva et Innascibilitas.*** Priores quatuor etiam relationes sunt, cum mutuo se respiciant; at ***Innascibilitas*** per se relationem non dicit; ad relationum tamen genus reduci potest, ut negatio ad affirmatio-

1) S. Aug. lib. 2. *contra Maximin.* cap. 14. n. 1. S. Bonavent. in 1. sent. dist. 13. q. 3.

2) Qui tamen cap. 64 fatetur hoc incomprehensibile esse, prout etiam fatetur S. August. *loc. cit.* scribens: „Amborum est ergo Spiritus, procedendo de ambobus. Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? . . . Distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio." Petavius decem rationes enumerat cur processio Spiritus Sanctus non sit generatio lib. 7. cap. 13.

3) Orat. 37. n. 21.

Cfr. Albari Cienfuegos S. J. *op. cit.* vol. 2. disp. 9. sæct. 4. §. 2. n. 1. et seqq.

4) Apposite S. Anselmus *lib. de processione Spiritus S.* cap. 17. al. 16. inquit: „Quemadmodum lacus non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua in qua unum sunt; ita Spiritus Sanctus non est de hoc, unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia, in qua unum sunt;" utens similitudine græcis familiari.

nem. In Deo igitur recensentur *natura* una, ***processiones*** sive ***origines*** duæ, ***personæ*** tres, ***relationes*** quatuor, ***notiones*** quinque [1]).

403. Inter TT. non convenit an præfatæ relationes divinæ perfectiones veræ sint nec ne; ancipites in utramque partem sententiæ sunt. Juxta Petavium de voce potius, quam de re ipsa videtur orta conflictio [2]). Illud plerosque torquet catholicos, quod si ex una parte dicatur relationes originis in unaquaque persona esse perfectiones, sequeretur inde in qualibet persona desiderari aliquam perfectionem; si vero non censentur veræ perfectiones, dicendum foret perfectionem non esse in divina persona id quod eam constituit, distinguit, atque ut ita dicam, specificat. Jam vero si observetur personam divinam, prout persona est, peculiarem quidem habere perfectionem, qua *immediate* carent aliæ divinæ personæ, earum tamen quamlibet *mediate* perfectiones omnes habere, quibus personæ reliquæ instructæ sunt ob identitatem naturæ, plane intelligitur personis singulis easdem perfectiones inesse debere. Sic Pater e. g. quatenus talis est, filiatione destituitur, atque vicissim Filius paternitate; uterque tamen cum unam eandemque naturam habeat, quæ a relativis proprietatibus realiter non distinguitur, illas proprietates seu perfectiones habet. Idcirco Pater mediante natura divina omnibus donatur Filii et Spiritus Sancti proprietatibus, id ipsum dicatur de personis aliis.

404. Hujusmodi relationes sunt in Deo veræ ac reales. Ex dictis enim constat in Deo tres esse personas realiter distinctas Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. Atqui nomina ista relativa suntnon absoluta; neque personæ realiter distinguuntur per id, quod est in Deo absolutum, sed per id, quod relativum est et unicuique personæ proprium. Deinde illud reale est, quod existit nemine cogitante; paternitas enim, e. g. non solum cogitatur aut fingitur in Patre, sed vere residet tanquam proprietas personalis et subsistens in Patre qua Pater est [3]).

405. III. ***Circuminsessio*** seu ut ab aliis etiam dicitur ***circumincessio***, seu ***circummeatio***, qua voce designatur proprietas illa, seu ille existendi modus, qui tribus personis communis est, definiri solet: ***intima existentia unius personæ in al-***

1) Quoad notiones sunt qui sex enumerant cfr. Vasquez, in 1. p. *S. Th.* disp. 137.

2) Lib. 6. *de Deo* cap. 7. §. 12. et seqq.

3) Cfr. *S. Th.* 1. p. q. 40. a. 1. observat tamen Petavius *loc. cit.* §. 13. quod tametsi relationes istæ naturam perficere et compleri dicantur, quemadmodum personalis proprietas quælibet, quam scholæ hodie *subsistentiam* vocant, naturam in completo et absolute statu substantiæ constituit: non tamen perfectiones ipsæ sunt aliquæ, quarum accessiones natura fiat ipsa perfectior. Sed quia naturam ultimo in statu complent ac terminant, ideo perficere dicuntur, cum eam velut circumscribunt ac definiunt ita, ut longius, atque extra se progredi non sinant sed per se subsistentem faciant. Hinc sunt graves theologi, qui hypostaticam ejusmodi proprietatem nihil aliud esse contendunt præter negationem.

tera sine confusione personæ [1]). Quo sensu S. Fulgentius lib. de fide cap. 1, n. 4: ***Totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est: et totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est.*** Adeo ut mutuo tres divinæ personæ existant in se, et, ut loquitur Petavius, inter se immeent, atque invicem penetrent, quemadmodum Christus testatur Joan. XIV, 11 ***Ego in Patre, et Pater in me est*** [2]); quod juxta S. Thomam triplici ratione fit; essentia, relatione et origine. ***Essentia***, quæ una et eadem est in singulis; ***relatione*** quia relativa simul coexistunt; ***origine*** quia una persona ab altera emanat per processionem ad intra [3]). Circuminsessionis magna utilitas in eo est, quod ad personarum distinctionem earumque consubstantialitatem adstruendam valde conferat.

406. IV. ***Missio*** definiri potest; ***processio divinæ personæ ab alia cum ordine ad terminum.*** Missio hæc, si origo spectetur, æterna est et necessaria, quippe nec motu aut successione fit, sed immutabili actione ad intra; si vero ***terminus*** spectetur, temporalis esse potest, gratuita, et libera. De utraque hac missione Christus loquitur Joan. VIII, 42 ***Ego ex Deo processi et veni: neque enim a me ipso veni; sed ille me misit.*** Porro in eo quod se a Deo processisse testatur æternam tangit generationem; in eo vero, quod se a Deo missum affirmat, temporalem et gratuitam missionem suam in mundum ostendit. Prout vero observat S. Augustinus lib. II de Trin. cap. V, num. 8 ***Pater solus nusquam legitur missus*** [4]). quia scilicet a nullo procedit. Notandum præterea est cum S. Thoma, quod si mittentis nomine designetur principium personæ, quæ mittitur, non quælibet persona mittit, sed illa solum, cui competit esse principium illius personæ, et sic Filius mittitur tantum a Patre; Spiritus Sanctus autem a Patre et Filio; si vero mittentis nomine veniat principium effectus secundum quem attenditur missio, tota Trinitas mittit personam missam [5]); hinc de Filio dicitur Isaiæ XLVIII, 16 quod sit missus a Patre et Spiritu Sancto: ***Dominus Deus misit me et Spiritus ejus*** [6]).

1) Circuminsessio græce περιχώρησις dicitur, de cujus vocis vi ac sensu in quo usurpata a veteribus est, fuse agit Petavius lib. 4. *de Trin.* cap. 16.

2) Ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι.

3) 1. p. q. 42. a. 5.

4) Dxpedit legere integrum caput in quo inveniuntur plura observatione digna.

5) 1. p. q. 43. a. 8.

6) Ex dictis colligitur duo in missionem proprie dictam concurrere: alterum sempiternam processionem personæ, quæ mittitur; alterum externam aliquam efficientiam, sive sub sensus incidat, ut cum, homine suscepto, Verbum hominibus apparuit, aut sub columbæ specie Spiritus Sanctus: sive interius sit nec aspectabile quod agitur, ut cum Spiritus S. ad fidelium quemque demittitur. Cæterum produci unam ab altera necesse esse, ut ab ea mitti proprie dicatur ex ea missione quæ minus proprie usurpatur, ostendi potest. Nam Filius cum carnem assumpsit, ideo non a Patre solum, sed etiam a Spiritu S. missus esse dicitur, quod hic una cum Patre externum illud opus elaboravit cujus nisi efficiens causa fuisset, missus a Spiritu S. non di-

407. V. Attendenda demum est accurata loquendi ratio cum de Trinitate disseritur. Ex pluribus autem regulis, quæ a theologis exhiberi solent, brevitatis gratia nos potiores seligimus. Itaque *unius* et *unitatis* vocabula cum sermo est de Trinitate unum Deum exprimunt, seu unicam trium personarum essentiam.

408. Quum vero vox *unius* masculino genere ponitur, singularitatem non naturæ sed personæ significat: fas non est ita loqui: *Trinitas est unus*, nisi substantivum adjungatur nomen *Deus* vel saltem nisi subintelligatur [1]), aliter propositio *sabelliana* esset. Contra vero affirmare non licet *aliud* atque *aliud* esse Patrem ac Filium, sed *alium* atque *alium*, quippe in neutro genere prænomina significare solent naturam, non personam. Malunt nonnulli patres Trinitatem appellare *unitatem* potius quam *unionem*, ne composita videatur simplicissima Dei natura. E converso dicere magis expedit *unum* Deum, quam *unicum*, *solitarium*, *singularem*, cum his vocibus abutantur sociniani ad excludendam personarum pluralitatem, *unitarii* propterea nuncupati. Si vero res sit cum polytheistis *unicum* possumus tuto vocare Deum, cum ad exclusionem pluralitatis substantiarum divinarum usurpetur ejusmodi vox. Ex hac perfectissima unitate manavit, ut illæ personæ re ab invicem distinctæ *unum* esse dicantur, nec non *unus Deus* sicuti et Trinitas *unus Deus*. Quare quod dicitur *Trinitas est Deus*, idem sonat ac *tres personæ sunt Deus;* vel *Deus est Trinitas*, vel *Deus est personæ tres* [2]).

409. *Trinitas* nihil aliud est, quam *ternarius* vel *ternio*. Numeralis et collectiva dictio ejusmodi est, quæ proprie ac per se non unitatem naturæ significat, sed tres personas [3]). Usu autem receptum est, ut *trinum Deum*, non *triplicem* dicamus: quamquam scribit Petavius *triplicem* personam non minus usurpari posse, quam personas *trinas*. Tournelius censet sano et catholico sensu dici posse esse in Deo tres res, tria entia, tres existentias, tres unitates, tres veritates etc. dummodo tamen adjiciatur terminus relativus, nempe dici posse *tres res relativas* etc. non autem *tria individua*; quia individua dicuntur in ordine ad unam specie naturam, diversam tamen numero, cum

ceretur Filius. Ita Petavius *de Trin.* lib. 8. cap. 1. §. 9. et exinde novum argumentum exurgit adversus græcos ad processionem adstruendam Spiritus S. a Patre ac Filio.

Cfr. S. Fulgentium in *fragmento* lib. 8. *contra Fabianum opp. edit. Paris* 1684. pag. 613. et seqq.

1) De sensu quo in symbolo athanasiano nuncupato dicatur *unus* omnipotens etc. Cfr. Petav. lib. 3. *de Trinit.* cap. 9. §. 9. tum lib. 8. cap. 9. §. 14. et seqq.

2) Incpte prorsus Calvinus et Danacus carpunt loquendi formulam apud catholicos in usu positam *Trinitatem esse unum Deum,* quam quidem objurgationem ex istorum errore profluere, qui proprietates ab essentia divellunt, putantes Filium qua Deus est a se ipso esse, ostendit Petavius *loc. cit.* §. 3.

3) *Trinitas* idem est a græce *τριὰς*. Frustra propterea Wegscheider affectat vocare eam §. 89 *n. a. trinunitatem*.

tamen in Deo unica sit natura non tantum specifica, sed etiam numerica [1]).

410. Observandum præterea est, quod nomina essentialia in abstracto non possint supponere pro personis divinis, ideoque dici non potest: *essentia generat* aut *generatur*, prout suo loco diximus definitum a concilio lateran. IV. Nomina vero essentialia concreta, si non restringantur per aliquod attributum, sive proprietatem notionalem, supponunt pro natura subsistente in tribus personis, ut cum dicitur: Deus creat etc. Si vero adjiciatur aliqua notionalis proprietas, tunc nomina essentialia concreta possunt supponere modo pro una modo pro duabus personis, uti cum dicitur: *Deus generat*, *Deus spirat etc.*

411. Cum de accuratis loquendi formulis hucusque disseruerimus, libet verba in medium proferre, quibus in constitutione dogmatica *auctorem fidei* Pius VI synodum pistoriensem perstringit inquiens: *Duo speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo SS. Trinitatis mysterio §. 2 decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt . . . Primum dum posteaquam rite præmisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianæ doctrinæ institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus . . . Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e cœlis et e nube delapsa, cum formula baptismi a Christo præscripta, tum et præclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus: ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino Angelicus præceptor* [2]) *vicissim ipse docuit in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quæ*

1) Num *Trina Deitas* dici possit necne Hincmarum inter et Gotteschalcum atque Ratramnum monachum corbejensem magna sæc. IX controversia exarsit, negante illo, his contra affirmantibus catholice formulam illam usurpari posse. Eam referunt Natalis Alexander in *H. E.* sæc. IX. et X. diss. 5. §. 14. et Mabillonius *præf. in* sæc. IV cap. 2. num. 147. Cfr. Germonium S. J. *de hæreticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus.* vol. I in 8 *Parisiis* 1713 pag. 504 et seqq. ubi pugnat adversus Constant.

Hic obiter noto Suarez lib. I *de Trin.* cap. 3. et alibi cum nonnullis aliis scholasticis contendere præter tres subsistentias relativas, aliam admittendam esse absolutam communem personis tribus. Verum Petavius lib. 4. *de Trinit.* cap. 12. ex veterum unanimi consensu quartam ejusmodi subsistentiam admitti non posse, sed tres tantum relativas evincere nititur. Ostendit præterea ex eorumdem sententia nonnisi unicam admittendam esse in tribus distinctis personis existentium. Cfr. etiam Vasquez in I. p. *S. Th.* tom. II. disp. 125. et 12-

2) I. p. q. 34. a. 2. ad 3.

in nomine Filii, *dicente nimirum Augustino* [1]*: Eo dicitur Verbum quo Filius.*

412. Ast deterius multo erravit Georg. Hermesius in expositione doctrinæ de SS. Trinitate ubi scribit: *Nonnulli patres, ad quos etiam S. Augustinus spectat, videntur putasse per Filium et Spiritum Sanctum significari duas Dei proprietates: ast obliti sunt in hoc, quod tenebantur credere et reapse credebant, nempe Patrem Deum, Filium Deum, et Spiritum Sanctum Deum, et unumque per se ut personam. Pater, Filius, et Spiritus Sanctum igitur debent significare effectus Dei vel divinæ essentiæ, et si etiam hoc significare non possent, pro hominibus nihil omnino possent significare, et consequenter pro nobis doctrina de Trinitate divina absque ullo sensu foret* [2]. Tot pene errores hic numerantur quot verba. Nunquam enim sive S. Augustinus, sive alius ecclesiæ Pater putavit per Filium et Spiritum Sanctum significare *duas Dei proprietates.* Hoc enim falsum est, sed in Filio et Spiritu Sancto non secus ac in Patre illi spectarunt *proprietates personales* seu *notiones*, quibus unaquæque persona ab alia distinguitur et constituitur in *esse*, ut ajunt, *personæ.* Has proprietates seu notiones scholastici vocarunt paternitatem, filiationem, spirationem, ut ex dictis patet. Ecquis vero æquo animo hoc ferat, ut Hermesius prædicet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum non aliud significare nisi *effectus* Dei? Hoc prorsus novum ac inauditum est in scholis catholicis. Fides enim docet Patrem a nemine procedere, Filium vero et Spiritum Sanctum procedere a Patre, Filium quidem per generationem, Spiritum Sanctum etiam a Filio per processionem sed tanquam a principio intrinseco, non autem tanquam a principio extrinseco, alioquin *effectus* sane essent, et *meræ creaturæ.* Attamen nisi doctrina de Trinitate ita exponatur, juxta auctorem nostrum, absque ullo sensu foret [3].

1) *De Trin.* lib. 7. cap. 2. n. 3.

2) *Christ. cath. dogm. Monasterii* 1834 pag. 470.

3) Quæ quidem speciminis gratia dedimus: cæterum permolestum opus esset omnia persequi, quæ tradit hic auctor, qui tamen jactat se novam invenisse theologiæ tradendæ rationem, ac magistrum se exhibere eorum qui hactenus in tenebris versati sunt Ut insistamus in iis, quæ ibid. scribit de Trinitate, docet essentiam divinam prout efficiens est esse Patrem, Filium vero effectum Patris id est essentiæ divinæ, quæ ipsum producit per repræsentationem sui ipsius in suo effectu „et dum divina essentia ab æterno agit seu efficit, inquit, sese exhibet, prouti est efficiens, tanquam individuum, et quia efficit cum conscientia sui exhibetur tanquam persona... per coëfficientiam Patris et Filii oriri debet reactio divinæ essentiæ in seipsam et hinc haberi una divina essentia iterum tanquam individuum, et quidem distinctum a Patre et Filio et insuper sui conscium, igitur ut persona.” Quam perspicua ac mirifica hæc sunt omnia! Spiritus S. procedit per modum reactionis divinæ essentiæ in seipsam! Merito propterea Gregorius XVI nuper hujus auctoris opera proscripsit decreto dato sub die 26. Sept. 1835.

FINIS.

INDEX.

Pag.

TRACTATUS DE DEO EJUSQUE ATTRIBUTIS.

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM.

PARS ALTERA.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM.

PARS TERTIA.

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI.

PARS QUARTA.

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE.

INDEX.

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

PRAELECTIONES
THEOLOGICAE

QUAS IN COLLEGIO ROM. SOC. JESU

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EODEM COLL. THEOL. PROFESSOR.

EDITIO POST SECUNDAM ROMANAM DILIGENTIUS EMENDATA

ET NOVIS ACCESSIONIBUS AB IPSO AUCTORE LOCUPLETATA.

VOLUMEN V.

CONTINET TRACTATUM DE DEO CREATORE.





VIENNAE

TYPIS ET SUMPTIBUS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MDCCCXLII.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE.



TRACTATUS

DE DEO CREATORE.

PROOEMIUM.

1. Deum Optimum Maximum in se ac in suis operationibus *ad intra*, qui scholarum est sermo, hactenus dignoscere studuimus; quatenus autem libere et exterius, suam bonitatem largiendo, in creaturis operatur atque se manifestat, ipsum posthac spectabimus, atque admirari contendemus. Tria porro sunt creatarum a Deo genera rerum; aliæ nempe spirituales tantummodo, cujusmodi Angeli sunt, aliæ corporeæ, quas orbis hic adspectabilis complectitur, aliæ denique ex utraque, corporea nempe ac spiritali substantia constant, quales sunt homines. Ex his facilis quodammodo dimanat totius tractatus in tres partes divisio; in quarum prima de Angelis, in altera de mundo, de homine in ultima disseremus [1]).



PARS PRIMA.

DE ANGELIS.

2. Quæ de Angelis ex scripturæ ac traditionis auctoritate certo statui ac definiri possunt, pauca profecto sunt, ac ad septem potissimum capita revocantur; existentia videlicet, natura, officia, gratia, plurimorum lapsus, pœna, machinationes. Atque hæc fere sunt, quæ sive ab heterodoxis sive ab incredulis recentioribusque biblicis ac rationalistis non solum impugnantur, sed contemptui atque irrisui habentur. Quare missis, quæ longis nimium disputationibus a veteribus potissimum scholasticis disserebantur, memoratos catholicæ doctrinæ articulos distinctis capitibus adversus effrenes hosce criticos vindicandos suscipimus [2]).

1) Hunc eundem ordinem sibi proponit S. Thomas in *summa*, atque hunc sectamur; cfr. idem *contra gent.* lib. II, cap. I.

2) Plura profecto sunt, quæ veteres scholastici inquirunt, quum de Angelis disputant, e. g. de natura angelica absolute, de ipsorum numero, specifica natura, de intellectiva ipsorum potentia et naturali cognitione, voluntate etc. de eorum comparatione ad locum, ad tempus aliisque pene innumeris. Suarezius integrum volumen in folio de Angelis scripsit; item reliqui plus minus. Hæc scitu quidem jucunda essent, minus tamen necessaria, præsertim quod quamplurima probabilitate tantummodo innituntur. Qui suam ad hosce fontes sitim explere cupit, eos adeat; ea vero, quæ ad Angelorum ordines et hierarchias pertinent, videri possunt apud Petavium *De Angelis*, lib. II, cap. 2 et seqq.

CAPUT I.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

3. *Angelus* nomen est officii, non naturæ, ut SS. Augustinus et Gregorius M. observant. Ille enim sic loquitur: *Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est; quæris officium? Angelus est; ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est* [1]. His similia habet S. Gregorius [2]. Quos itaque græci *Angelos*, latini *nuncios* dicunt, hebræi מַלְאָכִים *Malachim* vel אֱלֹהִים *Elohim*, ethnici passim *genios* vel *δαιμονας dæmonas* vocant [3].

Angelorum existentiam inficiati sunt sadducæi [4]; atque ex christianis anabaptistæ, David Georgius [5], Balthassar [6], Bekkerus [7], sociniani passim, neoterici biblici ac rationalistæ. Adversus quos sit

PROPOSITIO.

Tum ex scriptura tum ex universa traditione Angelos existere constat.

4. Vix credibile sane videri debet, potuisse veteres sadducæos inficiari Angelorum existentiam, licet solum, ut plures autumant, Pentateuchum veluti divinum recognoverint [8]. In li-

1) *Serm.* I *in psalm.* CIII, *n.* 15.

2) *Homil.* XXXIV. *in evang.* n. 8, tom. I. opp. col. 1604 edit. maurin.

3) Alb. Fabricius in *bibliograph. antiquar.* cap. 8, §. 27, plures ethnicos recenset, qui eosdem spiritus *Angelos* nuncuparunt, ut Alex. Aphrodiscus in *Top.* p. 186; Aristides, tom. I, pag. 19; Labeus, apud S. August. *De civitate Dei,* cap. IX, 19; Ammonius in Porphirii *Isagoge*, Porphyrius, Jamblicus, *de mysteriis ægypt.* Simplicius Marcianus Capella, et præcipue Hierocles, qui pag. 37 ἀγγελικὸν Θεῶν γένος memorat.

4) Cfr. Luc. *Act.* XXIII, 8.

5) De instabili hoc nulliusque fidei homine ac tantum non insaniente cfr. Feller, *dict. histor.*

6) Ibidem.

7) In opere cui titulus: *Betoverde Wereld*, seu *orbis incantatus*, Leuward. 1690, edit. auct. Amst. 1693.

8) Sadducæos unum Pentateuchum ut divinum admisisse, communis fere veterum sententia est. Non satis tamen certam esse ejusmodi opinionem ostendere nisi sunt Staüdtlin, *Geschichte der Sittenlehre Jesu*, seu, *historia doctrinæ moralis Jesu*, tom. I, p. 421 et seqq. et pag. 446, et Guldenapfel, in diss. *Josephi archæologia de sadducæorum canone exhibente* . . . . Jenæ 1804. His præiverant Scaliger in *elencho trihæreseon,* cap. 76, et Bruckerus in *hist. philos.* tom. II, pag. 723, qui id primi subodorati sunt. Ex istorum igitur criticorum sensu certum esse videtur, sadducæos, ortos a Zadoko, degeneri Antigoni Sochæi discipulo, qui sub Ptolomæo primo Ægypti rege tribus ante Christum natum sæculis vixit, præter Pentateuchum reliquos etiam judæorum libros admisisse. Ortum huic opinioni præbuit superstitiosus veluti cultus, quo Mosis libros venerabantur. Etenim Flavius Josephus, *antiquitatum judaïcarum*, lib. XIII, num. 10, non scribit, solum Pentateuchum sadducæos suscepisse reliquosque rejecisse libros, sed *legem* tantum hoc loco opponit traditionibus non scriptis, quas sadducæi rejiciebant, non autem reliquis libris. Hinc in Thalmude ex a-

bris enim Mosis frequens est ac manifesta Angelorum mentio; ut Gen. XVI, ubi Angelus Domini Agarem compellat, eamque, ut ad heri domum redeat, adhortatur, tum ib. XIX, ubi duo Angeli Sodomam veniunt dirutoque oppido Lothum inde liberant; tum ib. XXIV, 7, ubi Abraham, famulum suum in Mesopotamiam mittens, ait: ***Dominus Deus cœli mittet Angelum suum coram te;*** et alibi passim [1]). In cæteris scripturæ libris, tam historicis quam propheticis, multo etiam frequentiora sunt testimonia, quæ supervacaneum esset hic referre, utpote ignota nemini [2]).

In novo denique testamento de iisdem Angelis perspicua pariter et crebra fit mentio. Cæteris missis, illud potissimum urgemus, quod apostolus in epi. ad Hebr. cap. I, instituit argumentum ad Christi præ Angelis excellentiam ostendendam, quod nempe Christus ***Filius Dei***, Angeli vero *ministri* Dei tantum in scripturis perhibentur. Quare merito dixit S. Augustinus: ***esse Angelos novimus ex fide . . . nec inde dubitare fas nobis est*** [3]).

5. Apud omnes fere gentes vulgatam fuisse fidem de Angelorum existentia, indubia monumenta testantur. Tertullianus inter alios ait: ***Dicimus esse substantias quasdam spiritales; nec nomen novum est. Sciunt dæmonas philosophi, Socrate ipso ad dæmonii arbitrium expectante . . . dæmonas sciunt poëtæ; et jam vulgus indoctum in usum maledicti frequentat . . . Angelos quoque etiam Plato non negavit; utriusque nominis testes esse vel magi adsunt*** [4]). Sic Cyprianus eos a magis antiquissimis, in primis ab Hostane memoratos esse affirmat his verbis: ***Quorum tamen præcipuus Hostanes et formam veri Dei negat conspici posse, et Angelos veros sedi ejus dicit assistere. In quo et Plato pari ratione consentit, et unum Deum servans, cæteros Angelos vel dæmonas dicit*** [5]). Thales, ut refert Athenagoras, trifariam superiores substantias omnes dividit: ***In Deum, in dæmones, in heroes*** [6]). Hierocles, ***Ad aurea Pythagoræ carmina***, Angelos ab ipso Pythagora *immortales Deos*, a summo tamen Deo conditos, appellatos fuisse testatur, quos colendos præcipit. Orphei et Hesiodi carmina inferius dabimus [7]).

6. Indos existentiam Angelorum certam habuisse explorata modo res est [8]). Sic doctrina de Angelorum sive bonorum sive ma-

liis libris non solum oppugnantur, sed etiam ipsi pro suis sententiis argumenta depromunt, ut patet ex *Sanhedrin*, pag. 90, 2, Cholin. pag. 87, I. Cfr. Jahn, *Archæolog.* §. 322.

1) Cfr. Gen. III, 24; XXVIII, 12; Exod. VIII, 12, etc.

2) Cfr. Job. IV, 18; Dan. VI, 22; Tob. III, 25, etc.

3) Loc. cit.

4) *Apolog.* cap. 22, pag. 21 edit. Rigaltii.

5) *De idolorum vanitate*, p. 226, edit. maur. Par. 1726.

6) In *Legat. pro Christ.* num. 23, tom. II. *bibl. patrum* edit. Venet. p. 24.

7) Cfr. Petav. *De Angel.* lib. I, cap. I.

8) Ita fatetur impius auctor operis *Résumé de l'histoire des traditions morales et religieuses chez divers peuples*, Paris 1825.

lorum existentia est veluti fundamentum totius theologiæ veterum ac recentiorum orientalium 1); nec desunt hujus doctrinæ vestigia apud ipsos sylvestres americanos 2).

7. Sive igitur scripturam sive constantem atque universalem omnium fere populorum traditionem consulamus, constat Angelos existere.

DIFFICULTATES.

8. *Obj.* 1° Moses Angelos a Deo procreatos nullibi tradit 3). 2° Nomina præterea Michaël, Gabriël, Raphaël chaldaica sunt; a chaldæis igitur vel persis ad hebræos transiit de Angelis opinio 4).

9. *Resp. Ad* 1m, *Trans. antec. neg. cons.* Moses enim, ut vidimus, sæpe de Angelis eorumque apparitionibus loquitur, et illos sæpius ut Dei ministros exhibet. Perperam igitur ex eo, quod peculiariter creationis Angelorum non meminerit, concluditur vel Angelos a Deo minime fuisse conditos, vel illos non existere. Ideo autem juxta S. Basilium Angelorum creationem Moses præteriit, quod adspectabilium tantum rerum originem præcipue nobis revelare voluerit 5). Juxta S. Augustinum *lucis* nomine, Angelorum creatio a Mose significata est 6). De hac autem opinione ac de variis sententiis circa tempus, quo Angeli conditi sunt, utrum scilicet ante hujus mundi adspectabilis creationem, ut plerisque patribus græcis placet, an vero post, quod tenent plerique ex patribus latinis, an demum simul, quod pariter non nemo sentit, consulatur Patavius 7).

1) Cfr. Ramsay, *Voyages de Cyrus*, ac *Discours sur la mythologie*, etc.

2) Carli Rubbi, *Lettere americane*.

3) Ita Julianus, apud S. Cyrillum, lib. II, tom. VI, operum pag. 49, edit. Paris. 1638, tum lib. III, ib. pag. 96.

4) Ita fere Voltaire, *Fragmens sur divers sujets, par ordre alphabetique*, art. *Ange*, tom. XXVIII *de la collection complète des œuvres*, etc. Genève 1777.

5) *Lib. de Spiritu Sancto*, cap. 16, num. 38. S. Cyrillus Alex. lib. III cit. aliam affert causam adversus Julianum, quare Moses prætermiserit narrationem creationis Angelorum, eo quod scilicet nimis mentis nostræ captum excedat. Quam quidem causam quoad judæos carnales vehementer confirmat. *Hom.* II. *in Genes.* pag. 7, edit. Sav.

6) *Lib. imperf. de gen. ad lit.* cap. II, num. 21, et *De civitate Dei*, lib. XI, cap. 11. Alii autem censent Angelorum creationem per Mosem designari nomine cœli, ut Origenes, *Hom.* II. *in Gen.*, Beda, Strabus apud Petav. loc. cit. cap. 15. Quidquid vero id sit, de quo nihil certi, verisimilius videtur juxta priorem sententiam de hac Mosem penitus siluisse. Illud tamen fixum demonstratumque est, Angelos a Deo creatos esse; de horum enim creatione non obscure loquuntur Daniel, cap. 13 in hymno trium puerorum, et David, Ps. CII; sed magis aperte apostolus (Col. I, 16) scribens: *In ipso* (Verbo divino) *condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.*

7) Loc. cit. ubi, postquam recensuit patrum testimonia, qui alterutram sententiam tuentur, concludit §. 11, nihil certi statui posse, cum neutra sententia certa vel auctoritate scripturæ vel ratione prævaleat. Deinde disjicit quæ afferri solent ex illo Eccli. loco (cap. 18), in quo dicitur: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul,* ut evincatur saltem cum adspectabili hoc universo Angelos conditos esse; cum de iis solis creaturis loquatur Ecclesiasticus, quorum meminit Moses initio Geneseos, ita ut vox simul κοινῇ idem hic valeat ac *ex æquo*, prout eodem sensu occurrit Sap. VI, 8. Item profert lateranensis conc. IV et Innocentii III decretum, quo *Deus creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium* dicitur, *qui sua*

10. *Ad* 2^{m}, ***Resp.*** I. *Neg. cons.*; cum nonnisi pravus sit transitus a nomine ad rem. Didicerunt hebræi ea Angelorum nomina a chaldæis vel persis; ergo ab eis didicerunt Angelorum existentiam! Pentateuchus sane fuerat longe ante scriptus; quam judæi in captivitatem babylonicam abducerentur; atque in eo Moses, ut ex dictis patet, de frequentibus Angelorum apparitionibus et officiis disserit.

11. ***Resp.*** II *Neg. antec.* Licet enim ante captivitatem babylonicam nullum occurrat in sacris literis Angelorum nomen, negamus tamen tum nomina illa esse chaldaica, cum et radicem et formam hebraicam habeant, ut patet ex voce אֵל (*el*) *fortis*, quæ Deo tribuitur, et ex similibus nominibus passim apud hebræos receptis, גדיאל (*Gaddiel*) גמליאל (*Gamaliel*) etc. [2]), tum ex chaldæis ea ad hebræos immigrasse, cum, ut adnotat Origenes, constet, *indita illis* (Angelis) *fuisse nomina convenientia rebus, quas Dei summi voluntate in universo mundo administrant.*

12. II. *Obj.* 1° *Angelus* nomen est officii. Nihil igitur prohibet, quominus nomen istud, quoties in sacris literis occurrit, vel de hominibus intelligatur, qui *Angeli* passim dicuntur ob varia munia, quæ Dei nomine obierunt, ut Malach. III, 1, Matth. XI, 10, vel de interno instinctu inspirationibusque, quibus nos Deus ad aliquid agendum excitat [2]). Et re quidem vera 2° quæ in libris sacris de Angelorum apparitionibus leguntur, nonnisi metaphorice, vel ex vulgi opinione intelligi debent, vel de sola Dei potentia, vel de efficientia naturali, quam vulgus ignorabat et supernaturalibus causis tribuebat [3]). Ergo.

13. ***Resp.*** *Ad* 1^{m}, *Conc. antec. neg. cons.* Plura enim sunt in scripturis, quæ de Angelis traduntur, quæque nonnisi de hypostasibus ab hominibus omnino diversis intelligi possunt. Ut cum Christus (Matth. XXII, 30), sadducæis respondens, affirmat,

omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem angelicam videlicet et mundanam; quæ verba ex libro *Soliloquiorum*, qui perperam Augustino tribuitur, cap. 32 sumpta sunt. Præsertim cum S. Thomas in opusculo, quo decretalem illam exposuit, censeat ita decrevisse synodum adversus Origenis errorem, qui spirituales creaturas solas ac per se ab initio conditas asserebat, corporeas vero ex casu, non autem ex præcedenti proposito, ut eo velut carcere spirituum delicta plecteret. Contra quos Innocentius ita sanxit utramque simul, hoc est, pari consilio ac præcipuo constitutam a Deo, idque ab initio temporis, hoc est, non ex omni æternitate. Hinc temeritatis Petavius arguit theologos illos, qui contrariam sententiam hæresis damnant ob ejusmodi decretum. Cfr. §. 13.

1) *Cont. Celsum*, *lib.* I, num. 25. edit. maur. De nominibus *Uriel et Jeremiel*, quæ occurrunt in libro Esdræ IV, 36; V, 20, necnon de cultu exhibito a græcis et orientalibus cfr. Renaudotius in notis ad *Liturg. orient.* tom. II, pag. 298, et Nic. Serarius soc. Jesu, in caput 12 *Tobiæ;* cfr. etiam Blanchinius in dissertatione, Romæ edita anno 1753, *De septem Angelis, qui olim depicti Romæ extant, quique nomina præferunt Uriel, Seathiel, Gehudiel et Barachiel.* In quibusdam litaniis tempore Caroli Magni invocabantur *Uriel*, *Raguel*, *Tubuel.*

2) Ita Bekker, op. cit.

3) Sic Georg. Rosenmüller, *Schol. in N. T.*, in cap. I Matth. et cap. 2 Luc. et alibi passim.

homines in resurrectione futuros, *sicut Angelos Dei in cœlo;* vel cum (ibid. XVIII, 10), de parvulis loquens, affirmat, quod *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris;* vel cum apostolus, ut vidimus, comparationem instituit inter Christum et Angelos; vel cum (in eadem epist. cap. II) aperte tradit, Filium Dei, non angelicam, sed humanam naturam sibi ex semine Abrahæ sumpsisse; tum ex eo quod (ib. cap. XIII) dicit de præmio, quod nactus est Abraham, quum dignus est habitus qui Angelis hospitium præberet. Pleraque pro instituto præterimus, quibus violentæ neotericorum interpretationes omnino refelluntur.

14. *Ad* 2m, *Neg.* Si enim vel de virtute (ἐνεργείᾳ) ac potentia et ex vulgi opinione loquuntur sacræ literæ, vel etiam metaphorice, cum Angelos commemorant, nihil certi amplius in sacris literis exstaret. Quomodo enim vera essent, quæ Christus citatis verbis significat? Quænam comparatio apostoli foret? Nonne ridicula sunt, quæ Rosenmüller tradit de tentatione Christi in deserto, dum ab homine judæo Christum fuisse tentatum dicit, vel cum Gabrielis adventum amens insinuat fuisse somnium, a Deo B. Virgini immissum? Quæ quidem aliaque innumera inepta prorsus et inficeta, quibus scatent ipsius scholia, satis ostendunt in quas angustias sese conjiciant novi isti doctores, ut Angelorum existentiam rejiciant. Ejusmodi tamen sunt oracula, quæ protestantes suspiciunt [1]).

15. *Inst.* Saltem Michaëlis nomine intelligendus est ipse Filius Dei, qui sub variis figuris seu symbolis in V. T. se se visibilem præbuit; quemadmodum Gabriël ipsa est Spiritus Sancti persona [2]). Quid igitur vetat, quominus de Deo vel Filio Dei cætera intelligamus scripturarum loca, in quibus Angelorum fit

1) Cfr. etiam Kuinoel, *Comment. in libros N. T. historicos* in Luc. I, 26 et 27. Ex quo deprehendimus nonnullos biblicos neotericos eo progressos esse, ut totam hanc historiam Angeli Gabrielis colloquentis cum Maria referant ad *mythum philosophicum*, alii ad *mythum historicum*, non secus ac apparitionem ejusdem Angeli, quæ Zachariæ in templo contigit, de qua item suorum protestantium biblicorum expositiones Kuinoel fuse refert. Mirum est quam sese atrociter torqueant ad excludendam veram Angeli apparitionem. Paulusius in *Philologisch-krit. Komment.* seu in *Commentario philologico-critico* contendit, Zachariæ visam fuisse versari ante oculos quamdam genii cœlestis veluti speciem; eum varii generis sensa, quæ illi tunc in animo suboriebantur, *putasse* ipsius genii voces esse, in *extasin* raptum, ac sibi imposuisse silentium, eo quod plus justo intra se locutus esset, usque ad partum Elisabethæ. Gablerus in *Journal für theol. literat.* seu in *Ephemer. literaturæ theologicæ*, vol. I, pag. 403, eadem ferme ratione historiam hanc totam enarrat. Juxta Witsium in *Miscell. sac.* tom. II, pag. 338, per lusum phantasiæ commotæ exponi debet; hemiplexia Zachariam captum, qui idcirco loqui non potuit. Item Rosenmüller. Alii demum deposita larva ingenue tradunt hic a Luca fabulam enarrari. Quis non suspiciat doctos hosce sacrarum literarum interpretes? Præsertim quum ignorare ipsi omnino videantur, delirans anus de sublimioribus ejusmodi doctrinis sapientius disputare, si velint, facile posse.

2) Cfr. Hier. Maria Buzius Ord. S. Aug. in *Synopsi theol. discipl. P. Berti*, lib. X, in appendice, ubi Michaelem et Gabrielem Archangelos, esse creatos spiritus demonstrat, tom. I, pag. 404 et seqq. edit. 1769. Cfr. etiam Bossuet, *Réflexions sur l'Apocalypse.*

mentio? Certe (Exod. III, 2) ***Flamma ignis***, ex qua Moses vocem audivit, vocatur Angelus Dei. Ergo.

16. ***Resp. Neg. antec.*** Hoc paradoxum sero nimis excogitarunt adversarii ad cultum tollendum Angelis a fidelibus exhibitum. Evertit enim illud caput XII Apocalypseos, in quo Michaël cum dracone pugnans differt ab Agno, id est, Filio Dei, ob cujus sanguinem vicit. Quoad Gabrielem, satis est Luc. I, 26 verba expendere: ***Missus est Angelus Gabriël a Deo ad Virginem... et ingressus Angelus ad eam, dixit Spiritus Sanctus superveniet in te;*** Spiritus igitur, qui superventurus erat in Mariam, dissimilis fuit a Gabriele nunciante.

17. Falsum denique est quod assumit Rosenmüller, flammam nempe ignis vocari ***Angelum Dei***; etenim in Exod. loc. cit. aperte a flamma ignis distinguitur Dominus, qui Mosi apparuit ***in flamma ignis de medio rubi;*** et Act. VII, 30 pariter dicitur: ***Apparuit illi*** (Mosi) ***in deserto montis Sina Angelus] in igne flammæ rubi.*** Hac ratione neoterici biblici, quidquid stulti in buccam venit, prout libet, effutiunt, bonamque lectorum fidem in pravos errores adducunt.

CAPUT II.

DE NATURA ANGELORUM.

18. Definiri Angeli solent *substantiæ immateriales completæ*, ut certum intersit discrimen nos inter et ipsos; nostræ enim animæ substantiæ spirituales *incompletæ* vocantur, cum ad corpus informandum suapte natura ordinatæ sint, quibus propterea corpore solutis aliquid deesse videtur, non quidem ad substantiam, sed ad suum, ut dicimus, *complementum.* Ex patribus tum græcis tum latinis non defuerunt, qui Angelos corpore quodam aëreo et subtili præditos censuerunt; illorum catalogum exhibet eruditissimus Petavius [1]). Post definitionem concilii lateranensis IV, quam inferius dabimus, obsolevit hæc opinio inter catholicos; si enim paucos excipias [2]), vix est, qui eidem adhæserit. Attamen inter heterodoxos et philosophos hæc sententia plures patronos nacta est; etenim præter Leibnitzium et Bonnet, qui hanc sententiam propugnarunt, Cudworth, Tricorius, Wolfius, Boehmius, Loersius, Cantius alii-

1) *De Angel.* lib. I, cap. 2.

2) Falluntur propterea qui tradunt post concilii lateranensis decretum neminem catholicorum impune contrariam tenuisse sententiam. Contrariæ enim sententiæ adhæserunt inter cæteros card. Cajetanus, in cap. 2 epist. ad Ephes.; Eugubinus, *De perenni philosophia*, lib. VIII, cap. 27, *D*, tom. III, opp. edit. Paris. 1578; de quo quidem auctore recte pronunciavit Petavius, *De opific.* lib. I, cap. 8, §. 2: *Auctor magis ad speciem quam eruditionem solidam commentarios suos instituens, quos raro cum fructu, nunquam sine fastidio legimus.* Pariter Sixtus Senensis, *biblioth. sanct.* lib. V, adn. 8, Bartholomæus Caranza et Domin. Bannez.

que non pauci [1]) eamdem sectati sunt, rati, non posse dari spiritum activum sine corpore. Nos communi sententiæ adhærentes de spiritualitate Angelorum, quæ hic et nunc salva fide in dubium vix revocari posse videtur, hanc statuimus propositionem:

PROPOSITIO.

Angeli sunt meri spiritus omnis corporis expertes.

19. Hæc propositio certa est ex conc. lateranensi IV, quod cap. ***Firmiter*** definivit adversus manichæos: ***Unum esse universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam*** [2]). Ergo ex hoc concilio angelica natura spiritualis est et omnis corporis expers, qualis anima hominis est; alioquin humana natura ***media*** non esset inter angelicam et mundanam substantiam.

20. Hanc autem doctrinam scripturarum auctoritate fulciri exinde patet, quod in sacris eloquiis Angeli constanter ***spiritus*** dicantur. Apostolus enim (Hebr. I, 14) de Angelis inquit: ***Nonne omnes sunt administratorii spiritus?*** et S. Joannes ait (Apoc. I, 4): ***Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt;*** et de dæmonibus pariter dicitur (Luc. X, 20): ***spiritus vobis subjiciuntur***; et alibi passim ***spiritus nequam, spiritus immundi*** vocantur, imo apostolus (Eph. VI, 12) eos vocat: ***spiritualia nequitiæ.*** Atqui vox ***spiritus*** non aliud proprie nisi substantiam simplicem et incorpoream significat, cum Deo (Joan. IV, 24) et animæ humanæ (I Cor. II, 11) tribuatur; nec ulla sufficiens ratio sit, cur vocem hanc ad alienam significationem detorqueamus, cum de Angelis usurpatur. Ergo.

21. Et sane insolens omnino esset, si Angeli corpore et spiritu constarent sicut homines, quod ratio nunquam haberetur corporis et spiritus ipsorum in scripturis, quæ ubilibet mentionem faciunt corporis et spiritus hominum; aut saltem quod homines non aliquando spiritus in eisdem appellarentur, quemadmodum passim Angeli appellantur spiritus. Nempe homi-

1) Cfr. Muzzarelli, opusc. XXIII, *Del buon uso della logica*, diz. V, tom. VII, Firenze 1823.

2) Per hoc tamen decretum doctrina de spirituali Angelorum natura definita dici nequit, adeo ut ad fidei dogmata eam pertinere pronunciare possimus, contrariæque doctrinæ hæresis notam inurere. Quippe lateranense concilium ex instituto partem eam definire noluit, inquit Petavius; sed in hoc unum intenta fuit synodus, ut utriusque conditorem naturæ Deum esse contra manichæos statueret; cætera vero ex recepta per id tempus opinione obiter subtexuit.

nes, etiamsi e præcipua sua parte spiritus sunt, quia tamen simul corporei sunt, nunquam absolute *spiritus* dicuntur; contra vero Angeli, quia corporei non sunt, sæpe *spiritus*, nunquam vero absolute dicuntur *corpus* aut *corporei.*

22. Fulciri præterea hanc eamdem doctrinam auctoritate patrum tum græcorum tum latinorum facile ostenditur. Etsi enim plerique ex ipsis, ut superius innuimus, videantur corpus aliquod Angelis tribuere, longe plures tamen spirituales prorsus et incorporeos Angelos prædicant [1]). Ne tamen longiores simus in proferendis testimoniis, ad quædam veluti capita revocabimus ipsorum dicta, ex quibus certa deprehenditur eorum sententia. Ac 1° Angelos spirituales prædicant, qui eos dicunt incorporeos, sive *ἀσωμάτους*. Tales porro sunt ex græcis Gregorius thaumaturgus, sive vetus auctor homiliæ cujusdam in Theophania, qui eos dicit *incorporeas virtutes* [2]); Greg. nyssenus qui Angelos *incorpoream creaturam* nominat [3]); Greg. item nazianz., qui eamdem naturam *intelligibilem et incorpoream* laudat [4]); Eusebius cæsar., qui eam commemorat *substantiam incorpoream*, et comparat Deo ipsi [5]); Epiphanius, qui dæmonem declarat *spiritum corporis expertem* [6]); S. Joan. Chrysostomus, qui Deum commendat, quod fecerit Angelos et Archangelos, ac *reliquas incorporeorum substantias* [7]); Theodoretus eos jactat *incorporeas naturas* [8]), Procopius *substan-*

1) Thomas Aletinus seu potius Joan. Clericus in not. 64 ad cap. 3, lib. I de Ang. §. 12 Petavii, ut suis faveat, hæc scribere non dubitavit ad eripiendum nobis omnia patrum testimonia, quæ Angelos spirituales prædicant: *Diligenter observandum corpus et* materiam *duplici sensu sumi apud veteres. Aliquando ita vocant quidquid non est per se intelligentia præditum, quantæris sit tenuitatis, sed sæpe etiam his vocibus intelligunt crassiorem tantum materiam, quo sensu negant Angelos esse* corporeos *aut materiales. Nam cæteroqui plerique existimant Angelos esse tenuissimo corpore indutos. Vide* indicem philologicum philosoph. orientalis Th. Stanleii, *de voce* materia, *et de sententia veterum de Angelorum natura illustriss.* Pet. Dan. Huetium, *Ep. Abrincensem, in eximio* Origenianorum *opere, lib.* II, *quæst.* V, *et in notis ad* Origenem, pag. 65. *Nisi hæc probe observentur, vix poterit intelligi quid velint veteres, et secum etiam sæpe tum videbuntur pugnare, cum sibi quam maxime constant.* At præterquam quod Huetius de omnibus universim patribus minime loquitur, plerosque patres vocem *Spiritus,* eum de Angelorum natura disserunt, stricto sensu usurpasse ex iis, quæ hic in medium protulimus, eorum testimoniis apertissime constat, præsertim ex iis, qui eos *intelligentias* vocant, *mentes, substantias intelligentes, simplices, sine materia*, etc. Poterant ne apertius proprie dictam spiritualem naturam Angelorum exponere? *Eo vel magis* quod iisdem vocibus utantur, cum de spirituali divina substantia loquuntur?

2) Cfr. Petav. *De Angelis*, lib. I, cap. 3.

3) *Ἀσώματον κτίσιν. Cont. Eunomium,* lib. XII, et alibi ib.

4) *Νοητὴν καὶ ἀσώματον.* Ib.

5) *Demonst. evang.* lib. I, cap. I. *Ἀσωμάτους τινὰς νοερὰς, καί θείας δυναμεις, ἀγγέλους τε, καὶ ἀρχαγγέλους, ἄϋλά τε; καὶ πάντη καθαρά πνεύματα.*

6) Hær. XXVI, num. 13: *Πνεῦμα αναδαρτον, καὶ ἀνώματον.*

7) *Ad Stagirium*, lib. I, pag. 86. *Ἐάδοίησεν ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τὰς ἄλλας τῶν ἀσωμάτων οὐσίας*, et alibi ib.

8) *Quæst.* XX. in *Genes.* probaturus imaginem Dei non in eo consistere, quod in anima sub adspectum non cadit, inquit: *Μᾶλλον εἰκόνες τοῦ Θεοῦ κληθεῖεν ἄγγελοί τε, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ πᾶσαι αἱ ἀσώμαται, καὶ ἁγίαι φύσεις, ἅτε δὴ παντάπασι σωμάτων ἀπηλλαγμέναι, καὶ ἀμιγὲς τὸ ἀόρατον ἔχουσαι*, id est, *Alioquin potius imagines Dei vocarentur Angeli et Archangeli, et omnes incorporeæ sanctæque naturæ, utpote corporibus vacuæ et sine mixtione minime adspectabi-*

tias penitus incorporeas [1]), item Joannes Climachus, Dionysius vulgo areopagita, Nilus, Joan. damascenus, etc. [2]). Ex latinis vero Marius Victorinus, qui vocat Angelos *incorporeos* [3]); Lactantius *incorporales*, Leo papa, qui *veram fidem* ait, *quæ est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam* [4]). Sic Julius africanus *incorporeos* pariter eosdem constituit, nec non Fulgentius [5]), Gregorius M., qui interrogat: *Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit* [6])? aliique. 2° Eamdem veritatem docent ii patres, qui Angelos non solum incorporeos, sed præterea vocant *mentes*, *νοῦς*, seu *substantias intelligentes*; tales vero sunt Greg. nazianz. Eusebius, Dionysius areopagita nuncupatus, Greg. nyssenus, etc. 3° Qui eosdem dicunt *simplices* et *sine materia* *ἀΰλους*, ut Greg. nazianz. atque nyssenus, Marius Victorinus, Lactantius etc. [7]).

23. Quum igitur laudati patres tum græci tum latini ingenti veluti agmine Angelos non solum incorporeos, verum etiam substantias materiæ expertes, spirituales, simplices, intelligentias passim vocent, nihil dubii subesse potest, quin doctrina de spiritualitate Angelorum non solum scripturis, sed et traditioni innitatur [8]). Angelicus doctor rationibus etiam theologicis eamdem confirmat, quæ apud eum recoli possunt [9]).

DIFFICULTATES.

24. I. *Obj.* 1° Ex sacris literis Angeli fœminis permiscentur; ergo aut sunt, aut habent corpora. Etenim Gen. VI, 2 legitur: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores.* Quæ quidem verba 2° versio alexandrina sic refert: *Videntes Angeli Dei... acceperunt sibi uxores* [10]). Hæc autem versio 3° ex libro Henoch confirmatur, Augustino teste [11]); tum 4° ex patribus Justino, Clemente alex., Tertulliano, Ambrosio, Sulpicio Severo, Lactantio aliisque non paucis apud Petavium [12]), qui refert pro eadem sententia Philonem et

les. Alibi eadem habet, quæ ad corpus vel materiam quamcumque trahi nulla ratione possunt.

1) *Comment. in Gen.* cap. 16 et seqq. *Τὰς νοερὰς οὐσίας, καὶ παντεῶς ἀσωμάτους.*

2) Apud Petav. loc. cit. Inter græcos patres minime recensuimus S. Ignatium, cujus proferuntur verba ex *epist. ad Trall.* quibus Angelos dicit *ἀσωμάτους φύσεις*, *naturas incorporeas*, siquidem ea reperire minime potuimus neque in edit. Coteleri, neq. in *bibliot. patrum gall.* neque alibi; sed occurrunt tantummodo in hujus S. martyris literis interpolatis apud Coteler. *epist. ad Trall.* §. 9, tom. II, pag. 67.

3) Lib. IV. *adv. Arium.*

4) *Epist. ad Turib.* cap. 6.

5) *Lib. de fid.* cap. 5.

6) *Dial.* lib. IV, cap. 29. Cfr. Petav. loc. cit.

7) Apud Petav. loc. cit.

8) Cfr. ib. ubi §. 10 ostendit judæis pariter inhæsisse sententiam de spirituali Angelorum natura.

9) Part. I, quæst. 50, art. I, nec non *cont. gent.* lib. II, cap. 46, et in opusc. *de spirit. creaturis*, art. 5, tom. VIII, opp. edit. Rom. 1570.

10) *Εἴδοντες δέ οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ... ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας.*

11) *De civit. Dei*, lib. XV, cap. 24, n. 4.

12) *De Angel.* lib. III, cap. 2.

Josephum; 5° contextus ipse videtur rem hujusmodi significare, ubi habetur, ex ejusmodi connubiis ortos fuisse gigantes. Addit vero Car. Rosenmüller [1]), 6° quemadmodum pro filiabus hominum veniunt fœminæ in proprio sensu ab hominibus oriundæ, sic pro *filiis Elohim* sensu proprio ita dicti intelligendi sunt Angeli, seu *naturæ supernales*. Ergo.

25. ***Resp. Neg. antec. Ad*** 1[m], probat. ex Genesi, ***Dist.*** Filii Dei, id est, filii Seth, vel principes, quos majores gentium dicimus, *conc.*; filii Dei, id est, Angeli, *neg.* Exodi enim XXI, 6 et XXII, et alibi, per vocabulum hebraicum אֱלֹהִים *elohim*, principes designantur; Symmachus ipse vertit *filii potentum* [2]); sic etiam Onkelos et Saadias exponunt; arabs Erpenii pariter habet *filii magnatum* [3]); interpres samaritanus *filii dominatorum* [4]). De filiis Seth hunc locum ipse Clericus exponit, qui præterea observat hoc nomine passim in scripturis designari veros Dei cultores [5]). Hæc posterior interpretatio communis est inter patres. Non posse autem allatum textum sumi de Angelis proprie dictis, evidens est; vel enim fuissent boni vel mali neutrum porro dici potest; non boni, quia cum Dei visione jam fruerentur, non potuerunt illecebris carnalibus allici, præsertim cum de his dicat Christus: ***Non nubent, neque nubentur;*** non mali, alioquin dæmones dicendi essent filii Dei, quod est absurdum, et nullibi sane in scripturis hoc nomine compellantur [6]).

26. ***Ad*** 2[m], ***Dist.*** Et versio alexandrina per ***Angelos Dei*** homines religiosos designat, quod infrequens in scripturis non est [7]), *conc.* Angelos proprie dictos, *subdist.* In hoc casu, ut ex

1) In schol. ad hunc locum.

2) *Υἱοὶ τῶν δυναστευόντων.* Cfr. Hier. *Quæst. hebr. in Genes.*, lib. I; tom. III. opp. edit. Vallars.

3) Ita enim Onkelos in Targum exponit: בְּנֵי רַבְרְבַיָּא Cfr. biblia sacra edit. Plant. Antv. 1569. Arabs Erpenii Saad بَنُو ٱلْأَشْرَاف

4) ࠁࠍࠉ ࠔࠋࠈࠍࠉࠄ Cfr. *Polygl.* Walton. et *biblia regia* Paris.

5) Sic enim scribit in *Paraphrasi* in hunc locum: *Interea Caini aucta sobole, puellarum numero cainitas abundare contigit; quæ eum præterea forma præstarent, Enosi posterorum, quorum majores consortium et affinitatem cainitarum adspernati fuerant, amorem sibi conciliarunt, et cum iis matrimonia miscuerunt; cainitæ enim enosidas generos habere honori ducebant. Haud multo post cainitarum, quibuscum vitam agitabant pravis exemplis uxorumque illecebris corrupti, enosidæ iisdem se vitiis inquinarunt, vitiosioremque sobolem progenerarunt.* Eamdem interpretationem sequuntur Munsterus, Fagius, Vatablus, Castalio, Clarius Drusius, Amama, Cardwrightus in *Criticis sacris.* Hanc vero eamdem interpretationem confirmant exempla ex Deut. XIV, I; Ps. LXXII, Prov. XIV, 26.

6) Certum est nunquam in scripturis Angelos *dæmones* vocari; contra vero interdum, secus ac Fabricius autumat in sua *bibliographia antiquaria*, cap. 8, §. 27, dæmones non solum cum aliquo additamento, sed absolute *Angeli* dicuntur ut I Cor. VI, 3.

7) Sic S. Joan. Bapt. Marc. I, 2; coll. Malach. III, I vocatur; I Cor. XI, 10 sacerdotes; Apoc. I, 20 et II, I etc. episcopi compellantur.

dictis patet descrenda est, *conc.* tenenda, *neg.* Addo non omnes codices habere *Angelos Dei*, sed teste Augustino [1], nonnullos habere *filios Dei*, prout in bibliis complutensibus versio hæc LXX nuncupata habet: *filii Dei* [2].

27. *Ad* 3m, *Trans.* Omnium enim criticorum judicio, imo et ipsius ecclesiæ catholicæ, liber Henoch inter apocryphos recensetur [3].

28. *Ad* 4m, *Dist.* Vel ex versione alexandrina, vel libro Henoch deceptis, *conc.* ex sensu ecclesiæ aut traditionis, *neg.* Plerique enim ex versionis alexandrinæ lectione decepti in hanc sententiam concesserunt, alii ex libro Henoch, quem tanquam sacrum nonnulli patres habuerunt, ut de Tertulliano constat aliisque paucis [4]. Ex hoc fonte fabulam istam veteres omnes hausisse arbitratur Petavius [5]. Cæterum his patribus plures alios opponimus, qui data opera illam fabulam refellerunt. Certe Philastrius Brixiensis in lib. *De hæresibus* eam opinionem, quæ asserit, *Angelos se miscuisse cum fœminis ante diluvium*,

1) *De civitate Dei*, lib. xv, cap. 23, num. 3. Imo vero ex hoc ipso S. Augustini loco patet versionem LXX sua ætate utrumque habuisse: *Filii Dei* et *Angeli Dei*; ita enim scribit: *Et septuaginta quidem interpretes et Angelos Dei dixerunt istos, et Filios Dei. Quod quidem non omnes codices habent, nam quidam nisi Filios Dei non habent.* Ex quo facile est conjicere, verba *Angeli Dei* non fuisse nisi glossema nonnullorum, quibus persuasum erat, juxta dicenda, Angelos reipsa fœminas adamasse, iisque junctos connubio fuisse, quod postea irrepsit in textum.

2) Præter editionem complutensem cæteræ editiones omnes habent *υἱοὶ του Θεοῦ*, ut videri potest in *Bibliis* Plant., in *polygl.* Walton., *bibl. reg.* Paris. etc.

3) De libro Henoch ita scribit S. Aug. loc. cit. n. 4: *Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit.* Ex quibus discere possunt protestantes, quo consilio prudentiave patres uterentur ad germanas ab apocryphis scripturas discernendas.

4) Dixi de Tertulliano *aliisque paucis* constare, eos librum Henoch tanquam sacrum recepisse. De Tertulliano enim nullum dubium esse potest; nam (*De cultu fœm.* lib. I, cap. 3), etsi fateatur hunc librum ab aliis rejici, dicens: *Scio scripturam Henoch nec recipi a quibusdam*, ejus tamen auctoritatem quoad fieri potest ibidem propugnat; ex eoque libro Angelos, lib. *De idol.* cap. 9. vocat *fœminarum amatores*, qui, ut loquitur in libro *De habitu muliebri*, cap. 2, *ad filias hominum de cœlo ruerunt.* Auctor lib. *De singular. cleric.* inter opera S. Cyp. ait: *Novimus et Angelos cum fœminis cecidisse.* Eamdem opinionem ex eodem libro mutuati sunt Justinus, *Apol.* I, num. 5; Lactant. *Divin. inst.* lib. II, cap. 15, Sulpicius Severus, *sac. hist.* lib. I. Quum tamen nemo istorum, præter Tertullianum, libri Henoch singillatim meminerit, nihil vetat, quominus dicamus eos deceptos esse ex loco adducto Geneseos præsertim juxta græcam LXX versionem. Sane S. Ambrosius *serm.* VIII, *in Ps.* CXVIII, num. 58: *Denique*, inquit, *scriptum est: quia Angeli amaverunt filias hominum*, etc. quamvis fluctuans, *serm.* IV, num. 8, innuat Angelorum nomine intelligi posse homines, qui vitæ probitate Angelorum gratiam imitarentur. S. Hilarius Pictav. *Tract. in Ps.* CXXXIII, num. 6, suppresso nomine, de libro Henoch non absque contemptu loquitur: *Fertur autem*, inquit, *id, de quo etiam nescio cujus liber extat, quod Angeli concupiscentes filias hominum*, etc.... *Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus.* Sic alii passim. Prolixum libri Henoch fragmentum refert Georg. Syncellus in *Cronograph.* part. 2, quod una cum aliis legi potest apud Joan. Alb. Fabricium in op. *Codex pseudepigraphus V. T. Hamb.* 1722, vol. I, pag. 160 et seqq. ubi pariter refert de ea judicium ac censuram sive veterum sive recentiorum.

5) *De Angel.* lib. III, cap. 2, §. 4.

et inde esse natos gigantes, inter hæreses refert [1]). Ex quibus deprehendimus hanc sententiam nunquam fuisse universalem in ecclesia, sed prorsus singularem illorum patrum, quos recensuimus, nihilque inde inferri detrimenti adversus sacras traditiones, ut protestantes plerique autumant.

29. *Ad* 5m, *Neg.* Tum 1° quia nondum exploratum est voce נְפִלִים (*nephilim*) homines designari extraordinariæ proceritatis; etenim Job. I, 15 vertitur *irruentes*, id est prædones, latrones, qui fortasse equis latrocinia exercerent, ut arabum hodie bene multi, ex quo genere etiam centauri græcorum fuerunt. Aquila et Symmachus videntur *latrones* intellexisse; Onkelos vertit *fortes;* ita insuper uterque arabicus interpres [2]); alii sumunt vocem *nephilim* quasi significet *defectores*, *apostatas*, a *deficiendi* significatu, quem verbum נָפַל (*naphal*) sæpe obtinet, et congruit syriaca vox ܢܦܘܠܐ (*nopholoh*), quæ *apostata* vertitur. Patet igitur gigantum nomine hic non inverisimiliter designari homines impios, præpotentes, qui omnia pro arbitrio sibi licere existimabant; et confirmatur ex contextu; versu enim 4 subditur: *Isti sunt potentes a sæculo viri famosi*, id est, *fortes, violenti*, etc. Tum 2° quia, si nolumus a communi interpretatione discedere, ut observat S. Augustinus, ex naturalibus causis fieri potest, quod ex communis generis parentibus gigantes oriantur, ut pluribus exemplis ex historia tum sacra tum profana petitis, ostendi facile posset, quin ad Angelorum nuptias confugere debeamus [3]).

30. *Ad* 6m, *Neg.* Nimis enim probaret, Angelos nempe fore filios Dei naturales, quod est absurdum.

31. I. *Inst.* 1° Scripturis talia Angelis tribuuntur, quæ substantiis mere spiritualibus convenire non possunt. Sic Ps. CII, 20, *potentes virtute* dicuntur, seu *fortes robore*, ut vertit S.

1) In *biblioth. patrum* De la Bigne, tom. v, pag. 34, S. Joan. Chrys. *Hom.* xxii, in cap. vi. Gen. has historias vocat *μυθολογίας* imo *τὰ βλάσφημα fabulas* et *blasphemias*. Cf. ib. num. 2, edit. maurin. tom. iv. Sic Hieronymus passim; et ante istos auctor *recognit.* sub nomine Clem. Rom. Origenes, tum alibi, tum *cont. Celsum* lib. v, etc.

2) Cfr. Targum loc. c. ubi habet גִּבָּרַיָּא arab. versio جَبَابِرَةٌ *præpotentes, superbi, contumaces* etc. quod est a singulari جَبَّارٌ *præpotens, validus*, etc.

3) *De civitate Dei*, loc. cit. ubi observat jam exstitisse gigantes, antequam filii Dei congrederentur cum filiabus hominum, ut patet ex contextu, insuper exstitisse etiam post diluvium, ut ex pluribus scripturarum locis compertum est. Cfr. Deut. ii, 20; iii, 11, 13; ii Reg. xxi. 18. etc. Cæterum cum vox נְפִילִים (*nephilim*) vicissim in scriptura usurpetur tum ad homines proceræ staturæ designandos, tum ad significandos prædones, violentos, etc. pronum est colligere, potuisse hoc loco poni hanc vocem in utroque sensu, ut Is. xiv, 9. Baruch. iii, 26. Hinc est quod Aquila verterit *ἐπίπτοντες*, *cadentes*, *irruentes*, Symmachus vero *βίαιοι*, *violenti*, LXX *γίγαντες* gigantes, perinde ac Theodotion, ut videre est in *Hexaplis* Origenis, edit. Monfaucon, tom. i.

Hieronymus; S. Paulus: *Si linguis*, inquit, *hominum loquar et Angelorum* (I Cor. XIII, 1); Christus vero prædixit, in novissimo die mittendos Angelos *cum tuba et voce magna;* hæc profecto aliaque similia, quæ passim in scripturis Angelis tribuuntur, absque corpore præstari nullatenus possunt. Quibus addas, 2° Christum sadducæis interrogantibus, cujusnam in resurrectione futura esset mulier, quæ septem fratribus nupserat, respondisse, *æquales* Angelis justos fore; hæc autem æqualitas nulla esset, nisi Angelos corporeos admitteremus [1]). Ergo.

32. ***Resp.*** ***Ad*** 1m, ***Dist.*** *antec.* Si scripturæ materialiter ac prout sonant intelligantur, *conc.* si spiritualis et metaphoricus earum sensus dispiciatur, *neg.* Nec enim aliter accipi possunt, cum eum sensum, ut ex dictis patet, subjecta materia minime ferat. Quod si quis tamen contenderet nonnullas ex dictis operationibus reipsa ab Angelis perfici, tunc reponimus Angelos in corpore assumpto eas operationes præstare; quo pariter sensu *potentes virtute* Angeli sunt, quia corpus assumunt. Atque ita dissolvuntur cæteræ difficultates, quæ peti possent ex diversis Angelorum apparitionibus, esu, potu etc. Tobiæ enim XII, 18, dixit Angelus: ***Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare et bibere, sed ego potu invisibili et cibo utor***, etc. [2]).

33. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Æquales Angelis fore quoad modum vivendi, *conc.* quoad modum existendi, *neg.* Hic enim similitudo non afficit corpus, sed modum sive rationem vivendi; quemadmodum enim Angeli natura sua nuptias non ineunt, quia carent corpore, ita neque resurgentes instaurabunt nuptias, quia, etsi corpora sint habituri, Angelorum instar nuptiis abstinebunt.

34. II. ***Inst.*** 1° Saltem dæmones in scripturis modo perhibentur igne torqueri (Matth. XXV, 41; II Pet. II, 4; Jud. 6.), modo sono citharæ compesci (I Reg. XVI, 23), modo fellis fumo fugari (Tob. VI 8.). 2° Hisce cohærent quæ passim traduntur a patribus eos nempe allici cibis, nidore, suffimentis etc. [3]). Ergo.

35. ***Resp.*** ***Ad*** 1m, ***Dist.*** Dæmones torquentur, compescuntur, fugantur virtute divina, *conc.* propria ac naturali, *neg.* Plane ut sacramenta sanctificant animam, ut ait S. Augustinus.

1) Cfr. Muzzarelli, op. cit.

2) Vid. card. Gottii, *De natura Angel.* Quæst. II, dub. I, §. 4, num. 26 et seq. et S. Th. part. I, q. 51, art. 3. Cfr. etiam Nicolai, Soc. Jesu, *In Tobiam*, dissert. VI et XIII.

3) A Minuc. Felice, in *Octavio*, dæmones perhibentur *nidore altarium vel hostiis pecudum saginati* § 17. *Bibl. patrum* edit. Ven. tom. II S. Joan. Chrysostomus, *Hom.* II, *in S. Babylam*, num. 13, edit. Maurin. tom. II: Ὅταν μὲν τῇ κνίσσῃ, καὶ τῷ καπνῷ, καὶ τοῖς αἵμασιν αὐτοὺς θεραπεύωσι, καθάπερ κύνες αἱμοβόροι καὶ λίχνοι παραγίνονται λάψοντες· ὅταν δὲ μηδεὶς ταῦτα παρέχων ᾖ, καθάπερ τινὶ λιμῷ διαφθείρονται, id est, *Cum homines nidore*, inquit, *fumo sanguineque ipsos colunt, tanquam canes sanguinarii et voraces lambendi causa adsunt: cum autem rursus nemo quidquam præbeat hujusmodi, quasi fame pereunt.* Ita etiam nonnulli alii patres loquuntur, imo ethnici ipsi, ut patet ex Porphyrio, cujus verba refert Euseb. *De præparat. evang.* lib. IV. cap. 22, edit. Fran. Vigeri Soc. Jesu, pag. 173, ubi fit mentio de sustentatione *spirituum corporumque* dæmonum . . . δι' ὧν αὐτῶν τὸ πνευματικὸν, καὶ σωματικὸν πιαίνεται.

36. *Ad* 2m, *Disting.* pariter cum eodem S. doctore; alliciuntur *ut spiritus signis*, divini scilicet honoris, quem affectant [1]), *conc. ut animalia cibis, neg.*

37. II. *Obj.* Justinus mart., Clemens alex., Tertullianus, Lactantius, aliique patres bene multi apud Petavium [2]) Angelos corporeos dixerunt; sancti Augustinus et Bernardus ancipites ac dubii hæserunt [3]); Ergo.

38. *Resp. Dist. antec.* Quorum tamen plerique ut de corpore improprie dicto loquentes intelligendi sunt, *conc.* omnes id affirmarunt de corpore proprie dicto, *neg.* Plures enim patres Angelos corporeos dixerunt, non quod eos materiali corpore præditos arbitrarentur, sed 1° quod hypostases veras germanasque esse propugnarent; *corpus* quippe veteribus patribus idem erat ac *substantia*, et ideo interdum Deum ipsum *corporeum* dixerunt, prout de Tertulliano monet Augustinus, et nos suo loco vidimus [4]). 2° Alii Angelos dixerunt corporeos, non absolute, sed comparative ad Deum, nempe ut omnimodam simplicitatem uni Deo vindicarent. 3° Alii, quia corporeum existimabant, quidquid definito in loco continetur, motumque ibidem habet, ut Cassianus et Hilarius [5]). Si qui patres satis accommodate intelligi non possunt, sunt deserendi; quum ipsis plurium auctoritas ac præsertim ecclesiæ sensus obstet, ut ex adducto decreto concilii lateran. patet. SS. Augustinus et Bernardus in quæstione nondum definita maluerunt prudenter dubitare, quam aliquid certi proferre [6]).

39. III. *Obj.* Synodus VII œcumenica seu nicæna II approbavit dialogum Joannis thessalonicensis, in quo Angeli dicebantur corporei, si non omnino, saltem ex parte; ergo.

40. *Resp. Neg. antec.* Ut patet tum ex verbis Tarasii, qui, cum dixisset: *Ostendit pater* (Joannes), *quod et Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt*, tunc sacra synodus dixit: *Etiam, Domine*, scilicet Angelos pingi oportere; tum ex fidei professione, in qua dicitur: *Veneramur imagines sanctorum et incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humana hominibus apparuerunt* [7]). Igitur synodus his verbis singillatim Joannis thessalonicensis opinionem rejecit.

1) *De civitate Dei*, lib. XXI, cap. 6.
2) *De Ang.* lib. I. cap. 2.
3) Ibidem.
4) Tract. de Deo, num. 226.
5) Cfr. Petav. op. cit. lib. 1, cap. 3, §. 12.
6) Notandum hic est cum Cl. Gerdilio, *Saggio d'istruz. teol. de Angelis*, in errorem incredulos labi, dum tribuunt antiquis ecclesiæ patribus indiscriminatim sententiam de substantia materiali cogitante, eo quod nonnulli inter ipsos visi sunt admittere Angelos corporeos. *Questi*, ait ipse, *dubitarono bensì che siccome nell' uomo l'anima è unita ad un corpo organizzato, così negli Angeli fosse unita ad un corpo etereo; ma da ciò non segue in alcun modo, che abbiano creduto materiale il principio della intelligenza negli Angeli.* Quod verissimum esse aperte evincit eorumdem patrum loquendi ratio.
7) Negare haud possumus Joanni episcopo thessalonicensi hanc fuisse opi-

41. Ex dictis sequitur 1° Angelos esse natura sua *incorruptibiles*. An pariter dicendi sint natura sua *immortales*, disceptarunt antiqui scholastici; at spectato sensu, quo illa quæstio intelligitur nunc a probatis philosophis, cum agitur de animæ humanæ immortalitate, procul dubio Angeli natura sua immortales dicendi sunt [1]).

42. Sequitur 2° Angelos valde hominibus præstare tum substantia, tum intelligente virtute, tum denique exequendi potentia [2]).

CAPUT III.

DE ANGELORUM OFFICIIS.

43. Plura certe sunt Angelorum officia, ast præcipuum est Deum laudare, juxta illud Apocal. VII, 11: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni . . . et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes, amen*, etc. Alterum ipsorum officium est Dei jussis obtemperare, in iis præsertim, quæ spectant ad hominum salutem, siquidem *omnes sunt administratorii spiritus et in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ut loquitur apostolus (Hebr. I, 14). Ex quo patet regna, provincias, regiones, homines denique singulos Angelorum tutelæ committi,

nionem de Angelis corporeis, ut totus contextus evincit illius sermonis, qui recitatus est in conc. nicæno II, act. 5, edit. Hard. tom. IV, col. 294. Sed hæc fuit privata illius sententia. Dum vero Tarasius ait ib. *Ostendit Pater, quod Angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt multis*, non aliud attingit nisi quod spectabat ad scopum concilii, evincendi scilicet, veterum sententiam fuisse, imagines Christi, Deiparæ, Angelorum et Sanctorum licite pingi posse. Hinc synodus cohærenter respondit: *Etiam Domine*, nihili faciens causam memoratam, propter quam putavit Joannes, disputans adversus gentilem, Angelos pingi posse. Hæc autem confirmantur ex eo, quod videmus synodum aliorum sanctorum patrum et doctorum dicta pariter approbasse, etsi in his Angeli incorporei dicerentur, et quoad naturam spiritualem conferrentur cum Deo ipso. Cf. Act. IV, col. 162, edit. cit. Sed mens ejus synodi melius dignosci non potest quam ex ipso fidei decreto, edito act. IV, col. 266, ubi synodus profitetur se honorare, et salutare, ac adorare imagines sanctorum etiam et *incorporeorum* Angelorum τῶν τε ἁγίων καὶ ἀσωμάτων ἀγγέλων.

Ex his colligitur, inique prorsus Cudworthum (*Syst. intell.* cap. 5, sect. 3, §. 37) traducere concilium lateran. IV (quod ipse perperam *tertium* dicit) contrarium et pugnans cum conc. nic. II, dum scribere non veretur: *Sed quod omnium maxime multorum adduxit animos, ut nil dubitarent, nihil prorsus corporei adjunctum esse geniis* (*Angelis*) *id* tertii lateranensis concilii *auctoritatem et dignitatem esse arbitror, quod inter decreta sua hanc retulit sententiam. Quasi vero minor esset septimi œcumenici, ut vocant, aut secundi nicæni concilii, quod contrariam sententiam stabilirit, fides et auctoritas, quam ut cum illo committi aut gravitatem legum ejus æquare saltem queat.* In quibus graviter ac multiplici ratione labitur: 1° dum asserit multos adductos esse in sententiam de spirituali Angelorum natura ob auctoritatem conc. lateran. quum longe ante, hæc doctrina communis fuerit inter catholicos; 2° in eo quod affirmat nicænum conc. II contrariam sententiam *stabilirisse*, quod ex dictis est aperte falsum; 3° in conflictu, quem supponit inter utrumque concilium.

1) Cfr. Petav. *de Angel.* lib. I, cap. 5, § 9 et seqq.

2) Vid Suarez in quatuor prioribus libris de Angelis, ubi præstantiam naturæ Angelicæ fuse prosequitur.

quod paulo post ostendemus. Nonnulli patres, ut Hermas, Methodius, Origenes, Athenagoras, Epiphanius, Theodoretus, non solum hominibus, sed et bestiis ipsis et plantis, rebusque fere omnibus Angelos præfectos esse opinati sunt [1]). Quam quidem opinionem nunquam ecclesia sua auctoritate probavit; antiquata proinde est. Attamen Joannes Bodinus [2]), et Le-Maître [3]), uterque calvinista, hanc sententiam instaurare conati sunt. Eos nos dimittimus, et adversus eorum magistrum Calvinum dogma catholicum propugnare aggredimur de Angelorum tutela. Etsi enim hic interdum fateatur Angelos vigiles esse in hominum salutem, ac dubitare tantummodo videatur, num singulis hominibus singuli Angeli deputentur, attamen ubi scribit in Ps. XC, omne dubium excutiens, confidenter pronunciat: ***Falsum est illud commentum, suum cuique singularem Angelum esse;*** et satanæ astu, ut fiduciam nostram in Christum mediatorem minuat, illud punctum in ecclesiam invectum asserit. Rationalistæ ævi incultioris ac rudioris ingenio hana doctrinam adscribunt [4]). Adversus quos sit

PROPOSITIO.

Dogma catholicum est, scripturæ et patrum auctoritate firmatum, Angelos in hominum custodiam deputari.

44. Propositio, ut patet, generalis est nec aliud statuit, nisi Angelos hominum tutelæ præfici, quod de fide esse passim theologi docent; singulis vero hominibus singulos Angelos delegari, non solum justis et prædestinatis, sed etiam peccatoribus ac reprobis, singulis præterea regionibus, provinciis, regnis, ecclesiis Angelos præesse, certa quidem, et communis sententia est, ad fidem tamen minime spectat, ut pene omnes fatentur.

45. Assertionem nostram evincunt verba illa, quæ Ps. XC leguntur, ***Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis***, quæ de omnibus justis patres unanimes interpretantur; nec non verba Christi (Matth. XVIII, 10): ***Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.*** Testimonium apostoli ex Hebr. I jam dedimus.

46. Hinc Origenes: ***Ipsi*** (Angeli), inquit, ***procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus velut tutoribus, et actoribus committimur*** [5]). S. Basilius:

1) Cfr. Cotelerius ad lib. I ***Hermæ Pastoris*** visionem IV, ubi plura veterum testimonia pro hac sententia collegit. S. Hieronymus, ***Comment. in Habacuc***, lib. I, non sine stomacho hanc sententiam rejicit.

2) In opere cui titulus: ***Universum naturæ theatrum***, lib. V.

3) In ***Epist. ad Jac. Lensant.***

4) Wegscheider, §. 103.

5) ***Hom.*** VIII ***in Genes.*** num. 8, et alibi passim, ut ***Hom.*** XX ***in Num.*** num. 3; ***in Ps.*** XXXVIII, num. 2, edit. maurin.

Quemadmodum enim urbium muri in circuitu omni ex parte circumducti, undecumque hostium assaltus arcent; ita etiam Angelus et præmunit a fronte et a tergo custodit, nec quidquam utrinque incustoditum relinquit [1]. S. Ambrosius: *Mittit Dominus*, inquit, *Angelos suos ad defensionem eorum, qui hæredes futuri sunt promissorum cœlestium* [2]. Ita S. Augustinus pro certo statuit, Angelos adjuvare *nos pro sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere* [3]. Ita passim cæteri patres loquuntur.

47. Singulis porro hominibus singulos Angelos deputari, aperte colligitur ex verbis Christi laudatis *Angeli eorum* (parvulorum) ... *vident faciem Patris.* Ubi duo notanda 1° dici a Christo non *Angelus*, sed *Angeli;* 2° *eorum*, id est, *proprii* seu cuilibet adscripti. Pervulgatam vero hanc fuisse persuasionem apud judæos et primos christianos, constat ex actis apostol. XII, 15, ubi Rhode puellæ asserenti Petrum adesse ac pulsare, responderunt fideles, qui intra domesticos parietes convenerant ad orationem: *Angelus ejus est* (Act. XII, 15). De Angelo custode Petri hæc verba intelligenda esse patres concorditer affirmant. Jure proinde exclamabat S. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum* [4]; et S. Basilius: *Quod autem*, inquit, *unicuique fidelium adsit Angelus tanquam pædagogus aliquis et pastor vitam gubernans, nemo contradicet, qui verborum Domini meminerit, dicentis: ne contemnatis* etc. [5]. Hinc, cæteris prætermissis, concludebat S. Bernardus: *In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe . . . . Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat præsentiam non deesse* [6].

48. Peccatoribus insuper et reprobis quoque proprium Angelum custodem adesse, communis est theologorum sententia; qui hoc deducunt tum ex benigna Dei erga omnes voluntate, tum ex eo quod multi patres, qui loquuntur de Angelorum custodia, nullum discrimen instituunt inter fideles et infideles, inter justos et peccatores, reprobos vel electos [7]; tum deni-

1) *Ὥσπερ γὰρ οἱ τῶν πόλεων περίβολοι, κύκλῳ πάσαις περικείμενοι, πάντοθεν τὰς τῶν πολεμίων προσβολὰς ἀπείργουσιν, οὕτω καὶ ὁ ἄγγελος, καὶ προτειχίζει ἐκ τῶν ἔμπροσθεν, καὶ ὀπισθοφολακεῖ, καὶ οὐδὲ τὰ ἑκατέρωθεν ἀφύλακτα καταλείπει. Hom. in Ps.* XXXIII, num. 5, t. I, p. 148 edit. Bened.

2) *Serm.* I *in Ps.* CXXIII, num. 9, edit. maurin. et alibi passim, ut in lib. *De viduis*, cap. 9, n. 55: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.*

3) *Lib. de octoginta tribus quæstion.* q. LXVII, num. 7.

4) *Comment. in Matth.* lib. III, in hunc locum.

5) Cont. Eumon. lib. III, *Τὸ δε συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, οἷον παιδαγωγόν τινα καὶ νομέα τὴν ζωὴν διευθύνοντα, οὐδεὶς ἀντερεῖ μεμνημένος τῶν τοῦ κυρίου λόγων, εἰπόντος· μὴ καταφρονήσητε κ. τ. λ.* op. tom. I, pag. 272.

6) *Serm.* XII *in Ps.* XC, num. 6, edit. maurin.

7) Cfr. Petav. op. cit. lib. II, cap. 7, num 6.

que, ut observat S. Thomas, Angelorum custodia peccatores etiam et reprobi *juvantur quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus et sibi et aliis nocere possunt* [1]).

49. Communis denique ac certa doctrina est, singulis communitatibus, regnis et provinciis speciales Angelos a Deo deputatos esse. Nititur autem hæc sententia diversis scripturarum locis; sic Exod. XIV, 19 memoratur *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel;* Jos. V, 14 apparuit *Princeps exercitus Domini;* Dan. X commendantur principes, id est, Angeli regni persarum, græcorum et judæorum. Qui plura cupit, consulat Petavium ac Trombellium [2]).

DIFFICULTATES.

50. I. *Obj.* In universa de Angelis doctrina dijudicanda sedulo respiciendum est 1° *tum* ad mancas et imperfectas ævi incultioris de voluntate divina omnia gubernante notiones (Gen. XVIII, 21); 2° *tum* ad consuetudinem hominum rudiorum, qui eventus naturales insolitos maximeque cogitationes menti repente occurrentes ad ministerium naturarum cœlestium homine superiorum revocant [3]), et imagines a regum nostrorum ædibus ad cœlestem fere Dei aulam transferunt. 3° Neque dissimulare licet quod, si ex sensu literali illa intelligitur doctrina, pugnat contra ipsius Dei dignitatem, siquidem in istis de *ἀγγελοφανείαις* (apparitionibus Angelorum) narrationibus plurimis nodus tali vindice dignus omnino desideratur (velut Gen. XXI, 19; XXXII, 1 et 2; Num. XXII, 22 et seqq.; III Reg. XIX; Act. XII, 23; coll. Josephi *antiquitat. jud.* cap. XIX, 8. 2.); 4° eademque perniciosæ superstitioni occasionem præbet, neque a Christo ipso unquam data opera illustrata est vel commendata. Quæ vero in libris sacris de Angelorum ministerio et apparitionibus passim mythice narrantur, ea ulterius non sunt promovenda; sed in usum popularem ita convertenda, ut, missis quæstionibus quibusque subtilioribus, providentiæ divinæ auxilia hac doctrina quasi ob oculos poni demonstrentur [4]). Ergo.

1) Part I, q. 113, art. 4, ad 3. In hac autem quæstione pleræque discussæ et disjectæ difficultates reperiuntur, quibus postea protestantes Angelorum tutelam aggressi sunt.

2) Petav. loc. cit. cap. 6, et Trombell. *De Angel. custod.* Bonon. 1747. Hæc eadem sententia inhæsit ipsis ethnicis; sane Orpheus canit in hymn. ad Musas: *Δαίμονά τ' ἠγάθεον καὶ δαίμονα πήμονα θνητῶν*, *Dæmonemque divinum et dæmonem noxium mortalibus;* et Hesiodus I op. *Τοι μὲν δαίμονές εἰσι .. φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων. Ii quidem dæmones facti sunt ... custodes mortalium hominum.*

3) Eichhorn, *Von die Engelerscheinungen* etc. seu *De apparitionibus Angel. in act. apost.* in *Bibl. de bibl. lit.* III, 381 et seqq. Stahl, *Ueber die Erscheinungen* etc. seu *De apparitionibus Jehova et Angelorum ipsius*, ibid. VII, 156 et seqq.

4) Ita Wegscheider, §. 103, cui adstipulantur Eckermann, *Compend. theol.*

51. ***Resp. ad*** 1^{m}, ***Neg.*** Sed doctrina hæc dijudicanda omnino est ex iis, quæ in scripturis traduntur, juxta sensum traditionalem et ecclesiæ doctrinam; alioquin nihil amplius firmum certumque consisteret. Aliud porro est scripturam interdum metaphoricis seu improprie loquendi formulis uti, ut nostræ imbecillitati consulat, ut loco e Genesi citato fit; aliud falsam nobis de Deo ingerere ideam, ut in hypothesi adversariorum contingeret, si Deus ministerio Angelorum nunquam uteretur. Prius enim congruum Dei bonitati est, alterum vero divinæ veracitati adversatur.

52. ***Ad*** 2^{m}, ***Dist.*** Non supposita existentia Angelorum, ***trans.*** hac supposita, ***neg.*** Supposita enim et demonstrata existentia Angelorum, quos ex sacris eloquiis dicimus a Deo mitti ad nostrum præsidium, in iis præsertim quæ ad salutem conferunt, non rudiores tantum, sed et doctiores merito Angelis adscribunt pias cogitationes, et interdum etiam insolitos effectus, qui a causis naturalibus produci omnino non possunt. Quod si errore vel rerum physicarum ignorantia factum aliquando est, ut Angelis tribuerentur effectus naturales, id non officit universali sententiæ de Angelorum ministerio, quæ in scripturis ac perpetua traditione consistit. Quod attinet ad imagines a regum nostrorum ædibus translatas ad aulam cœlestem, hoc reliquimus Grotio, qui forte omnium primus talia commentus est, ac suis etiam sectatoribus.

53. ***Ad*** 3^{m}, ***Neg.*** Hujus enim quæstionis summa in hoc posita est, utrum nempe sacri scriptores in referendis illis Angelorum apparitionibus nos deceperint, an non. Dato enim quod istæ apparitiones veræ sint, quod nemo sobrius negaverit, pronum est inferre, illas cum dignitate divini Numinis minime pugnare.

54. ***Ad*** 4^{m}, ***Dist.*** Id est, Angelorum cultui, ***conc.*** superstitioni proprie dictæ, ***subd.*** ex parte privatorum quorumdam, ***trans.*** per se, ***neg.*** Angelorum vero cultum suo loco vindicabimus. Absurdum porro et impium est prædicare, Deum Angelorum apparitionibus superstitionem vel inducere vel fovere. Ex dictis præterea constat, falsum esse quod adversarii docent, Christum nunquam data opera angelorum tutelarium notitiam illustrasse aut commendasse. Contra factum nihil omnino ejusmodi clamorum vis valet.

55. ***Ad*** 5^{m}, ***Neg. suppositum de narrationibus mythicis***, quæ nullum aliud habent fundamentum nisi incredulitatem et impietatem rationalistarum et neotericorum biblicorum, ut sæpe alias observavimus.

christ. 87; Niemeyer, *Populäre und prakt. theol.* id est: *Popularis et practica theologia*, 6 edit. pag. 135 et seqq.; Staüdlin, *Dogmat. und dogmagesch.* scilicet: *dogmatica et historia dogmatum*, pag. 230 Ammon, *Summa theol. christ.* 138; Schleiermacher, *Der christ. Glaube*, seu *Fides christiana*, I, §. 54, apud eumdem.

56. II. *Obj.* 1° Angelorum custodia supervacanea est, quam Deus ipse per se præstat, dicente David (Ps. CXX): *Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Et sane 2° si Angeli nostri sunt custodes, cur a nobis tot non arcent calamitates, quibus torquemur? 3° Cur nos a patrandis sceleribus non removent? Adde 4° nec posse Angelos præcipuis nostris necessitatibus opitulari quæ internæ sunt; ipsi vero intimos cordium nostrorum motus minime agnoscunt. 5° Ethnicorum igitur fabulæ de geniis cuilibet homini assistentibus originem dederunt opinioni de Angelorum tutela.

57. *Resp. ad* 1m, *Neg.* Sicut enim Deus summa sapientia sua immediate gubernat ecclesiam, et mediate per pontificem et episcopos, ac regna per principes, sic per Angelos peculiari ratione et ecclesiam et homines singulos mediate custodit, et immediate per gratiam suam [1]).

58. *Ad* 2m, et 3m, Reponimus, has difficultates etiam eos urgere, qui Deum immediate omnia regere contendunt. Itaque non omnia a nobis incommoda Angeli avertunt, vel quia hæc nobis utilia fore prævident vel quia, ne hæc avertant, a Dei providentia impediuntur; atque ideo aliquando permittunt homines in peccata labi, ne libero ipsi arbitrio carere videantur. Interim tamen non cessant hominibus a Deo sibi concreditis præsentissimam exhibere opem; qua vitæ totius et præsertim salutis æternæ curam gerant, insidias dæmonum et imminentia undique mala propulsent, animosiores ad virtutem faciant, timidos confirment, mœrentes recreent, laborantes adjuvent, lapsos erigant, opportuna monita insinuent, orantibus assistant, ac eorum preces Deo offerant, hujus vitæ casibus perfunctos post obitum excipiant, et in beatorum societatem transferant.

59. *Ad* 4m, *Dist.* Suæ naturæ virtute, *conc.* ex manifestatione divina [2]), *neg.*

60. *Ad* 5m, *Neg.* Licet angelos ad hominum præsidium datos ethnici ipsi cognoverint, ut ex pluribus monumentis, quæ proferunt Petavius et Huetius [3]), certo constat, non inde simul erui fas est, christianos ab ethnicis mutuatos esse, sed potius jure conjici debet ethnicos tum ex antiqua traditione, tum ex sacris literis eam hausisse. Sane, ut vidimus, de Angelorum tutela in Pentateucho, librorum omnium vetustissimo, multa occurrunt. Sic (Gen. XLVIII, 16) meminit Jacob peculiaris Angeli sui, inquiens: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis* [4]).

1) Cf. S. Th. q. cit. art. I.
2) Ib. art. 6.
3) Petav. *de Angel.* lib. II, cap. 7, Huet, *Quæst. alnetan.* lib. II, cap. 4, §. 3. Cfr. etiam Albert. Fabric. *Bibliograph. antiquar.* cap. 8, §. 28.

4) Car. Hein. Frid. Rosenmüller ad hunc locum animadvertit, Jacobum citatis verbis indigitare illum eumdem Angelum, qui luctatus cum eo est (cap. 32, 2), et quem ipse *suum Angelum tutelarem* putabat. Non desunt ex prote-

61. *Inst.* Ex hac doctrina plura absurda sequuntur; ac 1° Angelos hominibus inferiores esse, quippe hominibus inserviunt ac ministrant; 2° Angelos ob hoc ministerium erga homines in terris degentes visione beatifica privari; 3° mœrore vel lætitia affici, prout hominibus ipsorum tutelæ commissis adversa vel secunda eveniunt; præsertim cum Angelis imputari possent mala, quæ hominibus accidunt, quæque ipsi sua virtute impedire possent juxta illud (III Reg. XX, 39): *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Ergo.

62. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Dist.* Si Angeli, dum nos tuentur, nobis inservirent et quidem propter nos, *trans.* si inserviunt Deo, vel nobis propter Deum, *neg.* Perinde ac dici non potest opilionem, qui oves custodit, ipsis inservire, et non potius illarum domino, qui oves ipsi custodiendas tradidit. Cæterum S. Bernardus non dubitavit Angelos *ministros nostros* appellare, non dominos nostros, non quod inferioris naturæ sint: sed quia *in hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare* [1]).

63. *Ad* 2m, *Neg.* Ut patet ex allatis Christi verbis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Ratio est, quia ut ait S. Thomas: *Angelus per solam intellectualem operationem regulat suas actiones exteriores, unde actiones exteriores in nullo impediunt ejus contemplationem; quia duarum actionum, quarum una est regula et ratio alterius, una non impedit, sed juvat aliam;* secus ac eveniat in nobis, *quia actioni insistimus secundum sensitivas vires, quarum actiones cum intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis* [2]).

64. *Ad* 3m, *Dist.* cum eodem S. doctore. Si hæc adversa contra ipsorum voluntatem acciderent, *conc.* secus, *neg.* Tristitia enim et dolor, ait ipse non est nisi de his, quæ contrariantur voluntati; nihil autem accidit in mundo, quod sit contrarium voluntati Angelorum et beatorum, quæ voluntati divinæ est prorsus conformis [3]).

65. *Ad* confirm. *Dist.* pariter cum eodem angelico præceptore. Si hominum mala ab Angelorum negligentia repeti possent, *conc.* si ab una hominum malitia, qui sicut a naturali rectitudine, ita a bonorum Angelorum instinctu discedunt, *neg.* [4]).

stantibus, qui per hunc Angelum existiment designari Messiam sive *Angelum increatum*, eo quod ei tribuatur, quod unius Dei est proprium. Messiam sub Angeli specie patribus apparuisse nonnulli contendunt. Hanc sententiam contra Grotium et Clericum defendit Delyng in *Observat. SS.* part 2, obs. 7, pag. 98 et seqq. Codex Samaritanus male legit הַמֶּלֶךְ *rex.* Cæterum communis patrum sententia est, illis verbis a Jacob proprium Angelum tutelarem fuisse designatum.

1) Loc. cit. in Ps. xc.

2) Part. 2, q. 112, art. 1, ad 3.

3) Ib. q. 113, art. 7.

4) Ib. art. 1, ad 3.

CAPUT IV.

DE ANGELORUM GRATIA, LAPSU ET POENA.

66. Ea quæ in hoc capite complectimur, vix in controversiam veniunt. Si qua tamen quæstio est, hæc inter theologos fervet, nec quidpiam hic certi statui posse videtur. Hinc nullam peculiarem statuentes propositionem, breviter et ex ordine certa ab incertis secernentes, quid circa singulos propositos articulos sentiendum sit, enarrabimus.

67. 1° Ad gratiam quod attinet, statim ac conditi fuere, tanquam præstantissimum angelicæ naturæ ornamentum gratiam sanctificantem Angelis omnibus Deum contulisse, patrum communis sententia est ac theologorum, quibus Augustini effatum familiare est: ***Deus erat simul in eis et condens naturam et largiens gratiam; unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est*** [1]. Et sane Christus de diabolo inquit: ***In veritate non stetit*** (Joan. VIII.) Quæ verba S. Joannes Chrysost. et S. Leo M. de *sanctitate* et *justitia* explicant, a qua ille decidit [2]. Illud quoque accedit, quod S. Judas scribit: ***Angelos, qui non servaverunt suum principatum*** [3]. Denique Ezechielis verba XXVIII, 15: ***Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te***, in persona regis Tyri prolata, mystice de Luciferi gratia et gloria S. Gregorius M. [4] aliique patres passim exponunt [5].

68. Dixi hanc esse communem patrum et theologorum sententiam; non enim defuerunt, teste S. Augustino [6], qui existimaverint Angelos in puris naturalibus conditos fuisse. Hugo a S. Victore et Petrus Lombardus inter scholasticos, quos plerique usque ad S. Thomam theologi sunt secuti, opinati pariter sunt, Angelos omnes per aliquod tempus ab ipso creationis tempore in puris naturalibus fuisse [7]. Relata autem verba S.

1) *De civitate Dei*, lib. XII, cap. 9, num. 2.

3) S. Joan. Chrysost. Hom. LIV, alias LIII, *In Joan.* n. 3, citati Christi verba sic exponit: *Τοῦ ἔστιν ἐν τῷ ὀρθῷ βίῳ* id est, *in vitæ probitate*. S. Leo M. *Serm.* XLVIII, alias XLVII, ac *De quadrag.* X, cap. 2: *Et quia ipse* (diabolus) in veritate non stetit, *totamque naturæ suæ gloriam, dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, et in bona, quæ ipse perdidit, introduci.* Vid. edit. Ballerinii, tom. I, pag. 182.

3) Cfr. Maldonat. in Joan. VIII, 44.

4) *Moral.* lib. XXXIV, cap. 17; tum lib. IV, cap. 9; item lib. XIX, cap. 3.

5) Apud Petav. *De Angelis*, lib. III, cap. 2, §. 40 et seqq. Vid. etiam P. de Rubeis, *Dissert.* XXVI, *De gestis, etc. S. Thomæ Aquinatis*, cap. 7. n. I.

6) *De civitate Dei*, lib. XI, cap. 13.

7) Apud Petav. *De Angel.* lib. I, cap. 16, ubi inter veteres recenset pro negativa sententia Didymum et S. Basilium, qui tamen alibi in contrariam ivit sententiam. Inter scholasticos refert Guilelmum parisiensem, Rupertum, Hugonem, Petrum Lombardum. In eamdem pariter sententiam concesserunt Ægidius, una cum ejus schola augustiniana, Alexander Alensis, S. Bonaventura, Scotus, Gabriel, aliique frequenti agmine,

Augustini, fatente ipsomet Berti, commodo possunt *de gratia actuali, ex qua esset in Angelis actus amoris casti*, exponi [1]; quod et Estius confirmat [2]. Hoc obiter dictum sit adversus jansenianos, qui, ut facilius impugnare possint possibilitatem status naturæ puræ, sive in Angelis, sive in homine, *ad fidem* spectare prædicant Angelos in gratia fuisse conditos.

69. Præter gratiam sanctificantem actuale pariter auxilium, sine quo perseverare haud potuissent, Angelos omnes sive bonos sive malos consecutos esse, communis est omnium fere theologorum sententia, inter quos disceptatur tantummodo circa naturam istius actualis gratiæ, qua præditi Angeli fuerunt; utrum scilicet ejusdem speciei ac entitatis fuerit in omnibus, tum qui perseverarunt, tum qui non perseverarunt, prout augustiniani et congruistæ affirmant, quibus et adstipulantur jansenistæ; an vero diversæ speciei et entitatis, *sufficiens* nempe in Angelis reprobis et *a se efficax* in electis, quod ex suo systemate contendunt thomistæ. Cum nobis autem propositum sit, nullas cum theologis domesticas miscere quæstiones, ideo qui plura cupit, poterit pro sententia augustinianensium et congruistarum consulere inter cæteros Berti et Suarez [3]) pro sententia thomistarum card. Gotti [4]). Communis item theologorum sententia est, Angelos independenter a meritis Christi gratiam fuisse consecutos [5]).

70. 2° His tamen gratiis instructi Angeli non omnes in fide officioque constiterunt; cum non pauci ex ipsis per peccatum defecerint, ut ex allatis superius scripturarum testimoniis liquet. Sed cujusmodi fuit eorum peccatum?

71. Jamdudum illorum obsolevit opinio, qui existimarunt ob impudicitiæ flagitium e cœlo ac Dei consortio ejectos Angelos fuisse. Quapropter alii putarunt propter invidiam Angelos cecidisse; sed ut loquitur S. Augustinus, invidia sequitur superbiam, non præcedit. Verum et hanc ipsam diaboli invidiam alii aliter exponunt; quidam enim arbitrantur ipsum iniquo animo tulisse hominem factum ad imaginem Dei; quidam vero censent ægre dæmonem tulisse quod humana natura ad consortium

adeo ut ipse S. Thomas in II *sent.* dist. 4, q. I, a 2, fateatur, hanc opinionem suo tempore *communiorem* fuisse. En ejus verba: *Circa hoc est duplex opinio; quidam enim dicunt, quod Angeli non in gratia, sed in naturalibus tantum creati sunt, et hæc opinio est communior. Alii vero dicunt, Angelos in gratia creatos esse. Harum autem opinionum, quæ verior sit, non potest efficaci ratione deprehendi.* Attamen jansenistæ, omni deposito pudore, tanquam fidei articulum affirmantem sententiam propugnant!

1) Lib. X, cap. 8.

2) In II *Sent.* dist. III, §. 7, ubi utriusque sententiæ argumenta expendit, et quæstionem hanc *inter scholasticos* jactari affirmat. Ipse vero non secus ac Berti sententiæ affirmativæ utpote *probabiliori* assentitur.

3) Berti, lib. XII, cap. 8, prop. 2; Suarez, *De Angelis*, lib. V, cap. 12, num. 11 et seqq.

4) Tom. III, in I part. S. Thomæ, quæst. 6, dub. 8, §. 2 et seqq. Cfr. etiam Boucat *Theologia SS. patrum*, vol. II, dissert. 4, *De hom. creat.* art. 2, concl. 2.

5) Cfr. Petav. *De Incarn.* lib. XII, cap. 10, §. 9 et seqq. ubi hanc sententiam multis argumentis confirmat.

divinitatis extolleretur. At unde constat jam antea Angelis patefactum incarnationis mysterium fuisse? Hinc verba, quæ in libro Sapientiæ habentur: ***Invidia diaboli mors intravit in mundum***, sic accipienda sunt, ut per invidiam quidem mors irrepserit in genus humanum, sed ita tamen, ut agnoscat superbiam tanquam sui originem et radicem.

72. Quocirca diabolum ejusque satellites non alio prius quam superbiæ peccato corruisse, communis fere est patrum sententia, quibus præivit ipsa scriptura, Eccli. X, 15: ***Initium omnis peccati superbia;*** I Tim. III, 6: ***Non neophytum, ne, in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli;*** et alibi passim.

73. At quo superbiæ genere peccavit? S. Thomas, quem plerique sequuntur, docet superbiam Luciferi in eo fuisse, quod beatitudinem, ad quam factus fuerat, vi sua et non aliena voluerit assequi, in eoque expetiverit fieri similis Altissimo [1]). Dignus est qui legatur S. doctor part. I, q. 63, in primis tribus articulis, in quibus ostendit, quomodo spiritus sapientia et natura nobilissimus, peccare potuerit, non ex ignorantia aut oscitantia, sed ex sola superbia et invidia. Sunt qui cum Petavio tenent id evenisse ex Luciferi summa absolutæ dominationis in creatas res omnes cupiditate, tum quod subesse aut obtemperare noluisset, si eam consequi potuisset, prout ipse S. Bonaventura tenet [2]). Hæc autem opinio non contemnendis argumentis nititur.

74. 3° An multum vel parum temporis ab Angelorum creatione ad eorum lapsum fluxerit, tum quotnam corruerint, omnino non liquet [3]). In dubium tamen revocari nequit, quin post admissum qualecumque et quodcumque peccatum, statim majestatis rei, omnes mulctati fuerint et e cœlestibus sedibus ejecti.

Multiplex autem est dæmonum pœna. Prima est justitiæ ac gratiæ sanctificantis amissio; altera est supernaturalis beatitudinis, quæ in intuitiva Dei visione ac fruitione consistit, et ad quam conditi fuerant, privatio; tertia est obtenebratio quædam intellectus et voluntatis in malo obfirmatio sive pertinacia; licet hæc utraque animi virtus in essentialibus neque ablata ipsis, neque imminuta fuerit.

1) P. I, q. 63, a. 3. Petavius tamen op. cit. lib. III, cap. 3, §. 25, exposita hac S. Thomæ sententia, *quæ haud scio, scribit, an veterum patrum placitis perinde consentanea sint atque illa Guillelmi parisiensis.* Guillelmus autem verisimile arbitratur, diabolum et Angelos ejus divinum sibi honorem voluisse tribui, hoc est, pro diis haberi se et adorari, quod a gentibus obtinere magno deinde studio conati sunt. Non defuerunt theologi, qui idcirco lapsos Angelos dixerint, quod, patefacto ipsis futuro incarnationis mysterio, invidia et superbia tumentes, renuerint Deum, hominem factum, adorare. Verum de hac opinione cfr. Petav. lib. III, cap. 2, §. 10, ubi exploditur.

2) Loc. cit. §. 26.

3) Cfr. Petavius ibidem.

75. Hæc sunt probata apud omnes. Non idem tamen consensus est circa pœnam, quam vocant, sensus. Nam 1° plures ex veteribus censuerunt, non statim inflictam dæmonibus hanc pœnam fuisse. Horum testimonia collegit Petavius[1]; e quibus eruimus nonnullos censuisse, dæmones sempiterna ignis pœna nonnisi post extremum judicii diem fore plectendos. Estius tamen existimat, patres loqui de pœna quadam secundaria, quæ tota sit in probris, ignominiisque ac rabie, quam subire debebunt in universali judicio[2]). Quod tamen dubito an verum sit. 2° Plures pariter ex veteribus tradiderunt, non omnes in tartara nefarios hosce spiritus detrusos fuisse, sed partim in aëre proximisque locis sedem quamdam habere. 3° Alii voluerunt ex dæmonibus eos, qui in tartareas regiones fuere compulsi, vicissim quodammodo inter se mutare sedem, et qui in inferis sunt illinc emergere atque ultro citroque commeare. Nec defuerunt denique, qui affirmarent non vero eos igne torqueri[3]). Nunc tamen constans comunisque sententia est, tum statim dæmones omnes pœna sensus mulctatos fuisse; tum eos, qui per aëra discurrunt ac volitant, infernales spiritus *suarum secum ferre tormenta flammarum*, ut loquitur Beda[4]), veroque proinde igne cremari.

76. De his hactenus. Qui plura cupit, poterit copiosius hæc, ubi oporteat, ex S. Thoma atque ex Petavio haurire[5]). Non enim tanti momenti sunt, ut a potioribus consectandis nos diutius detineant.

CAPUT V.

DE DAEMONUM CUM HOMINIBUS COMMERCIO.

77. Ad hoc dæmonum cum hominibus commercium revocamus omnia eorumdem malorum spirituum molimina, sive ad nocendum hominibus eosque vexandos, sive ad eos ad extremum exitium perducendos. Ad primum potissime spectant corporum obsessiones, ad alterum mala omnia, ad quæ dæmones solent homines impellere, sive id demum fiat pacto qualicumque interposito, sive non.

78. Libenter et nos fatemur non omnia, quæ de energumenis, pythonibus, sagis, lamiis ac arte magica passim traduntur, indiscriminatim admittenda esse; ast nec omnia, quæ dæmo-

1) Ibid. cap. 4.
2) In II *sent.* dist. 4, §. 14.
3) Cfr. Petav. op. cit. lib. III, cap. 5, ubi præter Origenem pro hac sententia adducit S. Ambrosium, Joan. damascenum et Theophylactum. Observat autem Vasquez in p. I, disput. 243. cap. I, nullam adhuc haberi hac de re ecclesiæ definitionem.
4) In *Comm.* in cap. 3 epistolæ S. Jacobi. Vid. opp. edit. Basil. tom. V, pag. 947.
5) S. Thom. p. I. q. 64; Petav. lib. III *De Angel.* cap. 2 et seqq.; Calmet, *Diss. in bonos et malos Angelos*, art. 2, quæ est secunda ex iis quas præmisit commentariis in evang. S. Lucæ.

niacos spectant vel superstitiones dæmoniacas, in sola vulgi opinione ponenda esse contendimus. Talis enim opinio secundum S. Thomam *procedit ex radice infidelitatis sive incredulitatis*, *quia non credunt esse dæmones nisi in æstimatione vulgi tantum* [1]).

79. Ex hac radice exoritur pariter recentiorum protestantium passim [2]) ac neotericorum biblicorum, multo magis rationalistarum sententia, qui tum dæmonum obsessiones, tum reliquas dæmonum molitiones omnino esse negant. Novis his sapientibus ex catholicis accessit Jahn, qui, quum simularet exponere problematice quæstionem de dæmoniacis, quæcumque afferri solent ad confirmandam obsessionum veritatem tum ex sacris literis tum ex patribus elevare satagit, ut statuat dæmoniacorum nomine nonnisi ægrotos designari, Christum vero et apostolos sacrosque scriptores reliquos vulgi opinioni se se accommodasse [3]), dum dæmoniacos commemorant. Quod attinet ad reliquos dæmonum effectus neque cum prudentiori philosophia, neque cum ipsa Dei natura eos conciliari posse pronunciant [4]).

80. Quare duo a nobis constituenda sunt, tum veros dæmoniacos dari, tum sapienter leges latas esse ac pœnas constitutas adversus superstitiones aut maleficia exercentes.

1) In IV *sentent.* dist. 34, q. I, a. 3. Ipsemet Cudworth, *syst. intell.* cap. 5, §. 82, minime dubitat eos, qui illa quæ vel de divinationibus, vel de magiis, a fortiori vero quæ de obsessionibus dicuntur, inficiantur, impietatis in Deum arguere ac traducere velut de atheismo suspectos.

2) Cfr. Christ. Thomasius, *Dissert. de crimine magiæ*, 1701; Mayer, *Historia diaboli*, edit. 2. Tubingæ 1780; Meiners, *Allg. krit. Gesch. aller Religionen*, seu *Universalis critica historia omnium religionum*, tom. I, pag. 398 et seqq. Dæmoniacos omnes non a diabolo aut a dæmonibus vexatos, sed certis morbis afflictos fuisse, Semlerus primus in Germania libere professus est, in *Dissert. de dæmoniacis, quorum in evangeliis fit mentio*, Halæ 1760, 4., edit. 4., 1779. De hoc autem Semlero, qui est protestantium biblicorum, et præsertim rationalistarum tanquam oraculum, vide Hugs' James Rose opus: *On the state of religion protestant* etc. Cambrige, 1825, seu *De statu religionis protestantis in Germania*. Fuit ipse *a pietistis* institutus, a quibus dein recedens statuit principium *accommodationis*, quem non pauci sequuti sunt protestantes in sacrorum biblicorum exegesi. Postquam vero recensuit haud paucos errores, seu potius errorum monstra hujus auctoris, sic demum concludit Hugs' James Rose, licet et ipse protestans: *En nonnullas opiniones auctoris, qui in Anglia ipsa sibi promeritus est nomen immortalis Semler. Ah si homo errorem vitare nullo modo potest, millies melius foret nimis credere, quam parum nimis! Admittet forsitan errores aliquot, sed principium, cui fides innititur, purum et intactum perstabit. Extendet forsitan suum veluti cultum ad doctrinas, quæ ad revelationem non spectant, at observantiam servabit et affectum illum humilem suavemque fidelitatem erga Dei verbum, sine quibus impossibile est venire ad Christum.* Hæc tamen omnia accepta referre debemus protestantismi principio.

3) *Archeologia biblica*, §. 194 et seqq.

4) *Fatendum est*, inquit, Wegscheider §. 106, *singulæ dæmonologiæ biblico-ecclesiasticæ placita, ea præsertim, quæ ad effectus dæmonum spectant, ita esse comparata, ut neque cum vera philosophia ullo modo conciliari possint... neque cum aliis quibusdam scripturæ sacræ præceptis, quæ Numinis divini naturam optime declarant.*

PROPOSITIO I.

Tum ex scriptura tum ex patrum et catholicæ ecclesiæ sensu constat veros dari dæmoniacos, seu a dæmone obsessos.

81. *Dæmoniacorum* sive *obsessorum* vel *possessorum* nomine eos intelligimus, quos dæmon ita invadit, ut in eorum corporibus insideat, eadem moveat, variisque modis pro concessa sibi a Deo facultate vexet. Veteres patres latiori quandoque significatione *obsessi et energumeni* voces usurpabant, ad peccatores et infideles designandos, tanquam diaboli potestate detentos et vinculis obstrictos [1]).

82. Jam vero evangelica historia nos dubitare non sinit, plures extitisse a dæmone correptos; exhibet siquidem 1° Christum e corporibus obsessis passim dæmones expellentem [2]); 2° præcipientem dæmonibus, ut exeant: *Surde et mute spiritus, Ego præcipio tibi, exi ab eo, et ne amplius introeas in eum* [3]). Interrogantibus vero discipulis, cur hominem illum sanare nequiverint, respondit Jesus: *Hoc genus* (dæmoniorum) *in nullo potest exire nisi in oratione et jejunio* [4]). 3° Exhibet Christum interrogantem dæmonem de ipsius nomine coram multitudine, dæmonem vero ad interrogationem respondentem, rogantemque ne in abyssum mittatur, sed ut sibi permittatur in porcos ingredi, prout factum est [5]); 4° *exeuntia* dæmonia et clamantia [6]). 5° Sacri scriptores dæmoniacos ab ægrotis, et ejectionem dæmonum a sanatione ægrotorum distinguunt [7]). 6° Iidem narrant septuaginta discipulis referentibus ac præ gaudio gestientibus, quod in nomine Jesu sibi subjicerentur dæmones, respondisse Jesum: *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem... verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur* [8]). 7° Cum Christum pharisæi calumniarentur, quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, ipsum respondisse: *Omne regnum in se divisum desolabitur* [9]). 8° Referunt Christum dicentem, spiritum ab homine egressum ambulare per loca arida, quærentem requiem et non invenien-

1) Juxta latiorem hanc significationem receptus antiquissimus mos est, qui etiamnum viget, præmittendi in collatione baptismi exorcismos, insufflationes, renunciationem satanæ, etc., de quo ritu suo loco agemus. Cfr. Clem. Alex. *Strom.* lib. II, pag. 176-177, edit. Oxoniensis.

2) Matt. IV, 24; VIII.. 15; Marc. I, 32, 34, 39.

3) Marc. IX, 24, in græco textu, v. 25: *Τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω· Ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν.*

4) Ibid. v. 28, in græco 29.

5) Luc. VIII, 27 et seqq.

6) Ibid. IV, 41.

7) Marc. I, 32; XVI, 15; Luc. VI, 17, 18; VII, 21; VIII, 2; XIII, 32.

8) Luc X, 18.

9) Matth. XII, 25-28; Marc. III, 23, 25; Luc. XI, 17-19.

tem, cogitantemque de reditu, assumptis septem spiritibus se nequioribus [1]). 9° Exhibent tradentem potestatem apostolis dæmones ejiciendi [2]). 10° In actis apostolicis Paulus spiritum Pythonem divinantem a puella ejicit [3]).

83. His positis sic rem conficimus: Hæc scripturarum loca, in obvio ac nativo sensu accepta, non possunt nisi de obsessis intelligi; atqui omnia adjuncta suadent ea sic accipienda esse; etenim nihil obstat quominus sic intelligamus; si vero vel figurato sensu vel ex vulgi opinione ea exponere deberemus, multa orirentur incommoda; ac primo vis inferretur textui, omnia exponendo de ægrotis vel insanis, ubi nuspiam horum morborum indicium apparet; deinde Christus, si perpetua sua agendi ac loquendi ratione falsam hanc persuasionem confirmasset, nocuisset potius quam profuisset hominibus, qui ea opinione imbuti facile sibi persuadere poterant, se obsessos esse, et vera proinde insania laborassent. Neque omittendum, ejusmodi agendi rationem summæ Christi veracitati esse prorsus contrariam cum præsertim in hypothesi adversariorum apostolos induxisset positive in errorem, eis conferendo potestatem ejiciendi dæmones, si obsessi non existerent. Demum, quod maximi momenti apud adversarios esse debet, si sibi cohærere velint, nullibi reperiuntur ægroti aut insani quos ex recepto loquendi usu a sacro vel profano auctore dæmoniacos appellari probent adversarii; dempta enim gratuita adversariorum jactantia, nullum documentum profertur, quo constet sive ex sacris sive ex profanis scriptoribus, ante aut post Christum consuetudinem viguisse ægrotos aut insanos *dæmoniacos* vocandi. Quare igitur sine documentis et testibus, imo documentis obsistentibus, ac reclamantibus omnibus critices et exegeseos legibus, nomine obsessorum intelligemus ægrotos et insanos?

84. Patres ecclesiæ antiquissimi et apostolis proximi, quique eos secuti sunt, tum communia facta, quæ neminem latere poterant, novæ huic exegesi apertissime adversantur. Patres enim antiquissimi unanimiter omnes, tum veros dæmoniacos dari, tum inesse in ecclesia potestatem a Christo concessam dæmones expellendi ex obsessorum corporibus ac passim eos reipsa expulsos esse, non solum tradunt, sed præterea provocant paganos, ut experientia confirment, utrum reipsa christiani valeant id efficere. Ita passim Justinus, Minucius Felix, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus aliique [4]). Nos brevitatis gratia unius Tertul-

1) Matth. XII, 43; Luc. XI, 24.
2) Matth. X, 1; Marc. XVI, 17.
3) Act. XVI, 16.
4) Longa res est singulorum patrum documenta proferre, quibus ipsi testantur, christianos ab obsessis dæmones passim ejicere, atque ita testantur ut de re notissima, constanti, et sub oculis ipsorum ethnicorum patrata; unanimes autem omnes sunt, neque unus proferri potest ex tota antiquitate, qui minimam falsitatis suspicionem huc ingerat. Quare satis mihi erit loca nonnulla indicare, in quibus de hac facultate, christianis a Christo ipso tributa et in praxim deducta, loquantur. Cfr. igitur

liani verba afferimus: Sic porro ipse in *Apologetico* fidenter ac publice ethnicos provocabat: ***Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille*** (non morbus aut insania) ***tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso;*** postea concludebat: ***Jam ergo subjecta christianis divinitas vestra*** [1]; quo sensu pariter dicebat Cyprianus: ***Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas*** [2]. Accedit confessio ipsorum paganorum, qui nunquam ausi sunt hanc potestatem dæmones expellendi ex obsessis denegare christianis, siquidem agebatur de factis publicis obviisque; veruntamen his factis admissis, ea tribuebant vel magiæ, vel dæmonum simulationi, etc.; ita Celsus apud Origenem [3], Porphyrius [4], Julianus apostata [5].

85. Nemo insuper ex patribus est, qui in potestate christianis tributa, liberandi obsessos ad Jesu nominis invocationem, non agnoverit ineluctabile argumentum divinitatis Christi Jesu et veritatis christianæ religionis [6]; imo S. Epiphanius refert quemdam hominem judæum expulisse dæmones in nomine Jesu [7]; idem de Juliano apostata referunt Gregorius nazianz. et Theodoretus [8], nec non S. Augustinus de nonnullis hæreticis et schismaticis, qui interdum ad Christi Jesu invocationem idem præstiterunt [9].

86. Hinc ab ipsa ætate apostolica institutus in ecclesia catholica ordo exorcistatus, etsi, patribus iisdem testantibus, commune fere esset hoc donum primis ecclesiæ temporibus, ipsique parvuli illud exercerent, et præscriptæ fuerunt regulæ et orationes ad exorcismos faciendos.

S. Justin. *apol.* II, n. 6, pag, 93, edit. maur.; Minuc. Felix in *Octavio*, n. 27, *Bibl. patrum*, Galland. pag. 897, col I; Irenæus, lib. II. *Adv. hæres.* cap. 32, edit. Massuet. alias 57; Cyprian. lib. *De idolorum vanitate*, pag. 227, edit. maur. etc.

1) Cap. 23, edit. Rigaltii, ita quidem Tertullianus provocabat paganos. Huic præstat Hieronymum addere, qui confidenter lacessit hæreticum Vigilantium, nostrorum protestantium præformatorem: *Nisi forte*, inquit, *in morem gentilium impiorumque Porphyrii et Eunomii, has præstigias dæmonum esse confingas, et non vere clamare dæmones, et sua simulare tormenta. Do consilium, ingredere basilicas martyrum, et aliquando purgaberis; invenies ibi multos socios tuos, et nequaquam cereis martyrum, qui sibi displicent, sed flammis invisibilibus combureris.* Vid. librum *Adversus Vigilantium*, n. 11. edit. Vallarsii. Cfr. idem, in *Vita S. Hilarionis*, n. 20 et seqq.

2) *Contra Demetrian.* edit. cit. pag. 221.

3) *Contra Celsum*, lib. I, n. 6, tom. I, pag. 324 edit. maur. ubi hanc potestatem expellendi dæmones habere Christianos effutiebat *ex quorumdum dæmonum nominibus et incantationibus δαιμόνων τινῶν ὀνόμασι και κατακηλήσεσι δοκεῖν ἰσχύειν χριστιανούς.*

4) Apud Hier. in testimonio adducto.

5) Apud Cyrillum, lib. VI. *Adversus Julian.* qui hanc potestatem ejiciendi dæmones in Christo fatetur. Vid. edit. Joan. Auberti. tom. VI, pag. 191.

6) Cf. Baltus, *Suite de la réponse à l' hist. des oracles*, I part. chaq. 18 et seqq.

7) Hæresi XXX, *Ebionæor.* edit. Petavii. Videsis S. Iren. *Adv. hæres.* lib. II, cap. 6, edit. cit. cum notis Feuardentii, inter variorum annot. pag. 85.

8) Greg. Naz. *orat.* I, *adv. Julian.* n. 19, edit, Bilii; Theodoret. *Hist. eccles.* lib. III, cap. I.

9) Lib. LXXXIII *Quæstionum*, quæstione LXXIX.

87. Quibus ita constitutis, sic rursum instituimus argumentum: Nullæ habendæ sunt, immo vero tanquam falsæ sunt respuendæ conjecturæ, quibus contradicunt facta publica, obvia, constantia, quorum testes sunt non modo scriptores omnes oculati, doctrina, sanctitate, prudentia spectatissimi, verum etiam hostes licet invicti et acerrimi, quorum publica monumenta supersunt; atqui, ut ex dictis liquet, tales sunt conjecturæ, quæ opponuntur ab adversariis veræ ac realis obsessionis dæmonum [1]). Ergo.

DIFFICULTATES.

88. *Obj.* Omnes, qui in scripturis dæmoniaci perhibentur, non fuerunt nisi ægroti vel insani. Ægrotos quidem plures ex iis fuisse, evincunt 1° indicia epilepsiæ, furoris, etc. quæ in iis conspiciebantur, e. g. in juvene, qui Marc. IX habuisse dicitur spiritum immundum, per quem exclamans modo in terram, in aquam modo, aut in ignem detrudebatur, ex ore spumam emittebat, frendebat dentibus; 2° evangelistæ ipsi, qui inter genera ægrotorum sæpe commemorant dæmoniacos tanquam singulare ægrotorum genus, Matth. IV, 23, 24; X, 8; Marc. I, 32; Luc. IV, 40, 41; V, 15; VIII, 2; IX, 1; XIII, 32. Imo Act. apost. X, 38, omnes ægroti, quorum plerique in evangeliis non vocantur dæmoniaci, dicuntur *oppressi a diabolo;* unde apparet apud sacros scriptores idem significare *ægrotum* et *dæmoniacum esse*, vel *vexari a diabolo.* Comprehendunt e contrario dæmoniacos nomine ægrotorum, ideoque dæmoniacos omittunt, quando generatim omnes, quibus Jesus opem tulit, commemorant Luc. VII, 21, 22, Matth. XI, 5. Hinc sæpe dicunt dæmoniacos fuisse *sanatos,* quo ipso ægrotos fuisse innuunt Matth. VIII, 16; XII, 22; Luc. VII, 21; VIII, 2; IX, 43. inprimis Lucas XI, 14, *spiritum mutum*, et XIII, 11, *spiritum infirmitatis* seu infirmum commemorans, profecto non de spiritu, sed de homine muto et infirmo intelligi voluit; si porro Lucas, qui erat medicus, eamdem hanc vocem adhibet: *sanare* et *sanari a spiritibus* et *sanare oppressos a diabolo*, VII, 21: VIII, 2, et act. apost. X, 38, manifestum est, spiritus vicissim pro morbis sumi [2]). Ergo.

89. ***Resp. Neg. antec.*** Obstant enim gravissima argumenta a nobis adducta in probationibus. Sed interea directe.

90. Ad probat. ***Neg.*** vel ***Dist.*** Quæ tamen non occurrunt nisi in casu adducto, et optime componi possunt cum dæmonis

1) Juverit coronidis gratia in medium afferre animadversionem viri neotericis nostris minime suspecti, scilicet Isaaci Vossii, qui in *Dissert. de sybillis*, hæc scribit: *Desinant hodierni christiani veteribus illudere christianis eorumque suggillare credulitatem . . . profecto nullos religio christiana infensiores habet hostes quam ipsos christianos; cum vix ullum apud antiquos de Christo aut vaticinium aut testimonium invenias, quod non complures etiam doctissimi viri labefactare aut etiam penitus evertere sint conati.*

2) Ita Jahn, *Archæologia biblica* §. 194.

obsessione, *conc.* quæ ad casus omnes referantur, neque cum vera obsessione componi possint, *neg.* Dupliciter enim errant adversarii, tum scilicet in eo, quod ad omnes velint casus extendere quod singulare est; tum in eo, quod putent non posse obsessionem sive cum hoc sive cum alio quovis morbo conjungi, quod tamen apertissime falsum est. Quid enim impedit, quominus dicamus cum communi patrum et interpretum expositione, a dæmone ipso invectum morbum, sic Deo permittente [1]? Vel si magis lubet, juvenem illum tum naturali morbo laborasse, tum a dæmone fuisse vexatum? Maxime quod omnia adjuncta, quæ in evangelica historia recensentur, dæmonis obsessionem necessario exposcunt [2].

91. Hæc vero eadem responsio accommodari debet casibus singulis, qui objiciuntur; eadem enim ratio pro omnibus militat.

92. Ad id vero, quod additur de voce *sanationis*, animadvertendum est, 1° falsum esse, vocem istam occurrere, ubi de dæmoniacis tantum agitur [3]; 2° interdum morbos tribui diabolo seu satanæ, quatenus ipse incentor peccatorum sit, et a peccatis seu malis moralibus ut plurimum morbi aliaque mala physica tanquam justæ peccatorum pœnæ aut sequelæ repeti debeant. Hinc est, quod communi dictione oppressi a diabolo appellentur, qui morbis afflictantur [4]. 3° Accurate passim evangelistas distinguere ægrotos a dæmoniacis; quod non fecissent, si ægroti iidem essent ac dæmoniaci. 4° Falsum esse inter sanatos a Christo in adductis locis non recenseri dæmoniacos; quod si Matth. XI, 5, non commemorantur, ratio est quia id non patiebatur relatio ad Isaïæ vaticinium XXXV, 5, et LXI, 1; cæterum silentium Matthæi supplevit Lucas VII, 21.

93. I. *Inst.* 1° Non raro dæmoniaci, qui ætate Christi et apostolorum inter alias gentes occurrunt, medicinis amissam recuperarunt valetudinem. Hinc 2° licet Joannes judæos inducat usui loquendi insistentes de dæmoniacis cap. VII, 19. 20; VIII, 48-52; X, 20, tamen ipse, etsi de ægrotis a Jesu sanatis sæpe loquitur, dæmoniacorum tamen nunquam meminit, Joan. IV, 46; V, 3; VI, 2. Ita 3° etiam Paulus I Cor. XII, 14, omnia

1) Cfr. Maldonatus in Matth. XVII, 5.

2) Cujusmodi profecto sunt tum exprobatio incrudelitatis a Christo apostolis facta, tum necessitas orationis et jejunii ad ejus generis dæmonia expellenda, quæ naturali morbo minime congruunt; numquam enim medicos novimus, qui oratione se et jejunio ad epilepticos curandos comparent.

3) Sane non occurrit Matth. IX, 33, 34; X, 8, ubi potius de industria distinguuntur dæmoniaci ab ægrotis, seu distinguitur potestas collata a Christo apostolis suis ejiciendi dæmonia et sanandi infirmos, sic distinguuntur ibid IV, 24 et VII, 22. Frustra pariter hanc vocem quæres Marc. I, 34, ubi etiam secernuntur *vexati languoribus a dæmonia habentibus*, ibid. 39 et III, 15; eademque occurrit distinctio ibid. VI, 13; VII, 26-30; XVI, 9, 17; Luc. IV, 33-35, 41; XI, 14-19, Quod si Matth. XII, 22; XVII, 15; Luc. VI, 18; VIII, 2, *curati* exhibentur dæmoniaci, patet ex toto contextu vocem illam in sensu translato sumi de liberatione.

4) Cfr. Maldon. in cap. VIII Matth. v. 17; S. Joan. Chrysost. *Hom.* XXVII, al. XXVIII, *in Matth.* N. I, 2.

dona miraculorum commemorans, de dono ejiciendi dæmones, quo ipse præditus erat, Act. apost. XVI, 16, et quod Jesus Marc. XVI, 17; Matth. X, 8; Luc. X, 16, promiserat, altum servat silentium. 4° Hi duo apostoli itaque dæmoniacos ægrotis accensuerunt, quia in Minori Asia, ubi Joannes evangelium et Paulus primam ad Corinthios epistolam scripsit, ars medica tunc temporis florebat, unde in vulgus quoque innotuerat, hos morbos, dæmonibus tributos, esse naturales. Quod si 5° passim scriptores sacri dæmoniacos ad Jesum venisse dicunt vel adductos fuisse, et Jesus ipse dicit: ***Ejicio dæmonia***, si Jesus præterea dæmones alloquitur, illis minatur, eos tacere aut egredi jubet, atque regredi vetat, hæc non evincunt, nisi eos usum loquendi secutos fuisse ac se vulgi opinioni accommodasse, vel nonnisi tropice esse locutos [1]. Ergo.

94. ***Resp. Ad*** 1[m], ***Dist.*** Qui tales putarentur, ***trans.*** vel ***conc.*** qui tales vere essent, ***neg.*** Quod nunquam evincent adversarii.

95. ***Ad*** 2[m], ***Dist.*** Quia propositum Joannis id non exposcebat, ***conc.*** quia veros non admittebat dæmoniacos vel eos ægrotos censebat, ***neg.*** Etenim, ut omnes norunt, Joannis in conscribendo evangelio propositum non fuit nisi ea commemorare, quæ a cæteris evangelistis omissa fuerant, in iis præsertim, quæ conferrent ad Christi divinitatem confirmandam; multa propterea prætermisit, quæ reliqui evangelistæ retulerant [2]. Nihil propterea exinde concluditur.

96. ***Ad*** 3[m], ***Dist.*** Expresse, ***trans.*** implicite, ***neg.*** Comprehendit enim potestatem ejiciendi dæmones sub generica voce ***operatio virtutum***; quomodo enim apostolus potuisset excludere donum istud, quo ipsemet non semel usus est, præsertim Act. XVI, 16, et XIX, 12, ipsis adversariis fatentibus?

97. ***Ad*** 4[m], ***Neg.*** suppositum, quod tanquam certum assumunt adversarii, cum tamen falsum sit. In Minori enim Asia, Ephesi scilicet, perhibentur expulsi ***spiritus nequam***, opera

1) Jahn, loc. cit. §. 196.

2) Mirum nemini videri debet, plurima a Joanne fuisse prætermissa, quæ a cæteris evangelistis referuntur, si ratio habeatur scopi, quem sibi proposuit. Priores enim Christi annos obiter percurrit, nonnulla tantum referens, quæ ab aliis evangelii scriptoribus omissa fuerant, puta convivium in Cana, colloquium cum Nicodemo et muliere Samaritide, paralytico ad probaticam piscinam restitutam sanitatem; imo multiplicati panis prodigium, utpote jam ab aliis commemoratum, ideo solum attingere videtur, ut tertii paschatis periodum, unde præcipuam historiæ suæ partem orditur, insignis miraculi nota quadam et charactere illustret, atque ut instituendæ Eucharistiæ doctrinam latius exponat; clarissimum utrumque postremo anno perpetratum miraculum, quo Christus cæco a nativitate visum indidit, ac Lazarum a mortuis excitavit, ab aliis omissum fuse prosequitur. Cæterum vix alicubi mentionem injecit eorum, quæ memorabilia Christi dicta vel facta illi recoluerant; idcirco in prodigiis recensendis parcissimus est; contra vero prolixiores ejus sermones ac minus breves orationes plurima nobis servavit. Hinc factum est, ut alia plane docendi methodus apud Joannem a Salvatore servata esse videatur quam apud reliquos evangelistas. Cum vero ab his frequens mentio facta sit liberationis obsessorum, hanc penitus silentio prætermisit Joannes non secus atque ægrotorum recuperatam incolumitatem.

Pauli, et vani conatus filiorum Scevæ exorcistarum; Philippis præterea spiritus Phythonis a puella Pauli jussu discessit. Tantum vero abest, ut ibidem dæmoniaci pro ægrotis sumantur, ut potius, peculiariter *spiritus nequam* a *languoribus* secernantur Act. XIX, 12.

98. *Ad* 5m, *Neg.* Hæc siquidem omnes assertiones gratuitæ sunt, cum nullo fundamento nitantur, nisi præposteris adversariorum judiciis. Nam gratis supponunt 1° usum loquendi invaluisse, quo ægroti dicerentur dæmoniaci; imo documenta deprompta sive ex sacris sive ex profanis auctoribus contrarium evincunt [1]; 2° Christum se se accommodasse vulgi opinioni eamque factis et dictis confirmasse, quod pugnat cum ejus veracitate; 3° apostolos Christum non aliter intellexisse, quum de contrario potius constet, ipsis fatentibus rationalistis [2].

99. Atque hinc intelligitur, quod ex commentario S. Hieronymi in cap. XXVIII Jeremiæ opponi solet: ***Quasi non multa in scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat.*** Aliud enim est pleraque ad falsam vulgi opinionem *historice* referri, aliud vero falsam vulgi opinionem *dogmatice* figmentis firmari. Primum ad historiæ veritatem spectat, alte-

1) Quoniam neoterici biblici solent provocare ad *usum loquendi*, abs re non erit afferre auctoritatem Flavii Josephi ad ostendendum nuspiam apud judæos hunc loquendi usum obtinuisse, ut dæmoniaci dicerentur ægroti. Hæc porro ejus sunt verba, Archæol. lib. VIII, cap. 2, § 5: *Concessit ei* (Salomoni) *etiam Deus, ut disceret artem contra malos dæmones ad utilitatem et curationem hominum. Et cum incantationes composuisset, quibus leniuntur morbi, etiam formas adjurationum reliquit, quibus vincta dæmonia ita ejiciunt, ut nunquam revertantur . . . Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum coram Vespasiano et filiis ejus et tribunis reliquisque militibus ex dæmonum potestate ab eis obsessos liberantem. Porro volens Eleazarus illis, qui aderant, persuadere manifestumque facere, quod hanc vim habuerit, non longe ibi collocabat aut poculum aqua plenum aut pelubrum, dæmonique imperabat, ut homine egrediens illa everteret, atque faciat, ut spectantes intelligant quod hominem reliquisset. Hoc autem revera facto, palam erat Salomonis sapientia et scientia.* Vid. pag. 419 edit. Havercamp. Quidquid porro sit de veritate facti, quod Josephus refert, cujus fides penes ipsum sit, nihilominus per hæc verba, quæ auctoris coævi sunt, destruuntur omnia argumenta, sive *negativa* sive *conjecturalia*, quibus innixi neoterici biblici contendunt, dæmoniacorum nomine nonnisi ægrotos in scripturis significari. Nam 1° est auctor coævus, qui loquitur de dæmoniacis tanquam de re vulgatissima, ac de exorcismis passim ab antiquissimis temporibus in usum receptis ad liberandos vere a dæmone obsessos. 2° Scribit inter græcos ad græcos et romanos. Evanescit proinde difficultas e Joannis silentio petita, eo quod scriberet inter græcos. 3° Testem sese exhibet de visu ejus, quod de Eleazaro exorcista literis consignavit. 4° Exhibet omnia signa, quibus verus dæmoniacus dignoscitur. Nam ut signum de exitu dæmonis e corpore obsessi refert, dæmonem exeuntem debuisse evertere poculum aqua plenum non procul coram omnibus positum, ideoque non agebatur de *insanis*, *epilepticis*, *furiosis*, *ægrotis*. 5° Expulsionem dæmonis vocat passim *curationem θεραπείαν*. Eadem propterea voce uti poterant evangelistæ. 6° Exorcistam inducit imperantem dæmoni, ne amplius in obsessum liberatum reverteretur. Quando igitur Christus imperabat dæmoni, non simulabat. 7° Denique *dæmones* collectivo ac plurali numero vocat ad significandam eorum multitudinem *τῶν δαιμονίων*. Commemorat hominem collapsum, adjurationem exorcistarum, etc.

2) Etenim Wegscheider, §. 106, *verisimillimum* esse putat magistrum sapientissimum Christum, rectius quidem de dæmonologia judæorum cogitasse; disci-

rum ad historici vel operantis nequitiam, nec talis profecto Hieronymi sensus est [1]).

100. II. *Inst.* Saltem plerique ex iis, qui in novo fœdere dæmoniaci dicuntur, 1° nonnisi amentia laborarunt; quum pertinaciter fixum in ipsis esset, se fuisse a dæmone correptos. Insaniæ omnia indicia occurrunt in duobus illis Gadarenis, seu Gerasenis, quos Matthæus VIII, 28 et seqq. Marcus V, 2, et Lucas VIII, 27 referunt in sepulcris commoratos esse indomitos, nude incederent, clamarent, se ipsos cæderent, et aggrederentur iter facientes, quæ omnia sunt furiosorum. Hinc ipse Marcus V, 15, et Lucas VIII, 35, adnotant incolas Gadaræ invenisse demum dæmoniacum, postquam a Jesu sanatus fuisset, σωφρονοῦντα, id est, *sanæ mentis*; unde innuitur, ipsum amentem prius fuisse. Sic 2° mutus, Matth. IX, 32; Luc. XI, 14, atque cæcus et mutus, Matth. XII, 22, amentes fuerunt, aut saltem melancholici; amens fuit puella, quæ Act. XVI, 16, spiritum Pythonis habuisse dicitur; amens Maria Magdalena, ex qua Jesus, Luc. VIII, 2, septem dæmonia ejecit; sic cæteri de quibus nulla symptomata narrant. Ergo.

101. *Resp. Neg. antec.* quod nullo idoneo documento fulcitur *Ad* 1^{m}, probat. *Dist.* Quæ tamen ab ipsa dæmonis præsentia profluerent, *trans.* vel, *conc.* amentiæ indicia tantum naturalis, *neg.* Obstat enim, quominus id dicamus, tum Christi agendi ratio, tum apertus evangelistarum loquendi modus; tum denique obstant adjuncta cætera, quæ loc. cit. referuntur; nescio an tantum roboris inesse potuerit furiosis illis, ut compedes et catenas, quibus vinciebantur, disrumperent; vel ut grex bis mille circiter porcorum unanimi veluti impetu in mare ita sese præcipitaret, ut suffocaretur [2]). Nihil porro officit,

pulos vero istam doctrinam non *satis intellexisse*, et ipsam providentiam divinam posteris eamdem emendandam tradi voluisse. Hanc porro emendationis curam sibi rationalistæ demandatam a divina providentia autumant!

1) Cfr. edit. Valarsii, tom. IV, pag. 1040.

2) Ridicula plane est hujus loci expositio, quam tradit Frid. Rosenmüller in *scholiis* suis, in hunc locum. *Quidquid sit*, inquit (de abysso), *semper tenendum est hoc, hominem illum putasse se ipsum esse malum quemdam genium, et rogasse, ne Jesus eum impediat, quominus porro operaretur. Audiverat homo miser commorationem dæmonum esse in tartaro, rogat igitur Jesum; ne eum in tartarum mittat. Cupit homo hoc morbo correptus in gregem ferri, et stragem edere inter porcos . . . unde velut œstro agitatus agros percurrit, gregemque præcipitem dat.* Si hoc non sit scripturam pervertere lectoremque ludificare, quid sit, plane me ignorare fateor. Unde 1. didicit Rosenmüller *putasse* hominem illum se malum genium esse? Hoc ipse de suo addidit. 2. Unde didicit eumdem hominem *cupivisse* in gregem ferri et stragem edere, cum tres evangelistæ unanimiter id referant de spiritibus, qui deprecabantur Jesum, ut immitterentur in porcos et *in eos introirent*? 3. Unde denique didicit eumdem hominem *œstro agitatum agros percurrisse* et *præcipitem gregem dedisse*, cum e converso iidem evangelistæ referant, spiritus *introisse* in porcos, unde grex universus in mare periit, homo autem consedit ad pedes Jesu suis vestibus indutus suæque mentis compos? 4. Nonne a vero admodum distat, quod ad unius vel, si placet, duorum hominum incursum bis mille porci in mare sese præcipites dederint, cum vix de paucis id credibile esse posset? Tales porro sunt sapientissimi isti critici,

quod dicitur de *sana mente*, nam hujusmodi voce non exprimitur, nisi reditus hominis istius ad statum pristinum, ut patet ex contextu.

102. *Ad* 2m, *Neg.* Mirum sane est et prodigio simile, quod omnes prorsus ea ætate eadem laborarint amentia, ut omnes sibi persuaderent se esse a dæmone obsessos, seu ut placet Jahnio, a defunctorum animabus exagitatos 1). Sine tabulis et testibus, refragante præsertim scriptura, horum nihil admittimus.

103. II. *Obj.* Jesus, apostoli, et sacri scriptores non potuerunt voces, quæ de dæmoniacis sunt, in sensu proprio usurpare. Etenim 1° Jesus et apostoli docent, omnia ac peculiaria quæque, quæ ad homines referuntur, ab ipso Deo gubernari; non potuerunt itaque ejus esse sententiæ, ut crederent dæmones (sive animæ defunctorum sive alii mali spiritus intelligantur) hominibus tot tantaque mala inferre, aut Deum talia permittere; quia 2° hæc de dæmoniacis opinio ex idololatria orta est, in qua dii cœlestes mundi administrationem spiritibus inferioris ordinis et defunctis quoque animabus reliquisse dicebantur. 3° Quod si Jesus non diserte edixit, dæmoniacos non affligi a dæmonibus, sed morbo laborare, item nec diserte edixit dæmoniacos non laborare morbo naturali, prout sadducæi contendebant, aut non a dæmonibus, id est, ab improbis animabus defunctis ut pharisæi prædicabant, sed a diabolo vexari, prout contendunt, qui nostra hac ætate asserunt, dæmoniacos fuisse a diabolo obsessos. Jesus autem 4° neutrum diserte edixit, quia quæstio hæc ad pathologiam spectat, quam enucleare medicorum est. Apostoli vestigiis magistri institerunt, nisi mutatis adjunctis, quibus Joannes et Paulus in Minori Asia permoti sunt, ut a verbis, quæ alias de dæmoniacis usitata erant, abstinerent; 5° quamquam hujus opinionis oppugnatio in illis regionibus, in quibus adhuc vigebat, vix quidquam profuisset, aut saltem Jesum et apostolos in pro-

qui ne præconcepta judicia abjiciant, ejusmodi absurda proferre non verentur; et Jahn ipse eos alacer ac morigerus exscribit!

1) Ita plane arbitratur Jahn, auctoritate ductus Josephi, qui *De bello judaico*, lib. VII, cap. 6, §. 3, scribit: *Τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια, ταῦτα δέ πονηρῶν ἐστιν ἀνθρώπων πνεύματα, τοῖς ζῶσιν εἰσδυόμενα*, id est, *Nam quæ dæmonia vocantur, hæc malorum hominum spiritus sunt.* Hujus quidem opinionis meminit S. Joan. Chryst. hom. cit. in cap. 8. S. Matth. Sed hæc nonnisi privata et paucorum opinio fuit, neque unquam universalis aut popularis facta est. Quare vel ab ipsis rationalistis rejicitur. Sane Wegscheider, §. 104, num. *a*, scribit: *Sed ea sententia quam nuper denuo protulit* I. *Jahn, dæmones in N. T. commemoratos ab Angelis malis et a diabolo esse probe distinguendos, ac fuisse pro animis mortuorum hominum improborum habitos, vel uno quidem N. T. dicto probari nequit.* Vid. H. A. Schott. Pr. *Sententia, quæ nuper fuit propugnata de iis naturis, quæ in lib. N. T.* δαίμονες *audiunt, ab Angelis malis et satana prorsus distinguendis, examinatur*, 4. Jenæ 1821. Attamen Dr. Paulus in opere *Das Leben Jesu*, seu, *Vita Jesu Christi*, lib. I, p. 217, similem illius sententiam professus est. Cfr. Maldonat. in cap. 8 S. Matthæi.

lixas disputationes detraxisset, et a prædicatione eos avocasset [1]). Ergo.

104. ***Resp. Neg. antec. Ad*** **1m**, probat. ***Dist.*** Si dæmonum obsessio cum divina providentia conciliari non posset, ***conc.*** si possit conciliari, ***neg.*** Posse autem apprime conciliari, evincimus 1° ex facto. Dantur enim ex dictis in probationibus veri dæmoniaci; ergo conciliari possunt cum divina providentia. 2° A simili: divinæ providentiæ non repugnat permittere, ut dæmones hominibus noceant in bonis corporis ac bonis externis, ut patet ex historia Job, imo ut homines inducant per tentationes ad peccatum; ergo non repugnat, imo multo minus repugnat divinæ providentiæ permittere, ut hominum corpora pervadant. 3° A jure: vel enim homines illi, quorum corpora dæmones invadunt, justi sunt aut peccatores. Si peccatores sint, potest Deus id permittere in pœnam; si justi, ad ipsorum exercitationem et meritum.

105. *Ad* 2m, sive ad confirm. ***neg.*** Sed provenit ex facto ipso, ut patet ex iis, quæ in scripturis referuntur sive veteris sive novi testamenti. Hebræi profecto ex idololatria hanc opinionem non hauserunt. Quod additur de defunctis animabus, si quidem aliquando viguit ejusmodi opinio, non fuit nisi paucorum.

106. *Ad* 3m, ***Neg.*** Satis enim diserte Christus edixit dæmoniacos affligi a dæmonibus, sive cum ipsis præcepit, ut exirent a corporibus, quæ obsidebant, eisque præcepit, ne amplius in ea ingrederentur [2]); sive cum præcepit eis, ut tacerent [3]); sive cum eis comminatus est [4]); sive demum, ne singula prosequamur, cum eis permisit, ut ingrederentur in porcos [5]); quo quidem uno facto evidentius ostendit sadducæis, dari reipsa spiritus, a quibus homines exagitarentur, quam alio qualicunque argumento [6]). Quod si his non cedunt neoterici biblici, nescio quibus demum cedant.

107. In eo vero quod adversarii subjiciunt: ***qui nostra ætate contendunt a diabolo vexari dæmoniacos***, sese admodum imperitos ostendunt; quum nunquam ad hæc ferme tempora quispiam negaverit, dæmoniacos a diabolo vexari; ipsi tamen hanc universalem et constantem sententiam traducunt velut peculiarem temporis nostri opinionem.

108. ***Ad*** 4m, ***Neg.*** gratuitum et falsum suppositum, ut constat ex dictis; item negamus, ut ex dictis liquet, Joannem et Paulum in Asia Minori viam iniisse ab ea longe diversam, quam Christus et apostoli tenuerunt. Hæc enim figmenta ac somnia sunt adversariorum, qui reipsa hac semper oberrant chorda, quod nempe dæmoniaci ab ægrotis aut insanis non discrepent.

1) Jahn, *Archæol. biblica*, §. 197.
2) Marc. IX, 24.
3) Marc. I, 34; Luc. IV, 41.
4) Marc. I, 25, 43; III, 12, etc.
5) Matth. VIII, 32; Marc. V. 13; Luc VIII, 32.
6) Cfr. Maldon. in cap. 8 Matth. v, 31.

109. *Ad* 5^m, *Neg.* Congeriem harum assertionum, quæ nullum aliud fundamentum habent præter præposteram adversariorum opinionem. Jesus præterea et apostoli nunquam disputarunt, sed divinam proposuerunt doctrinam omnibus credendam, quam signis confirmabant. Si qui essent qui non acquiescerent, illos prorsus dimittebant. Per viam enim auctoritatis incedebant, non autem disputationum; has quippe hæreticis reliquerunt.

110. III. *Obj.* 1° Nullum occurrit symptoma in dæmoniacis, quod medici non animadvertant in melancholicis, epilepticis, furiosis et amentibus [1]. 2° Petrus de Abano ex fide cujusdam medici refert, mulierem quamdam illiteratam melancholicam latine locutam fuisse, et quidem concinne; at simul ac mentis compos iterum est facta, dicendi facultatem omnino amisit [2]. Idem refert Pomponatius de alia fœmina eodem morbo laborante, quæque diversa idiomata loquebatur [3]. Hinc 3° fit nulla dari certa signa ad secernendos veros dæmoniacos ab imaginariis, et 4° frequens proinde deceptio contingit. 5° Experientia ipsa docet dæmonum occursationes ibi plerumque contingere, seu prædicari, ubi major hominum ignorantia majorque viget superstitio; et ubi fervidiores exorcistæ sunt, ibi frequentiores inveniuntur obsessi. 6° Nec aliter fieri potest, cum Christus per passionem suam omnem dæmonibus potestatem ademerit, prout ipse testatur, Joan. XII, 31, dicens: *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras.* Ergo.

111. *Resp. Ad* 1^m, *Neg.* Siquidem plura occurrunt in veris dæmoniacis signa, quæ in suis lunaticis, melancholicis aut epilepticis haud reperient medici utut peritissimi, quæque indicantur in rituali romano [4], ac fusius recensentur a theologis, e. g. si non unum aut alterum verbum proferant, sed diu sapienterque ignotis linguis loquantur, aut ignota lingua loquentem perite intelligant; si occulta et remotissima pandant, quæ ab ipsis sciri nulla ratione naturali potuerint; si vires supra naturam ostendant, ut ingentia pondera attollere, per aërem volitare, præcepta tacita ac præsertim mentalia intelligere, etsi

1) Ita quidem Joan. Bapt. Sylvaticus in opere: *Institutio medica de iis, qui morbum simulant deprehendendis*, cap. 17, Francof. ad Mœnum, 1671, qui, etsi aperte ac directe non inficietur dæmonum obsessiones, attamen sub obtentu exaggerandi difficultatem, quæ inest in detegendis simulatis dæmoniacis, omnia, quotquot potest, congerit argumenta, ut demonstret nullum signum certum dari, quo veri dæmoniaci a simulatis, seu morbo laborantibus dignoscantur. Quod quidem argumentum fuse prosequitur nec quidquam intentatum reliquit, ut finem suum obtineat.

2) Arist. *Probl.* 30 *select.* probl. 1.

3) *De incant.* cap. 10.

4) Tit. *De exorcizandis obsessis*, ubi inter cætera documenta istud habetur: *In primis ne facile credat* (exorcista), *aliquem a dæmone obsessum esse; sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quæ cum plurima occurrunt, majora sunt indicia*, etc.

distantibus in locis sit exorcista, ut nec videri a dæmoniacis possit vel audiri, etc. [1]). Addendum præterea est, 1° quod, etiamsi nullum signum seorsim sumptum per se sit omnino certum, tamen cum plura concurrunt, haberi possit certitudo moralis. 2° Etsi, quæ signa habentur in obsessis evangelii, non essent per se certissima, eos tamen obsessos fuisse credendum esset ex auctoritate scriptoris sacri. 3° Quod signa solide probabilia sufficiant, ut quis exorcizetur, prout contingit in morborum cura.

112. *Ad* 2m, *Dist.* Qui tamen ex aliorum fide nec tamen satis firma ea referat, *conc.* idonea auctoritate innixus, *neg.* Quod si Pomponatius se oculatum testem exhibet, nihil tamen determinati refert, quomodo, scilicet, per quantum tempus, cum quanta grammaticarum legum integritate id ab illa muliere factum fuerit, et an præter naturalia, supernaturalia remedia in subsidium vocata fuerint [2]). Fieri enim potest, ut aliquis possit eodem tempore obsessus esse a dæmone, et morbo melancholico laborare. Nam *melancholia dicitur balneum diaboli.*

113. *Ad* 3m, *Neg.* Recolantur nuper dicta in resp. ad primam difficultatem.

114. *Ad* 4m, *Dist.* Ex defectu prudentiæ ac peritiæ in signis certis ac dubiis distinguendis, *conc.* debita peritia adhibita ac necessaria prudentia, quali opus est in re tanti momenti, *neg.* [3]). Attamen non ita facilis est deceptio; et, si interdum etiam prudentes decepti sunt, quid inde? Debemus ne ideo negare, quod scriptura testatur? An, quia spuriis nummis et cauti homines quandoque decipiuntur, ideo veri nummi nulli sunt?

1) Curtius Sprengel, profess. in Univers. Hall. in opere: *Storia prammatica della medicina, tradotta dal tedesco,* tom. VI, §. 23 et seqq. Venet. 1815, plures recenset medicos, qui adversus Wierum insurrexerunt ad adstruendam veritatem obsessionum dæmoniacarum, cujusmodi inter cæteros sunt Geor. Pittorius, Guill. Adolphus Schribonius, Thomas Erastus, Joan. Matth. Durastante maceratensis, ipse Paulus Zacchia primus auctor seu parens *Medicinæ legalis*, Hieronym. Cardanus, Ambros. Paré, Joan. Langius, Livin. Lemnius, Joan. Bondinus, aliique perquam multi etiam inter recentiores cum catholicos tum protestantes. Etsi vero Sprengel tum ibi tum tom. x, §. 157 et seqq. rideat spernatque omnes dæmoniacas operationes, non est tamen cur propterea moveamur; hic enim incredulus auctor, ut plurimum eas narratiunculas, quæ ad hanc quæstionem spectant, mutuatur ex *Bibliotheca univers. germanica*, quam alibi diximus non fuisse sub finem sæculi superioris nisi instrumentum ad incredulitatem omnisque generis impietatem convehendam; cfr. idem op. cit. tom. x, §. 157, ubi sententiam suam significat circa curationes prodigiosas, omnia vera ac falsa permiscet, ut miracula omnia e medio tollat.

2) En verba Pomponatii, loc. cit.: *Verus sum testis quod Galgerandus medicus tempestate nostra celeberrimus in urbe nostra Mantuæ, uxorem cujusdam Francisci Magreti sutoris tali modo (atræ bilis) laborantem (loquebatur enim secundum diversa idiomata) curavit, et perfecte.* Sed cfr. de his Tartarotti, *Del congresso notturno delle lammie.* lib. II, cap. 9, §. 6.

3) Cfr. Bergier, *Dict. Theol.* art. *Dæmoniaque.*

115. *Ad* 5^m, *Neg.* Nam quovis tempore ejusmodi infestationes contingunt, ut ex certissimis documentis constat, quæque in dubium revocari nequeunt, quin omnes sanioris critices regulæ abjiciantur [1]).

116. *Ad* 6m, *Neg.* Ad probat. *Dist.* Princeps hujus mundi ejicietur foras per fidem e credentium animis, ut exponit S. Augustinus [2]), vel per destructionem idololatriæ, *conc.* per dæmoniacorum cessationem, *neg.* Alioquin quomodo idem Christus de discipulis post resurrectionem suam dixisset: *In nomine meo dæmonia ejicient?* Quomodo per apostolum Petrum, Act. V, 16, vexati a spiritibus immundis liberati perhiberentur? Quomodo ibid. XIX, 12, spiritus nequam egrediebantur, cum deferrentur sudaria et semicinctia Pauli? Ubi narratur, quod pariter cum quidam exorcistæ judæi expellere vellent dæmones in nomine Domini Jesu, quem Paulus prædicabat, *respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum... invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent.* Quorsus demum in ecclesia exorcistatus institutus?

117. *Dices:* 1° Exorcismi perniciosi sunt, eo quod superstitionem et credulitatem fovent. Quod 2° si reipsa dæmones possent hominum corpora invadere, vix aliquis immunis esset ab ejusmodi infestatione. Demum 3° intelligi nequit, qua ratione dæmones possint ita corpus invadere, ut adinstar animæ illud moveant et ad operandum impellant. Ergo.

118. *Resp. ad* 1m, *Neg.* Quin potius, etiam in adversariorum hypothesi de læsa phantasia, valde conferunt ad eam corrigendam [3]).

119. *Ad* 2m, *Dist.* Si dæmones non subjicerentur divinæ providentiæ, *trans.* secus, *neg.* Scimus enim absque divino nutu eos nec potuisse in porcos ingredi.

120. *Ad* 3m, *Resp.* 1° *trans.* Etsi enim id daremus adversariis, contra facta ignorantia nostra nihil efficit. *resp.* 2° Negamus adinstar animæ dæmones agere in corpora; anima enim est principium intrinsecum nostrarum operationum, dæmon extrinsecum [4]).

1) Vid. Eduar. Corsini, *Instit. philos.* tom. IV, disp. II, cap. I. n. 3.

2) *Tract.* LII *in Joan.* n. 7 et seqq.

3) Cfr. Bergier, *Dict. Theol.* art. *Dæmoniaque.*

4) Cfr. Calmet, *Dissert. de obsidentibus et possidentibus corpora dæmonibus*, præmissa ejus comment. in evang. S. Lucæ. Nec omittendus S. Th. qui p. I, q. III, a. 2, ostendit dæmonis in animam obsessi directe non agere, sed solum indirecte; observat enim non posse Angelum (ideoque et dæmonem) movere voluntatem nisi ab exteriori, per modum suadentis, et per concitationem passionum, ut ipse loquitur, tum ibid. in corp. tum in resp. ad 2. Sed nec omittendum est, non ita pridem opus prodiise, cui titulos : *Geschichte Besessenen*, etc. seu, *Historia de obsessis recentiorum temporum, Justini Kerner, cum animadversionibus L. A. Eshenmayer circa possessionem et magium*, Karlsruhe 1835, cum privilegio regis Würtembergensis, in quo

PROPOSITIO II.

Jure merito leges sancitæ sunt adversus superstitiosa cum dæmone commercia.

121. Nonnulli inter ipsos catholicos contenderunt, omnino non dari realis magiæ existentiam aliaque superstitiosa cum dæmone commercia, e. g. divinationes, sortilegia, incantationes, philtra, aliaque ejusmodi, quæ fuse ac late persequuntur, qui de dæmonologia pertractarunt [1]); alii inter eosdem catholicos saltem in dubium hæc superstitiosa commercia revocarunt. Ex istorum sententia, cui increduli accesserunt, quæcumque de superstitiosis ejusmodi commerciis dicuntur, repeti debent vel ab ignorantia rerum physicarum, vel ex facinorosorum hominum quorumdam vafritie vel phantasiæ ludibrio, præsertim quæ de congressu cum dæmone, de sagis et lamiis vulgo circumferuntur, vel demum a scelestis quorumdam conatibus [2]).

122. Communis tamen sententia, quæque, spectatis ipsius fundamentis, certa videtur, ita ut absque aliqua temeritatis nota in dubium revocari nequeat, docet talem dari commercii existentiam, quæ nitatur pacto sive expresso sive tacito cum dæmone [3]). Cæterum antequam hujus sententiæ funda-

auctores isti protestantes, certissimis eventis seu factis recentiorum temporum productis, ostendunt possibilitatem et realitatem obsessionum, efficaciam exorcismorum et invocationis SS. nominis Jesu, orationis et fidei, et (quod magis mireris in auctoribus protestantibus) necessitatem confessionis peccatorum ad eorumdem veniam obtinendam. *Moderna philosophia,* inquit Eschenmayer, *huic sententiæ de molimine et machinationibus spiritum in mundo humano et de efficacia orationis et fidei adversus eos propitia non est; et sub prætextu quod obsessiones cessaverint, et debeat modus imponi abusibus, tollit bonum usum.* Deinde pergit argumentis ex intima philosophia petitis ostendere earumdem obsessionum veritatem, omnesque disjicit difficultates, quas opponunt adversarii ex idea fixa, simulatione, nervorum anomalia etc. acumine philosophico-christiano. Aliud præterea opusculum in lucem emissum est hoc ipso anno (1835), cui titulus: *Lapsus et redemptio, seu opera satanæ et ecclesiæ potestas;* in quo thema Kerneri et Eschenmayeri ad sensum catholicum evolvitur argumentis theologico dogmaticis; cfr. *Schweizerische Zeitung,* etc. seu *Helveticæ ephem. eccles.* 5 decemb. 1835, pag. 859.

1) Diversas magiæ species, enumerat inter alios Bergier, *Dict. theol.* art. *magiæ.* Plura de his congesta reperies in opere *malleus maleficorum*, Henrici Institoris et Jac. Sprenger, Ord. Præd. In eadem collectione continentur plures aliorum auctorum tractatus de eodem argumento, vol. 3, in 4, Lugd. 1669.

2) Inter cæteros cfr. March. Scipio Maffei in duobus operibus, quorum priori titulum fecit *Arte magica dileguata*, alterum vero inscripsit *Arte magica annichilata*, de quo auctore vid. Nicolai, Soc. Jesu, *Dissert. e lezioni di sacra scrittura*, tom. VIII, lez. VII, sul libro dell' Esodo, Firenze 1763. Sic Tartarotti, *Del congresso notturno delle lammie*, Roveredo 1749; qui tamen non videntur impugnasse nisi *artem magicam* proprie dictam, aut nocturnos lamiarum congressus; alii vero ulterius progressi sunt.

3) Cf. Martin. Delrio, *Disquisit. magic.* lib. II, q. I et seqq. Quod quidem opus variam plane diversis temporibus subiit fortunam. Quum in lucem prodiit, adeo sibi eruditorum suffragia conciliavit, ut non solum catholici, sed ipse prote-

menta exhibeamus, notandum est nos non defendere *artem magicam* proprie dictam, nec congressus sabati cum Diana (quorum fides a canonibus potius reprobatur), nec negare nos plurimas hac in re illusiones fuisse, imo ut noxiam reprobare nimiam in his credulitatem. Jam vero in dubium vocari non posse, quin sic expositæ communi sententiæ solida fundamenta sint, facile evincimus.

123. Etenim ipsi favent argumenta intrinseca et extrinseca validissima; ac primo quidem argumenta intrinseca sunt ipsa rei, de qua agitur, possibilitas; data enim semel dæmonum existentia eorumque malefica indole, quid impedit, quominus ipsi, Deo sic permittente, pacta ineant cum pessimis hominibus ad eorum perniciem, ac mirabilia operentur? Tum ejusdem verisimilitudo, spectata cupiditatum vi ac in malum proclivitate, ex quibus tales superstitiones originem suam capiunt. Argumenta vero extrinseca sunt, 1° quæ in scripturis leguntur de magis, veneficis, pythonibus, etc. e. g. Exod. VII et VIII, ubi referuntur mira patrata a sapientibus et maleficis Pharaonis, qui *per incantationes ægyptiacas* et *arcana quædam* fecerunt similiter ac fecerant Moyses et Aaron [1]); tum I Reg. XXVIII, ubi Endorea pythonissa exhibetur exercens necromantiam [2]). Sic in novo fœdere, Act. VIII, mentio fit de Si-

stantes ipsum adsciverint tanquam normam processum contra sagas, ita ut amare conquereretur Christ. Thommasius circa annum 1712, et scribere non dubitaverit: *Pene omnes jurisconsulti protestantes hunc auctorem exscribere solent;* quæ res maxime damnanda illi videtur, quod Delrio *Lutherum et lutheranos ac reformatos cum impudentia et virulentia maxima traducit*: vid. Thomasii opus *De orig. processus inquisitorii contra sagas*, §. 81, nec non *De crimine magiæ*, §. 21, 45, 49. Deinde adversarios quamplures tum inter catholicos tum inter protestantes nactum est. Nunc vero cum pluribus aliis ejusdem argumenti scriptis jacet. Cfr. præterea Joan. Bapt. Thiers, *Traité des superstit.* Paris 1712, tom. I, liv. II, ch. 4 et suiv. et liv. III, ch. I et suiv.; P. Le Brun, *Hist. critiq. des pratiques superst.* Paris 1702, tom. II, liv. VI, etc. qui tamen non semper satis criticum se exhibet. Protestantibus multo magis quam catholicis, ut fatetur Wierus persuasum erat de hominum cum dæmonibus commercio. Cfr. in *Apologetico*, §. 4, pag. 582. Nec desunt ex recentioribus qui eidem sententiæ adhæreant, inter cæteros Eschenmayer, in opere cui titulus *Religions philosophie*, seu, *De philosophia religionis*, Tubingæ 1822, §. 86 et seqq.; Moyer, *Blätter für höhere Wahrheit*, id est, *Folia pro sublimiori veritate Sammlung.* (collectio) VII. pag. 208 et seqq. Frankf. 1826; Knapp. *Vorlesung über den evangelischen Glauben*, id est, *Prælectiones de fide evangelica*, pag 395 et seqq. Halæ 1827.

1) Clericus in *Comm.* in hunc loc.; Leng, *Défense de la relig.* tom. V, pag. 141; Clark. in opere ejusd. tituli, tom. III, pag. 390 et tom. III operis; *De l'exist. et des attributs de Dieu*, pag. 137; Stackouse, *Traité complet de Theologie spécul.*, etc. tom. I, pag. 391, pro certo habent ibi agi de vero dæmonum commercio et diabolica operatione, innixi potissimum verbis Deut. XIII, I et seqq, et Matth. XXIV, 24, qui profecto supersitiosæ credulitatis argui non possunt. Hanc pariter diabolicam operationem admittit Car. Rosenmüller in *scholiis* ad hunc loc., ubi non solum rejicit Michaelis aliorumque interpretationem, qui arti magorum hic relata adscribunt, sed confutat Eichhorn, qui in *Comment. Ægypti anno mirabili*, in *Commentat. Societ. reg. scient. Gottingæ recent.* vol. IV, impudenter veritus non est eamdem artem circulatoriam Mosi adscribere, dum coram Pharaone virgam projecit, quæ in serpentem conversa est.

2) Quod accurate notavit ipsemet Vandale, qui lib. *De divinationibus idololatricis*, cap. 9, scribit: *Non solum ita fuit ista ἐγγαστρίμυθος, dum respondebat scilicet; verum et maga ex illorum numero, qui se mortuos ex sepulcris excitare atque in lucem reducere prætendunt.*

mone mago samaritano, qui *multo tempore magiis suis* urbes integras ludificaverat, ut prætermittam Elymam magum, quem, Act. XIII, Paulus excæcavit; ibid. XVI, 16, sermo est de puella habente *spiritum pythonem*, quæque ejus ope artem divinatoriam exercebat, quæ species magiæ est [1]. 2° Consensus universalis, qui apud omnes populos viguit, cui non solum vulgus imperitum, sed et ipsi philosophi fidem adhibebant [2]. 3° Auctoritas gravissimorum scriptorum, qui non tantum artis magicæ mentionem faciunt, sed insuper ejusdem originem aperiunt. Eusebius, *præp. evang.* lib. V, capp. X et XI, hæc scribit: ***Jam vero non alios ab initio maleficæ artis magistros quam ipsamet egregia numina fuisse constat. Qui enim isthæc homines aliter nosse potuissent, nisi dæmones iis res ipsi suas aperuissent, et quibus quisque vinculis constringantur, indicassent?*** Quod confirmat testimonio Porphyrii, qui in opere ***De oraculis*** hæc scribit: ***Neque tantum instituti sui rationes, aut cætera, quæ a nobis commemorata sunt, verum etiam, quibus ipsi*** (dii) ***rebus aut delectentur, aut vinciantur, imo quibus etiam cogantur, indicarunt***, etc. [3]. Ita pariter S. Augustinus, ***De doctrina christ.*** commemorat ***consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium*** [4], et alibi passim. S. Hieronymus præterea in vita S. Hilarionis refert virginem a philtro liberatam [5].

124. His præmissis, quibus opponi non potest nisi insipiens pyrrhonismus aut effrenis impudentia, gradum facimus ad breviter adstruendam veritatem nostræ propositionis adversus incredulos et ecclesiæ catholicæ hostes.

1) Cfr. Baltus, *Suite de la réponse à l'histoire des oracles*, I part. ch. 14, ubi ostendit certissimis documentis, tum ex sacris tum ex profanis auctoribus depromptis, vocem *pythonem* designare eos, qui spiritu diabolico edocti dicuntur, et artem divinatoriam, quæ magiæ species est, exercebant. Sane vocem hebraicam אוֹל qua utitur Moses Lev. XX, 27; Deut. XVIII, 11, nec non Isaîas XIX, 3, constanter LXX verterunt *ἐγγαστριμύδους*, seu *ventriloquos*, at significatione diversa ab ea, qua nos eamdem vocem usurpamus, sed ad designandos homines dæmoniaco spiritu agitatos; ut patet ex Plutarcho, lib. *De defect. oracul.* et Hesychio, qui vocem *πύδων*, in suo *Diction.* reddit *ἐγγαστρίμυθος*; sic pariter Suidas: *Ἐγγαστρίμυδος, ὅν νῦν πύδωνα καλοῦσι.* Nullum proinde dubium esse potest, quin per illam puellam in Actis significetur persona spiritu dæmoniaco correpta seu agitata.

2) Cfr. Bergier, *Dict.* art. cit.; Baltus, *Défense des SS. pères*, liv. III, chap. II et suiv.; Cudworth. *Syst. intell.* cap. 5, §. I, pag. 82 et seqq.

3) Lib. cit. sub finem, cap. 10: *Καὶ μὴν δὲ διδάσκαλοι τῆς κακοτέχνου γοητείας, αὐτοί γε πρῶτοι οἱ γενναῖοι θεοὶ κατέστησαν· ποθεν γὰρ ἀνθρώποις ταῦτα παρῆν εἰδέναι, ἤ τῶν δαιμόνων αὐτῶν τά περί ἑαυτῶν ἐξειπόντων, καὶ τοὺς καταδέσμους κατ' ἀλλήλων ἐξηγορευκότων;* Et cap. II. initio: *Οὐ μόνον δὲ τήν πολιτείαν αὐτων αὐτοὶ μεμηνύκασι, καί τὰ ἄλλα εἰρημένα· ἀλλὰ καὶ τίσι χαίρουσι, καὶ κρατοῦνται, ὑπηγόρευσαν, καὶ τίσιν ἀναγκάζονται.* Aliaque plura in eamdem rem tum capitibus cit. tum in seqq. congerit Eusebius ex antiquorum testimoniis, quæ ibidem recoli possunt.

4) Cap. XX, n. 30 et seqq. edit. maur.

5) Num. 21, edit. Vallarsii. Ibid. vero plures alias maleficiorum dissolutiones commemorat. Cfr. S. Thom. 2, 2, q. 95, a. 4, et ibid. q. 122, a. 2, ad 3.

125. Leges illæ jure meritoque sancitæ dicendæ sunt, quæ homines coercent ab immani ac nefario scelere, seu potius perenni scelerum ac flagitiorum fonte; tales porro sunt leges latæ sive in scripturis a Deo ipso, sive ab ecclesia adversus magos, maleficos aliosque diversas superstitiones exercentes. In scripturis enim, Exod. XXII, 18, Deus ipse præcepit populo suo: *maleficos non patieris vivere*; ac rursum, Lev. XIX, 31: *non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini*; item ibid. XX, 27: *vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur;* et apertius etiam Deut. XXIII, 10: *nec inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.* Consonat ecclesia, ut patet tum ex diversis legibus, quæ in jure canonico occurrunt, inter quas celebris est constitutio Innocentii VIII data anno 1484 [1]), tum ex constitutione Sixti V, *Cœli et terræ creator;* in qua eos damnat, qui *sortilegiis et superstitionibus non sine dæmonum saltem occulta societate aut tacita pactione operam dare non verentur*; et paulo infra vehementius illos urget, qui *etiam expressa cum diabolo pactione nefarias magicæ artis incantationes adhibent.* Hanc artem damnavit etiam Gregorius XV, in constitutione *Omnipotentis Dei.*

126. Si enim admittitur, quæ undique patet, veritas seu realis existentia istius diabolici commercii, tunc nulla dubitatio superesse potest de justitia ejusmodi legum, quibus atrox adeo crimen compescitur. Si vero superstitiones istæ in sola vulgari opinione, in emotæ phantasiæ ludibriis existere censentur, rursum inde apparet earumdem æquitas legum, quibus nefarii ausus et conatus compescuntur facinorosorum hominum, qui tale diabolicum commercium pertentant, vel sibi arrogant cum ingenti tum religionis tum societatis pernicie. Dixi *religionis*, quia ut plurimum polytheismo atque idololatria se polluunt, qui ejusmodi superstitionibus dant operam, a quibus magia cum suis surculis originem primam habuit; dixi *societatis,* quia pariter ut plurimum ad malum finem, seu ut noceant, qui ejusmodi artem exercent, seu potius exercebant, eam adhibent; tum etiam quia ignorantia, credulitate, terroribus popularibus abutuntur seu abutebantur ad populos in re gravissima decipiendos ac perturbandos. Inde profluxerunt etiam leges civiles tum apud ethnicos tum apud christianos, quas protestantes ipsi retinuerunt ad ejusmodi delicta plectenda [2]). Quacumque proin-

1) Cfr. *bullar. roman.* Caroli Cocquelines, tom. III, pag. 190, Romæ 1743.

2) Quin singulas leges contra ejusmodi delicta olim latas recenseamus, satis sit afferre, quæ Caj. Filangieri in op. *La scienza della legislazione* tom. IV, cap. XLV. circa finem declamantis in modum, ut solet, scribit: „Io non par-

de ex parte spectentur ejusmodi leges et in qualibet hypothesi, constat nonnisi sapienter ac jure eas fuisse constitutas.

DIFFICULTATES.

127. *Obj.* 1° Leges, quæ nullum objectum reale habent, inanes prorsus sunt ac perniciosæ. Tales vero sunt leges latæ adversus magiam ac varias ejus species, tum præsertim adversus sagas ac lamias, quibus 2° factum est, ut per tot sæcula superstitiones alerentur ac insania, turpissimis nefariisque facinoribus ansa et occasio præberetur. 3° Innumeras prope innocentes victimas ferrum aut rogus ubique fere locorum ad plura sæcula absumpsit 1), 4° quæ quidem mala ulterius prolata fuissent, nisi philosophica lux affulsisset, quæ demum regnum illud diabolicum, cujus formam historiamque omnes fere gentes invicem inter sese communicaverant, destruxit, ac 5° revocavit ad quandam malorum et physicorum et moralium congeriem, quibus virtus nostra varie tentatur atque exercetur, 6° monuitque, ut quivis christianus non malum genium extra se positum quærat, sed in suo animo, id est in suis pravis cupiditatibus, quæ rectæ rationis imperio non obtemperent, illum agnoscere haud dubitet. Ergo.

128. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Id est, objectum verum aut saltem apprehensum seu reali æquivalens, *conc.* verum tantum, *neg.* Interdum enim, ut experimento constat erroneæ opiniones innumera prorsus mala pariunt æque ac veræ et reales. Quot mala non peperit anabaptistarum, e. g. antinomianorum aliarumque sectarum fanatismus conceptus sive ex præpostera scripturarum interpretatione, sive ex apprehensis falsis revelationibus aut inspirationibus? Nemo est, qui laudibus non commendet

lo delle pene, che si trovano minacciate contro la magia ed il sortilegio. Il comune diritto ci offre su quest'oggetto leggi di sangue e di fuoco. Le leggi principali della maggior parte delle nazioni europee non hanno di che invidiare riguardo a questo punto la ferocia di quelle del moribondo impero." Has omnes leges contra magos, veneficos etc. collegit Jos. Maria Maraviglia in sua *Pseudomantia veterum et recentiorum explosa;* Tartarotti in app. ad opus suum: *Congresso notturno delle lammie* in respons. ad Reginaldum Carli prof. patavinum ostendit leges ejusmodi in maleficos latas ab Ægyptiis, Græcis atque Romanis fuisse, idque evincit auctoritate Ern. Floerkii, *De crimine conjurationis spirituum* c. IX §. 2. 3. et Justi Lipsii in *excurs.* in Taciti Annal. lib. II. §. 32.

1) Si fides habetur Moshemio in hist. scient. in Marca Brandeburg. pag. 436. in solo electoratu trevir. paucis annis accusati maleficæ superst. et mulctati sunt 6500. homines. Christ. Thomma sius in op. *De crimine magiæ* §. 2. 6. 46. 47. fatetur longe communiores fuisse penes protestantes processus adversus sagas confectos. Attamen Romæ, in hoc scilicet, ut ipsi dicunt, superstitionis et crudelitatis amplissimo domicilio, Romæ, inquam, ut observat Spedalieri in sua *Analisi dell'esame critico del signor Nic. Frerret* cap. X. art. IX. §. 5. ne unus quidem morte mulctatus est ob ejusmodi delicta „In Roma, inquit, non si è mai bruciato alcuno per accusa di stregoneria, come più volte è accaduto in Francia" quod confirmat Bergier dict. theol. art. *Inquisition* scribens „l'on n'en connoit aucun exemple à Rome" scilicet capitalis pœnæ adversus hujusmodi reos.

leges datas ad ejusmodi perniciosos fanaticos coërcendos. Cum igitur eadem occurrant in casu nostro, jure arguimus sapienter pariter constitutas leges fuisse ad facinora, quæ exinde oriebantur, compescenda: et hæc quidem in hypothesi adversariorum, quam tamen rejicimus.

129. *Ad* 2^m, *Neg.* Non enim ex legibus ejusmodi superstitiones originem duxerunt, sed cum jam longe lateque propagatæ essent ac publica privataque res gravissimum detrimentum caperet, leges supervenerunt ad hæc mala aut delenda penitus aut saltem compescenda, alioquin stulte omnino concludere deberemus, homicidia, furta, adulteriaque ac vitia cætera ex legibus contra eadem prolatis orta aut lata fuisse, iisve ansam aut occasionem præbuisse.

130. *Ad* 3^m, *Dist.* Ex pravo legum usu, *trans.* ex legibus ipsis, *neg.* Nec enim duo hæc inter se commisceri possunt. Leges siquidem optimæ interdum sunt, ast prave omnino in usum deducuntur sive ex judicum immoderato ardore ac præjudicio, sive ex perversa earum intelligentia, sive ex quæstionum aut processuum, ut ajunt defectu, sive quacumque alia de causa ex cujusque ætatis præsertim moribus. Fieri proinde potuit, ut invalescente timore aut majoris mali formidine innoxii quandoque cum reis permiscerentur. Ut plurimum tamen, quod animadversione dignum est, qui ad supplicium trahebantur, etsi solo imaginationis æstu laborarent, gravibus criminibus obstringebantur, de quibus longe facilius constare poterat.

131. *Ad* 4^m, *Neg.* Frustra gloriatur philosophia, seu potius incredulitas, se lucem attulisse ad tenebras fugandas. His enim malis nonnisi vera religio occurrere potuit per divinas suas institutiones, quibus has paganismi veluti reliquias omnino delevit, quæ altas radices in populis egerant. Hoc ipsa edocuit nihil dæmones posse absque Dei nutu. Sane ecclesiastici viri primi fuerunt, qui rudiores populos ab ejusmodi superstitionibus abduxerint. Fridericus Spee S. J. omnium primus in Germaniæ regionibus, ubi processus potissimum instituebantur adversus sagas, facem attulit, atque hunc non solum catholici, sed ipsi protestantes et philosophi secuti sunt [1]). Sane antiqui-

1) Cum Leibnitius in Theodicea P. I. §. 96. (opp. edit. Dutens tom. I. Genev. 1768.) vocasset „Fridericum Spee Jesuitam unum e præstantissimis suæ societatis . . . qui ex nobili Westphalici circuli stirpe oriundus erat, inque odore sanctitatis obiit" subdit §. 97. excellentis hujus viri memoria eruditis etiam et sapientibus in pretio esse debet ob conscriptum librum, cui titulum dedit: *Cautio criminalis circa processus contra sagas*, qui fuit magnopere celebratus, inque varias linguas translatus. A magno electore moguntino, *Joanne Philippo Schroenbornio*, eminentissimi electoris hodierni . . . patruo, didici, hunc patrem, cum in Franconia esset, quando in magiæ diabolicæ reos habitos igne sæviebatur, et complures ad rogum comitatus fuisset, quos ex confessionibus et perquisitionibus a se factis insontes omnes agnoscebat, adeo commotum fuisse, ut periculo, quod veritas patefacta tum temporis pariebat, nihil territus, opus hoc conscribere statuerit (tacito tamen nomine), quod ingens fructus excepit, quodque in hoc argumento illum ipsum electorem . . .

ores philosophos cæteris superstitiosiores ac magicis artibus maxime addictos juxta dicta fuisse novimus. Quare uni religioni christianæ philosophi recentiores acceptam referre debent rectam judicandi formam, quam sibi tribuunt.

132. *Ad* 5m, *Dist.* Per integram veritatis testatissimæ destructionem, *conc.* per moderatam discussionem, *neg.* Nempe philosophi isti et rationalistæ obtendentes delere se prorsus velle regnum diabolicum, ut ipsi loquuntur, ipsam dæmonum existentiam negarunt contra biblica omnia documenta ac totius humani generis consensum, atque contra traditiones non rudiorum tantum sed et cultiorum populorum. Id fecerunt quod alius quilibet, qui volens domum purgare eam incendit.

133. *Ad* 6m, *Dist.* At perperam, *conc.* jure, *neg.* Longe melius, quam rationalistæ præstiterint, divina revelatio quemvis hominem admonuit, ut in se agnosceret omnium cupiditatum pravitatem ex culpa progenitorum inductam, quæ omnium malorum veluti fons et radix nefaria est; ast simul eundem hominem docuit, diabolum tanquam leonem rugientem circuire quærentem, quem devoret [1]), se habere colluctationem non solum adversus carnem et sanguinem, sed etiam *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* [2]), docuitque modum ejusmodi hostibus resistendi eosque vincendi. Neutra proinde veritas in dubium, nisi per summum nefas, revocari potest.

134. *Inst.* Usus saltem exorcismorum, qui in ecclesia catholica adversus incantationes viget, haud parum confert ad diabolicas superstitiones apud populos fovendas; ergo.

135. *Resp. Neg.* Sed confert potius ad hoc, ut populi sibi persuadeant, Dei omnipotentia et Christi meritis diabolica molimina coërceri. In hypothesi autem adversariorum, juxta quam dæmoniacæ operationes non dantur, inserviunt exorcismi saltem ad corrigendam phantasiæ perturbationem tranquillitatemque in animos inducendam. Sane apud protestantes, qui profecto exorcismos non solum non adhibent, sed contemnunt, multo magis invaluit opinio maleficorum aliarumque dæmoniacarum operationum, quam apud catholicos [3]): idem dicatur de

ab errore populari ad mitiorem verioremque sententiam traduxit, cum is, simul atque regimen auspicatus est, exustiones istas compescuisset, in quo sequaces habuit duces Brunsvincenses, ac denique potentissimam aliorum Germaniæ principum statuumque partem." Frid. Bierlingius alter lutheranus de eodem P. Spee disserens „inter singularia, inquit, sane referendum circa ista tempora virum pontificiæ religioni addictum talia scribere ausum fuisse, quæ hodie vix inter protestantes ubique proferre licet homini candido et veritatis amanti, nisi illepidas murmurationes adversus se excitare velit" (*De pyrrhonismo historico* cap. IV, §. 5. not. (2). Dixi *primum* fuisse P. Spee, licet enim ante ipsum P. Tannerus ejusd. Soc. in sua theologia scholast. conatus fuerit aliquod remedium tanto malo afferre; at vix aliquid profecerat.

1) I. Pet. v. 8.

2) Eph. VI. 12.

3) Placet hic afferre, quæ Sprengel op. cit. tom. VI. pag. 68. et 69. his ver-

antiquioribus hæreticis, apud quos magia, incantationes, maleficia frequentissima reperiuntur [1].

136. De Angelis hactenus. Jam ad ulteriora magisque necessaria progredimur.

bis scribit: „Verso il fine del sedicesimo secolo si trovarono a Friedeberg nel Brandeburghese, più di 150. indemoniati, e dilatossi si rapidamente e si universalmente questo male, che il concistoro (protestante) ordinó a tal' uopo delle preci per tutte le chiese. L'egregio signor Moehsen, da cui ho desunto queste notizie, fece vedere, che la riforma, anzichè impedire, dovette promovere la propensione a simili assurdità. Lutero stesso non andò scevro da si vani pregiudizj del suo secolo, di modo che ripeteva da diavoli quasi tutte le malattie, e s'adirava contro quei medici, che osavano derivarle dalle cause naturali" (Luth. opp. P. xxII. pag. 1171. 4. Hal. 1743.) „Asseri inoltre, che il diavolo gli apparve in figura di monaco colle mani fatte a guisa degli artigli dei volatili, e che gli propose varii si logismi (quibus nempe inductus est ad eliminandas Missas privatas). Anche Melantone coltivava la superstizione e si divertiva in raccontare le storie delle streghe e dei fantasmi (Cardan, *De subtilitate*, lib. xix. pag. 657. Melanch. *Declamat.* vol. iv, pag. 646). Cotesta tendenza a si vana credulità non potè a meno, subito dopo la riforma introdotta da Lutero, d'accommunarsi frà predicatori *tratti d'ordinario* dalla classe infima dei cittadini o dagli artigiani ignoranti. Finalmente, come riflette saggiamente il signor Moehsen, la riforma contribui a moltiplicare i sortilegii, le malattie demoniache, le streghe, i fantasmi coll'abbolizione de'pellegrinaggi, che presso i catholici guarivano melanconie ed isterismi con prodigioso successo." (Moehsen. *Storia delle scienze nella Marca di Brandeb.* pag. 303). Plures in hæc verba animadversiones institui possent; satis interea sit testimonium ipsorum protestantium circa dæmoniacæ superstitionis progressum apud ipsos, ac remedia, quæ in catholicis institutis reperiuntur, etiam si abstrahamus ab omni ope supernaturali. Peregrinationes enim, de quibus loquitur cit. Moehsen, institutæ erant ad auxilium Sanctorum implorandum. Adeo apud protestantes invaluerat ejusmodi credulitas, ut non obstante doctissimo opere P. Spee, quamplurimi ex ipsis eam doctrinam et agendi rationem tueri conati sint, inter quos eminent Ben. Carpzovius, Dan. Sennertus, Christ. Crusius, Mericus Casaubonus, Henr. Mauritius, Theoph. Spicelius, Jos. Glanvilius, Joan. Bapt. Van Helmontius, Conr. Hartzius, aliique bene multi.

1) Cfr. Bergier, *Dict. de Theol.* art. *Magie.*

TRACTATUS
DE DEO CREATORE.
PARS ALTERA.
DE MUNDO.

137. Theologi dogmatici instituta consectantes sacrarum scripturarum ac philosophiæ tractatoribus eas relinquimus quæstiones, quæ ad ipsos propius spectant. Cosmogoniam mosaicam unice nobis propugnandam suscipimus, tum a neotericis potissimum biblicis, tum a recentioribus nonnullis physicis, geologis, astronomis et criticis oppugnatam. Illi enim creationis historiam, qualis a Mose describitur, ut mythum biblicum traducunt; isti vero geologicis observationibus, supputationibus astronomicis, maxime vero chronologiæ studiis mosaicam historiam diruere penitus contendunt. Frustra vero in his vindicandis nostram operam impenderemus, nisi prius *creationem ex nihilo* velut dicendorum fundamentum statueremus. Ab hoc proinde auspicantes cætera ex ordine prosequemur.

CAPUT I.
DE MUNDI CREATIONE EX NIHILO.

138. Plus minus errarunt ii omnes, qui vel revelatione destituti, vel eam contemnentes, de cosmogonia disseruerunt, seu de creatarum rerum origine quæstiones instituerunt. Plerique veterum vel æternæ materiæ existentiæ fidem præstiterunt [1]) vel *hylozoismo*, vel *emanationis* doctrinæ, qua rerum omnium congeriem per actionem Dei immanentem explicarunt [2]), vel per divinæ naturæ *radiationes* [3]), vel per *pantheis-*

1) Cf. Cudworth. lib. I. §. 72. et seqq. et §. 831., Buddei, *Theses de atheismo*, pag. 236.; Plufner, *Aphorismen*, Aphorismi 2. edit. I. §. 1044.; cf. Cicero *De nat. deor.* lib. II. ubi hæc habet: *Anaxagoras primus omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit*; Virg. *Æneid.* lib. VI. p. 724. et seqq. item Heyne, *Excurs.* XIII.; Buhle, *Lehrbuch der Geschichte der Philosophie*, seu *Liber doctrinæ historiæ philosophiæ*, c. IV. pag. 156. et seqq. Apud philosophos græcos ita prævaluit de æternitate materiæ sententia, ut cum Platone Deum non *creatorem* sive auctorem materiæ, sed *opificem* mundi seu auctorem *formæ* esse plerique judicarent.

2) Doctrina *emanatismi* bifariam dividitur, scilicet in emanatismum *immanentem* seu per actionem, quæ manet in Deo ipso, et in *transeuntem*. Primus statuit mundum esse Deum ipsum et convenit cum *spinozismo*; alter, scilicet transiens, consistit in eo, quod putetur materiam ex ipsa Dei substantia promanasse, non secus ac radii a sole evibrantur, aut sicuti ex aranea telæ, ex bombyce filamenta produci solent.

3) Quæ ex sententia cabbalistarum originem habuit; si fidem adhibemus Kleukoro in opere: *Ueber der Natur der*

mum [1]), vel denique per *dualismum* [2]). Recentiores autem non pauci philosophi aut veterum commenta veluti e rogo ac cineribus excitarunt, aut gravioribus erroribus mundi originem ejusque existentiam infecerunt. Alii enim corpora ex mundi notione rejecerunt, solas substantias spirituales statuentes, ut *idealistæ*; alii, *materialistæ* nuncupati, exclusis spiritualibus substantiis, mundum solis corporibus constare arbitrantur; alii eo dementiæ progressi sunt, ut præter animam suam omnia e mundo tollant, *egoistæ theoretici* appellati [3]). Kantius, posita distinctione inter *nöumena* et *phænomena*, seu inter objecta intelligibilia sive subjectiva, et apparentia sive externa, statuit notionem mundi seu *totius absoluti* esse meram *ideam rationis puræ* ultra phænomena nitentis, et ad *absolutum* natura sua tendentis, cujus existentia probari non potest, et si quis eam probare voluerit, rationem puram *antinomiis* seu repugnantiis implicandam fore, eo quod de mundo non possit ex principiis rationis theoreticæ certo decerni, nisi quatenus est *complexus phænomenorum* sensus externi [4]).

139. Nos itaque *mundi* nomine intelligimus seriem unam absolutam entium finitorum, contingentium, mutabilium et inter se connexorum, seu universitatem rerum omnium quæcumque præter Deum sunt, sive animatæ sint, sive inanimatæ, sive intelligentes. Cum vero de intelligentiis puris satis disseruerimus in superiori tractatus parte, ubi sermo fuit de Angelis, de homine autem acturi simus in parte tertia, hic mundum adspectabilem et corporeum tantum seu rerum molem, quæ nos circumstat, ex nihilo conditam esse, propugnandum suscipimus.

140. Ita dum mundum ex nihilo eductum adstruimus, per *nihilum* intelligimus statum possibilitatis meræ internæ, *logicæ* a nonnullis nuncupatæ, seu non existentiæ, prout opponitur statui actualitatis et existentiæ, atque ut punctum et terminum, a quo actualitas esse cœpit, et quidem, ut ajunt, tum ex nihilo *sui*, tum ex nihilo *subjecti* [5]).

Emanationslehre, etc., seu *De natura doctrinæ emanationis*, et Thiedemann, *Geist der speculativen Philosophie*, id est, *Spiritus philosophiæ speculativæ*, tom. III. pag. 156. et seqq.

1) De quo in tractatu de Deo disseruimus.

2) Ibid. n. 138. et seqq.

3) Cf. Imre, *Philosophia, seu Amicum fœdus rationis cum experientia*, Part. III. cap. I § 3, Pestini 1827.

4) Ib. Ex hac theoria factum est, ut Kantiani solam metaphysicam mundi sensibilis pertractent, sub titulo *philosophiæ naturæ* aut *somatologiæ metaphysicæ*; eam vero, quæ de mundo quatenus toto *absoluto* et complexu non tam phænomenorum sed et noumenorum omnium ageret, cujusmodi ea pars philosophiæ est, quæ vulgo cosmologia nuncupatur, ne quidem scientiæ nomine dignentur. Ante Kantium hæc divisio inter *phænomena* et *noümena*, quæ introducta est ad *idealismum* constabiliendum, fuit prorsus inaudita. Critici Kantiani universim quatuor de mundo *antinomias* totidem *thesibus* et *antithesibus* expressas ponunt, quas quisque recolere potest apud Galuppi, *Lettere filosofiche*, Messina 1827. lett. XII., pag. 270 et seqq.

5) Alii distinguunt inter *nihilum positivum et nihilum negativum*. Nihilum *positivum* vocant illud, quod actu non est,

PROPOSITIO

Deus, prout ex divina revelatione constat, mundum ex nihilo in tempore seu cum tempore condidit.

141. Hæc propositio est de fide, ut patet ex symbolo apostolico: ***Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ***, ***visibilium*** scilicet et ***invisibilium***, ut exponit symbolum nicæno-constantinopolitanum, et apertius etiam ex concilio lateran. IV., quod speciatim sancivit ***unum esse creatorem omnium... qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam*** [1]).

142. Præfatam doctrinam Moyses satis aperte tradidit per ea verba, quibus librum Geneseos exorsus est: ***In principio creavit Deus cœlum et terram;*** in principio scilicet temporum creaturas omnes enasci ex nihilo jussit. Etsi vero hebraica vox ברא *(barà)*, quam alexandrini verterunt ἐποίησε, *fecit*, vulgatus autem latinus interpres *creavit*, tum ex nihilo aliquid educere, tum ex subjecta ac præexistente materia opus conficere ac efformare per se significare possit, quod plura exempla demonstrant [2]); in priori tamen significatione in adducto Gene-

sed solum in potentia; nihilum *negativum*, quod neque in actu neque in potentia, saltem proxima, est. Alii discrimen posuerunt inter *nihilum negativum*, quod significat ἀφαίρεσιν vel negationem omnis *entitatis*, et inter *nihilum privativum*, quod existens quidem aliquid, scilicet *materiem*, supponit, sed ad aliquid producendum prorsus ineptam et informem. Deum ajunt hi primum produxisse ex nihilo negativo, scilicet ἐξ οὐκ ὄντος, *ex non ente*, nihilum privativum seu materiem informem (creatio *prima* dicitur) seu primi ordinis, deinde ex materia informi res creatas omnes (creatio *secunda* nuncupatur). Ad tollendam proinde omnem æquivocationem, quæ in varia *nihili* notione inest, aliis verbis usi sumus.

1) In cap. *Firmiter* superius adducto.

2) *Vox* ברא *proprie significat* cædere, ait Rosenmüller, uti Jos. XVII. 15. הַבְרֵאתָ לְךָ שָׁם (id est) *Ascende in sylvam* et succide tibi illuc, *et rursum* ib. v. 18. *Ezech.* XXIII. 47.: וּבָרֵא אוֹתְהֶן בְּחַרְבוֹתָם (id est) Et succident eas in gladiis suis. *Porro* בָּרָא, *ut observat Schultens ad excerpta Hamasæ, pag.* 384, *denotat* præcidere, præcidendo asciare, *ac* dedolare, *adhibitis nempe instrumentis fabrilibus, atque adeo* exasciare, *mox* fabricari, *ut* Ezech. XXI. 19.; *ita etiam Scheidius in libro Geneseos ad fidem codd. MSS. etc. tum verbum* בָּרָא *omnino eadem significatione sumitur qua* עָשָׂה et יָצַר *fecit finxit.* Ita quidem Car. Rosenmüller; ast fallitur. בָּרָא enim in prima conjugatione *kal* proprie significat *creavit*, nec nisi in conjugatione *pihel* usurpatur in sensu *succidendi, cædendi*, etc., etenim nuspiam in sacris literis eo sensu accipitur nisi in *pihel*. Porro vim vocis ברא, quam vulgata vertit *creavit*, in primitiva sua significatione tantumdem valere ac *ex nihilo aliquid educere*, *facere ex nihilo*, constat 1. ex sensu traditionali totius synagogæ, ut ex adductis testimoniis patet, præsertim ex pia machabæorum matre, cujus verba majorem adhuc præse ferunt claritatem in textu græco: *Γνῶναι ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησε αὐτὰ ὁ Θεός*, id est, *Agnoscas quod Deus ea fecerit ex non esse*, seu *ex eo quod non est*. MS. alexandrinum londinense habet: *Οὐκ ἐξ ὄντων*, quod nempe Deus.

seos loco accipi debere, mundumque proinde ex nihilo tum *sui* tum *subjecti*, atque in tempore seu cum tempore conditum esse, ex ejus collatione cum aliis scripturæ textibus et ex sensu traditionali aperte colligitur.

143. Etenim præter ea, quæ Psalmo CI. habentur: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli*, Christus, Joan. XVII. 5. sic Patrem orabat: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate*, quam habui, priusquam mundus esset, *apud te* 1). Verum omnium apertissima verba sunt, quibus II Machab. VII. 28., sic mater filium suum natu minimum ad martyrium vehementer hortabatur: *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia, quæ in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.*

144. Hinc, si paucos excipias sive incredulos sive hæreticos 2), tum universa hebræorum gens tum christiani omnes con-

ea non fecerit ex aliquo jam existente. Constat 2. ex versione arabica, quæ perfecte reddit sensum trium priorum vocum Geneseos.ex hebraico textu vertens: *Quod primum Deus crearit* (fuit cœlum et terra). اول ما خلق الله السماء والارض Constat 3. ex rabbinorum expositione David Kimchi in suis *Radicibus hebraicis*, art. ברא, scribit: *Vera significatio* בריאה (*Beriah*, substantivum τοῦ ברא) *est innovatio alicujus rei et sua egressio ex nihilo ad esse:* וכל לשון בריאה מלאיי ליש הוא התהדש הדבר וצאתו. *Et sic etiam dicit versiculus* (Isaiæ XLIII. 7.) *In honorem meum* CREAVI *eum* בראתיו; FORMAVI *eum*, יְצַרְתִּיו FECI *eum* עשירתיו. *Primo Ego* CREAVI *eum*, EX NIHILO EDUXI AD ESSE, *deinde formari eum, constitui per formæ dispositionem, et post hæc fecieum, quod significat* CONFINXI *eum, nam vox* מעשה *significat formam, figuram, configurationem alicujus rei ejusque postremam confectionem* (seu perfectionem). Moses Nachmanides (Ramban), *Comment. in Gen.* fol. 8. verso, edit. Wilmesdorfi: *Sanctissimus, sit benedictus!* inquit *creavit omnes creaturas* EX NIHILO ABSOLUTO. *Nos non habemus in lingua sancta nisi vocem* ברא *ad significandum educere substantiam ex nihilo.* R. Obadias Sephorno, *comment.* editis in *Biblia magna rabbinica*, Amstelodami, ait: ברא, *fecit quod non existebat.* In *comment.* Mendelssohn ac Salom. Dubna: ברא, *ejus significatio primitiva est* EDUCERE EX NIHILO AD ESSE, *fecit quod non existebat. Tropice postea usurpata est ad significandam additionem ad esse, augmentum substantiæ ejusque vis.* Ex hac postrema animadversione Mendelssohnii discimus, per solam *extensionem* adhiberi interdum ברא in significatione יצר, *formare*, et עשה facere, efficere. Cf. Gen. I. 26 et 27. coll. cap. II. 7. Hic demum adnoto protestantem Schultens (cujus auctoritate utitur Rosenmüller), dum ex proprio nomine observat adesse paritatem inter ברא, conjug. *Pihel et* برى Arabum (conjug. secundæ), sibi attribuisse, quod suum non erat. (Vid. *Excerpta et Anthologia veterum Poetarum*, quæ inscribuntur: *Hamasa Abi temmam*, ex MS. edit. Alb. Schultens, Lugd. Batav, 1767., pag. 383-84. in nota ad v. 3. *Abu' lkebyr).* Nam David Kimchi, op. et loc. cit. expresse affirmat, patrem suum, Josephum Kimchi, comparasse (hoc verbum cum daghesch) cum lingua arabica, quæ exprimit *asciare*, *cædere* לאיברי seu البرى

1) Idem docetur Rom. IV. 17.

2) Ex hæreticis omnium antiquissimus, qui negaverit creationem ex nihilo, est Hermogenes, quem tanquam stolidum disputatorem Tertullianus impugnavit in libro adversus eumdem. Marcion jecit potius fundamenta manichæismi de duobus principiis. Non defuerunt tamen sequioribus temporibus etiam in christianorum cœtu, qui simplicitati fidei et oraculis divinis humana deliramenta præponerent. Tales illi fuerunt, de quibus scribit Procopius Gazæus, non ignobilis sacrorum librorum sæculi VI. interpres, qui dicerent ætate sua, Moysem ab ægyptiis edoctum tradidisse, mundum a Deo ex materia quadam æterna conditum eaque de causa in græca versione capitis I. Geneseos vocabulum ἐποίησε *fecit*, adhibitum esse, quod de rebus etiam usurpari soleat, quæ ex materia quadam præexistente conficiuntur. En verba Pro-

spirarunt in hoc adstruendo dogmate. Imo patres omnes istud tanquam principium certum habuerunt adversus gnosticorum et manichæorum errores, ut adstruerent scilicet, Deum unum esse rerum omnium creatorem [1]), materiam vero ejusdem Dei conditoris esse opus.

145. Ex ratione sic thesis confirmatur. Mundus est finitus, constat enim partibus finitis; ergo est contingens, mutabilis et dependens; ergo ab alio est tum quoad materiem tum quoad formam, et causam efficientem habet, ac proinde improductus non est; quod improductum non est, aliquando non fuit; quod aliquando non fuit, habuit initium existendi; quod aliquando non extitit, ex statu mere logico seu possibili perductum est ad statum existentiæ; quod autem sic producitur, ex nihilo oritur, et quidem tum *sui* tum *subjecti*, ac proinde in tempore.

146. Quæ quum ita sint, corruunt per se iniquiora omnia systemata irreligiosa tum antiquorum tum recentiorum philosophorum. Ex dictis enim sequitur, absurdum esse *hylozoismum*, *autotheismum*, *pantheismum*, *manichæismum*, *emanatismum tum transeuntem tum permanentem* [2]), ac solam proinde mosaicam cosmogoniam admittendam esse; seu quod idem est: Deus, uti ex revelatione constat, mundum ex nihilo et *in* tempore seu *cum* tempore condidit.

DIFFICULTATES.

147. I. *Obj.* 1° Recentioris ætatis homines dubitarunt, an vere adfirmetur in libris sacris mundum ex nihilo esse creatum; 2° siquidem ambigua sunt verba Gen. I. 1., itemque formulæ II. Mach. VII. 28.; Hebr. II. 3., Rom. IV. 17., et Sap. II. 15. [3]). Verum, 3° quum miracula jam ab antiquissimis temporibus cogni-

copii translata ex græco exemplari, quod omnium primus dedit Steph. Souciet S. J. in *Observat. ad lib. posth. Rich. Simonii*, Paris 1730. IV. vol. in-8., cujus auctor habitus antea fuerat P. Tourneminius, eruditus alter e Soc. Jesu scriptor: „Cum vocabulum *ἐποίησε*, de illis etiam rebus adhibeatur, quæ ex materia quadam sunt, de falce v. g. quæ paratur ex ferro, et aliis rebus ejus generis, quæ conficiuntur ab artificibus, nata hinc est *nonnullis* occasio dicendi Mosen, quum ab ægyptiis edoctus esset, accommodate ad hanc sententiam verbum *ἐποίησε* usurpasse; quorum hominum fallaciam cum nescirent græci interpretes, Mosis verbum hebræum verterunt *ἐποίησε*; at quovis tempore strenui fidei defensores non defuerunt, qui ita eos refellerunt, ut nunquam assurgere potuerint, ac propterea obscuri jacuerunt" Ex his patet, qua fronte ausi fuerint, anglus Jac. Windetus in libro *De statu vita functorum*, lect. II, pag. 48; Burnetus, *Archæol. philosoph.* lib. II. cap. 9 pag. 453. aliique apud eosdem arguere scholasticos, quasi illi omnium primi creationem ex nihilo ex male accepta significatione vocis בָּרָא confixerint, antiquioribus christianis prorsus incognitam.

1) Cf. Iren. *Adv. hær.* lib. I. cap. 22; lib. II. cap. 2. et cap. 27; lib. III. cap. 8 edit. Massuet.: Tertull. *De præscript.* cap. 13 ac lib. I. *Adv. Marcion.* cap. 10 et seqq. Origenes, *De principiis*, in prooem. n. 4 edit. Maur. August. *De Genesi cont. manich.* lib. I cap. 2.

2) Cf. Imre, op. cit. cap. 2. §. I et seqq.

3) Wegscheider, §. 95. not. (d), et Baumgarten - Crusius, *Bibl. theol.* pag. 257 et seqq.

ta fuerint, haud longe abfuit mens humana a cogitatione ista creationis ex nihilo [1]), 4° quæ argumentis etiam philosophicis posteriori tempore demonstrata est. Hinc recte vocaveris dogma creationis ex nihilo ideam philosophicam ac recens natam, perperam Moysi adscriptam.

148. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Sociniani, deistæ ac rationalistæ, ***trans.*** vel ***conc.*** alii, ***neg.*** Ecquid non in dubium revocarunt ejusmodi hæretici vel increduli? Hinc nulla prorsus ratio habenda est ejusmodi hominum, qui a traditione recedentes atque ab ecclesiæ auctoritate et quacumque germanæ exegeseos regula, evanescunt in cogitationibus suis.

149. ***Ad*** 2m, Juxta dicta, ***neg.***

150. ***Ad*** 3m, ***Neg.*** suppositum, tum quia notio miraculi in creatione seu eductione rerum ex nihilo non includitur [2]), tum quia non ab humanæ mentis cogitatione prodiit idea creationis ex nihilo, sed ex primæva traditione seu revelatione divina.

151. ***Ad*** 4m, ***Dist.*** Facem præbente revelatione, ***conc.*** independenter ab ea, ***neg.*** Ut patet ex veteribus philosophis, quorum plerique saltem ut principiis philosophicis contrarium quidquam ex nihilo ad existentiam produci traduxerunt [3]); nec minus procul a vero abierunt philosophi recentiores, revelatione neglecta, ut ex dictis constat. Negamus propterea illationem, creationem videlicet ex nihilo esse ideam philosophicam, ac proinde a Moyse doceri non potuisse. Quin potius accedit, dogma et ideam creationis ex nihilo antiquissimam esse profectam ex traditione populorum, ac præcessisse ipsam græcorum philosophiam, cujus rei testes sunt cosmogoniæ poëtarum, quæ omnes incipiunt a *Χαὸς* ***Chaos***, quod proprie significat, ***vacuum, vastum, hiatum, inane*** seu ***nihilum*** [4]); testes præte-

1) Ständlin, ***Dogmatik und Dogmengeschichte***, seu ***Dogmatica et historia dogmatum***, pag. 212.

2) Cf. S. Thom. pag. I. q. 105 a. 7 ad I et I. 2. q. 113. a. 10.

3) Hinc Cicero, ***De div.*** lib. II cap. 16.: ***Erit aliquid***, inquit, ***quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat, quis hoc physicus dixit unquam?*** tom. XIII. opp. edit. Taurin. Cf. Moshœmii ***Diss. de creat. mundi ex nihilo***, ad cap. 5. ***System. intell. Cudworthi***, quæ tamen caute legi debet. Vid. Cl. Gerdilii ***Introduz. allo studio della religione***, lib. I. §. 2. tum lib. II. §. 9. et seqq.

4) *Χαός* enim est a *χάω* ***hio, vacuus sum, capio;*** vide Scapulam et Ernestuum. Hinc Joan. Dan. a Lennep. in ***Etymologico linguæ græcæ cum animadvers. Scheidii***, Trajecti 1808. ad hanc vocem scribit: ***A*** *χάω* ***remansit proxime derivatum*** *χαός*, ***sic vocabant*** vastum ***illud*** inane rerum condendarum capax... ***a*** *χάω*, ***sive*** *χάζω*, *χάσμα μέγα* (Luc. XVI. 26.), ***intercapedo magna.*** Hesiodus porro in ***Theogonia***, v. 123. scribit:

Ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινά τε
Νὺξ ἐγένοντο.

Ex chao vero Erebusque nigraque
Nox editi sunt.

et v. 116.:

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος.

Primo omnium quidem chaos fuit, et deinde
Tellus lato pectore prædita.

Ex his Ovidius, ***Metamorph.*** lib. I. v. 5. et seqq. etsi diversa significatione; Diogenes Laërtius in procœm. Segm. 10. hanc tradit fuisse ægyptiorum de rerum origine philosophiam, *ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσερα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῶά τινα ἀποτελεσθῆναι*; id est, „Materiam principium fuisse rerum, ex ea deinceps quatuor elementa discreta perfectasque quasdam

rea sunt cosmogoniæ ægyptiorum et phœnicum, quas exhibet Philo Biblius quasque plane consentire cum mosaica cosmogonia eruditis compertum est [1]).

152. *Inst.* 1° Ex quorumdam interpretum sententia sic verba Gen. I. 1. reddi debent: *Cum Deus fecit cœlum et terram, materia erat informis;* 2° quam expositionem confirmat versio alexandrina, quæ sic habet: *In principio Deus* FECIT *cœlum et terram*, id est, formavit ex præjacente materia, 3° juxta illud Sap. XI, 17: *Fecit* (Deus) *mundum ex informi materia* [2]). Profecto 4° Tertullianus aliique patres, ac nonnulli etiam theologi fatentur creationem ex nihilo ratione potius quam scripturæ auctoritate comprobari. Imo 5° Beausobre censet dogma creationis alienum esse ab antiqua judæorum theologia [3]). Ergo.

153. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Socinianorum, *conc.* orthodoxorum, *neg.* Cum sociniani juxta protestantismi principia, ubi pedem figant non habeant in sacrarum literarum expositione, eas contra nativum ac traditionalem sensum ad propria placita detorquent.

154. *Ad* 2m, *Neg.* Ideo enim LXX. vocem בָּרָא reddiderunt *fecit* (ἐποίησε), quia id quærit græcæ linguæ indoles, ut patet ex ipso symbolo constantinopolitano: *Credo in unum Deum factorem cœli,* etc. (ποιητήν), ubi vocem *factorem* significare *creatorem* nullum dubium est.

155. *Ad* 3m, *Neg.* Non aliud quippe exprimit Sapientiæ auctor, quam Deum non solum materiam condidisse (quod aliqui creationem *primam* vocant), sed ipsam præterea sapienter

animantes." Joan. Clericus in *commentariis* ad cap. I. Geneseos inquit: „Fragmenta doctrinæ veterum chaldæorum, Phænicum et ægyptiorum apud eas gentes mundi initium ostendunt. Ea collecta sunt a doctissimis viris T. Stanlejo philosoph. orient. lib. I, Hugone Grotio, lib. I. *De verit. relig. Christ.* et Joan. Marshamo, initio ægyptiaci canonis."

1) H. Grotius loc. cit. ostendit convenientiam cosmogoniæ phœniciæ, quam refert apud Eusebium, lib. I. cap. 10. *Præp. evangel.* Philo Biblius, seu potius Manethon ægyptius antiquissimus scriptor, cum cosmogonia mosaica. Porro et cum cosmogonia hebraica convenit ægyptiorum cosmogonia, quam refert Diodorus Siculus, *Biblioth.* lib. I, cap. 13. Cum tanta sit harum omnium cosmogoniarum convenientia, Hezel atque Hasse aliique critici protestantes arbitrati sunt ex communi aliquo fonte eas repetendas, nempe ex ægyptiorum libris sacris, Thauto tributis, e quibus Sanchuniaton, Berithus et Plato in Timæo suam deprompserant. His adstipulatur Rosenmüller. Sed quæri potest, unde ægyptii hauserint suam? Profecto nonnisi ex antiqua traditione. Moyses hanc traditionem integram servavit, ut patet ex ipsius narrationis simplicitate; contra cæteræ gentes illam plus minus corruperunt. Cf. Nicolai, *Dissert. e lezioni di sacra scrittura*, diss. V. proemiale, e lezione I. *sul Genesi*, ubi ingenti eruditione veterum et recentiorum usque ad ætatem suam placita expendit. Cæterum Gesenius, *commentat. de theol. samarit.* cap. 4. ostendit, samaritanos docere mundum ex nihilo conditum esse. Ab his non discrepant ipsi sinenses, qui ex antiquissima traditione docent, mundum seu cœlum et terram non secus ac hominem principium a Deo conditore habuisse. Cf. cl. Windischmann in erudito opere: *Die Philosophie*, etc. seu *Philosophia in progressu historiæ mundi*, vol. I, part. I, sect. I, pag. 142. et seqq. Bonnæ 1828.

2) *Οὐ γὰρ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χείρ, καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης.*

3) *Hist. de manich.* tom. II, pag. 182.

disposuisse (creationem *secundam* dicunt), ut patet ex contextu et ex auctoris scopo commendandi Dei sapientiam [1]).

156. *Ad* 4m, *Neg.* Tertullianus enim tum scripturarum auctoritate tum ratione ipsa ostendit adversus Hermogenem materiam non esse æternam [2]). Cæterum Bergier provocat adversarios, ut vel unum ex patribus vel theologis catholicis proferant, qui affirmaverit, aut saltem innuerit, creationem ex nihilo scripturæ auctoritate probari non posse.

157. *Ad* 5m, Esto. At irriti sunt omnes impii istius scriptoris conatus ad propugnandos manichæos et incredulos; singulis enim fere scripturarum paginis refellitur. Ipsum præterea judæorum institutum de sanctificatione sabbati, atque usus, qui apud omnes fere gentes antiquas obtinuit, supputandi tempus per septem dierum circulum [3]), seu per hebdomadarum periodum, non obscure traditionem innuunt de creatione, prout ipsam Moyses enarrat.

158. II. *Obj.* Justinus martyr, Origenes, Clemens alex. nullam agnoverunt creationem ex nihilo, sed materiam æternam professi sunt [4]). Ergo.

159. ***Resp. Neg. antec.*** Etenim S. Justinum æque ac Athenagoram ab hac criminatione præclare defendit Cl. Maran in præfatione ad istorum opera [5]); et sane S. Justinus in ***Exhort. ad græcos*** hoc asserit: ***Creator enim, nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id, quod fit, efficit. Opifex vero accepta ex materia condendi facultate opus suum construit*** [6]). Hinc Platonem arguit, quod Deum non *creatorem*, sed opificem fecerit.

1) Huic Sapientiæ loco explanando conferunt, quæ scribit S. Joan. Damasc. *De fide orthod.* lib. II, cap. 5. edit. Le Quien.

2) Cf. cap. 18. et seqq. et patebit, quot scripturarum testimoniis Tertullianus evincat creationem materiæ ex nihilo. Quamquam et ipsum librum ordi-tur ab argumento præscriptionis fidei catholicæ adversus recentem Hermogenis hæresim.

3) Henke, *Lineam. fid. christ.* pag. 81. dierum in hebdomades divisionem ægyptiis jampridem cognitam fuisse contendit, etiamsi Dio Cassius primus hujus rei mentionem fecerit. Ideler, *Handbuch der Mathemat.* etc. seu *Manuale mathematices et chronologiæ technicæ ex originalibus elaboratum*, II. vol. Bresl. 1825-26. I. p. 178 et seqq. et *Ueber die siebentägige Woche*, id est, *De hebdomada septem dierum*, eamdem supputationem ex rationibus astronomicis secundum ordinem, quem ægyptii planetis tribuerunt, repetitam esse vult. Ast perperam. Marshamus enim et Spencerus, qui ei præiverunt in hoc commento, validissime refutati sunt a Meyero, *De tempor. sacr. hebr.* Part. I, cap. 9. Quare rectius Grotius, *De verit. relig. chr.* cap. 16. et Jurieu, *Hist. des dogmes*, censent, usum in Oriente obtinuisse dividendi tempus in hebdomadas ab ipso mundi exordio, esseque residuum antiquæ traditionis de mundi creatione; recentior tamen usus invaluit denominandi dies a nomine planetarum. Videsis Nicolai, op. cit. lez. XVI. *del Genesi.*

4) Sic auctor *Epistolæ à Mr. de Beaumont*, pag. 50.

5) Præf. in opp. S. Justini part. II, cap. 2., ubi apertissima tum Justini tum Athenagoræ testimonia profert, quibus ipsi docent mundum et materiam e nihilo fuisse a Deo productam.

6) *Ὁ μὲν γὰρ ποιητὴς, οὐδενὸς ἑτέρου προσδεόμενος ἐκ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως καὶ ἐξουσίας ποιεῖ τὸ ποιούμενον. ὁ δέ δημιουργὸς, τὴν τῆς δημιουργίας δύναμιν ἐκ τῆς ὕλης εἰληφὼς κατασκευάζει τὸ γινόμενον.* Vid. opp. S. Justini, pag. 23. edit. D. Maran.

160. Origenes autem in Genesim et alibi non solum materiam creatam aperte affirmat, sed et impietatis eos arguit, qui eamdem Deo coæternam esse effutierunt [1]).

161. Clemens denique Alex. in *Exhort. ad gentes* speciatim docet, voluntatem Dei solam causam esse efficientem creati hujus orbis [2]).

162. III. *Obj.* 1° Notio creationis ex nihilo contradictionem involvit. 2° Hinc receptum illud apud veteres axioma: *Ex nihilo nihil fit.* Et sane 3° creari est mutari a non esse ad esse. Subjectum ergo postulat, in quo mutatio fiat; cum vero ejusmodi subjectum in nihilo nequeat esse, creationem impossibilem esse arguit. Rursum 4° materia, quæ a Deo creata supponitur, ante creationem vel fuisset in Deo vel extra Deum; at in Deo esse non potuit, qui purus spiritus est; non extra Deum, alioquin fuisset antequam crearetur [3]). Ergo.

163. *Resp. Ad* 1m, *Neg.* Nulla enim contradictio reperiri potest in eo, quod ex statu simplicis possibilitatis transit ad statum realis existentiæ [4]).

164. *Ad* 2m, *Dist.* Ex nihilo tanquam termino *positivo*, quo sensu veteres vocem illam usurparunt [5]), *conc.* ex nihilo tanquam termino *negativo*, *subdist.* Per se, *conc.* accedente infinita Dei potentia, *neg.*

165. *Ad* 3m, *Dist.* Improprie, *conc.* proprie, *neg.* Mutatio enim proprie dicta in generatione fit, in qua subjectum seu materia, quæ semper eadem remanet, ad aliam formam se transfert; in creatione autem cum tota substantia e nihilo *sui* et *subjecti* ad esse transferatur, subjectum saltem actu existens, in quo mutatio fiat, non requiritur. Quare creari, ut docet S. Thomas, magis proprie dicitur *fieri* quam *mutari* [6]); nihil enim in creatione mutatur, sed quod antea non erat, *esse* integrum perfectumque adipiscitur.

166. *Ad* 4m, *Resp.* materiam fuisse in Deo *virtualiter*, ut scholæ loquuntur, atque *eminenter*, non autem *formaliter*, qua ratione in Deo, qui spiritus est, materiam inesse utique repugnat; etsi non repugnet eam in Deo inesse *virtualiter*, quatenus scilicet Deus omnipotenti virtute eam ad existentiam ex non esse vocare poterat [7]).

1) In cap. I, Gen. tom. II, p. 2 et seqq. edit. maur.; ubi sententiam eorum, qui Deo materiam origine carentem elaborandam, artificum nostrorum more, dandam esse putant, *errorem* vocat, et late refutat; tum in Joan. tom. I, n. 18.

2) Cf. Bergier, *Traite histor. et dogmat.* tom. V. Part. 2. ch. 3. art. I. §. I, n. 3. et seqq.

3) Ita auctor operis *Système de la nature.*

4) Cf. Loke, *De l'entendement humain,* lib. IV, c. 10. cum observationibus Petri Coste, in versione gallica.

5) Cf. Cudworth, *Syst. intellect.* cap. 5. §. 14 et seqq. ubi prolixe effatum istud expendit, et quo sensu illud veteres usurpaverint, quo sensu vero accipiant recentiores; simulque ostendit non omnes veteres creationem ex nihilo, saltem in aliquibus, e. g. animis nostris inficiatos esse. Cf. etiam Huetius in *quæst. alnetan.* lib. II, cap. 5.

6) P. I, q. 45, a. I, ad 2.

7) Cf. S. Thom. loc. cit. q. 44, a. I, et seqq.

167. *Inst.* 1° Modus, quo aliquid ex nihilo eruitur, est prorsus incomprehensibilis, nec ulla experientia fulcitur; ergo est impossibilis. 2° Verum data ejusdem possibilitate, sequitur ab æterno mundum creari debuisse, quia causa ejus efficiens necessaria et æterna esset; 3° effectus vero causæ proprietates participare debet, ac proinde æternitatem. Sane 4° cur Deus distulisset potentiam suam promere ab hesterno die tantum? An quia noluit; An quia non potuit; Atqui si uno tempore non potuit, ne alio quidem potuit. Si noluit, cum in Deo nulla sit successio, nunquam voluit; si demus Deum aliquid voluisse, jam inde ab æterno voluit. Ergo.

168. ***Resp. ad*** **1m**, ***Trans.*** vel ***conc. antec. neg. conseq.*** Innumera fere sunt, de quorum existentia dubitare minime possumus, etsi modus nos lateat, quo se habeant, agant et operentur. Quot enim sunt naturæ phænomena, quæ ob oculos nostros obversantur, quæque non comprehendimus? De natura, non dicam spirituum, sed corporum ipsorum, quid intelligunt adversarii nostri? Quid de modo, quo anima in corpus, corpus vero in animam agat? Etsi igitur fateamur, nos adæquatam ideam creationis ex nihilo nobis efformare non posse, non desunt tamen exempla, quæ cunctis obvia sunt, quæque saltem rem hanc illustrent, qualia sunt cogitationum efformatio atque successio motus, quem anima corpori imprimit, aliaque ejusmodi [1]).

169. Sic ex eo, quod nulla experientia constet, aliquid ex nihilo oriri, inferri nequit impossibilitas originis ex nihilo. Nec enim finis seu terminus cognoscibilium, ac proinde possibilium solis objectis experientiæ definiri potest, ut kantianis placet. Cæterum illud solum impossibile est, quod contradictionem in suo conceptu involvit. Hæc vero neque ex incomprehensibilitate neque ex defectu experientiæ ostendi potest. Contra vero positiva contradictio ostenditur in hypothesibus adversariorum de materia a se existente, de emanatione, de reflexu divinæ apparitionis, aliisque ejusmodi, quæ ipsi excogitarunt.

170. ***Ad*** **2m**, ***Neg.*** sequelam; ad probat. autem, ***dist.*** Si causa efficiens æterna et necessaria agat necessario, ***conc.***; si libere agat, ***neg.*** Optime S. Thomas: ***Deus voluit***, inquit, ***ab æterno, ut mundus esset, sed non ab æterno, sed quando ipse ab æterno disposuit*** [2]).

1) Bayle ipse, auctor profecto non suspectus, in *Dict.* art. *Ovide*, remarque G, gravissimis rationum momentis ostendit, neminem sana ratione utentem dubitare posse, quin ipsa materia producta a Deo sit: „Il faut, pour bien raisonner sur la production, *inquit*, considerer Dieu comme l'Auteur de la matière, et comme le premier et le seul principe du mouvement. Si l'on ne peut pas s'élever jusqu'à l'idée d'une création proprement dite, on ne saurait éviter tous les écueils, et il faut de quelque cote qu'on se tourne débiter des choses dont notre raison ne saurait s'accommoder, etc." Cf. Bened. Pererius S. J. in opere: *De communibus omnium rerum naturalium principiis*, etc. in 4. lib. v. cap. 7. pag. 190. Romæ 1585. ubi octo affert argumenta, quibus ostendit sola ratione, mundum non modo quoad formam, sed etiam quoad materiam ex nihilo conditum esse.

2) *Contra gent.* lib. II, cap. 30. et seqq.

171. *Ad* 3m, *Dist.* Qui a causa necessaria et naturaliter agente producitur, *trans.*; qui a causa libera et ad nutum voluntatis provenit, *neg.* Responsio patet ex dictis. Transmisimus primum membrum, quod necessarium minime sit, ut causa attributum suæ naturæ semper communicet effectui, ut in *sagitta* et *vulnere* ab illa inflicto palam fit.

172. *Ad* 4m, Responsio ad impudentem æque ac absurdam ejusmodi expostulationem ac dilemma, quod subsequitur, patet ex responsione ad secundum [1]).

173. *Dices*: Posito mundi initio, tempus, quod mundi creationem præcesserit, omnino vacuum admittere oporteret, quod est plane absurdum.

174. *Resp.* Id est, imaginarium, *trans.* reale, *neg.* Cum enim tempus successionem involvat, tunc primo incipit, dum entia contingentia existunt, quibus non existentibus, nullum datur tempus, sed sola ejusdem possibilitas; quo fit ut, dum entia existere incipiunt, proprie *non* in tempore, sed *cum* tempore incipiant.

CAPUT II.

DE MOSAICA COSMOGONIA.

175. Etsi theologi munus non est, reconditiora scientiarum naturalium, ut vocant, penetralia pervadere, atque maturiori examini subjicere; ubi tamen necessitas postulat, cum religionis christianæ hostes scientiis naturalibus abutuntur in ipsius religionis perniciem, nihil vetat quominus christianæ fidei propugnatores et vindices, ea qua par est temperantia, seu quatenus opus est ad religionem ab impiorum conatibus tuendam, iisdem utantur.

176. Jam vero increduli nullum non movent lapidem, ut mosaicam narrationem de mundi creatione evertant. Quod ut perficiant, ad physicam, ad telluris historiam confugiunt, nec non ad astronomicas leges, ex quibus constare affirmant, per quam tardam montium constructionem, situs maris mutationem, vulcanorum extinctorum pervetustam antiquitatem, fossilia in terræ visceribus delitescentia, eclipticæ inclinationem, aliaque non pauca necessario exposcere sæculorum seriem, quæ cum mosaica historia haud queat conciliari.

177. His porro disjiciendis, ut faciliorem nobis viam sternamus, quædam accurate præmittenda ducimus; quibus constitutis, veluti sua sponte concidunt quæcumque magno illi molimine ac inutili labore adversus mosaicam cosmogoniam, vel si magis placet, geogoniam congesserunt.

1) Vid. Tassoni, *La religione dimonstrata e difesa*, tom. I, lib. I, pag. 39. edit. Rom.

178. 1° Quidem notandum est, si strictius loqui velimus, mosaicam chronologiam initium ducere ab hominis creatione. Moyses enim annos tantum enumerat Adam cæterorumque patriarcharum.

179. 2° Nondum exploratum apud omnes esse, utrum sex dies, de quibus Gen. I. est sermo in enarranda rerum creatione, sint revera sex dies naturales, an potius sex indeterminatæ atque indefinitæ plurium aut dierum aut annorum periodi.

180. Hujus enim sententiæ patroni animadvertunt, vocem *dies* in libris sacris non præ se ferre notionem certam ac invariabilem, sed interdum tempus lucis (appellavitque *diem lucem*), interdum indeterminatum temporis spatium, ut Gen. II 4., ubi Moyses ipse scripsit: ***Istæ sunt generationes cœli et terræ... In die, quo fecit Dominus cœlum et terram et omne virgultum agri***, etc., id est *in tempore*, quod apud græcos latinosque non minus quam apud hebræos, inquit Petavius, usitatum est [1]; animadvertunt præterea, tres dies priores similes nostris haud esse potuisse, quum nonnisi die quarta facta fuerint luminaria, ut diei ac nocti præessent, quod multo magis valere debet de die septima, in qua Deus ab omni opere, quod patrarat, quievisse perhibetur, qui adhuc perdurat [2]; et sane, addunt, si non solum Philoni judæo [3], sed et Clementi Alex [4]; Origeni [5], Procopio gazensi [6], ac præsertim S. Augustino [7]) licuit, salva fide, sex dies creationis a vulgari sex dierum interpretatione recedere, ac totum creationis opus momento temporis expletum asserere; si absque temeritatis nota S. Eucherius lugdunensis [8], Tonti, Serry, Macedo, Berti aliique eamdem sententiam tueri potuerunt [9]; si non admodum dissimilem

1) Lib. I. *De opificio sex dierum*, cap. 14. §. 1, ubi exemplum adducit ex Cicerone, qui lib. II, in Verrem inquit: *Itaque, cum ego* diem *in Siciliam inquirendi* perexiguam *postularissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam* biduo breviorem diem *postularet.*

2) *Dies septimus*: inquit apposite S. August. *conf.* lib. XIII. cap. 36., *sine vespere est, nec habet occasum.*

3) *De Opificio mundi*, tom. I, opp. edit. Mangey. Londin. 1742.

4) *Strom.* lib. VI, pag. 813, edit. Potteri, Venet. 1757.

5) *De princ.p.* lib. II. cap. 5.

6) Procopii gazæi sophistæ *Octateuchum comm. in Gen.* cap. I.

7) Lib. II. *De gen. contra manich.* c. 3. *De Gen. ad lit. imperf.* cap. 2, 9, 15.; *De Gen. ad lit.* II, IV, V, VI. Vid. S. Thom. in II. *sent.* dist. XII, q. I. a. 6, et in *summa*, P. I, q. 58, a. 6. Faure S. J. in *Enchirid.* S. Aug. p. 18.: Animadvertendum porro hic sedulo est, Augustinum non omnem temporum successionem negare, sed in op. *De Genesi ad liter.* opinari in instanti quidem evenisse, quæ Moyses narrat, cap. I., verum illo momento multa facta fuisse tantum *causaliter, invisibiliter, potentialiter, quomodo fiunt futura non facta*, e. g. *tum produxisse terram herbam et lignum, id est producendi accepisse virtutem*, postea vero, non aliis arcanis diebus, sed *per istas notissimas lucis corporalis dies, qui circuitu solis fiunt*, in lucem prodiisse. Cf. præsertim lib. V. et VI.

8) Sive auctor doctus et cathol. *comment. in Genes.*, quod ejus nomine circumfertur.

9) Berti *De theol. discipl.* lib. XI, cap. 2, prop. I, ubi plures sive antiquos sive recentiores pro eadem sententia recenset. Cf. etiam Petav. *De opif. sex dier.* loc. cit. cap. 5, nec non card. Noris, *Vind. Augustin.* cap. 4 §. 9. Natalis Alex. hist. *eccles. Vet. Test.* tom. I. diss. I, art. 8. prop. I; Nicolai, *Lezioni* VI, *sul Genesi.*

expositionem primi Geneseos capitis Cajetanus et Melchior Canus [1]) impune dederunt, aperte consequitur, nihil obesse, quominus expositio de sex periodis indeterminatis admittatur, eo magis quod S. Augustinus tum in lib. IV, ***De Gen. ad lit.*** cap. I, tum in lib. XI. ***De civ. Dei***, cap. VII, speciatim doceat, nil temere pronunciandum circa naturam dierum creationis; sic enim loquitur, ***De civ. Dei***, lib. I, cap. VI: ***Qui dies cujusmodi sunt, aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere?*** Animadvertunt denique, eidem interpretationi suffragari antiquissimas tum persarum tum hetruscorum cosmogonias; in persica enim, prout legitur in Zendavesta, perhibetur Oromazdes summi numinis primogenitus, hunc mundum ***sex temporibus*** creavisse, initio facto a lumine, et postquam omnia absolvisset, festa celebravisse [2]). In hetrusca autem, ut habet anonymus quidam auctor apud Suidam, traditur Deus sex mille annos rebus universis condendis impendisse [3]). Ab his autem non valde abhorrent ægyptiorum et phœnicum cosmogoniæ superius commemoratæ [4]).

181. Non desunt qui aliam viam ineant ad conciliandas observationes geologicas cum historia creationis Mosaica. Hi igitur quibus expositio sex dierum ceu totidem indefinitarum periodorum non probatur, dispescunt duos priores versiculos cap. I Geneseos a reliquis, contenduntque inter creationem cœli et terræ quam veluti in compendio complexus est Moyses ver. 1 et formationem lucis de qua in ver. 3 fluxisse periodum temporis indeterminatam, opus vero primæ diei successisse tenebris et ruinæ mundi anterioris; existimant mundum hunc anteriorem

1) Cajet. in *comment.* ad cap. I. Gen. v. 5.; Melch. Canus apud Bannez, p. I, q. 74. art. 2 n. I.

2) Cf. Moshœmii dissert. citata, qui tamen censet ea, quæ leguntur in Zendavesta de creatione mundi, ubi sex temporibus intra anni unius spatium ex dispari dierum numero constantibus peracta, eodem tamen ordine, quo cap. I. Geneseos refertur, ex christianorum aut judæorum libris desumpta potius, quam apud persas nata esse. Non pauca tamen sunt, quæ nos prohibent, quominus ipsi assentiamur.

3) In *Lexico*, tom. III. ad vocem ***Τυῤῥηνία, χῶρα***, seu ***Tyrrhenia, Regio***, ubi refert ex fide cujusdam anonymi tyrhenios seu tuscos accepisse Deum illum, a quo condita sunt omnia, duodecim mille annos consumpsisse in fabricandis operibus suis: mille primis cœlum et terram comparata ab eo esse; post hæc cœlum illud esse constructum, quod oculis nostris patet; tum mare et aquam, etc. sex igitur annorum millia effluxisse, antequam homo fingeretur a Deo; reliquos sex mille annos humano generi esse tributos, ut in his terris vitam degat.

4) Philo Biblius ex Sanchuniatone, quem ipse ex lingua phœnica sub Hadriano imperatore in græcam transtulit (apud Eusebium, ***De præp. evang.*** lib. I, cap. 10), refert phœnicum theologiam ponere principium hujus universi aerem tenebrosum et spiritualem, sive spatium aeris tenebrosi et chaos caligine involutum: *Ταῦτα δὲ εἶναι ἄπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας· ὅτε δὲ, φησὶν ἠράσθη τό πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν, καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος, κ. τ. λ.* id est: „Hæc porro infinita esse, nullumque nisi longo *sæculorum intervallo* terminum habere. Verum, ubi spiritus amore principiorum suorum flagrare cœpisset, cumque simul esset mixtio consequuta, nexum hunc mutuum cupidinem appellarunt, etc" fuse enim hanc descriptionem persequitur, quam quisque ibid. videre poterit. Interea ex his patet istarum cosmogoniarum in iis, quæ ad substantiam spectant, mira consensio.

cujus duratio indeterminata est, perinde ac tenebrarum tempus, habuisse incolas suos, spectare vero ad ruinas hujusmodi anterioris mundi rudera, et fossilia quæ nunc in diversis globi stratibus reperiuntur [1]).

182. Has vero expositiones, quas non pauci ex recentioribus theologis atque interpretibus catholicis tuentur, nos neque amplectimur neque respuimus; hoc unum nobis in præsentia satis est animadvertere, ejusmodi sententiam non esse ab ecclesia proscriptam, ac non solum salva fide, sed etiam absque temeritatis nota defendi posse, si graves ipsi rationes suffragentur. Quare, si *evidentes* observationes nos cogant a communi interpretatione recedere, nullum detrimentum patitur mosaica cosmogonia, quæ in hac hypothesi optime cum iisdem cohærere potest; sin vero ejusmodi observationes non habeantur, perperam adversarii eas mosaicæ cosmogoniæ opponunt, quæ, etiam admissa communiori interpretatione, nulla ratione convellitur [2]).

183. Demum animadvertendum est, nos minime debere judicium ferre de origine mundi ejusque formatione ex actione lenta et progressiva causarum secundarum, quæ mundum semel constitutum regunt; quum Deus omnipotenti virtute sua vim (δύναμιν) agentium naturalium augere potuerit ac rapidio-

1) Ita quidem Buckeland in op. *La géologie et la minéralogie dans leurs rapports avec la théologie naturelle*, 2. vol. in 8. trad. ex angl. Paris 1840. Cf. tamen circa hoc systema duos doctos articulos P. Pianciani S. J. in *Annali delle scienze religiose*, vol. VI. n. 17 et vol. VII, n. 20. Cf. pariter *Les soirées de Montlhery, entretiens sur les origines bibliques par M. Desdouits*. Paris 1836.

2) Quare merito D. Frayssinous, *Défense du Christ. ou conferences sur la religion*, tom. II, confer. VI, circa medium scripsit: „Dès lors nous sommes en droit de dire aux géologues: Fouillez tant que vous voudrez dans les entrailles de la terre, si vos observations ne demandent pas que les jours de la création soient plus longs que nos jours ordinaires, nous continuerons de suivre le sentiment commun sur la durée de ces jours; si au contraire vous découvrez d'une manière évidente, que le globe terrestre avec ses plantes et ses animaux doit être de beaucoup plus ancien que le genre humain, la Genèse n'aura rien de contraire à cette découverte; car il nous est permis de voir dans chacun des six jours autant de périodes de temps indéterminées, et alors vos découvertes seraient le commentaire explicatif d'un passage, dont le sens n'est pas entièrement fixé." In hoc porro aliisque similibus argumentis, in quibus aut cum astronomis aut cum physicis, chymicis, geologis agendum est, nunquam theologus prætereat præclara monita SS. Augustini et Tomæ Aquinatis. Ille enim lib. II, *De genes. ad lit.* cap. I, n. 4: „Hic, *inquit*, occurrit admonere cavendum errorem . . . ne arbitretur aliquis nostrum adversus istos... subtiliter disserentes, isto testimonio scripturarum esse nitendum; quia illi, non retenti auctoritate literarum nostrarum, et nescientes, quemadmodum dictum sit, libros sanctos facilius irridebunt, quam illud repudiabunt, quod vel certis rationibus, vel experimentis manifestissimis probaverunt." Hic autem P. I, q. 68 de opere sextæ diei, art. I, scribit: „Sicut Augustinus docet, in hujusmodi quæstionibus duo sunt observanda. Primo quidem ut veritas scripturæ inconcusse teneatur. Secundo, cum scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, quod si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum scripturæ esse asserere præsumat; ne scriptura ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur." Hoc prudenti consilio, quo hac ætate nostra potissimum opus est, utentes, theologi nec sese nec religionem ipsam incredulorum ictibus committent.

rem evolutionem entium efficere, et, quemadmodum animantes et hominem ætate jam adulta condidit, eadem ratione mundum ipsum ejusque partes singulas, montes præsertim, quos *primitivos* vocant; uno temporis puncto potuit efficere. Quibus præmissis, sit

PROPOSITIO.

Neque ex geologicis aut physicis, neque ex astronomicis observationibus quidpiam eruitur, unde cosmogonia mosaica infirmari possit.

184. Post ea, quæ hactenus præmissa a nobis sunt, vix probatione indiget enunciata propositio. Vel enim, quæ ex geologia, ex physica atque astronomia proferuntur, talia sunt, ut cum communiori expositione componi possint, vel non. Si primum, perperam igitur traducitur mosaica cosmogonia velut contraria novis ejusmodi observationibus; si alterum dicatur, hoc unum sequeretur, recedendum esse a communiori illa interpretatione, quæ privatorum est, non autem ecclesiæ; hæc autem nullo unquam solemni judicio eam sancivit; neque unanimis est circa eam patrum consensus; sarta proinde tectaque semper mosaicæ cosmogoniæ veritas perstabit.

185. Nonnulla tamen hic animadvertere juverit. Et 1° omnia fere obsoleverunt systemata illa geologica, quæ ad hæc fere tempora invecta sunt, ex quibus plusquam octoginta mosaice cosmogoniæ adversari videbantur [1]. 2° Plures iique doctissimi physici et geologi, inter quos Wallerius [2], Kirwan [3], Pallas, Hermenegildus Pini [4], Henslerus [5], De Luc [6], André [7], Buckeland [8] aliique contendunt mosaicam cosmogoniam apprime convenire cum observationibus suis (plures ex his non recedendo a communi illa interpretatione [9]), ideoque velut somniato-

1) Cf. *Discorsi apologetici di Fr. Duncan, corredati di note da Monsig. Gio. Fortunato Zamboni,* Firenze 1820. disc. II, not. 15 et seqq. ubi plura systemata recensentur, quæ sibi invicem successerunt. Cf. etiam Frayssinous, loc. cit. nec non Cuvier, *Rapport de l'institut national,* edit. ad calcem operis, de quo mox dicemus, scilicet: *Théorie de la surface actuelle de la terre par M. André, connu cidevant sous le nom du* Père de Gy, Capucin, 1806. pag. 322. et reqq.

2) In opere in italicum idioma ex sueco, seu potius ex gallico translato, cui titulus est: *Della origine del mondo e della terra in particolare, del sig. cav. Wallerio,* etc. Napoli 1783. tom. II, in 8. edito ab auctore anno 1779. Hujus autem auctoris systema dissertatione exposuit et illustravit Cl. Cost. Battini, Ordin. Serv. Mariæ, non ita pridem theologiæ professor in Pisano Athenæo, in opere *Cosmogonia mosaica commentario illustrata.* Florentiæ 1817. Hoc vero Wallerii systema nunc obsoletum est.

3) In *Geological essay*, p. 35.

4) *Nuova teoria della terra*, opusc. di Milano, tom. XIII. et XV.

5) In observationibus in Geneseos loca selecta.

6) *Lettres sur l'histoire physique de la terre, adressées à* M. Blumenbach, Paris 1798.

7) *Théorie de la surface actuelle de la terre*, Paris 1806.

8) *Vindiciæ geologicæ,* Oxonii 1821; et *De la géologie et de la minéralogie dans leurs rapports avec la théologie naturelle*, Paris. 1838.

9) Dixi *plures* ex his non recedendo a communi interpretatione; neque enim

res traducunt, quotquot ausi fuerunt mosaicam creationis historiam falsitatis arguere vel ex interiori telluris constructione vel ex ejusdem telluris superficie. 3° Magnam affinitatem inter seriem operationum, quæ Gen. I. exponuntur, et eam, quam e naturalibus observationibus deducere credunt, animadverterunt docti geologi Brocchi [1]), Demerson [2]), Boubée [3]). 4° Quædam ex his, quæ vulgari interpretationi objiciuntur, nullius momenti esse doctiores naturalistæ fatentur [4]). 5° Nonnulla phænomena, quæ magnam sæculorum seriem exposcere visa sunt, vel satis commode repetuntur a noetico cataclysmo, cui probabiliter debemus non pauca ex ossibus elephantum, rhinocerotum, etc., quæ pluribus in locis sub ipsa prima telluris superficie reperiuntur, vel satis explicantur, si admittimus cum J. A. De Luc et aliis doctis viris terras minus elevatas, quæ modo habitantur, aquis maris usque ad diluvii tempus coopertas fuisse [5]).

186. Ad astronomiam porro quod attinet, post Euler, Laplace, Lagrange, Frisium aliosque peritissimos astronomos compertum est, motum eclipticæ, ex quo difficultas petebatur, non esse progressivum, sed oscillatorium, et quidem intra angustum unius gradus spatium [6]); idipsum pariter dicatur de phæ-

omnes, quos recensuimus mosaicæ cosmogoniæ propugnatores, sex dierum spatio vulgari sensu accepto mundum confectum esse contendunt. Satis sit inter eos recensere J. A. De Luc, qui tamen passim laudatur tanquam acerrimus assertor cosmogoniæ mosaicæ, quasi communiori interpretationi dierum cap. I, Gen. adstipularetur; quod quam falsum sit, liquido patet ex ejus verbis, quæ hic subjicimus ex op. cit. lit. 3 pag. 95 et 96.: „Les opérations, qui curent lieu depuis cette grande EPOQUE (*creationis lucis*) jusque à la naissance de l'homme, réci Aées dans le premier chapitre de la Genèse, y sont divisées en six PERIODES, nommées JOURS dans nos traductions; et c'est sur l'interprétation commune de ce *mot* que les incrédules ont fondé leurs attaques les plus spécieuses contre la Révélation. Car quoiqu'ils n'eussent que fort peu de connaissances en géologie, il était aisé d'opposer bien des phénomènes à une succession de tels événements qui n'aurait embrassé que *six* de nos *jours* de vingt-quatre heures. Mais il est évident par le texte même que cette interprétation est erronée, etc." Hæc eadem repetit in suis epistolis physicis et moralibus, *De historia telluris et hominis*, tom. II, pag. 356 in suis *Principiis theologiæ Theodiceæ et moralis*, pag. 23 et speciatim in epistola quadam sua, quam inseruit relationi cum Tellero ministro berolinensi. Sic alii, a quorum testimoniis afferendis, ne longiores simus, supersedemus. Recentiores vero unanimes fere in eam sententiam seu interpretationem abierunt.

1) *Conchiologia fossile subapennina*, tom. I, pag. 217. Milano 1814. ubi scribit: „Del rimanente le proposizioni recate innanzi in questo discorso non si oppongono per nulla all'autorità della bibbia, anzi mirabilmente vi si confermano, purchè si voglia ammettere, come gravi autori hanno sostenuto, che i giorni della creazione non sono altrimenti giorni solari, ma che rappresentano periodi d'indeterminata lunghezza. Aggiungo di più: la successiva produzione degli esseri viventi, quale fu esposta da noi, giustamente quadra con quanto viene dichiarato in quel libro." Quod deinde fuse persequitur.

2) *Geologie*, pag. 408 461, Paris. 1829.

3) *Geologie elementaire*, Paris 1833 pag. 63, cujus textum inferius afferemus.

4) Apposite Demerson op. cit. Avert. p. 6: „Le temps, *inquit*, qui fait justice de tout ce qui n'est pas vérité, appesantit ses mains de fer sur ces ingénieuses et brillantes cosmogonies."

5) De Luc, op. cit. letr. 6; H. Pini, *Esame analitico dell' opera:* Institutions géologiques par Scipion Breislak.

6) Euler fortasse omnium primus vel suspicatus est vel significavit motum

nomenis præcessionis æquinoctiorum [1]) et nutationis axis telluris, lunæ ac planetarum, ex quibus increduli non ita pridem tot argumenta ineluctabilia adversus mosaicam cosmogoniam se eruere jactabant [2])

187. Adeo certum est, scientiarum progressus, nedum religioni christianæ noceant, novum semper eidem firmamentum ac robur adjicere; nec quidpiam sive ex geologicis aut physi-

eclipticæ esse undulatorium, quod postea a subsequentibus astronomis Lagrange et Laplace aliisque demonstratum est. Nobis satis sit verba afferre cl. Laplace, qui in op. *Exposition du système du monde*, Paris an. VII, liv. II, ch. 4 hæc habet: „L'axe du monde n'étant que le prolongement de l'axe de rotation de la terre, on doit rapporter à ce dernier axe le mouvement des pòles de l'équateur céleste, indiqué par les phénomènes de la précession et de la nutation.... ainsi, en même temps que la terre se meut sur elle-même et autour du soleil, son axe de rotation se meut très-lentement autor des poles de l'écliptique, en faisant de *petites oscillations*, dont la période est la même que celle du mouvement des nœuds de l'orbe lunaire. Au reste, ce mouvement n'est point particulier à la terre, etc." Hoc ipsum vero calculis ostendit in *Traite de la mecanique céleste*, tom. III, liv. VI, ch. 10 Paris 1802.

1) Placet etiam id exponere verbis ejusdem auctoris, qui op. cit. lib. I, cap. II, pag. 50 ait: „Il n'a fallu que peu d'années pour reconnaitre la variations des étoiles en ascension droite et en déclinaison. Bientot on remarqua qu'en changeant de position relativement à l'équateur, elles conservaint la meme latitude sur l'écliptique, et l'on en conclut que leurs variations en ascension droite et en déclinaisons ne sont dues qu'à un mouvement commun de ces astres, autour des poles de l'écliptique... Dans ce mouvement, l'inclination de l'équateur à l'écliptique reste la même, et ses nœuds ou les équinoxes rétrogradent uniformément de 154, 63. par année. On a vu précédemment que cette rétrogradation des équinoxes rend l'année tropique un peu plus courte que l'année sydérale; ainsi, la différence des deux années sydérale et tropique et les variations des étoiles en ascension droite et en déclination dépendent de ce mouvement par lequel le pole de l'équateur décrit annullement un arc de 154." 63. d'un petit cercle de la sphère céleste, parallele à l'écliptique. C'est en cela que consiste le phénoméne connu sous le nom de précession des équinoxes." Qui ibid. pergit ostendere parvas irregularitates, quæ in æquinoctiorum præcessione cernuntur, non provenire nisi ex motu poli, qui dicitur *nutationis*, ac pariter reperitur in cæteris astris.

2) Quod ut facilius intelligatur, animadvertendum est eclipticam ab astronomis vocari lineam illam seu orbitam, quam sol annuo suo cursu apparenti percurrit. Verum ecliptica est obliqua æquatori; hac autem obliquitate constituit una cum æquatore angulum graduum viginti trium cum viginti octo fere minutis; æquator enim est circulus maximus æque distans a polis, ac proinde secans terram in duas partes æquales. Jam vero tempore Arati, seu potius Hipparchi angulus eclipticæ cum æquatore erat viginti quatuor circiter graduum, si istorum tamen observationibus acquiescere possumus. Ex diversa porro hac eclipticæ inclinatione seu rectius inclinatione axis telluris, concludebant non ita pridem increduli eclipticam seu telluris axem olim fuisse aut verticalem, aut parallelam æquatori seu potius coincidentem cum æquatore ipso, ac paulatim ad eam inclinationem pervenisse, quam obtinebat ætate Arati aut Hipparchi ac deinde ad eam, quæ nunc habetur. Cum vero ingentes annorum myriades ad hoc requirantur, inferebant, mundum longe anteriorem mosaica chronologia esse. Ast dupliciter errabant increduli isti. *Primo* in eo, quod nullam admittebant mendam in Arati observationibus, quas tamen constat fuisse imperfectissimas; recens enim nata in schola alexandrina erat astronomia; satis autem est ad hoc cognoscendum percurrere tres libros Hipparchi apud Petavium, *De doct. temp.* tom. III, ex his enim patet Hipparchum perpetuo Aratum erroris arguere. Sed neque erroribus carent observationes ipsius Hipparchi et Ptolomæi defectu præsertim instrumentorum. Quod facile si opus esset, ostendi posset. *Secundo* in eo errabant, quod arbitrati sunt hunc eclipticæ seu axis telluris motum esse progressivum, quod tamen est falsum. Recentiores enim astronomi, ut vidimus ex theoria gravitationis universalis ostenderunt, ejusmodi motum non esse nisi oscillatorium. Hinc omnes incredulorum difficultates penitus evanescunt.

cis, sive ex astronomicis observationibus erui posse, quo mosaica cosmogonia vel minimum lædatur aut infirmetur, prout ostendere nobis erat propositum.

DIFFICULTATES.

188. Ex dictis patet vix ullum difficultatibus locum esse, cum objectionibus ex naturalium scientiarum studiis depromptis vel depromendis satisfactum sit. Perscrutentur geologi quantum libet diligentissime montes primitivos, secundarios, tertiarios, ipsaque vulcanorum viscera; distribuant per species et genera conchas et buccina, *quæ peregrinantur in montibus*, ut cum Tertulliano loquar; dicant cum Pythagora apud Ovidium:

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum; vidi factas ex æquore terras;
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ [1]);

vel cum Manilio:

Emersere fretis montes, orbisque per undas
Exiliit; vasto clausus tamen undique ponto [2]).

ostendant immania belluarum ossa e terræ sinu educta; digladientur, si placet, geologi neptunistæ cum vulcanistis aut plutonistis [3]); id nunquam attingent, quod vehementer adeo quærunt, ut nempe demonstrent Moysem falsam epocham mundi creationi assignasse. His propterea dimissis, superest ut rationalistarum difficultates proponamus.

189. I. *Obj.* 1° Duplex illa cosmogoniæ species, quæ in lib. Gen. (I. 1, et II. 4) tradita ac reliquarum gentium priscarum mythis simillima quidem, sed iis simplicior est atque præstantior, e philosophematibus et traditionibus antiquissimis videtur esse conflata. 2° Hujus auctorem recte monuerunt (critici biblici) hoc in primis utrumque sibi proposuisse: *primum* ut Dei unius, rerum omnium creatoris, notionem, tanquam religionis et civitatis israeliticæ fundamentum, hoc documento confirmaret; *deinde*, ut legem de septimo quoque die consecrando tanquam aptissimum obsequii Deo hujus civitatis regi præstandi testimonium illustraret et commendaret. 3° Quum vero in ea narratione pleraque contineantur; quæ neque inter se, neque cum vera Numinis idea, neque cum historia telluris, quantum nunc quidem perspicimus, bene conciliari possunt; facile intel-

1) *Metamorph.* lib. xv. v. 262. et seqq.
2) *Astronomicon.*
3) Hypotheses neptunistarum et vulcanistarum supponunt orbem hunc a principio fuisse *fluidum*, in quo scilicet dissoluta erant principia seu elementa corporum, quæ solidam hanc constituunt terræ massam; ast lis viget inter utriusque hypothesis fautores in constituendo, quod a chimicis vocatur *solvens*. Juxta neptunistas hoc dissolvens est aqua; juxta vulcanistas est ignis. Hi a nonnullis plutonistæ dicuntur; et vulcanistæ appellantur, qui ab igne repetunt quasdam rupes (rocce) et quædam mineralia, quæ alii contra ab aqua repetunt. Theoria plutonistarum fere obsoleverat; at nunc iterum revocatur, ut patet ex citatis operibus Demerson et Boubée.

ligitur, quæstionum de tempore et modo, quo mundus fuit conditus, metaphysicarum solutionem, quippe quæ omnem mentis humanæ captum superare videantur, in mytho illo minime reperiri 1).

190. ***Resp. ad*** 1m, ***Neg.*** suppositum de duplici illa cosmogoniæ specie in citatis locis a Moyse tradita; sed quod ipse contraxerat in primo capite circa hominis præsertim creationem, ne intermitteret narrationis seriem, quam sibi proposuerat, latius prosequitur in capite secundo.

191. Quod vero additur de similitudine mosaicæ narrationis cum mythis priscarum gentium atque ex antiquissimis philosophematibus erutæ, non aliunde provenit nisi a mythico rationalistarum ingenio. Moyses historiam suam de mundi origine per traditionem accepit ex antiquioribus patriarchis 2). Cum vero gentes omnes ex Noë posteris prognatæ sint, eamdem traditionem servarunt ac posteritati transmiserunt, non uno tamen in loco, ut fit, latius amplificatam ac variam; maxime

1) Hic observare juvat nonnullos contendere præter traditionem oralem præsto fuisse Moysi nonnulla antiquiora monumenta, quæ postea interciderunt, imo enim ex diversis fragmentis inter se dispositis et ordinatis priscam historiam assuere potuisse nonnulli existimant, quod colligere sibi videntur ex diversa ratione, qua nomen Dei in nonnullis capitibus continuo nuncupatur, ex certis loquendi formulis atque dictionibus propriis et peculiaribus, etc. Alii eo progressi sunt, ut inspectis diligenter istis variorum monumentorum notis, definire studuerint singulas libri particulas. Ast mirifice inter se dissentiunt in veteribus his monumentis determinandis. Astruc enim in opere, cui titulum fecit: *Conjectures sur les mémoires originaux dont il paraît que Moïse s'est servi pour composer le livre de la Genèse, avec des remarques*, etc., in-8. Bruxelles 1753. *duodecim* recenset; Eichhorn in *Einleit. in das A. T.* seu *Introductio in V. T.* part. 2. pag. 274. edit. tert. et alibi, *duo* hæc potissimum fuisse contendit; Ilgen. *Die Urkunden des ersten*, etc. id est *documenta primi Moysis libri in ipsorum forma originaria ex hebræo*, etc. Halæ 1798., e *tribus* monumentis antiquioribus librum Geneseos contextum autumat. Sed hæ nonnisi conjecturæ sunt. Rosenmüller in *Proleg. in Genes.* §.3., putat Moysem quæ de populi hebræi majoribus refert, partim a priscis narrationibus carminibusque hebræorum ore propagatis, partim e scriptis tribuum stemmatibus et familiarum genealogiis hausisse. Quod quidem a vero abscedere non videtur.

2) In hac parte Rosenmüllero assentiri nequeo, qui suis biblicis indulget, dum cap. I. ait: „Illa autem quod attinet, quæ de rerum ortu, deque generis humani initiis et primis sæculis, progressibus et fatis apud eum *(Moysem)* leguntur, videtur quæ cultiores hebræis populi vicini, phœnicii atque ægyptii de illis rebus tradiderunt, in suos usus ita convertisse, ut illa iis, quæ ipse de uno Deo, conditore et moderatore omnium. colendo doceret, accommodaret." Cur non potius a majoribus suis hæc ipsa Moyses accepisse dicendus est, quam a phœnicibus, cum quibus ipse nunquam conversatus est, et ab ægyptiis, qui tot annorum myriades antiquitatis sibi tribuebant, quibusque recentem mundi ortum opponit? Apposite De Luc,, op. cit. 6. lettre, confutat hanc incredulorum sententiam, deductam ex similitudine, quæ intercedit inter mosaicam cosmogoniam et mythologiam veterum populorum: „Ces mythologies des paiens, *concludit*, étaient toutes liées, quoique diversement, á l'idée d'une antiquite immémoriale de leurs nations . . . Cependant Moïse s'adressant à sa nation nouvellement sortie d'un pays, où régnaient ces idées, et traçant l'histoire de la nouvelle race des hommes, depuis la même époq e physique, commune à toutes les mythologies des paiens, associe cette histoire à celle d'un petit nombre de générations designèes par des hommes remarquables, descendants les uns des autres. Quel écart de cette prétendue imitation avec les modèles qu'on lui assigne! etc." Pag. 289 et seqq.

quod nonnisi post aliquot a Moysis obitu sæcula literis consignata fuerit a fabulosis præsertim græcis scriptoribus. Philosophemata autem rudi illa ætate nondum excogitata fuerant: ex ipsis propterea historiam suam conflare seu fingere Moyses omnino non potuit.

192. *Ad* 2[m], *Dist.* Posita historica veritate, *conc.* hac sublata et per quamdam fictionem sive accommodationem, ut vocant, *neg.* Hoc enim non modo divinæ revelationis veracitati adversatur, sed præterea sublata traditione illa ac populi præsertim, cui hanc Moyses legem dabat, fide ac praxi, impossibile ipsi fuisset hæc eidem persuadere, ut cuilibet rem hanc perpendenti patet.

193. *Ad* 3[m], *Neg.* Hæc enim pariter non sunt nisi fictitia adversariorum commenta. Sex enim dierum spatium in hujus universi molitione potest ex intentione Dei morale documentum illudque multiplex exhibere [1]).

194. Quod attinet ad historiam telluris, quæ juxta adversarios conciliari non potest cum mosaica narratione, ex dictis falsum omnino est, ita ut nec difficultatibus solvendis locus supersit.

195. Demum divinæ revelationi injuriosum esse, quod additur de mytho impari solvendis metaphysicis quæstionibus, de modo et tempore creationis, quilibet deprehendere poterit, qui vel leviter perpendat, Moysem non *mythum*, ut adversarii autumant, sed *historiam* creationis nobis dedisse, cum qua observationes recentiores nuper institutæ apprime collineant, quasque recte vocaveris cosmogoniæ mosaicæ commentaria [2]). Quod si subtiles quæstiones metaphysicæ instituuntur, quæ curiositatem magis prodant et intemperantis ingenii indolem quam solidas inquisitiones, hoc non historiæ mosaicæ, quæ vel ipsa sua simplicitate maxime se commendat, sed hominibus vitio verti debet.

196. II. *Obj.* 1° Quæ a Moyse traduntur de rerum omnium origine, ita sunt comparata, ut nemo non agnoscat prisci ævi

1) Cf. Petav. *De opif.* lib. I. cap. 5. §. 4.

2) Superius verba cl. Brocchi jam dedimus, his jam subjicimus alterius recentioris adhuc geologi confessionem, scilicet Nerei Boubée, qui op. cit. pag. 66 et 67 hæc scribit: „Ici se présente une considération dont il serait difficile de ne pas etre frappé: quisqu'un livere, écrit à une époque où les sciences naturelles étaient si peu éclairées; renferme cependant, en quelques lignes, le sommaire des conséquences les plus remarquables, auxquelles il ne pouvait etre possible d'arriver qu'après les immenses progrès amenés dans la science par le dix-huitième siècle, puisque ces conclusions se trouvent en rapport avec des faits qui n'étaient ni connus in même soupçonnés à cette époque, qui ne l'avaient jamais été jusqu'à nos jours, et que les philosophes de tous les temps ont toujours considérés contradictoirement et sous des points de vue toujours erronés; puisqu'enfin ce livre, si supérieur à son siécle sous le rapport de la science, lui est également supérieur sous le rapport de la morale et de la philosophie naturelle, on est obligé d'admettre qu'il y a dans ce livre quelque chose de supérieur à l'homme, quelque chose qu'il ne voit pas, qu'il ne conçoit pas, mais qui le presse irrésistiblement!"

simplicitatem disciplinæque omnis physicæ et astronomicæ infantiam. 2° Terram universi cardinem credit, cujus commodis sol ac luna cum reliqua siderum multitudine inserviant, astra vero splendentia corpora in cœlo expanso firmata. 3° Unde etiam factum est, quod, cum corporibus cœlestibus fabricandis unus tantummodo dies sufficiat, in formanda instruendaque terra quinque dies consumantur. Porro 4° quas nubes nos vocamus, nostro (scil. auctori) solidum quoddam diductum est, quo aquæ superiores distinerentur ab inferioribus. Quum 5° sol nondum existeret, dierum tamen noctiumque sunt vicissitudines. Animalia denique 6° ex terra pronascuntur. Quæ quum ita sint, jam 7° sponte patebit, quam recte hoc veteris opinionis commentum revocetur atque examinetur ad accuratam rerum physicarum scientiam, qua nostra ætas gaudet [1]). Ergo.

197. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Id est, nemo non agnoscit Moysem non hunc sibi finem præstituisse, ut nempe nos doceret physicam et astronomiam, *conc.* in Moysis mente falsas physicæ et astronomiæ notiones hæsisse, quas fingunt adversarii, *neg.* Alterum enim ab altero dispescendum est. Primum libenter damus, alterum prorsus negamus, quum sine causa id sibi adversarii fingant.

198. *Ad* 2m, *Neg.* Hoc enim nunquam *credidit* Moyses, neque ex ipsis verbis conjicitur. Quod si exhibet solem, lunam et sidera terræ commodis inservientia, ratio in promptu est, quia scilicet sibi geogoniam potissimum describendam assumpsit, ac de cœlo nonnisi obiter loquitur, quatenus nempe systema cœleste cum telluris systemate conjungitur; neque unquam innuit *unicum* cœlestium corporum finem esse, ut terræ commodis inservirent; multo minus asserit, quod ei affingitur, ea *corpora esse in cœli* fornice veluti infixa, quod non est nisi adversariorum interpretatio.

199. *Ad* 3m, *Dist.* Ob rationem nuper allatam, *conc.* secus, *neg.* Addenda præterea sunt, quæ de dierum horum natura superius significavimus.

200. *Ad* 4m, *Neg.* pariter; quum iterum hoc non sit nisi gratuitum horum biblicorum glossema. Nusquam Moyses nubes exhibet ut solidum quoddam diductum, quo aquæ superiores distinerentur ab inferioribus; sed firmamentum, id est, atmosphæram exhibet detinentem aquas superiores, easque dividentem ab inferioribus, quod quidem atmosphæræ officium esse ipsa recens physica docet [2]).

1) Rosenmüller, *Scholia in V. T.* tom. I. in cap. I. Gen. Lips. 1821.

2) Nescio quare Rosenmüller vocem רָקִיעַ verterit *solidum expansum*; illud enim *solidum* de suo adjecit, cum vox ista, quæ est a רָקַע, *expandit, extendit* etc. de se minime postulet ejusmodi *solidi* notionem, sed hac voce Moyses, ut patet ex contextu designavit atmosphæram, quæ globum nostrum circumambit,

201 *Ad* 5m, Respondeo nostrum non esse litem componere inter interpretes circa hanc lucem primigeniam. Sufficit animadvertere scriptorem, qui vulgares rudium temporum opiniones amplecteretur et referret, nunquam dicturum lucem illustrasse terram, et dierum noctiumque fuisse vicissitudines, antequam sol existeret; si autem certum esset (quod nos tamen minime affirmamus), Moysis doctrinam cum systemate Newtoni de lucis *emissione* componi non posse, sed supponere materiam lucis seu ætherem per orbem universum diffusum, nihil detrimenti doctrina illa pateretur, quin imo mirabilior evaderet. Recentiorum enim experimentis factum est, ut systema *vibrationum* ætherearum a doctissimis physicis præferatur systemati *emissionis*, quod cum experimentis illis conciliari nequit. Verum hæc ad theologos non pertinent [1]).

202. *Ad* 6m, *Dist.* Veruntamen non absque Dei jubentis imperio, *conc.* per se, *neg.*

203. *Ad* 7m, *Resp.* Fundamentis de medio sublatis, necessario corruere conclusionem, quæ inde deducitur, quæque non prodit nisi ingentem libidinem carpendi biblicam doctrinam, eamque exponendi incredulorum oppugnationibus. Ast inanes semper erunt omnes conatus, cum non humani, sed divini Spiritus ductu scriptura fuerit exarata, ac proinde fluctus omnes intumescentes humanæ scientiæ, quoties ad hunc scopulum perveniunt, confringuntur penitus ac illiduntur. Poterunt impiorum molimina ad tempus illudere; at citius seriusve naturales ipsæ scientiæ, quo perfectiorem gradum attingent, eo libentiores fasces religioni submittent, eique famulabuntur.

cujus potissime duplex officium est impediendi nempe pressione sua super telluris superficiem, ne aquæ inferiores sursum ferantur et per evaporationem diffluant, et ne aquæ superiores seu vapores in terram decidant, quod propterea accuratissime expressit Moyses etiam juxta recentiorum physicorum placita, dum factum a Deo tradit firmamentum, quo dividerentur aquæ ab aquis. Congruit arabica vox رقّع *stiparit* rem aliquam veluti puteum *ne corrueret.* Quid ad nos, si Homerus, Empedocles, Artemidorus cæterique græci sive poëtæ sive philosophi, rudiori qua utebantur physica, censuerint cœlum solidum esse? Quæ conventio Moysis ad philosophos? Ita tamen se res habet: isti neoterici consueverunt ad profanos auctores biblia exigere, ut iis affingant, quæ nusquam docuerunt, et hac ratione incredulorum oppugnationibus scripturam objiciant. Dolendum verum est D. Calmet, in dissert. *De mundi creatione*, prævisisse recentioribus biblicis protestantibus in tribuendis Moysi erroribus contra physicam; de quo auctore apposite Feller ait: „C'est surtout l'histoire de la création que ce célèbre commentateur s'est plu à embrouiller, en attribuant à Moïse des opinions fausses sur la physique du monde; mais quand on examine le texte, on est surpris de n'y pas trouver ce que le savant Bénédictin a cru y voir. La physique de Moïse est la plus simple, la plus modeste, la plus sûre, qui ait jamais été écrite . . . le monde de Moïse, je veux dire, son récit de la création, est en considération, même chez les infidèles depuis 5000 ans, tandis que les systèmes les plus ingénieux se sont évanouis en se dévorant les uns les autres" Vid. *Catech. philos.* tom. II. §. 299. n. a).

1) Patet hic insulse prorsus pronunciasse Voltaire more suo in *Bible enfin expliquée* Moysis systema de luce a sole independente falsum a Newton ostensum esse; imprudenter vero se gerere nuperos biblicos, qui non tantum non satagunt biblia cum scientia conciliare, sed omnes suos conatus eo dirigunt, ut ea velut secum pugnantia perhibeant.

CAPUT III.

DE MOSAICA EPOCHA, IN QUANTUM SPECTAT HUMANUM GENUS.

204. Mosaica chronologia, ut superius innuimus, ab hominis creatione initium capit. Juxta hebraicam veritatem et latinam Pentateuchi versionem, sex circiter annorum millia a primi hominis creatione ad nos usque effluxissent; septem vero et amplius juxta græcam alexandrinam seu LXX versionem; samaritanus codex mediam epocham indicat [1]).

205. Increduli, qui undique corrogant quidquid divinæ revelationi adversari ipsis videtur, ex ægyptiorum, chaldæorum, indorum atque sinensium annalibus et historicis documentis arma sibi compararunt ad arguendam falsitatis mosaicam historiam. Infelici porro exitu eos pugnasse in tanta historiarum et rei criticæ luce nunc ita compertum est, ut vix nos non pigeat eorum argumenta proferre. In iis tamen congerendis id lucri habemus, ut inde pateat, quam infirma sint eorum tela, qui adversus religionem assurgunt, ac præterea ut ex analogia istorum argumentorum cum cæteris ejusmodi difficultatibus palam fiat, nihil esse quod pertimescat christiana religio ab impiorum cujuscumque ætatis et indolis conatibus. Sit propterea

PROPOSITIO.

Frustra increduli ex historicis documentis affirmant humanum genus antiquius esse epocha, quam Moyses constituit.

206. Et sane 1° nullæ priorum temporum narrationes, quæ historiæ nomen sibi promereantur, et quæ accurate consideranti non sese fabulosas pandant, huic epochæ adversantur. Nulla chronologia occidentalium gentium per continuam seriem assurgit ultra tria annorum millia. Non est cur sermo fiat de septentrionalibus Europæ populis, vel de anglis, gallis, hispanis et italis, præsertim septentrionalibus. Græca historia antiquissima mythologica omnino est. Antiquissimus profanus historicus, cujus extent opera, et Herodotus, qui florebat annis 440 ante Christum; historici, quos ipse consulere potuit, annis vix centum eum præcesserant. Berosus et Manetho pertinent, hic ad tertium ante Christum sæculum, ille ad tertium vel quartum, hebræi tantum habent soluta oratione conscriptos annalis Cyri epocha anteriores. Quæ narrantur de migrationibus Cecropis,

1) Textus hebræus a creatione ad diluvium enumerat annos 1656. Versio LXX annos 2242.; a diluvio autem usque ad vocationem Abraham juxta textum hebræum fluxerunt anni 367 juxta LXX. anni 1143. Contra vero codex samaritanus a creatione mundi ad diluvium numerat duntaxat annos 1307 a diluvio autem usque ad vocationem Abraham annos 1017.

Deucalionis, Cadmi, Danai et Dardani referri videntur fere ad Moysis ætatem [1]). Ab americanis vel a mauris Africæ incolis antiquissimas historias expectare ridiculum esset [2]).

207. 2° Verum ad particularia descendamus. Si qua historica documenta humanum genus antiquius esse evincerent epocha a Moyse in Genesi constituta, hæc profecto essent ægyptia, chaldaica, indica atque sinensia, quæ nobis increduli perpetuo obtrudunt. Atqui hæc minime id evincunt.

208. Objecta enim babylonensia et ægyptiaca chronica tanquam omni historica fide destituta repulerunt viri antiquitatis scientissimi. Ea aspernatur Tullius, profligat Plutarchus [3]); Varro autem, qui inter romanos archæologos peritissimus habebatur, annos bis mille ante æram christianam ægyptiacis rebus assignat.

209. Quæ quidem confirmantur ex ipsa Moysis doctrina et agendi ratione; potuisset enim Moyses (in Ægypto natus et eruditus) humano generi originem longe antiquiorem tribuere, eidem tamen æram recentissimam bis mille circiter annorum, quingentorum vero a noachica alluvione assignavit coram ipsa ægyptiorum gente universoque orbe. Evidens igitur argumentum est, nullum monumentum tunc extitisse, quo ipse falsitatis argui posset. Moyses præterea prævidet ac vaticinatur dispersionem populi sui per universas gentes; certus igitur erat nullum unquam momentum in universo terrarum orbe repertum iri ad libros suos mendacii arguendos idoneum.

210. 3° Firmius etiam argumento nostro robur accedit ex veterum pariter agendi ratione. Flavius Josephus in sua *Archæologia*, ut probabiliora romanis mosaica instituta exhibeat, non semel imminuit eventa sive facta prodigiosa, nunquam tamen aliquid immutat de mosaica chronologia, imo eam ex professo tuetur in libris contra Appionem. Celsus inter christianæ religionis impugnatores satis eruditus, quique data opera creationis epocham aggreditur, post plures irritos conatus, tandem vel invitus, *καὶ ἄκων*, ut loquitur Origenes [4]), fateri debuit mundi novitatem, neque gentem ullam aut monumentum aut factum reperiri, quod epocham a Moyse definitam prætergrederetur. Demum Democritus, peragratis Ægypti, Chaldææ, Persidis, Æthiopiæ ac indorum regionibus, prout refert Diogenes Laertius [5]), omnibus documentis sedulo excussis, in Græciam tandem se recipiens, mundum recens ortum proclamavit, nec ullum monumentum Thebarum bello aut Trojæ excidio antiquius reperiri affirmavit. Hinc ex ejus nomine Lucretius interrogat:

1) Vid. Usserius, *Annales V. et N. Test.* edit. Genev. 1722. ætas mundi III, pag. 12 et seqq.

2) Cf. Klaproth in *Annali di scienze religiose*, Roma 1835. n. 3. pag. 386.

3) Cf. Gerdil, *Saggio d'instruz. teol. De Deo creatore.*

4) *Contra Celsum.* lib. I, n. 20. tom. I, pag. 338. edit. maur. Paris 1733.

5) Lib. IX. segm. 35.

....Si nulla fuit genitalis origo
Terraï et cœli, semperque æterna fuêre,
Cur supra bellum thebanum et funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere poëtæ?
Quo tot facta virûm toties cecidêre?

Respondet autem:

....Habet novitatem summa, recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia cepit [1]).

211. 4° Nec magis firmum fundamentum constitui potest in sinensium annalibus, quos non ita pridem certatim increduli proferebant [2]). Tres enim in epochas eos dispertiunt Goguet et card. Gerdil [3]). Prima universim et ex integro mythologica est; fabulis anilibus altera plane scatet; postrema aliquam historiæ speciem præ se ferre videtur, quæ tamen vix ab Abrahami vocatione originem ducit.

212. Ad indicas vero antiquitates quod spectat, quibus tantopere fidunt Voltaire ejusque asseclæ, ac eis profecto plus æquo studuit Guillelmus Jones, a cæteris sodalibus anglorum societatis Calecutii demonstratum est, eas non assurgere ultra sinensium atque ægyptiorum monumenta [4]). Ezour Vedæ autem codicem, cui tanta antiquitas et auctoritas tribuebatur, librum esse spurium nuper critici deprehenderunt [5]). Quæ igitur sinenses, babylonenses, ægyptii, indi, ut gentis suæ primordia augustiora redderent, adornarunt certatim, splendidæ sunt fabulæ, quæ sacrarum scripturarum testimonium lædere nulla ratione valent.

1) *De rerum natura,* lib. v. vers. 325 et seqq.

2) Uti Voltaire passim, præsertim in opere *Quæstions sur l'Encyclopédie.*

3) *Saggio d'istruzione teologica, De Deo creat.* tom. x. opp. edit. rom.

4) *Bibliot britannique,* tom. xvi, pag. 347 et seqq. Genevæ 1801, ubi invenies compendium *Vedæ* ex diss. Wil. Jones inserta in *Asiatic researches, or transactions of the society instituted in Bengal,* etc. 1788-1816. Cf. etiam Cuvier, *Discours sur les révolutions du globe,* §. 257-280 et §. 306-319.

5) Voltaire summam antiquitatem Ezour-Vedam tribuit tum in opere *Philosophie de l'histoire,* cap. 17 tum in *Défense de mon oncle,* cap. 12 adeo ut scribere non dubitet: *On ne peut pas douter qu'il n'ait été écrit avant l'expédition d'Alexandre dans les Indes.* Cf. etiam *Ezour Vedam ou ancien commentaire du Vedam traduit du sanscretan par un brame.* Yverdon 1788. tom. I, *Observations préliminaires,* pag. 152 et seqq. Nuper vero demonstravit Ellis, sodalis collegii *Madras,* Azour Vedam opus esse conscriptum a Patre Roberto De Nobilibus Soc. Jesu anno 1621; cujus autographum ipsemet diligenter evolvit in Indiis, ubi asservabatur in antiquo Jesuitarum collegio. Exaratum autem est lingua samscritica, quam P. De Nobilibus optime callebat, ut viam sterneret Indis faciliorem ad christianam fidem amplectendam. Dissertatio D. Ellis inserta est vol. XIV. *Researches asiatic.* Cf. *The british catholic colonial quarterly intelligencer,* n. 2, pag. 161 art. *Robertus De Nobilibus and his Ezour Vedam,* London 1834. Animadvertendum tamen est, longe ante ejusmodi anglorum perlustrationem notum fuisse catholicis Ezour Vedam apocryphum opus fuisse. In opere enim: *Codices mss. indicis bibliothecæ de Propaganda,* dicitur: *Hoc opus est apocryphum.* Sonnerat, vol. II, pag. 41 liv. 3, jam suo tempore scribebat: „l'Ezour Vedam est un livre de controverse, écrit à Manilipatam par un missionaire... C'est à tort que M. de Voltaire et quelques autres donnèrent à ce livre une importance qu'il ne mérite pas."

213. 5° Cum mosaica historia mirum in modum profana historia consonat. Historicus sacer narrat filios Noë in campo Sennaar prope Euphratem versatos primitus esse, seu Chaldæam primum incoluisse; atqui babylonenses, assyrii, quibuscum commiscentur chaldæi, primæ nationes sunt, quas Herodotus et Diodorus siculus commemorant, quarum, ut vidimus, nullum monumentum affertur, quod nedum ultra mundi originem Gen. I. descriptam, sed nec ultra diluvii catastrophen progrediatur.

214. Scientiarum præterea atque artium initia et progressus infantiam mundi invicte demonstrant. Ante hebræorum legislatorem quis nobis germanæ qualiscumque scientiæ indigitet vestigium? Cadmus quippe ex Phœnicia omnium primus perhibetur, saltem ex communiori sententia [1]), qui literas in Græciam detulerit XII aut XVI, sæculo ante æram christianam. Ante Thaletem et Pythagoram vix audita philosophiæ notio [2]). Pingendi atque sculpendi artes felicioribus duntaxat temporibus apud græcos excelluerunt, earumque auctores fere omnes noti sunt. Quod si recentioribus archæologis fidem adhibemus, Italia jam sua habebat politioris cultus monumenta, cum vix e barbariei sinu Græcia emergere incipiebat [3]). Unde factum est, ut procul missis mythologicis omnibus antiquis narrationibus, qui historiam veterem scribere aggrediuntur, a detectis nuper in Etruria præsertim monumentis initia ducant in iisque fundamenta jaciant. Hæc autem monumenta longe recentiora sunt, et in eam epocham incidunt, qua homines post phalegicam dispersionem in exiguas primum societates coaluerunt [4]). Jam vero si hominis creatio per tot annorum myriades, quot fabulabantur increduli, supra Moysem altius conscenderet, undenam factum est, ut hominum ingenium incultum prorsus tanto temporis spatio contra ipsius naturam perstiterit?

215. 6° Consonant demum ipsæ observationes geologicæ, prout ostendunt commemorati Cuvier, De Luc, Brocchi, etc., ex quibus constat vel nuspiam hactenus reperta ossa fossilia humana, vel si quæ novissimis temporibus reperta perhibentur [5]), si *fere fossilia* dici debent, certe rarissima esse. Sic

1) Dixi juxta *communiorem sententiam*, nam Freret. in *Mémoires des inscriptions*, etc. tom. v, pag. 311 et seqq. contendit 1, Cadmum Moyse annis 103 antiquiorem esse; 2 græcos characteres seu literas proprias habuisse, quum Cadmus ad eos detulit characteres phœnicios, quos suis substituerunt (Vid. ibid. pag. 615.)

2) Vid. Diogenes Laert. in procemio, seg. 12 et 13.

3) Sic inter cæteros sentiunt Clavier, *Histoire des premiers temps de la Grèce, Discours prélimin.* ac inter nostros italos, Melch. Delfico, *Dell' antica numismatica della città di Atri*, etc. pag. 11, Napoli 1826; quæ opinio magis invaluit ex quo tot monumenta effodiuntur ex Etruriæ regalis veteri provincia apud vetulonienses, populonienses, tarquinienses, vulcienses ac cæretes præsertim. Hæc tamen omnia nondum ita sunt certa, ut non de ipsis inter se certent archæologi.

4) Delfico, op. cit.

5) Cf. *Discours sur les révolutions du globe*, Paris, vel ejusdem operis versio italica cum notis Ignatii Paradisi,

neque instrumenta vel metallica vel lapidea vel alterius cujuscumque naturæ ab hominibus fabrefacta et elaborata reperiuntur in locis et adjunctis, quæ nimiam antiquitatem ostendant. Unde sequi videtur, non modo humanum genus epocha a Moyse indicata antiquius non esse, sed fortasse etiam tempore diluvii noëtici non ita dispersum fuisse, nec ita multiplicatum, ut multi putant [1]).

216. Reliqua prætermitto, ne in re non dubia argumentis uti videar non necessariis, cum ex dictis facile constet, frustra incredulos laborasse ad ostendendum genus humanum ex historicis documentis antiquius esse epocha a Moyse constituta [2]).

DIFFICULTATES.

217. I. *Obj.* 1° Chaldæi jam ab Alexandri ætate, teste Diodoro siculo [3]), astronomicas observationes servabant quadringentorum septuaginta duorum annorum millium. 2° Herodotus præterea refert, se accepisse a sacerdotibus ægyptiis, a primo ipsorum rege Vulcano 330 reges regnasse usque ad Möerim, qui juxta illos regnabat anno 1350 ante natum Christum et usque ad Setum alios 341 regnasse per annos 11,340; eosdemque ei ostendisse 345 lignea simulacra, imagines præ se ferentia totidem pontificum, qui a patre in filium alter alteri successerant; addebant tanto illo temporis spatio bis solem ortum esse ad occidentem, bis invicem ad orientem occidisse [4]); quibus si accedant observationes astronomicæ indorum atque sinensium, tantum non confecta res erit [5]). Hæc autem confirmantur ex zodiacis et planisphærio non ita pridem detectis in

Florentiæ 1828. tom. I, §. 201 et seqq.; De Luc, *Lettres physiques*; Brocchi, op. cit. *Introduzione*, pag. 36 et seqq. *Fossile* porro dicitur, quod sub terrestribus, ut vocant, *stratis* fossum est. Circa hæc fossilia humana, seu ut vocant *anthropolitas*, vide quæ cl. Cam. Ranzani, *Elementi di Zoologia*, tom. II Bologna 1821, scripsit in prolixa adnotatione addenda ad hominis articulum, pag. 720 et seqq., ubi accurate expendit, quæ a geologis de ejusmodi ossibus fossilibus reperta dicuntur, et judicia, quæ ab ipsis lata sunt.

1) Inter cæteros ita censent auctores angli *Historiæ universalis*, tom. I.

2) Etsi, ut ex dictis patet, vix quidquam omnino his indigeamus, animadvertendum tamen est, posse etiam quemque catholicum sequi chronologiam LXX, vel textus samaritani; adeoque tam licet, salva fide, ponere circiter 4000 annos inter Adamum et æram christianam, quam 4891. cum P. Tournemine, vel 5199 cum Eusebio Cæs., Beda et martyrologio romano, vel etiam 5504 cum ecclesia alexandrina, 5508 cum Theophilo antiocheno et chron. alex., 5510 cum ecclesia constantinopolitana, 5604 cum Clem. alex., 5800 cum Lactantio, 6972. cum P. Pezron, 6000 cum S. Cypriano, 6004 cum Isaaco Vossio, 6011 cum S. Juliano toletano, vel 6311 cum Onuphrio Panvinio, adeoque, si revera tantam humani generis antiquitatem certa monumenta demonstrarent, nil inde religio et sacrorum codicum auctoritas detrimenti caperet.

3) *Biblioth.* lib. II, pag. 118 edit. Laur. Rhoomani, Hanov. 1604.

4) *Herodot.* lib. II, pag. 55 et pag. 64 edit. Henr. Stephani 1566.

5) Mirum est quantum tribuat astronomicis observationibus indorum, sinensium, etc. Bailly in suo *Traité de l'astronomie indienne et orientale*, in-4. Paris 1787. Cf. *Discours préliminaire*, pag. 110 et suiv, 129 et suiv, 140 etc.; ast non leviter vapulat a Delambre quem inferius proferemus.

templis Tentyræ atque Latopolis (Esne), ex quibus patet juxta regulas *præcessionis æquinoctiorum* a duodecim ferme annorum millibus ea exculpta fuisse [1]). Ergo.

218. ***Resp.*** ***Ad*** 1m, et 2m, ***Dist.*** Ea referunt memorati historici mendacibus narratiunculis decepti, ***conc.*** veridicis ducti, ***neg.*** Ad observationes enim astronomicas chaldæorum quod spectat, quæque ad nos pervenerunt, La Place ostendit, eas octingentis annis non excedere æram christianam [2]), neque antiquiorem esse astronomiam ægyptiorum. Quæ de ortu et occasu solis ipsi retulerunt, satis ostendunt, quanta fuerit veterum ægyptiorum scientia. Indorum vero tabulas recentiores adhuc esse, ac ipso Ptolomeo posteriores idem cl. astronomus evincit [3]). Delambre autem longe probabilius censet sinenses mutuatos esse suam doctrinam astronomicam ab indis primo, deinde vero a mahumedanis [4]). Hoc porro certum est, omnes antiquas observationes, ipsis fatentibus, periisse, nec nisi anno 104 ante Christum Sse-Ma-Tssien nonnulla documenta ac præcepta collegisse ad metiendum planetarum motum et ad eclipses determinandas [5]). Unde nec demonstratur necessitas confugiendi cum Montucla vel cum p. Tournemine ad diversas chronologias versionis alexandrinæ aut codicis samaritani, ut rationem reddamus observationum sinensium, quæ factæ perhibentur tum sub Fo-Hi, tum anno 2608 sub Hoang-Ti, ac præsertim eclipsis, quæ contigisse fertur anno 2159 juxta p. Mailla vel anno 2155 juxta p. Ganbil, quæ cum ab astronomis oscitantibus vel indoctis Hi et Ho prænunciata non fuerit, ipsi ab imperatore Tchong-Kang, misso contra eos exercitu, capite damnati dicuntur. Quæ certe omnia vel fabulosa vel saltem valde incerta sunt [6]). Idem præterea Delambre ostendit, omnes recensitos populos adhuc in infantia scientiæ astronomicæ versari, nec nisi elementares aliquot atque imperfectas illius notiones habuisse, vel etiam adhuc habere, quæ nec scientiæ nomen merentur [7]).

1) Nomine *præcessionis æquinoctiorum* venit motus pene insensibilis, quem habent stellæ fixæ ex oriente in occidentem, cujusque circulus completur spatio 25,960 annorum.

2) *Exposition du système du monde*, liv. v, chap. I, pag. 291; et Cuvier, *Discours sur les révolutions du globe*, §. 281-293. §. 820-326.

3) Ibid. pag. 294, ubi rejicit assertiones Bailly, suppresso tamen ejus nomine. Sic Delambre, *Histoire de l'astronomie ancienne*, Paris 1817 liv. I, chap. I, pag. II, et suiv. ubi, prolatis ineptissimis astronomicis ægyptiorum doctrinis, concludit: *Tout ce que nous avons d'ailleurs de l'astronomie des Egyptiens ne prouve que l'ignorance de ces prêtres si vantés.* Quod confirmat cap. 6 ubi agit de Manethone, et ridet de conatibus Bailly. Cf. etiam Cuvier, lib. cit. §. 257-280. §. 306-319.

4) Delambre, op. cit. liv. II, chap. I, pag. 398.

5) Cf. Gerdil, *Saggio d'instruz. teolog. De Deo creatore*, *Cinesi.*

6) Delambre, loc. cit. pag. 350 et suiv.

7) Ibid. chap. 2 et suiv. ubi pag. 400, loquens de historia astronomiæ indorum Bailly, sic scribit de hoc auctore: „Quelquefois, et sourtout dans ce dernier ouvrage, il s'appuie sur une masse imposante de calculs, dissimulant avec soin tout ce qui pourrait nuire à sa cause, ainsi que les objections qu'on pourrait lui faire et qu'il a dû sans doute apercevoir lui-même." Cf. quoque *Discours prelim.* pag. 17.

219. His positis, ad testimonium Diodori Siculi reponimus, ipsum fortasse numeris illis designasse quosdam chaldæorum cyclos, quos *Saros*, *Neros* et *Sossos* vocabant [1]).

220. Observationes chaldæorum, prolatæ a Ptolomæo, sunt decem observationes eclipsium satis ineptæ, nec antiquiores anno **271** ante Christum [2]).

221. De ænigmatica mysterioque plena narratione sibi invicem contradicentium ægyptiorum dicimus, nondum liquido inter doctos constare, quid sibi per illam voluerint; alii enim aliter eam interpretantur, seu potius divinare contendunt. Aliqui suspicantur, eam non fuisse nisi sacerdotum illorum sycophantiam, quod quidem mihi omnibus perpensis vehementer probatur [3]). Saltem ex parte fabulosa est.

222. Inter eos, qui definire conati sunt epocham zodiacorum et planisphærii tentyrensis, tot sententiæ quot capita. Planisphærium Lutetiam delatum accurate examinavit Delambre, qui decernere non dubitavit illud Alexandro M. posterius esse, et præsertim cl. Biot, qui ex accuratis mensuris et calculis deduxit, illud exhibere cœli formam seu statum, prout erat a septingentis ante Christum annis, addit tamen illud post æram christianam constructum esse. Et revera, quæcumque cœli forma seu status ab his monumentis referatur, non ideo sequitur ea tempore statui illi respondente constructa esse; uti, si picta tabula referat antiquum alicujus urbis vel regionis statum, non idcirco illo tempore picta fuit. Verum hæ disquisitiones fere inutiles sunt. Architectura enim et sculpta vel picta signa ostendunt ad epocham non valde remotam pertinere templa Tentyræ et Latopolis. Templi Tentyræ, ubi erat planisphærium, porticus in qua adhuc zodiacus superest, sacra erat *saluti Tiberii*, ut docet græca inscriptio. In minori templo Latopolis (quod jactabant ædificatum saltem anno **2700** vel **3000** ante Christum) adest columna sculpta et picta (et quidem eo stylo, quo proximus zodiacus) anno X Antonini, seu anno **140** æræ christianæ. Præterea divisio illa zodiaci, quam putabant solstitium indicare, nullam cum eo relationem habet. Arca cadaveris juvenis defuncti anno XIX Trajani seu **126** æræ nostræ, præ se fert zodiacum cum distributione signorum, ut in templo Tentyræ [4]).

1) Cf. Laplace, *Exposition*, etc. liv. v. chap. I. pag. 291.

2) Laplace, ibid. Quarum tres lunæ eclipses præcipuæ sunt, quæque a babylonensibus observatæ sunt anno 619 et 720 ante æram christianam. Cf. etiam Delambre, op. cit. liv. ch. I. pag. 4.

3) Sic enim loquitur Delambre, loc. cit. pag. 11.: „Hérodote avait appris d'eux (*des prêtres égyptiens*) que le soleil avait changé quatre fois les points de son lever, qui étaient devenus ceux de son coucher; ou Hérodote ne les a pas compris, ou ils etaient des hableurs ignorants, ou bien ils se sont moqués d'Hérodote."

4) Cf. Biot, *Recherches sur plusieurs points de l'astronomie egyptienne*, Paris 1823. Avant-propos, pag. 36. et suiv., ubi inter cætera scribit: „Pendant l'impression de l'ouvrage que je soumets ici au public, deux savants distingués, M. Champollion le jeune et M. Letronne, ont, par des découvertes fort diverses, jeté une lumière toute nouvelle sur l'époque véritable à laquelle ont été faites

Quæ omnia argumento sunt invictissimo inepta prorsus esse, quæ increduli non ita pridem exinde contra revelationem intorquebant, classicumque canebant, quasi triumphum adversus mosaicam historiam retulissent. Quam miseri sunt, ingeminare prorsus juvat, incredulorum conatus [1])!

223. II. *Obj.* Impossibile est tam angusto temporis spatio, quale ab Adam seu potius a Noë ad nos usque fluxisse supponitur, adeo multiplicari homines potuisse, ut universum terrarum orbem occupaverint; ergo.

224. ***Resp. Neg.*** Etenim Eulerus inito calculo ostendit, quod si homines a diluvio vel a creatione singulis annis (prout tunc temporis fieri poterat) per decimam sextam partem multiplicati fuissent, sola quadringentorum annorum periodo integer eorum numerus excedere debuisset ingentem summam centum sexaginta sex mille, sexcentum sex decies centena millium, ad quam multitudinem continendam alendamque non sufficeret totius terraquei orbis amplitudo [2]); cujus quidem calculi veritas confirmatur ex facto multiplicationis israëlitarum in Ægypto [3]).

les sculptures astronomiques de Denderah et de Latopolis . . . . M. Champollion . . . . a trouvé qu'il (*l'alphabet hiéroglyphique*) reproduisait les titres et les noms de plusieurs empereurs romains, tels que César, Tibère, Domitien, Claude, etc. Il a cru même reconnaître sur le contour extérieur du zodiaque circulaire de Denderah, le mot *autocrator*, exprimé dans ce genre de caractères; ce qui établirait que ce monument a été sculpté sous la domination romaine. Le travail de M. Letronne, quoique conduisant à des résultats équivalents, est fondé sur des preuves d'une nature toute différente. Il repose sur la discussion des inscriptions grecques trouvées en Egypte, et dont quelques-unes étaient sculptées sur les temples mêmes de Denderah et de Latopolis." Ast præstat consulere integrum opus, in quo confutat præsertim Fourier, qui antiquissimam epocham his monumentis assignat. Cf. insuper Letronne, *Recherches*, etc. pag. 180 et in *Observations*, et pag. 30.; Cuvier loc. cit. §. 335-385. Legi etiam possunt D. Testa dissertatio, cui titulus: *Il zodiaco di Dendera illustrato*, Roma et Genova 1822.; Gusman S. J., *Sugli antichi zodiaci d'Egitto, traduz. dal tedesco*, Venez. 1802, cum addition. traductoris Potzobut S. J.; *Recherches sur l'antiquité du zodiaque de Denderah*, etc.; Brochi, *Biblioteca italiana*, tom. XVIII pag. 338; *Correspond. astronom. du baron de Zach*, vol. VI. n. 5. ubi legitur epistola D. Riccardi cum notis ejusdem baronis de Zach.

1) Ægyptiaca monumenta, quæ hac potissimum ætate eruditi viri illustrarunt, chronologiæ mosaicæ non modo non adversari sed mirum in modum cum eadem conspirare, novissime ostendit Cl. Hippolytus Rosellini, in ingenti opere, cui titulum inscripsit: „I monumenti dell' Egitto, e della Nubia, disegnati dalla spedizione scientifico-letteraria toscana in Egitto, distribuiti in ordine di materia, interpretati ed illustrati," parte I., *Monumenti storici*, tom. I Pisa 1832. tom. II Pisa 1833. Omissis porro, quæ eruditus archæologus scribit tom. I cap. 4. 5. 7. etc. hanc ejus conclusionem legimus, tom. II cap. 4. §. 2. pag. 83. „Sarebbe in vero difficile desiderare un migliore accordo fra la cronologia sacra e quella della storia di Egitto." Hoc opus, quod nondum absolutum est, plurimam lucem in omnibus, quæ ad religionem spectant, affundit remotissimæ illi antiquitati.

2) Euler tom. I. *Introduct.* exempl. 3. cap. 4. *De qualitatibus exponentibus et logarithmis*, tum exempl. 4.

3) Ducentos quindecim annos in Ægypto degit Jacobi familia juxta eruditiores chronologos; ita tamen propagata est, ut in exitu israëlitarum ex Ægypto sexcenta et amplius hominum millia fuisse referantur, et ea quidem bellicæ tantum juventutis, demptis nempe mulieribus, pueris et senibus, quibus per sexum aut per ætatem arma tractare minime licebat, imo et levitarum viginti duobus millibus, ad ministerium custodiamque excubantium. Dixi 215

225. III. *Obj.* Nullum saltem est argumentum, quod ex artium et scientiarum ortu et progressu eruitur ad adstruendam generis humani novitatem. Fieri enim potuit, ut ob diversas nobisque incognitas vicissitudines vel generales cataclysmos oblivione penitus obrutæ fuerint, ac denuo postea ac pluries inventæ 1); ergo.

226. ***Resp. Neg.*** *antec.* Ad probat. vero animadverto, 1° hic non agi *de possibilitate*, sed *de facto;* ostendant proinde adversarii monumentis certis tum illas vicissitudines, tum generales illos cataclysmos reipsa locum habuisse, alioquin nullam vim habet proposita difficultas. Porro nonnisi unum universalem cataclysmum immemorant omnium gentium annales, quem nec antiquissimum jactant. Animadverto 2° nonnullas artes tantæ necessitatis esse ac in usu quotidiano positas, ut data etiam qualicumque vicissitudine, nunquam possint obliterari. In quacumque propterea hypothesi, nisi universum humanum genus perierit, non amplius opus esset ejus, qui vel aratrum inveniret, vel qui nos artem fabrilem doceret, vel qui vitem ostenderet, neque amplius in deorum album referretur, qui nos de literarum usu instrueret 2). Sed hæc satis sunto.

annos; nam annos 430 peregrinationis hebræorum, de quibus Galat. III. 17. eruditiores chronologi non ad servitutem illorum in Ægypto referunt, sed a promissione repetunt facta Abrahamo Gen. XII. secundum quam statim a Charan egressus in Chananæam commigravit. Cf. Joan. Bapt. Riccioli S. J. *Chronologia reformata*, Bononiæ 1669 tom. I. lib. VI cap. 6. concl. 6. pag. 259 et seqq.; vid. etiam Petav. *De doctrina temp.* tom. II. lib. IX. cap. 25. Antv. 1703.

1) Bailly, *hist.* etc. Celsus apud Origenem, lib I. n. 20.

2) Cf. Brocchi, *Conchiologia fossile*, etc. *Introduzione*, pag. 39. e seqq., ubi absurdam adversariorum hypothesim abunde confutat.

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

PARS TERTIA.

DE HOMINE.

227. Perfecerat operis sui partes omnes, quum sese Deus ad hominem condendum convertit, perinde ac si antea domum exstruere atque exornare voluisset; illius enim causa facta sunt omnia, ut scilicet eorum omnium et usu et contemplatione frueretur, atque hic veluti per gradus ad Dei notitiam, admirationem, amorem denique ac prædicationem assurgeret [1]).

1) Communis ac recepta catholicorum sententia e sacris literis deprompta hæc est, Deum hoc universum ad gloriæ suæ manifestationem condidisse. Dicitur enim Prov. XVI 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* . . . . Attamen ex recentioribus Kantius autumat Deum, in constituendo summo mundi creati fine, naturarum tantum intelligentium habuisse rationem. Vid. *Kritik. der prakt. Vernunft.* seu *Critica rationis practicæ*, pag. 235 et seqq.; *Krit. der Urtheilskr.* seu *Critica facultatis judicandi*, pag 338 et seqq., 421 et seqq. In eandem sententiam concesserunt Chr. Will. Snell, *Drei Abhandlungen*, etc. seu *Tractatus tres de materia philosophiæ*, tract. 2. *De optimismo*, Lips. 1796; Jacobi, *Allg. Religion*, seu *Religio generalis*, pag. 416. et seqq.; Ammon. *Summa theol. christ.* pag. 131 et seqq.; Wegscheider, *Inst. theol.* §. 96. Horum potius protestantium et rationalistarum vestigiis quam catholicorum insistere maluit Georgius Hermes, qui præsertim in *Introduct philosophica*, Monast. 1819. qu. 2. §. 71. p. 470., repudiata uti *absurda* communi theologorum sententia, qui affirmant Deum gloriam suam in creatione rerum veluti finem ultimum habuisse, post plura satis obscure disputata concludit: „Deus itaque creavit *hominem propter hominem*, et quidem ad ejus felicitatem; nam Deus, ut ens moraliter perfectum et bonum, non potuit ei male, sed unice bene velle. Dixi, et quidem ad ejus felicitatem, hoc est, non ad sensibilem felicitatem, nam fruitio sensibilis non habet valorem immutabilem pro ente rationali-sensibili, et nunquam erit eo digna, sed ad felicitatem quæ oritur ex convenientia moraliter libere aquisita. Cætera omnia super terram non possumus admittere nisi propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit." Verum hæc doctrina, præterquam quod identica est cum Kantii cæterorumque rationalistarum placitis, quæ ducunt ad *optimismum*, ut patet ex Wegscheider loc. cit. exinde oritur, quod non bene dignoscuntur diversi fines, qui simul confunduntur. Interdum enim *finis* nomine intelligitur *id, cujus obtinendi gratia eligitur medium*, et a scholasticis dicitur *finis cujus;* interdum venit *causa finalis*, eo quod participet rationem causæ, quæ importat influxum in existentiam alterius (Vid. Suarez, *Metaph.* disp. 12 sect. 3 n. 3.); rursus finis usurpatur pro ratione aliquid volendi, quæ nomen finis habet, quatenus est aliquod bonum per se appetibile, sed præscindit ab eo, quod hoc bonum possideatur vel desideretur, et passim dicitur *finis quia.* Præterea finis usurpatur pro subjecto, cui volumus aliquod sive bonum sive malum; atque hic dicitur *finis cui;* qui rursum in duos distinguitur, ultimum et non ultimum sive proximum. Insuper finis id etiam dicitur, quod alicui volumus; atque hic appellatur *finis qui.* Tandem finis vocatur possessio boni quod intendebatur: atque hic audit *finis quo.* His positis, 1° Finis creationis mundi per modum causæ a Deo, vel realiter vel per nostrum cogitandi modum a Deo distinctæ, nullus esse potest (Cf. S. August. *De Genes. cont. Manich.* cap. 2 pag. 316. et in libro *Quæst.* 83. q. 28. pag. 211, et S. Thom. p. I. q. 19. a 5.). 2° Finis creationis mundi per modum rationis, qua Deus ex nostro intelligendi modo illam voluit, est divina bonitas (Cf. S. Aug. *De gen. ad lit.* lib. I. cap. 7. n., 13. col. 121; et *De civ. Dei*, lib. XI. cap. 21. col. 288; nec non S. Thom. p, I q. 44 a. 4; et *contra gentes*, lib. II cap. 35 et alibi passim, Vasquez in I part. Disp. 82. cap. 2. et seqq.). 3° Deus in creatione mundi habuit pro *fine cui* omnium ultimo gloriam suam, id est, cognitionem divinarum perfectionum, ex qua creaturæ intelligentes in Dei laudem assurgunt, quæ est notio propria hujus nominis, juxta S. Thom. 2. 2. q. 132. a. I. Quod expresse declaratur Isaï. XLIII.

228. Quidquid ad philosophiæ ac sacrarum literarum professores spectat, omnino omittimus; quidquid est theologi, in postrema hac tractatus parte, ubi de homine disserimus, nos consectabimur, ne longius, quam par est, disputatio discurrat. Ut igitur præstitutis finibus contineantur, quæ de homine disceptari solent, de ejusdem in primis creatione, felicitate et gratia, seu gratuita elevatione; de ipsius deinceps lapsu, et peccati originalis propagatione et effectibus; de futura demum pro meritis hominis sorte ac resurrectione ex ordine agemus. Atque hac porro ratione, quæ potiora sunt ac scitu maxime necessaria, complectimur pro diverso hominis statu ac multiplici conditione.

CAPUT I.

DE HOMINIS CREATIONE.

229. Duo potissimum errores adversantur mosaicæ creationis historiæ. Alter eorum est, qui hominem a Deo, saltem immediate, creatum negant, sed vel a terræ ipsius fœcunditate, vel

7.; Deut. XXVI. 19.; Ezech. XXVIII. 22.; Prov. loc. cit. Psal. XVIII.; Baruch III. 35; Apoc. I. 8 etc. 4º Deus in constructione hujus terræ et omnium brutorum animalium, quæ in ipsa sunt, habuit homines pro fine immediato, ut scripturæ aperte declarant. Psal. CXIII. et VIII; Gen. I. 26 28. (Cf. Suarez, *De oper. sex dier.* lib. III. cap. 17 n. 13 et seqq.; Pallavicini, *Del bene*, lib. II. cap. 2. et seq.). Hæc enucleatius exponenda erant adversus eos, quos omnia permiscere juvat, ut absurda quæque obtrudant, ex quibus deinde pessimæ consecutiones deducuntur, ut videbimus disserendo adversus Bayle, ubi de æternitate pœnarum, quæ necessariam habet cum hic dictis connexionem. Videsis Andr. Spagni, S. J. *Diss. de mundo*, prop. 9. sect. I. et seqq. Romæ 1770. Cæterum, cum agatur de re summi momenti, nempe de ultimo fine hominis et totius universi, præstat unum vel alterum ex S. Thoma depromere argumentum, quo ostendatur adversus G. Hermes, Deum debuisse omnino hominem propter se creare, nec alium in hoc sibi finem præstituere potuisse, sic tamen ut in hoc ipso non commodum proprium, sed bonum nostrum respexerit. Sic igitur loquitur s doctor, *contra gentes*, lib. II cap. 25.: „*Finis* divinæ voluntatis *non potest esse nisi ejus bonitas;* non autem agit propter hunc finem producendum in esse . . . cum bonitas ejus sit æterna et immutabilis, ita quod ei nihil accrescere potest; nec etiam potest dici, quod propter ejus meliorationem Deus agat; nec etiam agit propter hunc finem acquirendum sibi; ipse enim est sua bonitas. Restat igitur, quod agat propter finem, in quantum effectum producit ad participationem finis.” Nempe quia in hoc ipso Dei bonitas cæteræque perfectiones exterius manifestantur atque extrinseca ejus gloria elucescit. Rursum ib. lib. I c. 93 Deus nobis non benefacit, „ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicare est *sibi conveniens*, ut fonti bonitatis. Dare autem, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis, est actus liberalitatis.” Cf. præterea in locis cit. „Sane, ut inquit P Roggacius S. J. in opere: *Unius necessarii*, part. I. cap. 25. „ullane liberalior esse potest ac beneficentior voluntas, seu lucis erga hominem cœcum, quam si illum spectatorem suæ pulchritudinis cupiat, seu fontis erga siti confectum, quam si ad gustandos suos latices eum provocet?” Pessime igitur philosophatur Hermes dum ex communi hac theologorum saniorumque philosophorum doctrina *philautiam* et vanam gloriam in Deo consequi affirmat. Nam quod Deus opera sua ultimo atque absolute ad suam gloriam debeat referre, id ab intrinseco et ex natura rei dimanat, propter infinitam perfectionem et eminentiam Dei qui *ipse sibi finis* esse debet, et in quem omnia ut in finem necessario debet ordinare. Cum summum bonum nostrum in hac ipsa summa Dei gloria situm sit, nimirum in eo cognoscendo, laudando atque amando, hinc gloria Dei et commodum nostrum amice simul consistunt. Cf. Lessium, *De perfectionibus divinis*, lib. XIV. *De ultimo fine*, præsertim cap. III, rem totam fuse ac solide enucleantem.

ab ovo, vel limo sicut ranæ ex Nilo eum prodiisse affirmant [1]). Nullum fere argumentum est, quo magis increduli et athei distineantur, quam istud de anthropogonia seu hominis origine: circa quam, quidquid absurdi ac ridiculi ægri somniis excogitari potest, commenti sunt. His accedunt rationalistæ ac neoterici biblici, qui in mosaica anthropogonia non agnoscunt nisi *mythum*, ac Moysem propterea primum *mythographum* appellare non verentur [2]). Alter error eorum est, qui autumant ante Adam alios homines fuisse conditos, qui propterea *præadamitæ* audiunt. Hujus erroris instaurator fuit Isaacus La Peyrere [3]) e Calvini disciplina, qui tamen ad meliorem postea frugem revocatus errorem hunc una cum hæresi calviniana ejuravit. Parum ab hoc errore abludunt ii, qui censent, non omnes homines ab eodem parente progenitos esse, sed contendunt in qualibet mundi plaga suos fuisse aborigenes, qui specie distinguerentur, a quibus diversæ hominum gentes prodierunt [4]). Ad ejusmodi errores convellendos sit

PROPOSITIO I

Primi parentes immediate a Deo conditi sunt.

230. Dum immediate a Deo conditos progenitores asserimus, non solum de anima, sed etiam de corpore propositionem hujusmodi intelligi volumus, seu de toto homine. Rur-

1) Neldham et Buffon negant, saltem immediate a Deo hominem conditum esse, sed prodiisse affirmant ex particulis vel essentiis, ut vocant, *organisatricibus* aut vi vegetativa, quibus Deus naturam ditavit. Cf. Spalanzani, *Osservazioni microscopiche*, etc. tom. II, Milano 1826. Aristoteles modo emittit *hypothesin* de humano genere nunquam cœpto; modo eam vocat *πίστιν*, *persuasionem*. Denique lib. III. *De generat. anim.* concludit: „Quare et de hominum ac quadrupedum ortu non absurde quis conjiciat, si olim ex terra editi sunt; id duorum modorum altero evenisse, aut ex verme, *ὡς σκώληκος*, primum existerent, aut ex ovis, *ἐξ ᾠῶν*, ederentur." Expositis autem his modis, ait: „Quare, si quid initium existendi animantibus fuit, in altero de duobus istis modis contigisse manifestum est." *Ὅτι μὲν οὖν εἴπερ ἦν τὶς ἀρχὴ τῆς γενέσεως πᾶσι τοῖς ζώοις, εὔλογον δυεῖν τούτων εἶναι τὴν ἑτέραν, φανερόν.* Vid. edit. Paris. 1629. tom. I, part. alt. pag. 1113. Aliqua tamen venia dignus est, utpote revelatione destitutus, si ita desipuit. At nulla venia digni sunt recentiores illi, qui, ut revelationem abjicerent, nihilo minus desipuerunt circa hominis originem, quorum alii ex ovo, vel putredine, vel mari, vel piscibus ortum eum autumarunt, alii infinitam successionem admiserunt, quos vel recensere inane omnino opus esset.

2) Ita Wegscheider, §. 98 n. (*a*), p. 321.

3) In op. *Præadamitæ, vel exercitatio exegetica in epist. ad Rom.* V, 12 et seqq. in 4 Lugd. 1655, quem nonnulli alii in eadem sententia præcesserunt, quos recenset Calovius in *System. locor. theol.* tom. III, pag. 1041. nec non von Irwing, *Ueber den Ursprung*, etc. seu *De origine cognitionis veritatis et scientiarum*, Berolini 1781.

4) Telliamed seu de Maillet in op. *De origine mundi*, pag. 201. affirmat ægyptios, indos; etc. seu viginti populos docere homines indigenas et aborigenes fungorum adinstar e terra prodiise. Alibi asserit pisces in homines mutatos, præsertim in regionibus septemtrionalibus. Sublimis sane philosophia! Alio sensu aborigenes admiserunt Carli, Fabroni et Aloys. Bossi, *Dell'istoria d'Italia antica e moderna*, Milano 1819. Sed de his postea.

sum, dum dicimus hominem etiam quoad corpus, id affirmamus ad excludendum memoratum incredulorum errorem, qui hominem repetunt ex causa immediata naturali; nec enim propositum nobis est manus miscere cum scholasticis illis, qui opinati sunt, Deum ministerio Angelorum usum esse ad protoparentis corpus e terræ limo plasmandum [1]), cui ipse postea vitam et animam communicavit [2]) atque indidit. Itaque primo sensu sumpta propositio ad fidem spectat, ut patet ex superius recitato decreto concilii lateranensis IV.

231. En autem quomodo ejusmodi veritatem evincimus revelatione duce: Gen. II, 7, aperte traditur, jam conditis omnibus animalibus, ***Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.*** Deus proinde totum hominem condidit, per se enim corpus e limo terræ *formavit*, animam vero per *inspirationem* indidit.

232. Et hæc quidem de mare. De fœminæ autem formatione et ortu legimus, ibid. II, 21: ***Immisit Dominus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus et ædificavit eam in mulierem.*** Si hæc porro in sensu historico ac literali intelligantur, satis superque perhibent utrumque protoplastam a Deo ipso formatum et conditum fuisse; jam vero prout jacent accipienda ea verba esse, ipse contextus, sensus traditionalis hebræorum et cæterorum librorum sacrorum irrefragabilis auctoritas ostendunt.

233. Ac in primis contextus id postulat. Nisi enim literalis sensus ratio habeatur, cum iis verbis nullo pacto cohærent quæ sequuntur; vix enim Adam expergefactus a sopore suo Hevam conspexerat, dum in illas voces erupit: ***Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*** [3]). Ad hæc porro verba alludit apertissime apostolus, I Cor. XI. 8, ubi ait: ***Non enim vir ex mu-***

1) Cf. Cornel. a Lapide in hunc locum. Similia habet Philo, *De opif. mundi*. Ast S. Basil. *Hexæm* hom. IX; Ambr. *Hexæm* lib. VI, cap. 7 n. 40; S. Aug. *De Genesi ad lit.* lib. IX, cap. 15; Theodoret, *In Gen.* q. 19, Angelos excludunt.

2) Nonnulli contendunt distinguendum esse principium vitale ab anima, atque ab Apostolo tres homini partes tribui *σῶμα* corpus, *ψυχὴν* vitam animalem, et *πνεῦμα* vitam spiritualem, rationem, I Cor. XV, 44 et seqq. Coll. II, 14; I Thes. V, 23; Heb. IV, 12. Veteres philosophos distinctionem instituisse inter *animum* et *animam* certum est, ut testatur Cicero, tum alibi, tum *Tuscul.* IV, 5, quos imitatus Josephus, *Archeol.* lib. I, cap. I. num. 2: *Ἔπλασεν* inquit, *ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς λαβών, καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ καὶ ψυχήν*, id est, *Finxit Deus hominem, accepto ex terra limo; immisitque in eum spiritum et animam.* S. Irenæus, *Adversus hær.* lib. V, cap. 6: *Anima autem*, ait, *et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam.* Origenes, *De principiis*, lib. III, cap. 4; Nemisius, *De natura hominis*, cap. I. Usus tamen obtinuit vocabula *ψυχή* et *πνεῦμα* promiscue usurpari non secus atque hebraicæ voces רוח et נפש. Cf. Lactantius, *De opificio Dei*, cap. 18 cum notis Joan. Bapt. Le Brun et Nic. Lenglet Dufresnois, tom. II, opp. Paris 1748; ubi plura in hanc rem congeruntur. Lucretius fuse discrimen inter *animum* et *animam* prosequitur, lib. III, v, 138-161.

3) Gen. II, 23.

liere est, *sed mulier ex viro* [1]). Cf. I Tim. II 13. Neque Judæi, si fabulatores nonnullos excipias rabbinos, ab eodem sensu unquam recesserunt [2]). Quod spectat ad veteres ecclesiæ patres, supervacaneum est ipsos singillatim recensere, cum una omnium sententia sit, formationem Hevæ ex latere Adam dormientis fuisse typum ecclesiæ ex latere Christi Domini in cruce mortui efformatæ.

234. Hinc, ipsis adversariis fatentibus, ex hoc veluti fonte pervulgati sunt ac recepti apud orientales mythi de fœminæ formatione, mosaicæ historiæ affines, præsertim apud populos Asiæ superioris [3]); nec desunt hujus traditionis documenta apud populos recens detectos [4]). Quæ quidem omnia aperte evincunt mosaicam anthropogoniam nativo sensu accipiendam esse; ac propterea, quod inde sequitur, primos parentes immediate a Deo conditos fuisse.

DIFFICULTATES.

235. I. *Obj.* 1° Homo e terra suapte natura oriri potuit per fortuitam motus ac materiæ conjunctionem. Plura enim corpora organis instructa a natura ipsa quotidie produci nemo non videt [5]). 2° Quod vero refert Moyses Gen. II 7, ostendit hominem, humili nimium origine sua minime contentum, sibi a Deo eam accersivisse. 3° Sane commentarii mosaici duplicem exhibent hujus originis historiam: *alteram* (Gen. I, 26.), qua Deus uno actu, *alteram* minus puram atque perfectam (Gen. II 7, 21, 22), qua primo marem e pulvere terræ, deinde fœminam e costa illius deductam formasse traditur. 4° Quæ quidem ex incultioris ætatis ingenio et aliarum gentium de anthropogonia mythis accommodata sunt [6]). Ergo.

1) Cf. etiam Tob. VIII, 8.

2) Philo Jud. allegorice exponit, lib. II, *Legis alleg.* pag. 109 seqq. apud Calmet, nonnullique rabbini; cæterum Josephus loc. cit. judæique passim universi, sensu literali accipiunt.

3) Ita Wegsch. § 98. n. (*a*). Sic *Einleit. art. Adam, in Ersch und Gruber Encyklopädie*, I, seu *Introductio art. Adam, in encyclopediam Ersch et Gruber*. Sane ejus traditionis documenta apud sinenses non pauca profert Windischmann, loc. cit. et apud indos ibid. part. I, sect. 2 pag. 386 et seqq.

4) Cf. *Annales de philosophie chretienne*, Paris 1834. année v, n. 43. tom. VIII, Janvier, art. *Voyage et traditions, croyances, superstitions et reste des traditions primitives* observées *par M. Dumont D'Orville dans son voyage autour du monde à bord de l'Astrolabe, dans la Nouvelle-Zelande et les iles de Tonga*; ubi inter cæteras servata est traditio mulieris ex latere viri productæ.

5) Sic auctor operis *Réflexions philosophiques sur le systeme de la nature.* Nec valde abludit Neeldham, qui omnia fere corpora organis instructa repetit a vi vegetativa, ut ipse eam vocat, a qua repetit corpus Adam, imo et Hevæ formationem, quæ ad instar populi junioris ab alio dissecti prodiit ex corpore Adam Cf. Spalanzani, *Opuscoli di fisica animale*, Milano 1826. Opusc. I, part. I, pag. 17. 18.

6) Ita Wegsch. §. 98 ubi concludit: „Ei vero, qui narrationes istas mosaicas ad institutionem vitæ communis transferre studet, maxime cavendum est, ne homines nostri, puriore Numinis idea imbuti, quam quæ in libris illis passim significata est, singula nimium premendo offendantur, neve a pio in Deum creatorem amore et reverentia abducantur debita." Ex quibus quanta sit hominis impudentia satis elucet.

236. *Resp. Ad* 1[m], *Neg.* Satis est enim vel leviter anatomiæ principia degustare, ut quisque sibi persuadeat, absurdam esse hypothesin materialistarum, comminiscentium casu hominem e terra prodire potuisse. Tam affabre enim in humano corpore membra singula disposita sunt, ut nonnisi opus plane divinum ipsum esse quisque intelligat et altissimæ sapientiæ consilium in eo elucere. Quod autem de hac hypothesi dictum est, idipsum tute quivis pronunciare poterit de aliis similibus somniis incredulorum, qui dummodo possint sibi persuadere se a Deo conditore non prodiisse, absurda quæque devorant multo facilius libentiusque, quam infantes fabulas ac historiolas admittunt; attamen obducto supercilio sibi philosophi ambitiosum nomen adsciscunt [1]).

237. *Ad* 2[m], *Neg.* pariter; et addo nullam aliam originem, si recta ratione quis uti velit, posse sibi quemquam confingere. Atque hinc fit, ut homo, velit nolit, ineluctabile semper secum ferat argumentum existentiæ Dei.

238. *Ad* 3[m], *Neg.* Sed una eademque mosaicis commentariis historia traditur; in primo quidem capite mundi ortum in universum ac summatim, in altero vero modus ac ratio exponitur, qua telluris recens creatæ nuda et incompta facies instructa sit plantarum ornatu, tum de maris et fœminæ origine, atque de primorum parentum sede et conditione latius disseritur [2]) ac per partes describitur. Evanescit propterea, quod a

1) Quæri etiam posset, quare illa fortunatissima tellus, quæ homines ultro e sinu suo producebat, fœcunditatem suam amiserit? Forsan respondebunt, quod olim epicureus Lucretius, *De natura rerum*, lib. v, ver, 824 et seqq. edit. Taurin. 1831.

Sed, quia finem aliquam pariendi debet habere.
Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto,
Mutat enim mundi naturam totius ætas;
. . . .
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, et ex alio terram status accipit aliter,
Quod potuit, nequeat; possit quod non tulit ante.

Cf. Cudworth, *Syst. intell.* cap. 5 §. 68, 69 pag. 125. tom. II, edit. Lugd. Bat. 1773.

2) Sic fere Rosenmüller, auctor adversariis non suspectus, in *Scholiis in V. T.* in hunc loc. ubi solvit omnia argumenta eorum, qui contendunt capita primum et secundum Geneseos, non ab eodem, sed a diverso auctore esse conscripta. Præstat vero adnotare, Eichhorn inferre antiquioris ætatis et scriptoris esse, quæ cap. 2 et 3. Gen. habentur, ex dicendi genere, quod ibi deprehendere sibi visus est, *impolito atque indocto*, quod vetustissimi ævi simplicitatem referat. Contra vero in his ipsis capitibus *stylum multo ornatiorem*, quam in iis, quæ præcesserant, nec pauca exquisitoris doctrinæ indicia agnoscit Heinrichs, *Commentatio de antiquo illo documento, quod secundo Geneseos capite extat*, Götting. 1790 unde eadem recentiori ætati assignat. Quam probe inter se cohærent hi philologi protestantes! Gesenius vero in opere: *Ædificum doctrinæ linguæ hebr. p. hist. ling. hebr.* ex eo quod in primo capite Geneseos sermo tantum sit de אֱלֹהִים *diis*, in capitibus vero duobus subsequentibus factus sit יְהֹוָה אֱלֹהִים *Deus Deorum* in compositione æquivalens τῷ יְהֹוָה צְבָאוֹת *Deus Sabaoth*, in reliquis demum appareat solus יְהֹוָה *Deus*, deducit progressum a polytheismo ad ideam unitatis Dei. Miseri fabulatores! Hoc enim Gesenii commentum explodit vel levis totius libri inspectio; etenim ter in ipso Gen. III, 2-5. legitur solum nomen *Elohim* absque additamento *Jehova*, sic

rationalistis additur de altera originis historia *minus pura atque perfecta* Gen. II, 7, 21, 22; quæ non alio nititur fundamento nisi cuncta carpendi cacoëthe [1]).

239. *Ad* 4[m], *Neg.* Tum quia in simplici ac ingenua Moysis narratione nihil est, quod mythum Suboleati indiget; tum quia aliarum gentium, qui dicuntur de anthropogonia mythi, non sunt nisi primævæ traditionis corruptiones, quæ plus minus recesserunt a veritate pro diversitate indolis eorum, qui eam servarunt [2]), quique omnes, cum posteriores sint mosaicis commentariis, eosdem in omnibus suis partibus mirifice confirmant.

240. II. *Obj.* 1° Nemo sobrius inficiari saltem poterit fœminæ e viri latere formationem, prout a Moyse describitur, mythum esse seu philosophema ad mutuum illud atque vehementissimum viri et fœminæ desiderium adumbrandum, quo sese mutuo prosequuntur, ab ipso rerum omnium auctore utrique sexui alte infixum et ingeneratum. 2° Simili mytho de viro ac fœmina uno olim corpore conjunctis, sed a Jove postea diremtis, amoris mutui vim Plato declaravit [3]). 3° Quod vero Deus Adamo, quum somno erat obrutus, ne dolorem sentiret, costam exemisse narratur; homo autem expergefactus, conspecta fœmina, exclamasse dicitur, hoc demum esse animal sibi simile, id aperte est additum fabulæ adornandæ causa [4]). 4° Ab hac vero expositione non abhorrent catholici ipsi theologi, quorum aliqui allegorice verba Moysis interpretati sunt, ut Cajetanus [5]), alii primum hominem vel androgynum vel hermaphroditum a Deo conditum autumarunt [6]). 5° Ipsa quodammodo rei natura aliquam ex his expositionibus exposcere videtur, nisi primum hominem aut monstrosum ante Hevæ formationem, costa sci-

Gen. XXVII, 16 et seqq. nomina *Jehova* et *Elohim* promiscue usurpantur. Eadem dicendi ratio in cæteris omnibus V. T. libris observatur. Cf. speciminis gratia Jon. IV, I, 4, 6, 7, 8, 9, 10. in quibus modo *Jehova* solum, modo *Jehova Elohim*, modo denique rursum solum *Jehova* reperiuntur.

1) Cf. *Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire*, tom. I *Petit commentaire*, etc. tom. IV, *Extrait d'Adam et de son histoire*.

2) Cf. Banier, *La mythologie et les fables expliquées par l'histoire*, tom. III, lib. I, cap. 4, ubi erudite ostendit græcos defectu historicorum ignorasse suam propriam originem ac propterea seipsos vocasse *αὐτόχθονας* seu ex ipsa terra ortos, quod pariter præstiterunt pelasgi, celtæ, hiberi, scythi, etc. eadem vanitate ducti ac nonnulli itali nostri, quos inferius recensebimus, qui ut stultæ huic antiquitati faverent, minime veriti sunt scripturæ auctoritate refragari.

3) In *Timæo*, tom. III, p. 41 et seqq. op. edit. Steph. Paris 1578 et in *Symposio*, ibid. pag. 189 et seqq. ex impuri Aristophanis persona fuse persequitur fabulam de homine *ἀνδρογύνῳ* in duas partes dissecto, etc. Lucret. loc. cit. V, 837.

4) Ita Rosenmüller, ad V, 21, cap. 2 Geneseos.

5) *Comment.* in hunc loc.

6) Mirum est Michaelem in dissert. pag. 72. et suiv. potuisse serio contendere auctoritate Platonis ac rabbinorum Adamum reipsa androgynum fuisse a Deo procreatum. Absurda rabbinorum commenta referunt Heidegger in *Histor. patriarch.* Exerc. IV, tom. I, pag. 35 et Fabricius in *Codice pseud. vet. test.* tom. I. Voltaire veritus non est, tum in opere *Raison par alphabet*, art. *Adam*, tum in *Bible enfin expliquée*, Moysi tribuere historiam de homine androgyno; sed Cf. *Lettres de quelques Juifs*, loc. cit. §. 12.

licet redundantem, aut imperfectum post ejusdem ortum, costa videlicet distitutum, extitisse contendamus. Ergo.

241. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Supposita historica veritate, *conc.* si illa excluditur, *neg.* Ipsi ecclesiæ patres atque scripturarum catholici expositores deprehenderunt moralem sensum mutui conjugum amoris in fœminæ procreatione, prout a Moyse describitur [1]); sed hic moralis sensus in literali fundatur, quo sublato, actum est de sacri historici veracitate. Nonnisi recentiores biblici protestantes purum mythum in Moysis verbis exprimi commenti sunt contra sensum traditionalem et invitis omnibus germanæ exegeseos legibus.

242. *Ad* 2m, *Neg.* supositum ut ex dictis liquet. Plato autem phantasiæ suæ indulgens exornavit plus æquo, quod apud orientales gentes, quarum provincias peragraverat, traditum invenit [2]).

243. *Ad* 3m, *Neg.* Sublato enim fundamento, cætera quæ illi superstruuntur, corruant necesse est; maxime quod reliqua scripturarum loca, juxta exposita, arbitrariam biblicorum et rationalistarum hypothesim evertant.

244. *Ad* 4m, *Dist.* Id est, nonnulli contra communem patrum et interpretum sensum, *conc.* alias, *neg.* Ideo autem quod singulares isti expositores plus æquo suo ingenio indulserint in scripturarum explanatione contra sensum totius antiquitatis, sapientiorum omnium reprehensionem invidiamque subierunt. Exinde discimus, aleæ opus plenum esse, velle a recepta et communi in bibliis exponendis sententia recedere. In eos scopulos inciderunt, in quos passim protestantes ex suis principiis navem suam impingunt [3]).

245. *Ad* 5m, *Neg.* Ad allatam vero probationem reponimus, neque monstrosum nec deficientem parte aliqua integrali primum hominem sive ante sive post fœminæ formationem extitisse, Deo providente ac disponente sapientia sua, ne in alterutrum defectum incideret. Sacer textus id aperte innuit [4]). De-

1) Cf. Cornel. a Lapide, in hunc locum. Vid. S. Thom. p. I, q. 92. a. 2 et 3.

2) Cf. Banier, op. cit. tom. I, liv. I, chap. I, ubi ostendit in antiquorum anthropogoniis, non exclusa ipsa Platonis loc. cit. elucere vestigia mosaicæ historiæ, ac scite concludit: „L'esprit humain fait en vain tous ses efforts pour corrompre la vérité; elle laisse toujours quelque trace lumineuse qui la fait reconnaitre" (p. 78). Quod speciatim ad Platonem attinet, ipsum deprompsisse fictionem suam a traditione quæ apud orientales vigebat, quam tamen ipse non satis intellexerat, animadvertit Eusebius, *Præp. evang.* lib. XII, cap. 12 edit. cit.

3) In ejusmodi absurda incidit nuper Fr. Baader, quamvis catholicus in *Annot. in cap. 2. Geneseos*, 1829.

4) Menochius, Estius, Piscat. Catharinus in commentariis ad hunc loc. censent et costam et carnem Deum suffecisse in ejus locum, unde et carnem et costam sumpserat, prout verba ipsa Adami indicant: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.* Nonnulli vocem צֵלָע vertunt *latus*; chaldæus interdum eamdem vocem reddit *partem*; sic alexandrini eodem sensu transferunt eam identidem per vocem *μέρος*. Ast necesse non est ad hæc confugere. Cf. *Comment.* Calmet in hunc locum.

ceptio illorum, qui his magis detinentur, in eo est, quod velint judicium ferre de rebus longe a se positis, et quarum adjuncta omnia penitus ignorant.

PROPOSITIO II.

Universum humanum genus ab Adam omnium protoparente propagatum est.

246. Hæc propositio ad fidem spectat, utpote necessario connexa cum articulo de propagatione peccati originalis, de qua inferius disseremus. Duas porro adversariorum classes perstringit, præadamitas videlicet et fautores *aborigenum autochthonumve*, eorum scilicet hominum, qui habentur ut enati in diversis mundi plagis, et a quibus multiplices species repeti solent humani generis [1]), licet etiam a Deo conditæ.

247. Cum vero ex adversariis, quos hic refellendos suscipimus, alii, ut præadamitæ, scripturæ auctoritatem admittant, alii vero rejiciant, hinc argumentis ex scriptura depromptis alia præterea ab externis fontibus petita ad eos refellendos adjicere cogimur.

248. Ac primo sic præadamitas perstringimus: Sacra scriptura præadamitarum existentiam excludit, si perpetuo nobis exhibeat Adamum omnium hominum solum et unicum progenitorem. Porro id nobis aperte prodit in primis liber Geneseos; capite enim I, 27, perfectis totius mundani orbis operibus, legitur: ***Creavit Deus hominem*** [2]) ***ad imaginem suam . . . masculum et fœminam creavit eos.*** De hoc autem ipso homine, antequam enucleatius ipsius creationis ratio exponatur, dicitur II, 5, ***Et homo non erat qui operaretur terram;*** et II, 20: ***Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus;*** ac rursus

1) Animadvertendum autem apprime est, non omnes, qui admittunt aborigenes seu autochthonas, perverso sensu hanc sententiam tueri, sed eorum plerique aborigenum et autochthonum nomine eos populos vocare solent, quorum ex historicis documentis origo cognosci nequit. Hoc sensu exponunt, quod de autochthonibus aut indigenis veteres referunt. Vid. Delfico op. cit. *Della numismatica della città di Adria, nel Piceno*, Napoli 1826 qui in *Discorso prelim. sulle origini italiane*, pag. 64. inter cætera scribit: „Intanto per quel sentimento, che Vico chiamò *boria delle nazioni*, le più antiche pretesero all'autoctonato, cioè di esser prodotto spontaneo della natura; ne ciò bastò loro, e contesero di antichità anche colla luna." Deinde statuit non alios sub indigenarum aut aborigenum nomine intelligendos, nisi eos quorum derivatio ex aliis orbis partibus ob monumentorum defectum nos latet. Micali, *Storia degli antichi popoli italiani*, pag. 6, Firenze 1832: „Da ciò, *inquit*, i mitologi, primi storici, presero motivo di fingere la stirpe umana quivi dalla terra ingenerata. Opinione certamente ripugnante alla buona fisica, ma che sotto il velo dell'allegoria celava il concetto della impenetrabile antichità del popolo italiano, etc."

2) Hebraice porro clarius id exprimitur per articulum præfixum הָאָדָם italice *l'uomo*, quod est nomen appellativum, postea vero proprium primi hominis factum est *κατ' ἐξοχήν*, seu per excellentiam ita dicti; unde patet hic proprie describi hominis seu naturæ humanæ originem primam.

III, 20: ***Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva: eo quod mater esset*** CUNCTORUM ***viventium.*** Quæ quidem confirmantur tum ex libro Sapientiæ X, 1: ***Hæc*** (sapientia) ***illum***, ***qui*** PRIMUS ***formatus est a Deo pater orbis terrarum***, ***cum*** SOLUS ***esset creatus***, ***custodivit;*** tum ex apostoli verbis, Act. XVII, 26; ***Fecitque*** EX UNO ***omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*** [1]). Hæc autem clara adeo ac perspicua sunt, ut nullam exceptionem admittant.

249. His vero si accedat sensus traditionalis hebræorum et christianorum, qui constans et universalis est, ac dogma propagationis originalis noxæ in homines singulos, quod semper, ut ostendemus, ecclesia professa est, quodque huic facto innititur, nullus subest dubitandi locus.

250. Quod autem attinet ad adversarios cæteros, qui aborigenes seu autochthonas populos inducunt, vel ipsi a Deo hos homines seu primos terrarum incolas conditos admittunt, vel non; in utraque hypothesi difficile non est, eos erroris arguere.

251. Etenim 1° adversus eos stant omnes antiquæ anthropogoniæ, quas nobis sive poetæ sive historici tradiderunt, quæ prorsus collineant cum anthropogonia mosaica. Sanchuniaton enim, cujus historiæ fragmentum nobis transmisit Eusebius [2]), refert ex ***Merouach kolpia*** seu ex ***Spiritu vocis Dei*** procreatos esse Æonem et Protogonon, Adam nempe et Hevam, ex quibus homines cæteri progeniti sunt. Huc tendit Berosus chaldæus apud Syncellum, qui pariter illius theogoniæ fragmentum asservavit, quæ refert hominis originem anthropogoniæ

1) *'Εποίησέ τε ἐξ ἑνός αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπωέ κατοικεῖν ἐπί πᾶν τό πρόσωπον τῆς γῆς.*

2) *Præp. evang.* lib. I, cap. 10 edit. Vigeri, ex versione Philonis Biblii, qui totum opus Sanchuniatonis ex lingua phœnicia in græcam transtulit ac in novem libros distribuit. Cujus quidem Sanchuniatonis operis diversa exstiterunt criticorum judicia, quæ hic expendere non vacat. Nonnulli adeo progressi sunt, ut illud supposititium existimaverint. At prudentior criticorum pars suo auctori hanc historiam vindicavit. Imo anno 1935. in Lusitania integram Philonis græcam Sanchuniatonis translationem repertam esse nunciatum fuit, quam revera græce et latine anno 1837 Bremæ edidit seu verius supposuit F. Wagenfeld, nullis tamen additis notis vel vindiciis. In citato igitur fragmento legitur: *φησί λεγενῆσθαι ἐκ τοῦ Κολπία ανέμου καί γυναικὸς αὐτοῦ Βάαυ, τοῦτο δέ νύκτα ἑρμηνεύειν, Αἰῶνα καὶ Πρωτόγονον θνητοὺς ἄνδρας, οὕτω καλουμένους. Εὑρεῖν δὲ τὸν Αἰῶνα τὴν ἀπὸ τῶν δένδρων τροφήν*, seu, *Ex Kolpia vento atque ejus uxore Baau, quam noctem* (græci) *interpretantur*, *Ævum ac Primogenitum*, *mortales ambos*, *procreatos*, *Ævumque cibi ex arboribus petendi auctorem fuisse.* Eruditus autem Fourmont senior, in op. *Reflexions sur l'origine*, *l'histoire et la succession des anciens peuples*, tom. I, liv. II, chap. 5 Paris 1747 ostendit verba originalia Sanchuniatonis fuisse מְרוּחַ קוֹל פִּי יָהּ נוֹלְדוּ הַיּוֹן וּבְכוֹר seu: *merouach quol phi yah noladou hayon*, *oubetkor*, id est, *Ex spiritu vocis Dei procreati sunt Æon et Protogonos;* ac probe sensum Sanchuniatonis retulisse Philonem, græcos vero ignaros textum interpolasse. Porro per Æonem, seu potius Hajon, Hevam ibi exprimi, et per Protogonon Adamum, voce Dei procreatos, ibidem ostendit. Et sane, quæ traduntur de Æone auctore cibi ex arboribus petendi, aperte produnt. Sed consulatur idem auctor loc. cit.; nec enim diutius nobis id persequi in animo est. Cf. etiam Banier, op. cit. lib. I, chap. 2 pag. 84 et seqq.

mosaicæ admodum similem [1]; neque ab ea differt anthropogonia Diodori Siculi, qui nobis eam retulit in theogonia ægyptiorum et græcorum [2]; nec diversam hominis originem nobis tradiderunt Orpheus [3], Hesiodus [4], Aristophanes [5], Horatius [6] et Ovidius [7].

252. 2° Adversus eosdem præterea dimicant traditiones omnium populorum, non antiquiorum modo [8] sed etiam recentiorum [9].

253. 3° Historiæ omnes, quæ coloniarum transmigrationes ex Asia, Chaldæa præsertim, Phœnicia, Ægypto, Græcia, etc. referunt, testes saltem sunt luculentissimæ, populos omnes paulatim ex tenui principio exortos excrevisse, et originem communem habuisse, prout a Moyse refertur; cujus quidem mosaicæ historiæ, profanæ, quæ eam subsecutæ sunt, sive temporum, ut vocant heroicorum, sive cultiorum, totidem possunt vocari commentaria et confirmationes [10].

1) Banier loc. cit. p. 75 et seqq.

2) *Bibliot.* lib. I, cap. I, ubi duplicem refert opinionem suo tempore viguisse circa hominum originem; alios quidem existimasse *ab æterno sine ullo generationis principio extitisse humanum genus*, *τὸ γενὸς τῶν ἀνθρώπων ἐξ αἰῶνος ὑπάρχειν, μηδέποτε τῆς αὐτῶν τεκνώσεως ἀρχὴν ἐσχηκυίας*, alios vero, qui et factum mundum hunc, et corruptioni obnoxium esse censent, perinde atque illum *homines quoque certo tempore ortum consecutos asseverare: Τοὺς ἀνθρώπους τυχεῖν τῆς πρώτης γενέσεως ὡρισμένοις χρόνοις.* Mente autem seu Deo accedente, hæc peracta fuisse ex ægyptiorum theologia, ac proinde phœnicum, patet ex iis, quæ scribit Diogenes Laert. in procemio, segm. 4 edit. Menagii Amstel. 1692. Cf. etiam Cudworth, *Syst. intell.* pag. 317; Banier loc. cit. pag. 96 et seqq.

3) Orphei *Hymni* I, et seqq. præsertim 5. *Πρωτογόνου θυμίαμα*, seu *Primogeniti thus*, et 24 *Πρόθεως θυμίαμα*, id est, *Prothei thus.* Heroici carminis, vol. I, pag. 502 et seqq. Cf. Banier loc. cit. cap. 5, pag. 103 et seqq.

4) Hesiod. lib. I, *Dies.* cf. Banier loc. cit.

5) *Aves*, v, 667 ubi vocat homines *πηλοῦ πλάσματα*, seu *luti opera.* In hac vero ipsa Avium comœdia breviter græcorum theogoniam et cosmogoniam distinctius et clarius exponit quam Hesiodus.

6) *Odarum* lib. I, oda XVI, v, 13 et seqq.

7) *Metamorph.* lib. I, v, 75 et seqq.

8) Cf. Fourmont, opp. cit. lib. I sect. 2 cap. I et seqq.

9) *Annales de philosophie chrétienne*, loc. cit., Windischmann, loc. cit.; J. Klaproth, *Tableaux historiques de l'Asie*, Paris 1824.

10) Banier et Fourmont, opp. cit. Sed quæret hic fortasse quispiam, quomodo hæ traditiones componi possint cum recepta apud varios populos persuasione se *αὐτόχθονας* et *γηγένεις*, id est, se esse e terra genitos, seu cum ipso solo quod incolebant, ut de græcis præsertim, *genus in gloriam suam effusissimum* a Plinio merito vocatis, exploratum est. Sic inter cæteros Aristophanes, *Vesp.* v, 1071: *Ἐσμεν ἡμεῖς Sumus nos etc.* Euripides, Ion. v. 29 et seq. *Ἐλθὼν λαὸν εἰς αὐτόχθονα κλεινῶν Ἀθηνῶν: Profectus ad Autochthonem populum Athenarum inclytarum.* Sic Plato in dial. *Menex.* cap. 7; Lucian. *Philopseud.* §. 3. *Ἀθηναιοι.., φασὶ καὶ τοὺς πρωτους ἀνθρώπους ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀναφῦναι, καθάπερ τὰ λάχανα*, id est, *Athenienses... ajunt et primos homines olerum instar de Attico solo enatos.* Quibus addatur Diogen. in procemio, segm. 3, et Cicero, *Pro Flacco*, cap. 26: *Athenarum urbs vetustate ea est, ut ipsa ex se se cives suos genuisse dicatur.* Quæ opinio aliis præterea populis communis est, ægyptiis præsertim, de quibus Diod. Sicul. *Biblioth.* lib. I, pag. 6 edit. cit. *φάσι τοίνυν Αἰγύπτιοι κατά τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων γένεσιν πρώτους ἀνθρώπους γενέσθαι κατα τὴν Αἴγυπτον. Sub primos ergo rerum omnium ortus, primos in Ægypto homines provenisse ægyptii memorant.* Cf. ibid. et pag. 5. Ea opinio est etiam italis, de quibus inter cæteros Virgilius, *Æneid.* lib. VIII, v. 315.

Gensque virum truncis et duro robore nata;

et Cato apud Servium, I, 6: *Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur*

254. 4° Philologia ipsa, quæ novis curis exculta hac nostra ætate est, aliud suppeditat adversus eos, quos impugnamus, argumentum. Exploratum namque est linguas omnes ad duas præcipuas matres, ut vocant, ac primitivas revocari a philologis, *semiticam* scilicet, et *japeticam* [1]; porro iidem observarunt linguas istas sive idiomata plures radices imo et voces communes habere, si parvam inflexionem excipias, nec non interdum formas et grammaticale systema. Rursum ab iis, qui peculiari studio linguam *samscriticam* nuncupatam, quæ ab indis usurpatur, excoluerunt, notatum est hanc in plerisque vocabulis cum linguis græca et latina, aliisque sive antiquioribus sive recentioribus apprime congruere [2], ac propterea

Aborigenes. Alios omitto. Sed responsio in promptu est: Populi illi innata quadam gloriolæ cupidine ducti cœperunt inter se de antiquitate decertare; deerant documenta, unde erueretur, a quibus primum incolis regio quælibet habitari cœpisset. Hinc factum est, ut appellari cœperint indigenæ, seu inde nati, vel autochthones, etc, perinde ac si non aliunde originem traxissent. Quibus accesserunt poetæ, qui mythis suis hanc opinionem amplificarunt. Cæterum nationalis hæc seu provincialis gloriola minime obfuit, quominus gentes omnes vestigia servarint primævæ traditionis circa originem hominum, ut ex dictis patet. Ubique tum a græcis tum a latinis laudibus extollitur *Japeti genus*, cujus quidem Japeti seu Japhet, a quo plerique Europæi deveniunt, frequentissima mentio apud antiquos occurrit. Cf. Guérin Du Rocher, Soc. J. in opusc. *Histoire véritable des temps fabuleux*, præsertim tom. I.

1) Hoc argumentum non ita pridem jam excoluerat Cl. Leibnitzius, qui in opusc. *Brevis designatio meditationum de originibus gentium, ductis potissimum ex indicio linguarum* (tom. IV, pag. 186 et seqq., opp, edit. Dutens, Genev. 1768), revocat linguas omnes ad communem aliquam, quæ una primum esse debuit, quæque postea bifariam divisa est in *japeticam* et *aramæam*; quæ hinc a prima prodierunt lingua, septemtrionem implevere, quæ a secunda, meridiem. Ad *japeticas* linguas refert eas, quibus usi sunt *Japheti* posteri; ad *aramæas*, quas tenuerunt *Semi Chamique* propagines. Observat plura vocabula cognationem communem præ se ferre in ejusmodi linguis; ex quibus jure infert, gentes omnes unius gentis aut stirpis propagines coloniasque fuisse, quanquam in remotioribus paulatim vestigia cognationis omnino perierint. Idem argumentum fusius prosecutus est Laur. Hervas S. J. tum in op. *Origine, formazione, etc. degl' idiomi*, Cesena 1785 et in op. *Saggio pratico delle lingue*, Cesena 1787 tum in suo *Vocabolario poliglotto*, Cesena eod. anno. Quem secuti sunt superioribus annis plures alii Vater, Adelung, Klaproth, Pictet, Schlegel, etc. Qui præterea ex philologia comparata collegerunt hunc fructum non minus historiæ quam religioni proficuum, nempe constare, independenter ab historia ipsa, derivationem populorum, qui tamen varietatis constantis notas præseferunt, ab uno eodemque stipite seu origine primitiva communi. His animadversionibus confirmantur ipsa argumenta physiologica. Cl. Klaproth in sua *Asia polyglotta*, pag. 35 et seqq. statuit rectissimam distinctionem inter affinitatem *generalem* et affinitatem *particularem* linguarum. Perspectum porro est, inveniri inter populos maxime a se dissitos, quique magis inter se differunt sub respectu indolis physiologicæ varietatum constantium, multitudinem radicum analogicarum tum forma tum significatione; affinitas *particularis* varietatum constantium inter se non solum fundatur in analogia radicum duarum aut plurium linguarum, sed præterea in quadam unitate illarum systematis grammaticalis. Viri doctissimi hoc studium, quod *linguisticum* vocant, ingenti animi contentione prosequuntur. Nec dubitare licet, quin per illud, cum ulteriorem perfectionem assecutum fuerit, præbeatur argumentum evidens unitatis primitivæ et originariæ generis humani, quod præeat tempore omnibus historicis documentis, unde etiam atque etiam patebit scientiarum et artium progressus semper religionis veritati confirmandæ inservire. Cf. interea *Biblioth. univers. de Genève*. tom. XXIX, *Littérature*, art. *Philologie*, pag. 493 et suiv. 1825.

2) Cf. *Recherches asiatiques*, vol. VII, VIII, XIV etc.; nec non *The asiatic journal and Monthly Register*, etc. April 1835, vol. XVI. *New series*, London, pag.

unam eamdemque horum populorum primam fuisse linguam. Nec demum eosdem philologos fugit, gentes interdum longissime a se non raro dissitas, quæque diversæ speciei habebantur, communi lingua uti, dum eæ, quæ proximiores nunc sunt, in immensum prope inter se differunt. Quæ quidem omnia aperte produnt, unam ab initio omnibus hominibus communem linguam extitisse, ac propterea ex cognatione, affinitate, identitate quandoque linguarum omnium necessario consequi unam pariter gentium omnium originem fuisse.

255. Nunc vero ut incredulos reliquos seu potius amentes autochthonum et aborigenum assertores aggrediamur, qui divinam creationem hominis respuunt, ita eos perstringimus: 1° Ex mathesi, ut alias diximus 1), perspectum est, nullam dari posse sive successivam sive simultaneam terminorum seriem infinitam; ergo homo necessario aliquam originem habuit. 2° Ex physica pariter certum est, prout ostenderunt ex repetitis experimentis Vallisnieri, Redi et Spalanzani 2), viventia cuncta præsupponere alia ejusdem speciei viventia, a quibus procreentur, et absurda esse systemata tum particularum organicarum, tum ovi, tum vermiculorum, putredinis, etc. Ergo a primo aliquo homine, quem Deus ipse condiderit, homines reliquos procreatos esse necesse est; ut prætercam argumenta hactenus allata, quæ stolidum ejusmodi commentum penitus excludunt.

221 et seq.; tum *Monuments litteraires de l'Inde, ou Melanges de litterature samscrite*, par A. Langlois, Paris 1827. Novo autem examini subjecit linguam samscriticam Cl. A. W. De Schlegel in *Mèmoire lu à la societe royale de litterature des Londres le* 20. *novembre* 1833. (*Transactions of the royal society*, etc. vol. II pag. 2. 1834.), in qua, instituta comparatione linguæ samscriticæ cum persica, græca, latina, linguisque germanicis, celticis, schlavonicis sive slavis concludit cap. 9.: „En admettant que l'affiliation des langues justifie la conclusion (et d'après ma conviction elle la justifiera d'autant plus qu'elle sera examinée plus à fond), que toutes ces familles de peuples sont issues de la même souche; que leurs ancêtres, à une époque quelconque, ont appartenu à une seule nation, qui est divisée et subdivisée dans sa propagation successive; la question se présente naturellement de savoir, quel a été le siège primordial de cette nation mère." Eamque statuit ad orientem maris montis Caspii in Asia ac præcise in Assyria, etc. Cf. *Bibliothèque Univ.* cit. Mars 1835. art. *Antiquités orientales*, pag. 225.: Rossignol, in op. *Lettres sur Jesus-Christ* Paris 1841. Lettre I. hæc in rem nostrum scribit: „L'Uranie revenant de son voyage autour du monde a confirmé les données de la linguistique, l'opinion de Buffon, de Lacépede, de Cuvier, et de tous les grands naturalistes français, et étrangers, en déposant le 8. du mois de Juin dernier sur le bureau de l'Académie des Sciences cette phrase, que je vous prie de ne pas oublier: *Mes observations tendent à demontrer la grande unité de l'espèce humaine.* (Voir *Le compte rendu de la Séance* du 8. Juin. 1840. M. de Freycinet avait la parole relativement à la rélation du voyage de l'Uranie)."

1) Tract. *De Deo*, etc. part. I. cap. I. n. 37 et seqq.

2) Cf. Ant. Vallisnieri *Consideraz. ed esperienze intorno alla generazione dei vermi nel corpo umano*; item: *Esperienze ed osservazioni intorno all'origine, sviluppo, etc. di varii insetti*, etc. opp. tom. I. fol. edit. Venet. 1733.; F. Redi, *Esperienza intorno agl'insetti:* nec non *Osservazioni intorno agli animali viventi*, etc. vol. II. opp. in-4. edit. Ven. 1712.; Laz. Spalanzani, opp. vol. VI. Milano 1826.; præsertim *Opuscoli di fisica animale e vegetabile.*

256. Quum igitur scriptura Adam velut protogonon, seu primum a Deo conditum testetur, a quo homines reliqui omnes procreati sunt; quum anthropogoniæ omnium antiquissimarum gentium, quoad rei summam, mosaicam confirment; quum populorum traditiones, historiæ omnes, philologia ipsa eandem adstruant veritatem, quum denique scientiæ ipsæ naturales omnem explodant contrariam hypothesin, sequitur quod ostendendum nobis assumpsimus, nempe humanum genus universum ab Adam omnium protoparente fuisse propagatum.

DIFFICULTATES

Præadamitarum.

257. I. Obj. Ex sacris literis, ante Adam alios fuisse a Deo homines procreatos multa sunt quæ suadeant; ac 1° quæ leguntur Gen. I 26, ubi primus homo conditus a Deo exhibetur diversus ab eo, qui creatus dicitur ibid. II 7, ut ex omnibus adjunctis eruitur. 2° Quæ dicuntur ibid. IV 2, de Abel et Cain: ***Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola.*** Cur enim Abel custodiebat oves? Nempe propter fures, qui certe pater ipsius aut mater aut frater esse non poterant; ergo ab aliis præexistentibus hominibus. Quo pariter 3° referuntur, quæ Deus Cain minatus est, dicens, ibid. IV. 6, 7: ***Quare iratus es, et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?*** Quid hic ***fores?*** Portæ scilicet, in quibus judicia apud orientales exerceri consuevisse scriptura passim commemorat. Significat igitur Deus Cain, si male ageret, tradendum ipsum judicibus, qui pœnas ab eo patrati sceleris reposcerent, qui profecto solus Adam esse nequit. 4° Hæc confirmantur ex verbis Cain, sic Deum alloquentis, ibid. IV 14: ***Ecce ejicis me hodie a facie terræ . . . et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.*** Quod ne fieret, Deus ***posuit Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.*** Fugit tamen Cain ab hominum illorum consortio ***ad orientalem plagam Eden.*** Quæ sine hominum multitudine intelligi nequeunt. Quid? Quod Cain agricola perhibeatur; agricultura porro et aratoria ars plures exigit alias artes. Cain præterea uxorem habuisse dicitur; nec profecto Adami filiam ducere potuit, cum nulla ei adhuc nata esset; ergo ex filiabus gentium. Illud etiam de Cain docet scriptura, ibid. IV 17, ædificasse illum civitatem, ac vocavisse nomen ejus ex nomine filii sui (utique primogeniti) ***Henoch.*** Architecti igitur aderant, aderant, quos in eam urbem deduceret cives. Quinam ii fuerint, quum Abele interfecto unus Adam cum Heva superfuisset? Ergo.

258. ***Resp.*** ***ad*** 1m, ***Neg.*** Sed ex dictis, quæ hic operæ pretium non est iterare, caput II non continet nisi anacephalæosin eorum, quæ Moyses cap. I scripserat, eamque uberiorem, in qua, quæ ibi strictius de hominis formatione dicta fuerant, retractantur, atque accuratius explicantur [1]; alioquin bis creata dicenda essent aut disposita cœlum, terra, virgultum agri, omnisque herba regionis, quia Gen. II. 4 hæc repetit Moyses.

259. Ad reliqua hic objecta reponimus, 1° duplici falso supposito ea laborare. Primum quidem, pleraque hæc contigisse simul ac Adam e paradiso fuerat expulsus aut paulo post; cum tamen certum sit, nonnisi circa annum 129 Abel occisum esse, ut indicat illud Gen. IV 25 anno scilicet Adam 130 natum esse Seth pro interfecto Abele. Alterum vero, paucos per ea tempora extitisse homines, eo quod pauci a Moyse commemorentur; quum scopus ipsius plures recensere non ferret [2].

260. ***Resp.*** 2° Speciatim *ad* 2m, ***Dist.*** Et pastoralis ars præter custodiam gregis a furibus plurima alia complectitur, ***conc.*** illam solam, ***neg.*** Porro artem pastoralem nec totam nec præcipue in tutandis gregibus a latronum rapacitate consistere, notum adeo est, ut fusius id ostendere minime præstet.

261. ***Ad*** 3m, ***Dist.*** Et phrasis illa: ***In foribus peccatum aderit,*** sensu translato a Moyse adhibetur ad pœnam imminentem significandam, *conc.* sensu proprio, ***neg.*** Hæc autem loquendi ratio non solum in scripturis sensu exposito usitata est, ut e. g. Marc. XIII 29, ubi loquens Christus de extremo judicii die, dicit: ***Scitote, quod in proximo sit in ostiis***, sed etiam in scriptoribus profanis. Plutarchus enim illud exhibet adagium: ***Febris est in foribus;*** quo spectat etiam illud Horatii, ***Culpam pœna premit comes.*** Eo magis quod Moyses, hæc scribens, potuerit ætatis suæ mores spectare; quod infrequens non est sacro scriptori [3], et exempla ejusmodi non pauca suppetunt in Josepho, Livio cæterisque scriptoribus.

1) Sic etiam exponit Rosenmüller, dicens in cap. 2. 1.: „Epilogus superiorum, priusquam ad diem septimum transeat; quasi diceret: Ita his sex diebus completum est cœlum et terra (quibus verbis ut supra cap. I. totam hanc mundi fabricam complectitur) homine creato, qui fuit colophon quasi Dei operum.” Sed longe ante ipsum hoc præstiterat Theophilus, *Ad Autolycum*, lib. II. cap. 19. 20. tom. II. ***Biblioth. patrum Galland.*** edit. Ven. 1761.

2) In memoriam revocanda sunt, quæ superius adnotavimus de mira israëlitici populi propagatione duorum aut paulo amplius sæculorum spatio, quæ facta est in Ægypto. Cf. etiam Petav. ***De doctr. temp.*** tom. II. lib. IX. cap. 14. ***De generis humani propagatione***, ubi ponit diagramma propagationis hominum post diluvium, ita ut paucis annis, nempe ab 8 post diluvium ad 285 ab 8 individuis qui erant superstites, potuissent pervenire ad ingentem numerum 1. 247. 224. 717. 456.

3) Cf. Gen. VII. 2. Quamvis neque his opus sit, siquidem tum ex hebraico textu tum ex membro sequenti hujus versiculi patet, non de peccati pœna, sed de ipso peccato, seu peccati cognitione, citata verba accipi debere. Textus enim ita se habet וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ, ***Si vero male egeris, ante fores peccatum jacet,*** seu se prodet, peccatum tuum non magis celari poterit, quam id quod pro foribus jacet. Membrum vero

262. *Ad* 4^m^, *Dist.* Inanis fuisset metus Cain, si præter Adam et Eva nulli homines extitissent, *conc.* multiplicatis jam hominibus, quod jam animadvertimus, *neg.* Addo etiam a posteris sibi Cain timere potuisse [1]).

263. Quod dicitur de arte agraria, supponit adversarius iisdem instrumentis a Cain eam exercitam fuisse, quibus nunc terra a nobis exercetur, quod tamen omnino est gratuitum.

264. Nec magis Peyrerium juvat, quod urget ex uxore Cain; etsi enim Moyses aperte non insinuat filias tunc temporis Adam natas esse, inferri nequit nullam natam fuisse [2]).

265. Ad Henochiam ædificandam opus quidem fuisset Cain architectis, si civitas illa Europæ urbes æmulata esset, minime vero, si tuguriola, quod credere non est nefas, pro illa mundi infantia, solum complectebatur. Nemo præterea nescit, temporibus nobis longe propinquioribus oppida passim civitatis nomine donata esse. Cum præterea constet ex doctissimorum chronologorum sententia, non ante mundi annum quadringentesimum, ac fortasse etiam quingentesimum Cain Henochiam condidisse [3]); inde patet incolarum satis frequentem multitudinem colligere ipsum potuisse, qua eam repleret.

266. II. *Obj.* Apostolus rom. V scribit: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Jam vero nomine *legis*, inquit Peyrerius, hic intelligenda venit lex Adamo data, cujus transgressio peccatum Adami fecit, quam datam omnibus hominibus in Adamo censendum est eadem ratione, qua in Adamo illam violavisse reputandi sunt. Peccatum igitur erat in mundo usque ad legem adamiticam. Homines ergo admitti debent, qui ante Adamum peccaverint, quamvis peccatum ipsis imputatum non fuerit, cum lex non esset.

267. *Resp. Neg.* assumptionem Peyrerii, hic nempe nomine legis designari legem Adamo datam; sed legem mosaicam designari dicimus, ut patet ex ipsis adductis Pauli verbis: *Sed re-*

quod sequitur, est juxta vulgatum: *Sed sub te erit appetitus ejus* (nempe peccati); *et tu dominaberis illius*, id est, ei resistere debes. Quo posito, omnis evanescit difficultas. Cf. Rosenmüller in cap. 4. Geneseos, v. 7.

1) Opportune animadvertit S. Ambrosius, *De Cain et Abel*, lib. II. cap. 9. n. 33.: „Potuisse (*Cain*) et parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi; potuerunt enim et parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente."

2) Hanc difficultatem jam præoccupaverat S. Augustinus, *De civit. Dei*, lib. XV. cap. 16., qui præterea docet sororem suam Caino in uxorem ducere, in iis humani generis exordiis, licuisse, ut humana soboles propagaretur. Augustino assentiunt S. Epiphanius, *Hæres.* XIX. n. 6., Sethian.; S. Joan. Chrysost. *Hom.* XX. *in Genes.*; Theodoretus, *Quæst.* 43. *in Gen.* Cæterum, etsi inverso ordine, cap. V. 4. id aperte Moyses tradit; dicens de Adam: *Genuitque filios et filias.*

3) Cf. Zacharia, *Diss. adv. præad. syst.* *inferius citanda.*

gnavit mors ab Adam usque ad Moysem. Quod ut apprime intelligatur, præstat apostoli scopum exponere, ex quo germanus ejus sensus melius intelligitur in citato textu.

268. Scopus porro apostoli est efficaci ratione ostendere veritatem suæ generalis propositionis, qua versu 12 dixerat: ***Propterea** sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* seu vult significare mortem esse pœnam peccati originalis, quod omnes homines ab Adam progeniti contrahunt; quod ut evincat, sic argumentatur apostolus versu sequenti: usque ad legem, nempe mosaicam, peccatum erat quidem in mundo, attamen peccatum non imputabatur ad certam pœnam temporalem ob defectum legis positivæ, sive sanctionis cujusdam, cum lex, quæ talem pœnam decerneret, nondum hominibus fuisset data: nihilominus mors, quæ est pœna peccati, regnavit etiam ab Adam usque ad Moysem vel in ipsos infantes, qui in similitudinem prævaricationis Adæ nullo actuali peccato se inquinaverunt; ergo mors, quæ in omnes homines dominata est per id temporis, non aliunde repeti potest, quam a peccato originali, quod omnes ab Adam progeniti contraxerunt [1]).

269. Nec obstat Deum diluvio, cœlestibus flammis aliisque gravissimis calamitatibus ante mosaicam legem de hominum sceleribus pœnas sumpsisse, tum quia, ut observat card. Toletus, pœnæ illæ, quibus Deus in aliquot animadvertit legis naturalis transgressores, fuerunt potius pœnæ mortis, peccato originali debitæ, ante tempus exactio, quam mors ipsa; tum quod pœnæ illæ non fuerunt constantes et universales, cujusmodi mors est, quæ proinde non ab actualibus peccatis, sed a peccato ex origine contracto repeti unice debet.

270. His positis, sua sponte ruit moles illa, quam Peyrerius huic fundamento inædificaverat [2]).

DIFFICULTATES

Coadamitarum.

271. I. *Obj.* Accuratum historiæ naturalis studium nos necessario ducit ad plures hominum species agnoscendas. 1° Id enim in primis postulant notæ specificæ, per quas diversi hominum stipites inter se secernuntur; 2° incipiendo enim ab homine *bimano* et simia-satyro (*Orang-outang*) ac gradatim procedendo reperiri potest quædam species consanguineitatis inter homi-

1) Cf. Card. Toleti, S. J. *Commentarii et annot. in epist. s. Pauli apost. ad rom.* ad hunc loc., qui omnium facile luculentissime mentem apostoli in hoc satis difficili textu exposuit.

2) Cf. Zachariæ egregia dissertatio, qua Præadamitarum systema confutatur, quamque præmisit lib. I. Petavii *De opific. sex dierum*, edit. Ven. 1757., et reperitur tom. III. *Thesauri theologici.*

nem et vespertilionem [1]. 3° Homo intellectualis non est nisi consequentia necessaria *hominis mammalis* [2]. 4° Hinc celebriores zoologi plures paucioresve hominum species constituerunt; sic Linneus duas species admittit, *hominem sapientem* et *hominem troglodyten* [3]; Virey pariter duas species agnoscit, quas determinat ex mensura *anguli facialis* [4]; Demoulins undecim species enumerat [5]; Bory de S. Vincent quindecim recenset [6]. Frustra igitur theologi contendunt, omnes homines ab uno eodemque stipite prognatos esse, nec nisi unicam dari humani generis speciem.

272. ***Resp.*** *Neg. antec.* Accuratum enim historiæ naturalis, seu potius zoologiæ studium ad unitatem humanæ speciei agnoscendam necessario ducit. Nempe quod pluries animadvertimus, scientia quamdiu infans est, difficultates parit, quas postea adulta solvit.

273. *Ad* 1[m], *Neg.* Dari ejusmodi notas specificas, a quibus diversa species erui possit; ut enim observat cl. Blumenbach, genus humanum non habet nisi unicam speciem; omnesque populi cujusque demum ætatis ac regionum omnium, qui cogniti nobis sunt, provenire possunt a stipite communi. Omnes locales varietates, quæ positæ sunt in conformatione et colore corporis humani, non magis incomprehensibiles sunt quam illæ, per quas ante nostros oculos tot aliæ species corporum *organisatorum*, præcipue vero cicurum animantium inter se differunt; verum omne hujusmodi discrimen per quosdam veluti gradus ita leviter incedit, ut neque ullum omnino cavillationibus locum relinquat, neque fundamentum præbeat iis divisionibus, quas sophistæ quidam vellent instituere [7].

274. *Ad* 2[m], *Dist.* Id est, reperiri potest in corporum organis et configuratione convenientia aliqua et similitudo plus minusve perfecta inter homines et bruta, *conc.* species consanguineitatis proprie dictæ, *neg.* Scimus utique ex anatome comparata aliquam intercedere similitudinem organorum in brutis, quæ a simia satyro seu potius ab homine, quem spectare pos-

1) Ita Bory de S. Vincent, in opere *Revue encyclopédique*, tom. XXIX. Mars 1826. Paris, art. *Sciences physiques, Homme*, article extrait du tom. VIII. Du *Dict. classique d'hist. naturelle*, pag. 319.

2) Ibid. pag. 76.

3) Car. a Linné *Systema naturæ*, tom. I., *Regn. nat.* classis I., *Mammalia*, art. *Primates*, n. I. et 2.

4) *Dict. d'hist naturelle.*

5) Art. cit. *Revue*, etc.

6) Ibidem.

7) *Manuel d'hist. naturelle trad. de l'allem.* tom. I. Metz. 1803. Sed præstat ipsius auctoris verba adducere: „Le genre humain, *ait ipse*, n'a qu'une espèce, et tous les peuples de tous les temps et de tous les pays, qui nous sont connus, peuvent provenir d'une souche commune. Toutes les différences nationales dans la conformation et la couleur du corps humain ne sont pas plus frappantes et plus inconcevables que celles qui défigurent presque sous nos yeux tant d'autres espèces de corps organisés, et principalement nos animaux domestiques; mais toutes ces différences se perdent, pour ainsi dire, les unes dans les autres, par tant de nuances, par tant de transitions insensibles, qu'elles ne peuvent donner lieu qu'à des divisions arbitraires et point du tout tranchantes." Sect. 4. *Des Mammifères*, ord. I., *Bimane.*

sumus ut typum primitivum, usque ad vespertilionem descendendo, et rursum a vespertilione usque ad aves, et ita porro, et vicissim ab animantibus imperfectioribus progrediendo, ad humani corporis perfectionem accedat [1]). Attamen negamus, vel nullos dari veluti typos seu notas specificas, quibus diversæ classes seu species animalium inter se distinguantur, quod nemo prudens zoologus inficiatur; vel typos illos eandem originem arguere, unde exurgat consanguineitatis species illa, quam somniat adversarius, quem impugnamus.

275. *Ad* 3^{m}, *Neg.* Ratio enim sive intelligentia proprietas est hominis solius. In brutis enim omnibus non reperitur nisi *instinctus*, qui consistit in ea virtute, qua pollent sese subjiciendi per motum interiorem innatum ac necessarium, absque ulla institutione, seu a se ipsis, per quasdam actiones uniformes ad eumdem finem, ad propriam nempe conservationem et ad conservationem propriæ speciei [2]). Quod si in nonnullis animalibus, cicuribus præsertim, quædam signa conspiciuntur sagacitatis et industriæ, etc., hæc toto cœlo distant a facultate intelligendi, comparandi, judicandi, abstrahendi, etc., qua instructus est homo, ut ostendunt psychologi. Etenim si intelligentia non est nisi consequentia necessaria *hominis mammalis*, ut contendit

1) Cf. Cuvier., *Leçon d'anatomie comparée*, Paris 1805., tom. I. première leçon: *Considérations sur l'économie animale*, præsertim art. 4. pag. 58. 59. ubi observat ad rem nostram: „Dans toutes ces combinaisons, il s'en trouve nécessairement beaucoup qui ont des parties communes, et il y en a toujours un certain nombre qui ne diffèrent que très-peu, en sorte qu'en plaçant les unes après les autres celles qui se ressemblent le plus, on peut en établir une espèce de suite, qui peraitra s'éloigner comme par degrés d'un type primitif. C'est sur ces considérations que reposent les idées, que certains naturalistes se sont formées, d'une échelle des etres, qui les rassemblerait tous en une série unique, commençant au plus parfait et finissant au plus simple.... et telle que l'esprit passerait de l'un à l'autre sans presque apercevoir d'intervalle et comme par nuances insensibiles." Et sane cl. auctor hanc gradationem persequitur, comparationemque instituit singulorum organorum eadem methodo, quinque voluminibus, I. in homine, 2. in mammalibus, 3. in avibus, 4. in reptilibus, 5. in piscibus, simulque ostendit notas specificas et characteristicas, quibus inter se ditinguuntur, ut patet etiam ex tabulis comparationis, quas adjecit, ut cæcus sit oportet, qui eas non videat. Satis sit hic urgere *organum vocale*, quod dicimus, quodque in uno homine tantum reperitur ad voces articulandas, siquidem Camper ostendit ex dissectione simiæ satyri, hoc animal ineptum omnino esse ad hominis instar loquendum, et naturaliter etiam super pedes posteriores incedendum; attamen hoc solum animal perinde ac *gibbon* cum homine comparatur. Ipse Richerand, *Nuovi elementi di Fisiologia*, trad. dal franc. Firenze, 1815. tom. II. §. 196. aperte affirmat: „L'uomo solo può articolare i suoni e gode del dono della parola." Quod deinde ostendit ex anatome; item Magendie, in opere: *Precis élémentaire de physiologie*, italice edit. Pisis 1818.; tom. I. pag. 195. Recte propterea Homerus frequenter utitur epitheto *μερόπων ἀνθρώπων*, id est, *hominum vocem articulatam* emittentium, interdum etiam homines vocat *μερόπας* seu *vocem articulantes* tanquam notam hominis specificam, ut alia omittam de mento saliente ac toto *systemate osteologico*, aliisque non paucis. De quibus cf. Cl. Ranzani qui in op. *Elementi di zoologia*, tom. II. ordine primo, pag. 69. et seqq. has notas summa diligentia prosequitur.

2) Cf. Blumenbach, op. cit. sect. 3. §. 35. Cf. etiam Cuvier, *Le règne animal*, Paris 1817. tom. I. *Introduct.* pag. 51 et suiv.

adversarius, quare in cæteris animantibus mammalibus non reperitur?

276. *Ad* 4m, *Neg.* Pauci zoologi, neque profecto celebriores, ut ipsi autumant, plures hominum species distinguunt, et quidem perperam, ut patet ex dictis in responsione *ad* 1m; cum nullum prorsus sit fundamentum ejusmodi distinctionum, quæ proinde arbitrariæ omnino sunt, et repugnant ipsi experientiæ. Ex ea enim constat, animalia orta ex conjunctione duarum specierum esse prorsus infœcunda; nihil tamen ejusmodi reperimus, ut observat Cuvier, in individuis a quibuscumque hominibus procreatis [1]). Quare nemo jam est ex zoologis alicujus nominis, qui plures hominum species inducat [2]).

277. Quod si Linneus duplicem speciem recensuit, humani aliquid et ipse passus est; quare a Blumenbachio vapulat [3]). Attamen ipsemet Linneus hanc suam sententiam retractavit [4]). Virey per *speciem* intelligit divisionem primariam generis humani, non autem stipitem primitivum originarium. Quanquam autem juxta sacram scripturam a filiis Noë tres primas varietates constantes repetat, *album* a Japhet, *flavam* et *fuscam* a Sem, *nigram* seu *hottentottam* a Cham, reliquas ab earum commixtione, quas distinguit ex diversis gradibus anguli facialis [5]); nihilominus plures admittit stipites, nec cum saniore zoologorum parte convenire videtur. Quapropter nec eum nec reliquos moramur, qui per hanc ipsam opinionum diversitatem ostendunt nescire se ubi pedem figant: ideoque et a sanioribus zoologis reliquis omnibus deseruntur. Illud solum animadvertere præstat, juxta aliquot istorum, nullam esse notam seu characterem, quo homo sapiens ab homine, ut vocant, troglodyte, aut simia satyro, discernatur: paulo tamen postea juxta eosdem tot sunt notæ characteristicæ inter homines ipsos, ut enumerent undecim vel quindecim etiam ipsorum species. Quam præclare hæc inter se cohærent [6])!

278. II. *Obj.* 1° Verum quid dicendum de hominibus caudatis, de Americæ incolis imberbibus, de gigantibus seu patago-

1) *Règne anim. Mammifères.* §. *Variétés de l'espèce humaine*, pag. 94.

2) Ut patet ex recentioribus, si memoratos incredulos excipias, qui contemptui propterea sese exposuerunt.

3) Op. cit. sect. 4. p. 80., ubi inquit: „La description de l'homo troglodyte de Linnée est un mélange inconcevable de l'histoire d'un de ces nègres blancs maladifs et souffrants, et de celle de l'Orang-Outang. Son homolar est un véritable singe." Hinc ipse Frid. Gmelin, qui adornavit decimam tertiam editionem *Systematis naturæ* Linnei, anno 1789 non solum posuit troglodytem inter simias, sed præterea subdit in nota ad loc. cit. „Quæ de homine troglodyte refert immortalis auctor, partim figmentis nituntur, partim ad monstrosam morbosamve hominum progeniem, partim ad simias pertinent . . . Ad fictitia refero pariter luciferum sive hominem caudatum."

4) Cf. *Revue encyclopédique*, loc. cit.

5) De hoc angulo faciali, cf. Ranzani, opp. cit. tom. II. part. I. pag. 37. et seqq. et cl. Wisemann, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, tom. I.

6) Cf. Wisemann, op. cit. et Forichon, *Examen des quest. scientifiques de l'âge du monde, et de la pluralité des races humaines*, etc. Paris.

nicis, atque de pygmæis, præsertim vero de nigritis, cupreis, anacrocephalis, etc.? 2° Nonne totidem notæ illæ sunt, quibus specierum diversitas constitui debet?

279. ***Resp. ad*** 1m, Illud ipsum quod physiologi et zoologi prudentiores reponunt, nempe homines caudatos, cincticulos, perinde ac centauros et sirenas totidem fabulas esse, quas operæ pretium non est refutare 1), quæque hodiedum a scientiæ gravitate removentur. Americani etsi rariorem, barbam tamen ut cæteri habent, dummodo eam alant.

280. Gigantes naturæ excessum, pygmæi defectum et vitium intra eamdem speciem produnt 2).

281. Circa nigritas, cupreos, etc. non est quod valde insistamus, cum plures causæ naturales ortæ ex calore, climate, aëre, alimentis, vitæ ratione etc. efficere potuerint aut etiam possint ejusmodi accidentales diversitates. Hippocrates de hoc phænomeno plura jam scripserat in lib. ***De aëre, locis et aquis*** 3). Nunc exploratum apud physiologos est, diversum hominum colorem residere in *reticulo*, ut vocant, *malpighiano;* nam in æthiopibus tam cuticula quam cutis nigræ non sunt, et alba in ipsis est cicatrix 4). Demum observandum est, varietatem colorum ita paulatim ac sensim sine sensu progredi, pro majori vel minori accessu vel recessu a linea æquinoctiali, ut nuspiam possit figi terminus, quo una species desinat, altera vero incipiat.

1) Sic Blumenbach, op. cit. sect. 4. pag. 80.: „Il n'y a point de peuples, *inquit*, qui aient une queue, les Hottentots n'ont point de tablier, les Américains ont la barbe comme les autres peuples, quand ils veulent la laisser croître. Il n'y a ni centaures, ni sirènes; toutes ces fables ont pu ne pas effrayer la crédulité de nos ancêtres, mais elles ne méritent plus d'être refutées."

2) Cf. Gauchat, *Lettre* 155.; Buffon, *Hist. nat. de l'homme: Hist. des voyages*, par M, l'abbé Prévot, tom. XVII.; *Dissert. sur les geants*, tom. I. de la Bible de Vence, édit. 5. Paris 1827.; *Lettres de quelques Juifs portugais*, par l'abbé Guénée, tom. II. lettr. 3. §. 3, 4. Cæterum de gigantibus et pygmæis sic rursum scribit Blumenbach loc. cit.: „Les prétendus géants, les Patagons par exemple, depuis les temps de Magellan jusqu'aux notres, ont diminué peu à peu dans les relations des voyageurs, de douze pieds jusqu'à sept; ainsi ils sont à présent un peu plus grands que tout autre homme d'une bonne taille. Il est aussi plus que vraisemblable que les *quimos* de Madagascar, que Commerson a pris nouvellement pour un peuple de nains ne sont rien d'autres qu'une espèce de crétins, c'est-à-dire de malheureux imbéciles avec de grosses têtes et de grands bras, comme on en trouve dans le pays de Salzbourg, etc." Consentit abbas Guénée, loc. cit. ubi gigantes dicet *races d'hommes d'une taille au-dessus de l'ordinaire*, et de pygmæis *peuple au-dessous de la taille ordinaire*. Cæterum de *albinis* et *cretinis*, ut nuncupantur, Laur. Martini in opere *Elementa physiologiæ*, Taurini 1835. §. 305. lib. VI. pag. 137 et seqq. ostendit eos non esse nisi degenerationem speciei humanæ, quæ in diversis rerum adjunctis ad pristinum statum revocari potest, quod inspectione sua confirmat.

3) Inter Hyppocratis opera græc. lat. edit. Vanderlinden, lugd. batav. 1665. tom. I. pag. 327. a cap. 35. in finem. Ex hoc enim libro plurimum recentiores profecerunt, qui de hoc argumento tractarunt.

4) Cf. L. Martini, op. et loc. cit. præsertim vero in alio diffusiori opere cui titulus: *Lezioni di fisiologia*, Torino 1830 tom. XI. Lez. 89. §. 3. pag. 311. ubi præterea ostendit non solum a luce, sed potissimum a climate hanc colorum varietatem esse repetendam. Sic Richerand, op. cit. §. 228. ubi in nota ait: „Il color nero della pelle dei mori pare dovuto all'abbruciamento della gelatina che fa la base del corpo mucoso di Malpighi."

282. *Ad* 2^m, *Dist.* Quibus constitui debeat diversitas varietatum constantium et hæreditarium italice *razze*, gallice, *races*, aut etiam varietatum simplicium, *trans.* vel *conc.* specierum, *neg.* Varietates constantes (*razze*) et varietates simplices vocantur illæ aberrationes, quæ a degeneratione insensibili profluunt in conformatione specifica originaria specierum particularium corporum *organisatorum.* Hoc porro intercedit discrimen inter varietatem constantem et varietatem simplicem, quod illa hæreditaria sit et generatione necessario et inevitabiliter propagetur, hæc autem non ita [1]). Exinde emergit distinctio apud physiologos recepta, ut genus humanum dispescatur in plures aut pauciores ejusmodi varietates constantes, licet accidentales [2]), quas adversarii nostri vellent totidem constituere generis humani species contra omnia scientiæ principia, ut dictum est, quæ necessario nonnisi unum originarium ac omnibus communem stipitem exposcunt.

283. III. *Obj.* Unico et communi speciei humanæ stipite constituto, 1° ratio dari non potest de insularum longe dissitarum, 2° præsertim vero utriusque Americæ incolis; cum media, quibus aliunde illuc appellerent, ipsis nulla suppeterent. 3° Hinc ea ratione, qua animantia cætera, quæ in hominum utilitatem condita sunt, in diversis orbis partibus, prout ipsorum fert natura, creavit Deus; sic nihil vetat, quominus dicamus alios et alios homines saltem pro constanti eorum varietate, a Deo conditos esse. Hoc enim posito, non solum explicantur, quæ de indigenis, autochthonibus [3]) veteres tradiderunt, sed et quæ de antipodibus nunc explorata sunt. 4° Notum enim est S. Augustinum negasse antipodas; quia res ipsi nimis absurda videbatur, *aliquos homines ex hac in illam partem, oceani immen-*

1) Ita Blumenbach op. cit. sect. 2. §. 14., et Cuvier, *Le règne animal*, §. *Variétés de l'espèce humaine*, pag. 94.

2) Cuvier, loc. nuper cit. admittit tres varietates constantes, *albam* seu *caucasicam*, *nigram* seu *æthiopicam*, *flavam* seu *mongolicam*. De Lacepède his duas præterea addit, nempe *cupream* seu *americanam* et *hyperboricam*. Blumenbach pariter quinque admittit; Duméril in opere *Zoologie analytique*, sex esse contendit; Virey pariter sex agnoscit; quin imo, cum divisisset genus humanum in duas species, postea quatuor varietates constantes admittit sub prima specie, et duas sub altera. Prima species juxta ipsum constituitur angulo faciali graduum 85; altera comprehendit eos quorum angulus facialis est inter gradum 80 et 85. Sed species juxta ipsum designat solum divisionem primariam, ut dictum est, varietas constans divisionem secundariam. Cl. Martini, loc. cit. pag. 300., posito discrimine inter varietatem constantem, modificationem, degenerationem ac morbum, statuit unam tantum esse generationem primitivam, non plures, sed solum varias modificationes secundarias; duas esse albinorum varietates distinctas, quarum altera spectari potest ut morbi vitio affecta; *cretinismum* non constituere speciem neque degenerationem generalem, sed affectionem morbosam peculiarem, quæ nempe attingit pauca et hac illac dispersa individua. Negat varietatem constantem (*razza*) spectari posse velut degenerationem hæreditariam, cum constet nigritas ipsos excultos eisdem facultatibus physicis et moralibus præcellere, quibus cæteri donantur. Deinde rationibus intrinsecis evincit, prætensas varietates constantes non esse nisi varietates secundarias. Quod fuse ibid. prosequitur.

3) Ita Joan. Fabbroni, an. 1803 apud Aloys. Bossi, *Storia d'Italia*, Milano 1829. tom. 1. c. 3. p. 97 et seq.

sitate trajecta, *navigare ac pervenire potuisse*, *ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum* 1). Quin etiam usque adeo VIII sæculo ea inolevit opinio, ut Zacharias rom. pont. Virgilii cujusdam, qui antipodas extare affirmabat, *sententiam perversam et iniquam doctrinam* vocaverit, ejusque auctorem damnari jusserit 2). Quum igitur jam constet antipodas existere, eos necesse est ab alio homine quam ab Adamo prodiisse 3). Ergo.

284. ***Resp. Ad*** 1m, ***Neg.*** Etsi enim nostrum non sit determinare medium, quo in dissitas illas seu regiones seu insulas homines transmeaverint, quum multiplex esse potuerit, certum tamen est eos illuc ex continentali terra nostra pervenisse. Sane duo hemisphæria ferme contigua esse geographi detexerunt; Groenlandiam et Asiam separat ab America angustum fretum, imo per Kamtschatka ambæ fere junguntur continentes 4). Europæi igitur et asiatici facile ad Americam gradum facere potuerunt. Atque reipsa ita factum esse inde patet, quod compertum sit, Americam eo magis populorum frequentia abundare, quo minus distat ab illis punctis; tum etiam ex eo, quod plures adhuc mores communes sint inter illos affines populos cum europæis et asiaticis, sive ethnicis, sive judæis sive christianis 5); tum demum ex pluribus traditionibus et ritibus, quos

1) *De civ. Dei*, lib. XVI. cap. 9.

2) Epist. Zachariæ ad Bonifac. apud Hartzeim, S. J. *Concil. Germaniæ*, tom. I. pag. 85.

3) Ita La Peyrère, op. cit.

4) Cf. Malte-Brun, *Précis de la Géographie universelle*. ital. edit. Mediolani 1815. tom. III.; lib. LIX. et plures art. *Voyages* in *Biblioth. univ. de Genève.* quos longum esset hic recensere. Cf Krachéninikow, *Hist. du Kamtschatka*, 2. partie, chap. 10. trad. St. Pré, 1768. Sed præstat legere opus: *Preuves que les indigènes de l'Amérique sont de la même race et de la même famille que ceux de l'Asie*, par. M. Samuel L. Mitchelt, prof. d'hist. natur. à New-York (trad. de l'anglais).

5) Etenim cum paganis retinebant cultum ignis, idola, vestales, novum ignem, etc.; cum judæis circumcisionem et alia non pauca; cum christianis baptismum, confessionem et præsentiam quamdam realem in Eucharistia sub duabus speciebus panis et vini, id est, horum rituum adumbrationem, ut supponitur, et simulacrum sive imitationem. Cf. *Lettere americane di Carli Rubi*, tom. I. lett. 4. 5. 6. 9. Cf. De Maistre, *Soirées* tom. II. edit. Paris 1831 septième entret. pag. 85. et 97. n. 13 et cf. cit. Mitchell, qui ostendere nititur, §. 4. antiquos indigenas Americæ septentrionalis esse evidenter stirpem tartarorum, quam sententiam quatuor *facta* evincunt: I. ut ipse loquitur, „Ressemblance de traits et de physionomie, 2. Affinités des idiomes, 3º Existence de coutumes, 4 Identité d'espèces du chien de Sibérie en Asie et du chien d'Amérique." Quæ singillatim evolvit. Tum, §. 2. probat stirpem, non ita pridem in America septentrionali exterminatam fuisse Malajam Vid. *Le nouv. Conservateur belge*, tom. IV. pag. 168. Hoc fuse prosequitur ex opificiis, moribus, habitibus, vestitu, etc. Deinde concludit: „Je rejette donc la doctrine professée par plusieurs naturalistes de l'Europe que l'homme de l'Amérique occidentale diffère sur plusieurs points importants de l'homme de l'Asie orientale. Si les Buffon, les Robertson, les Raynal, les De Paw, si tant d'autres, qui ont raisonné spéculativement sur le caractère américain et ont cherché à l'avilir, eussent acquis sur l'hémisphère situé à l'ouest de notre continent une instruction qui leur était indispensable, ils auraient découvert que les habitants d'une partie considérable de l'Asie, et en nombre de bien des millions, sont du même sang et de la même famille que cette population américaine qu'ils méprisent et déprécient. Le savant docteur Williamson a discuté ce point avec un talent véritable." Frid. Schlegel, *De la langue et de la philosophie des Indiens*, liv. I. chap. 4., invenit in lingua

apud americanos invenerunt, qui eos primum inviserunt, cujusmodi e. g. est memoria diluvii et unius familiæ ex eo servatæ, circumcisio apud mexicanos, septima sabbati dies, jubilæi quinquagesimo anno recurrente celebratio, aliaque non pauca, quæ invictissime ostendunt communem istorum incolarum cum cæteris hominibus originem.

285. *Ad* 2^{m}, *Dist.* Si eadem rationum momenta faverent tam hominibus quam animantibus brutis, *conc.* si diversa, *neg.* Jam vero quod attinet ad bruta, nihil ex revelatione scimus præter ipsorum creationem; contra vero de homine ab eadem novimus, omnes ex iisdem progenitoribus descendere. Quod autem dicitur in hominum utilitatem condita animalia esse, non evincit homines statim et ubique adesse debere, sed solum eos data occasione et opportunitate iisdem uti posse; alioquin, cum nonnulla ex ipsis in præruptis atque inaccessis locis constituta sint et vivant, vel frustra creata videri ea animalia possent; vel iisdem in locis homines degere deberent; quæ quam absurda sint nemo non videt.

286. *Ad* 3^{m}, *Neg.* Quo enim sensu, quæ de indigenis sive autochthonibus traduntur, accipi debeant, superius declaravimus.

287. *Ad* 4^{m}, *Dist.* Hypothetice, *conc.* absolute, *neg.* Quum increduli et protestantes mirum in modum abusi sint hoc facto, ut irriderent patribus, ac præsertim romanis pontificibus occasione sumpta ex Zachariæ epistola, præstat rem ejusmodi etiam atque etiam declarare, ut inde prava adversariorum fides et perversa eorumdem agendi ratio magis patescant.

288. Ecclesia catholica circa quæstiones physicas in se et seorsum spectatas nihil definit; si vero de his ob rerum connexionem mentionem fieri contingit in ecclesiasticis decretis, sententiam tenet, quæ illa ætate, qua hæc eduntur, communis est. Neque propterea, si forte illa sententia falsa sit, ignorantiæ hac in re argui potest. Tunc enim eadem ignorantia communis est cæteris omnibus [1]).

peruana voces derivatas a lingua samscritica. Mexicanos indigenas originem duxisse ex Asia, doctis investigationibus ostendit Humbolt. Cf. *Biblioth. univ. de Genève*, tom. v. *Litterature;* 1817. art. *Histoire*, pag. 340. ubi hæc leguntur: „Qu'il y ait eu et très-anciennement entre l'Asie et l'Amérique une communication qui ait porté les peuples d'un continent à l'autre, c'est ce qu'il n'est plus permis de revoquer en doute. Dès le milieu du siècle dernier Steller et Krachéninikow avaient reconnu la réalité de cette communication, etc."

1) Ridiculos profecto se produnt increduli, dum patribus errores in rebus physicis aut astronomicis ac geographicis exprobant, perinde ac si antiquiores philosophi immunes ab iisdem essent; satis tamen est, vel leviter veterum philosophorum libros pervolvere, ut ipsis patribus imperitiores philosophi delegantur. Cicero ipse in libris. *De natura Deorum,* in *Academicis quæst.* etc. plura habet, quæ, si hac nostra ætate proferentur, risu exciperentur; attamen nemo ipsos objurgat; soli patres perstringi debent. Sufficit, ut ea cognoverint, quæ ipsorum ætate deferebantur. Num increduli si id temporis vixissent, plura cognovissent? Cæterum, si quis vellet perspicere aliquod specimen imperitiæ ali-

289. Porro, etsi circa quæstiones physicas, prout in se sunt, indifferens ecclesia sit, non ita tamen se habet, quando cum fidei dogmatibus adnexæ illæ quæstiones sunt, vel attingunt religionis substantiam sive *absolute* sive *hypothetice*.

290. Jam vero persuasum erat omnibus tum S. Augustini tum Zachariæ ætate, oceanum non potuisse transmeari; unde fiebat, ut, qui existentiam antipodum adstruerent, eo ipso docerent existere homines *super terram* [1]), qui non essent ab Adamo, quam tamen sententiam catholica doctrina respuit. Unde negatio antipodum nonnisi *conditionata est*, nimirum, si vastus oceanus non possit transmeari, et, quod hinc profluit, si antipodes ab Adamo non procedunt, non existunt. Hanc hypotheticam antipodum negationem ipsa objecta Augustini verba aperte demonstrant, et confirmat Zachariæ clausula: ***Et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus*** [2]); ut enim sciretur, an Virgilius (quem nonnulli perperam cum S. Virgilio salisburgensi episcopo commiscent [3]) affirmaret necne existentiam antipodum, adeo *subtili* indagatione opus non fuerat; bene vero ad dijudicandos errores connexos. Cæterum ex ipsis Zachariæ verbis patet, eum hac in causa nihil definivisse, cum rem ulteriori examini reservarit.

291. Quibus præmissis, dicimus, mutatis rerum adjunctis ac præferente facem geographica scientia, nullum amplius locum habere posse difficultatem propositam; cum ex dictis certo constet, homines ex nostro in aliud hemisphærium facile se conferre potuisse, nec necesse sit confugere ad aliam hominum speciem, quæ ibidem condita fuerit [4]).

cujus historici profani antiquioris in geographia, adeat Q. Curtium, lib. III. *De rebus Alex. M.* cap. I. §. 13.

1) Dixi *super terram;* hoc enim solum fides docet, omnes homines, qui super terram sunt, ab uno stipite propagatos esse. Quod vero spectat ad *planeticolarum* systema, nihil religio statuit. „Dans cette matière, *apposite scribit Frayssinous, conf. cit.*, les opiniones sont libres; nous ne disons pas que les astres sont peuplés d'hommes comme nous n'en savons rien; mais enfin vous paraît-il étrange que la terre, qui n'est qu'un point dans l'immensité, soit seule habitée, et que le reste de l'univers ne soit qu'une vaste solitude? Aimez-vous dans le soleil, dans la lune, dans les planètes et les mondes étoilés des créatures intelligentes, capables de connaître et de glorifier le Créateur? La religion ne vous défend pas d'embrasser cette opinion. La pluralité des mondes de Fontenelle peut bien n'etre qu'un ingenieux roman, mais vous ètes libres d'y voir une réalité." Cf. etiam Nicolaï. *Lez.* 10. *sul Genes.*

2) Ita se habet integer textus epist. Bonifacii in iis, quæ ad præsentem quæstionem spectant: „De perversa autem et iniqua doctrina, quam contra Deum et animam suam locutus est (*Virgilius*), si clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alius mundus et alii homines sub terra sint, hunc accito consilio ab ecclesia pelle, sacerdotii honore privatum. Attamen et nos scribentes prædicto duci evocatorias de prænominato Virgilio mittimus literas, ut nobis præsentatus et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis sanctionibus condemnetur." Ep. cit. n. 6. Epistola S. Bonifacii ad Zachariam deperdita est.

3) Mirum est in hunc errorem lapsos pariter esse editores *Ephemeridum Trevoltiensium,* ad annum 1737. mense August. n. 83., ubi tamen plura præclare adnotata invenies. Vide etiam Pagi in *Critica annal. Baron.* ed an. 748 n. 6. 7.

4) Ex iis, quæ hactenus proposuimus circa primitivam humanæ speciei originem, satis superque liquet, quo in censu habendæ sint temerariæ sententiæ nonnullorum, qui sibi docti videntur,

CAPUT II.

DE PROTOPARENTUM GRATIA ET FELICITATE.

292. Argumenti nexus et ordo exposcere viderentur, ut de hominis anima ejusque natura ac dotibus dissereremus; cum tamen hanc provinciam sibi vindicaverint psychologi, ac dicendorum amplitudo non patiatur nos ista prosequi, quæ certe leviter ob rei gravitatem pertractanda non essent, ideo his metaphysices disciplinæ dimissis, nos ad ea, quæ dogmatici theologi sunt, exponenda ac vindicanda recto veluti cursu properamus.

293. Prima igitur quæstio, quæ disputari a nobis debet, respicit statum, in quo, præcipue relate ad Deum ac ultimum finem suum, homo constitutus fuit. Huic enim fundamento ea innituntur, quæ de hominis lapsu, originalis noxæ propagatione cæterisque, de quibus in tractatus decursu dicturi sumus.

294. Duplex porro atque oppositus error catholicæ de hac quæstione doctrinæ opponitur.

295. Pelagiani enim, sociniani, arminiani, quibus rationalistæ adstipulantur, negant protoparentes in ortu suo donis supernaturalibus fuisse exornatos, contenduntque talem nunc hominem esse, qualis olim conditus fuit, nempe sine gratia et sine peccato, ut inde inferant, nullam esse gratiæ necessitatem, nullum originale peccatum, nullam proprie dictam redemptionem et reparationem. Contra vero lutherani, calvinistæ, jansenistæ,

dum ad inanem quandam gloriolam sibi captandam non verentur scripturæ sacræ contradicere; e. g. Fr. Chr. Schlosser, *Universal histor. Uebersicht der Geschichte* etc. seu *Histor. univers. complexus historiæ mundi antiqui ejusque culturæ*, part. I. sect. I. §. 3. pag. 26, edit: Francof. ad Moen. 1826., hæc scribit: „Nulli respectus ad religiosas ideas aut ad humanæ dignitatis agnitionem retinere nos possunt, quominus traditionem et historiæ indicia sequamur; si hæc cum naturæ studii effectibus concordia nobis tres ostendant diversas plane stirpes, omnino differentes conformatione et indole plene discrepantes in illis regionibus, quæ primis revolutionibus et cataclysmis subtractæ fuerunt. Excelsi scilicet montes et planities, quæ in majori elevatione se se protendunt, illas regiones nobis indicant, ubi primos homines quærere oportet. Montes dicti *Hammaleh* et regiones meridionales patriam caucasicæ stirpis. Ultra hos et montes a veteribus *Imans* dictos desertum Kobi et Tibet primitivam mongolicæ stirpis sedem, interior Africa circa montes lunares tertiæ stirpis locum exhibet. America vero serius ex originali suo statu prodiit." Similiter Comes Carli, qui autumat *aborigenes* homines esse in Italia superstites ex magno cataclysmo; Joan. Fabbroni, qui censet eadem ratione, qua plura quercuum millia, sic a supremo auctore naturæ diffusum esse per diversas mundi plagas familiarum numerum; Car. Bossi, qui non solum Carli et Fabbroni opiniones laudat, sed et systema Telliamed seu De Maillet, quem *ingeniosum* vocat juxta quod homines ex piscibus essent; vid. *Della storia d'Italia antica e moderna*, Milano 1819. vol. I. lib. I. cap. 3. §. 24., ubi demum concludit: „Con questo nuovo sistema fondato egualmente sulle osservazioni naturali, e sui racconti degli storici, non fa più d'uopo ricorrere alle incerte memorie dei patriarchi Noachidi." (Ibid. §. 35). Ita quidem hi liberiores homines; verum per hæc eadem ipsimet sibi et dedecus et mortem quodammodo pepererunt. Quanto enim magis naturæ studia progrediuntur, tanto ipsi et imprudentiores et contemptibiliores sese produnt. Atque idem sibi cæteri religionis impugnatores polliceantur: etenim *qui contemnunt me, erunt ignobiles*, dicit Dominus.

statum, in quo homo conditus seu constitutus fuit, eidem debitum fuisse contendunt ac naturalem, ut inde eruant, hominem lapsum destitutum esse libero arbitrio, concupiscentiam verum esse peccatum aliaque ejusmodi, quæ sanæ doctrinæ adversantur, ut videre est apud Bellarminum [1]).

296. Catholica autem veritas, quæ media consistit, ab his omnino dissentit. Docet enim protoparentes originali justitia seu gratia sanctificante, quæ eos supra naturam elevaret, ornatos a Deo esse; docet præterea fuisse eosdem donatos integritate, qua fiebat, ut inferiores corporis vires rationi, ratio autem perfecte Deo subderetur; tum demum naturali ac supernaturali scientia ac immortalitate præditos cum cæteris bonis, quæ eam comitantur. Hæc vero omnia præclara decora atque charismata ex sola Dei liberalitate in primos homines emanasse eadem doctrina catholica docet, nec ullo modo naturæ debita fuisse.

297. Priusquam ad has veritates vindicandas accedamus, operæ pretium ducimus saltem strictim indicare eas controversias, quæ olim disputabantur in scholis, ne diversa scholarum placita cum ecclesiæ doctrina confundantur.

298. Prima itaque quæstio est, utrum cum eximiis illis donis primi parentes *conditi* fuerint, an vero hæc iisdem, in naturalibus creatis, Dei largitate tributa fuerint. Prima sententia communi jam calculo probatur, ut patet ex Suarez [2]).

299. Altera controversia respicit distinctionem inter justitiam originalem et gratiam sanctificantem; quam quidem dari alii affirmant, alii negant. Affirmant ii omnes, qui contendunt protoparentes in ipsa creatione accepisse a Deo rectitudinem illam, qua omnes animi facultates tum quoad se, tum quoad suos actus ordinabantur, ut dicemus. Hanc vero rectitudinem justitiam originalem appellant, eo quod Adam eam acceperit a sua origine, certe in hunc finem, ut eam scilicet ad posteros transmitteret, *si in officio stetisset;* deinde affirmant gratiam sanctificantem eidem primo parenti collatam fuisse ac superadditam, per quam evectus fuit ad ordinem supernaturalem [3]) Alii theologi autem censent inseparabilem esse justitiam originalem a gratia sanctificante, sive ab elevatione primi hominis ad statum supernaturalem; hanc enim gratiam sanctificantem spectant in Adam veluti principium et originem cæterorum bonorum, quæ ipse assecutus est ab ipsa sua creatione [4]).

1) Lib. *De gratia prim. hom.* cap. I.

2) *De opere sex dier.* lib. III. *De hominis creat.* cap. 17. n. 5. et seqq.

3) Ita sentiunt præter Alensem, Magister sentent. in 2. dist. 24.; S. Bonaventura in 2. dist. 29. art. 2. q. 2.; Scotus, Richardus et a fortiori, qui negant Angelos fuisse in gratia creatos, de quibus cf. Suarez, loc. cit.

4) Sic opinantur omnes thomistæ ibid. juxta S. Thom. p. I. q. 95. art. I., ubi ad majorem eorum, quæ proferentur, perspicuitatem obiter notandum est, complexionem donorum, quæ sub nomine *justitiæ originalis* comprehenduntur, includere *tum* dona supernaturalia stricte sumpta, quæ extollunt naturam super suam conditionem, cujusmodi sunt gratia sanctificans, virtutum theologica-

300. His igitur omissis, quæ ad institutum nostrum minus pertinent, ut propugnemus catholicam doctrinam, sequentes a nobis adstruuntur propositiones.

PROPOSITIO I.

Primi parentes in statu justitiæ et sanctitatis constituti a Deo fuerunt.

301. Hæc propositio ad fidem catholicam spectat, ut patet ex conc. trid. quod sess. V, canone I, sic statuit: *Si quis non confitetur primum hominem, Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse .... anathema sit* [1]; et can. II.: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli ..., asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse .... anathema sit.*

302. Hanc autem doctrinam a revelatione emergere tria quidem ostendunt argumenta, ex scriptura deprompta. Ac 1° verba Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quæ de sanctitate Adamo collata plures patres apud Bellarminum interpretantur [2]; imo communis apud eos horum verborum expositio est, ut nomen *imaginis* ad naturam, nomen *similitudinis* ad sapientiam et justitiam referant; unde concludunt, Adam quidem per peccatum amisisse similitudinem, quam habebat cum Deo, non autem Dei imaginem [3]. 2° Verba

rum habitus etc., *tum* dona illa, quæ supernaturalia eo sensu dicuntur, quod naturam ipsam perficiunt in suo ordine, etsi eam non elevent supra conditionem suam, cujusmodi sunt integritas, immunitas ab ærumnis, perfecta subjectio cupiditatum ad rationis imperium etc. quæ tamen per se natura non exposcit, *tum* denique dona supernaturalia, quæ ita dicta sunt, quod naturæ humanæ aliqua addant, quæ natura non solum non exposcit, sed contrarium potius, sua conditione spectata, exigeret, prouti est immortalitas. Hæc autem tria, licet in Adam innocente conjuncta fuerint, possunt tamen ab invicem separari; cum concipi possit homo elevatus per gratiam sanctificantem, sed absque integritate et immortalitate, vel homo integritate præditus absque elevatione per gratiam sanctificantem, vel homo integer et elevatus absque immortalitate, vel denique homo suæ conditioni relictus absque ullo istorum donorum. In Adam vero ejusmodi dona ita congesta erant, ut reliquorum conservatio in se et in posteris penderet a conservatione primi, nempe gratiæ sanctificantis. Quod si homini lapso per Christi merita restituitur gratia sanctificans, cætera tamen eidem, saltem in hac vita, minime restituuntur. Hinc in Adam gratia sanctificans potest spectari relate ad cætera dona adinstar causæ; reliqua vero adinstar effectus. Quæ quidem apprime alta mente reposta tenenda sunt, tum ut vitetur idearum confusio, tum ut inserviant dicendorum intelligentiæ.

1) Et hic perpendenda summa prudentia tridentinorum patrum in condendis fidei decretis, qui verba singula ita attemperarunt, ut dum catholicam fidem tradunt, nullis scholarum sententiis aut favere aut detrahere videantur. Quod card. Pallavicini in *Hist. conc. trid.* sæpe observat.

2) Lib. cit. cap. 2. Cf. etiam Petavius, lib. II. *De opif. sex dier.* cap. 2. et seq.

3) Cf. Petav. loc. cit. cap. 2. §§. 11. 12. 13.; cf. etiam Trombellius, *Anecdotorum* tom. II. part. 2. pag. 150 et seq.

Ecclesiastes VII, 30.: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem* RECTUM; non solum autem de rectitudine morali, sed de justitia ac sanctitate supernaturali hæc dicta esse, liquet ex voce יָשָׁר *jassar*, quæ de Deo passim usurpatur, ut Deut. XXXII 4, ac de hominibus justis, ut Num. XXIII 10, nec non Psal. XII 1, ubi dicitur: ***Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio;*** Psal. VII 11: ***Salvos facit rectos corde;*** et alibi passim. 3° Denique idem ea omnia evincunt, quibus præcipimur *renovari,* ut ephes. IV, 23: ***Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;*** et coloss. III, 9, 10.: ***Expoliantes vos veterem hominem . . . et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*** Porro, ut observat Bellarminus, qui *renovari* jubetur, fuit aliquando novus. Quod si renovatio posita in eo est, ut induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum, in justitia et sanctitate veritatis; fuimus igitur aliquando, in primo videlicet parente nostro, homines novi, conditi secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis; seu quod idem est, primi parentes fuerunt a Deo in justitia et sanctitate constituti [1]).

303. Hæc confirmantur ex traditione. Concilium enim arausicanum II, cap. 19 [2]), hæc habet: ***Unde cum sine Dei gratia salutem non possit*** (humana natura) ***custodire***, QUAM ACCEPIT, ***quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?*** Cum igitur reparetur per Christum gratia sanctificans, quam in Adam perdidimus, consequens est hac sanctificante gratia primum hominem præditum fuisse. Unanimis pariter est sanctorum patrum doctrina, quorum testimonia expendit Bellarminus loc. cit. Nos unius Augustini verba dabimus, ne prolixiores simus: ***Vide ergo***, inquit, ***quod sequatur: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis: Ecce quod perdidit Adam per peccatum*** [3]).

DIFFICULTATES.

304. I. *Obj.* 1° Apostolus, I. cor. XV, 45. scribit: ***Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem;*** ergo Adam spiritu vivificante seu sanctificante gratia instructus non fuit. 2° Sane si protoparentes in gratia sanctificante constituti fuissent, peccare non potuissent. Ergo.

1) Bellarm. lib. cit. cap. 3. n. 2. 3.

2) *Collect. conc.* Harduini, tom. II. col. 1099.

3) *De Gen. ad lit.* lib. IV. cap. 26. Sæpe eadem repetit et inculcat eodem lib. a cap. 24. usque in finem ubi totus est in refutanda illorum opinione, qui censebant corpus Adam in statu innocentiæ spiritale fuisse. Alia tum S. Augustini tum aliorum patrum testimonia exhibet Bellarminus, loc. cit.

305. *Resp. ad* 1^m, *Dist. antec.* Et apostolus in adductis verbis antithesin instituit inter statum corporis Adam et Christi post resurrectionem, *conc.* inter gratiam Adam et Christi, *neg.* Ut enim contextus evincit, ibi sermo est de statu resurgentium; apostolus enim confert corpus recens formatum Adami cum corpore Christi post resurrectionem; corpus Adæ *animale* vocat, utpote cibo potuque egens, et Christi corpus post resurrectionem, cum nulli necessitati sit obnoxium, *spiritale* vocavit. Cæterum potuit corpus Adæ animale esse et ejus animus spiritalis, cujusmodi revera fuit per habitantem in eo Spiritum Sanctum [1].

306. *Ad* 2^m, *Neg. antec.* Nec enim gratia sanctificans, quæ animæ inhæret, et qua homo (seu alia quæpiam rationalis natura) ornatus fit Deo acceptus, auget aut imminuit libertatem qua pollet. Cum igitur Adam liber fuerit, peccare potuit.

307. II. *Obj.* S. Augustinus passim docet, non statim accepisse Adam spiritum gratiæ, sed solum spiritum animæ rationalis; ergo.

308. *Resp.* 1° *Neg. conseq.* Ex his enim non sequitur protoparentes gratia sanctificante ornatos saltem postea non fuisse.

309. *Resp.* 2° *Dist.* Ea tradit Augustinus relate ad integram perfectionem status naturalis, quam Adam, ex ipsius mente, assecutus non est, antequam translatus fuerit in paradisum, quamque a gratia habuit et non a natura; vel loquitur de omnimoda felicitate assequenda per meritum obedientiæ, *conc.* relate ad gratiam sanctificantem, quasi ea instructus Adam non fuerit ex mente Augustini ante peccatum, *neg.* Quæ enim ex ipso adduximus, hunc sensum aperte excludunt [2].

1) Cf. Bernard. a Piconio *tripl. expos.* in hunc locum.

2) Textus, qui objiciuntur ex S. Augustino, ita se habent, *De civ. Dei*, lib. XIII. cap. 23. n. I., ubi adductis verbis apostoli; *Factus est primus homo*, etc. addit: *Primus homo de terra terrenus in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem, quod ei per obedientiæ meritum servabatur.* Sed ex contextu patet, non aliam hic S. Doctoris mentem esse, quam nondum assecutum fuisse Adam in paradiso conditionem corporis glorificati, quæ non erat tribuenda nisi ejus fidelitati, quemadmodum et ea justi donabuntur, quum gloriosi resurgent. Alter textus legitur, *de genesi contra Manich.* lib. II. cap. 8. n. 10. ubi inquit: „Nondum spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tum enim spiritalis effectus est, cum in paradiso, hoc est in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur.“ Sensus autem ex contextu esse videtur, donis gratuitis nondum fuisse Adam a Deo auctum ante ejus in paradisum translationem. Sequitur enim: „Itaque, postquam peccavit, recedens a præcepto Dei, in hoc remansit, ut animalis esset. Et ideo animalem hominem prius agimus omnes, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, D. N. J. C.“ Ex quibus ineluctabile habetur argumentum adversus jansenianos, qui se jactant solos germanos Augustini discipulos, contendentes tum elevationem ad ordinem supernaturalem, tum immortalitatem aliaque dona gratuita, debita esse integræ humanæ naturæ, ac proinde homini naturalia, ut in propositione III dicemus. Tertius denique textus desumitur ex libro *de corrept. et grat.* cap. 10. n. 27. ubi docet Deum sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, *ut in ea prius ostenderet, quid possit eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium.*

PROPOSITIO II.

Una cum justitia et sanctitate conjuncta erant in primis parentibus eximia tum animæ tum corporis dona: scientia in primis et perfecta voluntatis ordinatio quoad animam, immortalitas et immunitas ab ærumnis et doloribus quoad corpus.

310. Et hæc propositio ad catholicam doctrinam pertinet, ut constat ex ecclesiæ definitionibus editis adversus eos, qui Adam in puris naturalibus constitisse autumant, ignorantiæ proinde, concupiscentiæ, fragilitati, ærumnis ac morti denique ipsi obnoxium, perinde ac nos sumus; quem errorem sic tridentini patres, sess. V. can. I. confixerunt: *Si quis non confitetur primum hominem, Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam*, SECUNDUM CORPUS ET ANIMAM *in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Præditus igitur fuit Adam non solum sanctitate et justitia, sed insuper immortalitate et firma corporis et animi habitudine; canone autem V idem concilium declarat concupiscentiam *ex peccato* esse.

311. Ut autem perspicuitati studeamus per partes propositam doctrinam declarabimus et propugnabimus.

312. 1° Scientia igitur Adam præditum a Deo esse, evidenter ostendunt, quæ auctor Eccl. XVII. 6 de protoparentibus scripsit: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis* 1). Quibus accedunt, quæ Gen, II 19 leguntur de nominibus animantibus brutis impositis ab Adam, quæ eorumdem naturæ congruerent, ut insinuant verba illa: *Omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus;* quod nisi a naturæ doctore sapientissimo fieri non poterat, ut vel ipsius Pythagoræ auctoritate S. Augustinus comprobat 2); qui præterea ostendit ignorantiam cum

Sed hic loquitur S. Doctor de perseverantiæ dono, quod nec illi Angeli nec primus homo habuerunt. Cf. Suarez, *de hominis creat.* lib. III. c. 17. n. 17.; Tournely, *De grat.* tom. I. q. 2.

1) Quibus verbis non obscure tum scientia supernaturalis tum naturalis indicatur. Supernaturalis quidem, dum dicitur: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum;* quæ videntur innuere gratiæ munus, cujus est illustrare mentem et animum permovere. Naturalis autem, dum dicitur: *Bona et mala ostendit illis;* quæ tum de cognitione juris naturalis tum de cæterorum notitia intelligi possunt.

2) *Operis imperf.* lib. V. cap. I.: „Nam ipse Pythagoras, *inquit,* a quo philosophiæ nomen exortum est, dixisse fertur, illum fuisse omnium sapientissimum, qui

illo beatissimo protoparentum statu consistere non potuisse, quia *ex ignorantia*, ut ipse loquitur, *dehonestat error*, *ex difficultate cruciatus affligit* [1]). Hoc vero et ratio suadet, siquidem Adam non solum futurus erat pater, sed et doctor cæterorum hominum, qui filios suos instituere debebat tum in iis, quæ ad Deum spectant, tum in iis quæ ad mores [2]). Cujusmodi autem fuerit hæc scientia, qua Adam a Deo donatus est, quanta ejus amplitudo, qui limites, ardua res est determinare; hoc unum dici potest, eam fuisse pristinæ illius conditioni omnino consentaneam. Theologi præsertim scholastici plura de ea habent [3]).

313. 2° Ad voluntatem quod attinet, per ejus *perfectam ordinationem* significare intendimus nullis eam pravis affectionibus vitiatam fuisse, nullis pravis motibus exagitatam, adeo ut inferiores corporis vires rationi, ratio autem Deo perfecte subderetur, ac summa in primi hominis animo inesset pax, cum nec caro concupisceret adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem. Hanc autem fuisse primorum parentum conditionem, satis perspicue scripturæ docent. Geneseos enim II 25 dicitur: *Erat autem uterque nudus*, Adam scilicet et uxor ejus, *et non erubescebant;* cap. autem III 7 de iisdem post peccatum: *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*, etc. et ibid. IV 10 et 11 cum Adam ad Deum dixisset: *Timui, eo quod nudus essem;* respondit ei Deus: *Quis indicavit tibi, quod nudus esses; nisi quod ex ligno, de quo dixeram tibi ne comederes, comedisti?* Ergo ante peccatum habuerunt primi parentes speciale donum, quo appetitus eorum continebatur, ne contra rationem insurgeret, quod donum per peccatum amiserunt. Hoc etiam sensu ecclesiæ patres allata testimonia intellexerunt. *Hanc ergo* (obedientiam), inquit S. Augustinus, *priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut, quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant et non confundebantur* [4]); et alibi passim.

vocabula primus indidit rebus." Cf. etiam Cicero, *quæst. Tusc.* I. 25., et Petav. *De opific.* lib. II. cap. 8. §. 5. 6. ubi multa præclare dicta habentur.

1) *De lib. arbit.* lib. III. c. 18. n. 52.

2) Cf. *S. Thom.* p. 1. p. 94. a. 3.

3) Vid. inter cæteros Suarez, *De hominis creat.* lib. III. cap. 9. 10., ubi copiose de scientia Adami naturali disputat, pluresque conclusiones statuit et evolvit; item cap. 18, ubi agit de scientia supernaturali.

4) *De peccat. merit. et remiss.* lib. II. cap. 22. n. 36. Cf. Suarez, *De hom. creat.* lib. III. cap. 12. n. 4. et seqq. Attamen Clericus in *Comment.* ad cap. 3. Gen. v 7., hæc quæ de protoparentum nuditate leguntur, ad sensum metaphoricum trahere nititur contra communem totius antiquitatis sententiam et historicæ nar-

314. 3° Quod vero tot tantisque donis maximum afferebat incrementum, immortalitas erat. Hæc porro immortalitas ut rite intelligatur, animadvertendum est cum S. Augustino 1), valde hæc duo inter se differre : *non posse mori* et *posse non mori;* illud primum non fuit in Adam, eo quod illi naturæ tantum congruit, quæ dissolutionem corruptionemque non patitur, ut in Angelis et animabus nostris; quarum natura seu essentia ita simplex est partiumque compositione caret, ut dissolvi propterea minime possit; Adami vero corpus hac ratione immortale esse non poterat, utpote contrariis pugnantibusque principiis seu partibus constans. Dei igitur munere Adam *poterat non mori;* si enim in officio perstitisset, impedisset Deus quominus quidpiam ei obesset, ægritudinibus aut senio conficeretur, venena feræque nocerent, quidquam denique ei ærumnosum accideret; contra effecisset, ut incolumis super terram, quamdiu ipsi Deo placuisset, perstaret, et ut sine morte ad beata regna perveniret 2). Dixi: *si in officio perstitisset.* Adam enim sub hac sola conditione, ac nonnisi servata justitia originali immortalis erat, non autem absolute, seu ea amissa; ut enim per peccatum justitiam, sic et immortalitatem amittere poterat 3).

315. Sic porro expositum fidei dogma ita ex scripturis evincimus. Scriptura peccato tantum mortis causam tribuit; ergo . . . . Antecedens patet ex apostolo, rom. V, 12: ***Per peccatum mors***; rursum ibid. VIII, 10: ***Corpus mortuum est propter peccatum*** (ergo non sola anima, ut contendebant pelagiani). Idipsum patet ex libro Sapientiæ I, 13 ubi legitur: ***Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum***; et apertius ibid. II, 23: ***Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem... invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*** Id demum constat ex illo Dei interdicto et comminatione Adamo facta Gen. II, 17: ***In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.***

rationis simplicitatem. Sed socinianus est auctor, cui lapsus primi parentis non arridet. Hinc sub finem *comment.* in cap. 2 putat, *credibile esse Moysen hac observatione innuere voluisse primos parentes quasi infantes recens natos, quibus pudori non est nuditas, ob mali ignorantiam fuisse.* Quam expositionem neoterici biblici, ut videbimus, summo consensu exceperunt.

1) *De genes. ad lit.* lib. VI, cap. 25 n. 36.

2) Cf. Petav. *De opif.* lib. II, cap. 6 et 7.

3) Hinc ea facile componuntur, quæ veteres in speciem sibi invicem contradictoria de primorum parentum immortalitate prædicarunt. Alii enim immortalem dixerunt Adam, alii mortalem, alii mortalem actu, immortalem autem potentia; alii nec mortalem nec immortalem, sed medium inter utrumque et in potentia ad utrumque; alii demum et mortalem et immortalem simul. Quæ quidem omnia simul commode componi possunt et vera sunt; quandoquidem Adam non habuit immortalitatem omnimodam, adeo ut non potuerit mori; nec mortalitatem absolutam, ut debuerit mori; sed habuit posse non mori, idque non ex natura, sed, ut dicemus, ex beneficio conditoris, et quidem dependenter ab obedientia sua.

316. Non minus certa est veritas ista ex conciliorum et patrum auctoritate. In can. I, conc. milevitani II, aperte dicitur: ***Placuit... ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ; anathema sit*** [1]). Idem pariter sancitum fuit in conc. arausicano II, can. 2, in diospolitano, in carthaginiensi IV. Hinc merito S. Augustinus: ***Unde constat***, ajebat, ***inter christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati*** [2]).

317. 4° Ex hoc porro immortalitatis dono veluti ex ipso profluens jam illud sequitur, quod postremo loco statuimus, primis parentibus in illo felicitatis statu fuisse collatum, immunitatem videlicet ab omnibus ærumnis, afflictionibus et doloribus. Aperte enim id habetur ex toto Genes. cap. II, ubi traditur Deum posuisse hominem ***in paradiso voluptatis***, ut operaretur et custodiret illum [3]). Hunc autem beatitudinis statum et conditionem ita præclare exponit S. Augustinus, ***De civ. Dei***, lib. XIV, cap. 26: ***Vivebat***, inquit, ***itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat***; ***vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas... Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum***; ***gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta***; ***atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum.***

318. Hæc, quæ de primæva protoparentum felicitate exposuimus, confirmantur omnium gentium traditionibus. De græcis constat ex Platone, qui in ***Politico*** primam ætatem vere auream appellat [4]). De ipsis rursum ac de romanis patet ex

1) Etsi vulgo sic citari soleat hic canon, non est proprie concilii milevitani, sed carthaginiensis universalis, et in *Codice canonum ecclesiæ africanæ* est n. 109 Cf. *Collect. concil.* harduini, tom. I, col. 925 et col. 1217.

2) *De civ. Dei*, lib. XIII, cap. 15.

3) Cf. Petav. *De opific.* lib. II, càp. 6 ubi plura discutiuntur scitu dignissima.

4) *Θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς, αὐτούς ἐπιστατῶν... κατάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῶον ὂν θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὔτων νομεύουσι. Γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωποι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο.* Id est, „Deus eos pascebat, custosque eorum ipse erat, sicut nunc homines, divinius animal, pascunt animalia sequiora. Nudi autem et sine stragulis sub dio plerumque pa-

ipsorum poëtis, qui aureum Saturni sæculum nobilissimis imaginibus depinxerunt, ut Virgilius 1), Juvenalis 2), Ovidius 3), Tibullus 4). Apud persas eamdem traditionem viguisse, testis est Plutarchus 5); apud indos Strabo 6); quin et adhuc eamdem illic vigere, patet ex Creuzer 7). De sinensibus idem testantur sacri ipsorum libri *King* nuncupati 8). Quare *Knapp* scribere non dubitavit: ***Communis est omnium fere nationum omnis ætatis opinio de aureo sæculo; hoc est, de vita longe beatissima, quam prisca gens mortalium hac in terra egerit. Eam vitæ beatitatem etsi pro suo quisque ingenio ac sensu informat, in eo tamen ad unum omnes consentiunt, ut omne genus ærumnarum atque imbecillitatum, quas hominum societas et cultus vel affert vel auget, ab his generis humani incunabulis procul plane abjiciendum censeant*** 9). Hæc autem gentium omnium conspiratio originem primitivam ejusmodi traditionum apertissime evincit; qua *facti* veritate constituta, omnia bene cohærent; ea sublata, nulla amplius earum traditionum ratio probabilis dari potest.

scebant." pag. 271 tom. II, op. edit. Paris. 1578. Cf. etiam in *Cratylo*, pag. 397, 398. tom. I, op. ubi etiam profert versus Hesiodi. Sic Dicæarchus, peripateticus, citatus a Porphyrio, *De abstinentia animal.* lib. IV, cap. 2 pag. 295 edit. Traject. ad Rhen. 1765 et a Varrone, *De re rustica*, lib. I, cap. 2 ait: *Τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς Θεῶν γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐξηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν χρόνον νομίζεσθαι*, seu, *primos illos diisque proximos mortales optimæ fuisse indolis, vitamque vixisse optimam, unde et auream dici ætatem.* Alia collegit testimonia Eusebius ex Platone et Diodoro Siculo, *Præp. evang.* lib. I, cap. 8 et lib. XII, cap. 13. Quibus addendus Hesiodus, *Theogon.* a. v, 521 ad v, 579 et *Opera et dies*, v, 47 et seqq.

1) *Georg.* lib. I, v, 125 et seqq.:

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum, etc. tum *Eclog.* IV.

2) *Satyra* VI, I, et seqq.

3) *Metamorph.* lib. I, v, 89 et seqq.
Aurea primum sata ætas, etc.

4) Lib. I, *Eleg.* III, v, 35 et seqq.
Quam bene Saturno vivebant rege, etc.

5) In lib. *De Iside et Osiride.*

6) Lib. XV, pag. 250 tom. II, op. edit. Oxon. 1807 ubi sic exponit doctrinam Gymnosophistarum: *Πάντ' ἦν ἀλφίτων καὶ ἀλεύρων πλήρη, καθάπερ καὶ νῦν κόνεως· Καὶ κρῆναι δ' ἔῤῥεον, αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ' ἄλλαι, καὶ ὁμοίως αἱ μὲν μέλιτος, αἱ δ' οἴνου, τινὲς δ' ἐλαίου. Ὑπὸ πλησμονῆς δ' οἱ ανθρωποι καὶ τρυφῆς εἰς ὕβριν ἐξέπεσον. Ζεὺς δὲ, μισήσας τὴν κατάστασιν, ἠφάνισε πάντα*, id est, „Olim omnia plena erant triticeæ et hordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris. Fontes alii lacte, alii aqua fluebant, nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob satietatem et luxuriam ad contumeliam se transtulerunt. Jupiter igitur illum statum exosus omnia abolevit."

7) Cf. *Religions de l'antiquité considérées principalement dans leurs formes symboliques et mythologiques*; *ouvrage traduit de l'allemand de D. Frid. Creuzer, refondu en partie, complété, développé par J. D. Guigniaut*, 1815. Vid. *Bibliothèque univ. de Génève*, tom. XXX, an. 10.

8) King, seu *Sacri*, in quibus legitur: „Tempore primi cœli pura voluptas et pax perfecte regnabant. Nulli tunc labores, non pœnæ, non dolores, non crimina; omnia humanæ in terris parebant voluntati." Cf. Windischmann, *Philosophia, in progressu historiæ mundi*, vol. I, par. I, sect. I, pag. 206.

9) *Scripta varii argumenti*, Prolus. I, ed. 2. pag. I.

DIFFICULTATES

319. I. *Obj.* Variis illa doctrina, ubi accurate examinatur, premitur difficultatibus. Obstat enim notio sapientiæ et sanctitatis congenitæ, quæ sibi ipsi repugnat, neque ipso narrationis mosaicæ argumento confirmatur, utpote quæ protoplastos communi hominum natura sensuum illecebris obnoxia præditos fuisse aperte docet; obstant certi naturæ humanæ hujusque vitæ terrestris fines, qui quidem proprietates humanis superiores omnino excludunt, cujus generis est immortalitas corporis [1]); ergo

320. *Resp. Dist.* Premitur difficultatibus apparentibus, *trans.* veris, *neg.* Neque in primis obstat notio sapientiæ et sanctitatis congenitæ, ut adversarii supponunt. Quæ enim repugnantia fingi potest in eo, quod Deus ipse, qui præter naturæ ordinem hominem condidit, ipsum fecerit sibi carum et acceptum, charitatem in ipsius animum diffundendo, ut cum apostolo loquar, et quod præter discendi aut loquendi facultatem, quam eidem datam ipsi concedunt, concesserit eamdem facultatem expeditam seu actum ipsum [2])? Eadem enim ratione, qua Deus protoparentibus non jam corpus infantile, sed perfectum dedit, sic ipsa rerum analogia postulat, ut ipsam intelligentiam iis præditam cognitionibus dederit ejusmodi statui consentaneam. Nos hujus asserti vadem dedimus ipsam libri ecclesiastici auctoritatem, præter mosaicam narrationem de nominibus ab Adam recens creato animantibus impositis; hypothesis autem suæ quodnam fundamentum rationalistæ proferunt, præter gratuitam assertionem?

321. Falsum porro est, non confirmari narrationis mosaicæ argumento, quod de sanctitate et scientia adamitica statuimus. Ipsa enim familiaris Dei cum ipsis protoparentibus agendi ratio, quæ ibidem describitur, satis ostendit, quam accepti Deo essent. Quod si exhibentur protoplasti communi hominum natura sensuum illecebris obnoxia instructi, ut id liberaliter adversariis demus, quod patet ex dictis in superiore propositione, ratio est, quia gratia sanctificans hominem impeccabilem minime efficit, nec immunem a sensuum illecebris, ut quotidiana experientia ostendit [3]).

322. Neque pariter obstant doctrinæ catholicæ de primæva hominis conditione certi fines terrestris humanæ hujus vitæ; quia immortalitatem aliasque proprietates humanis superiores,

1) Ita Wegscheider, §. 100.
2) Vid. S. August. *De civ. Dei*, lib. VII, cap. 30.
3) Cf. S. Thom. 2, 2. q. 163 art. I, ubi ostendit, qua ratione primus homo peccaverit superbia. Vid. etiam Bellarm. *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. III, cap. 4 et seqq. tum Feller, *Catech. philos.* tom. II, §. 262.

Deus, non juxta, sed præter naturæ leges ex privilegio, ut inferius dicetur, ac liberalitate sua primis parentibus concessit; ut eum ex adductis auctoritatibus certo concessisse constat.

323. Non aliunde propterea difficultates contra catholicam doctrinam oriuntur, quam ex rationalismi systemate, quo rejicitur quidquid consuetum naturæ ordinem prætergreditur; quum tamen ipsa universi orbis hominisque prima creatio præter illum ordinem sit.

324. II. *Obj.* Saltem quæ afferuntur ad voluntatis ordinationem et rectitudinem stabiliendam, eam minime evincunt. Etenim 1° ut post Clericum recentiores expositores observant, ideo protoparentes non animadverterunt se nudos esse, quod in statu infantiæ conditi fuerint, neque malum agnoscerent; hinc quasi infantes recens nati pudore non afficiebantur. Quod si postea se nudos deprehenderunt, ex adepto rationis usu ob ipsius fructus esum repeti id debet [1]). Quod plane congruit cum doctrina patrum, qui protoparentes infantilem prorsus simplicitatem præ se tulisse docent, antequam cibum sibi vetitum comederent [2]). 2° Adde concupiscentiam bonum naturæ esse, quo proinde primi homines carere non debuerunt. Ergo.

325. ***Resp. ad*** 1^m, ***Neg.*** Ad 1^m, probationem ***Dist.*** Conditi fuerunt in statu infantiæ quoad rectitudinem et morum integritatem, ***conc.*** quoad defectum rationis usus, *neg.* Hoc enim commentum novum est ac mosaicæ narrationi prorsus contrarium. Moyses siquidem, ut vidimus, exhibet Adam animantibus nomen uniuscujusque naturæ proprium imponentem; non erat igitur rationis usu destitutus. Deinde hæc minime congruunt cum auctoris ecclesiastici dictis superius adductis. Hinc vel ipse Jahn, non suspectus auctor: ***Protoparentes***, inquit, ***primo momento erant adulti, qui omnes animi facultates et omnia corporis membra ad usum habebant expedita*** [3]).

326. Neque alius est sensus patrum, qui de infantili protoplastorum simplicitate locuti sunt [4]).

327. ***Ad*** 2^m, ***Neg.*** Nam, prout hic accipitur, concupiscentia defectus est et quasi morbus quidam naturæ, ut loquitur Bellarminus [5]); ex materiæ conditione profluens; cum hic agatur non de concupiscentia per se sumpta, sed de inordinatio-

1) Ita cum aliis Rosenmüller, *Schol. in V. T.* cap. 3. Genes.

2) Apud Petav. *De opificio*, lib. II, cap. 9.

3) *Introd. in libros sacr. V. T.* sect. I, cap. I, §. 19 edit. 2 Viennæ 1814.

4) Cf. Prud. Maran, *Præfat. in Opp. S. Justini Martyris*, part. 2 cap. 5 edit. Paris 1742; ubi exponit sensum, quo Theophilus, Irenæus, Tertullianus, Greg. Nazianzenus, Joan. Chrysostomus, Joan. Damascenus tribuerint infantiæ statum Adamo, nempe ob recentem creationem mediumque inter mortalitatem et immortalitatem statum, in quo conditus Adam a Deo fuerat, ob innocentiam et animi simplicitatem. Ubi etiam singularem declarat Clementis Alex. opinionem circa Adæ peccatum.

5) *Lib. de gratia primi hominis*, cap. 5 num. 11 et seqq.

ne concupiscentiæ, quæ rationem prævertit et antevenit. Ast de concupiscentia infra.

328. III. *Obj.* 1° Scripturarum testimonia, quæ primo homini immortalitatem videntur tribuere, de magna potius longævitate explicare debent; prout ipsemet Flavius Josephus aperte significat [1]. 2° Illæ autem comminationes, quæ Adam factæ sunt, vel de morte animæ sunt intelligendæ, vel de mortis festinatione et pœna, quam absque peccato expertus forsan non fuisset nisi per dulcem quamdam ac suavem animæ a corpore separationem. 3° Sane protoparentes ad corporis vires reficiendas cibo indigebant et potu, 4° Arbor ipsa vitæ, quæ per modum medicinæ operabatur, evidens argumentum est, et senectuti et morti per se obnoxios fuisse primos homines, sive peccassent, sive in officio stetissent. Ergo.

329. *Resp. Ad* 1^m^, *Neg.* Dicunt enim scripturæ, Deum fecisse hominem *inexterminabilem.* Auctoritati autem Josephi auctoritatem opponimus scripturarum. Plura sane ibidem fabulatur hic auctor nimis ingenio suo indulgens, e. g. omnia animalia tunc communi quadam loquela usa fuisse, aliaque ejusmodi non pauca.

330. *Ad* 2^m^, *Neg.* Non quidem de morte animæ, ut patet ex contextu et ex Dei verbis: ***Pulvis es et in pulverem reverteris***, et ex adducto insuper S. Pauli testimonio, quod loquitur de sola corporis morte; ac demum ex eo, quod mors animæ, ut observat Petavius [2]), non habeat rationem pœnæ, cum peccatum ipsum mors animæ sit. Sed neque de mortis festinatione Dei comminationes intelligi possunt; cum sint absolute de morte ipsa intelligendæ ut adducta scripturarum testimonia postulant. Consonat interpretatio patrum, qui Dei verba: ***In quacumque die comederis morte morieris***, ita exponunt, ut sensus sit: ***Morti obnoxius eris***, seu, ut vertit Symmachus: ***Mortalis eris*** [3]). Quam versionem laudant et Hieronymus et Theodoretus [4]).

331. *Ad* 3^m^, *Neg. conseq.* Nam ex hoc, quod anima et corpore constabant protoparentes, et alimentis vesci debebant, non consequitur, fuisse eos morituros, etiamsi non peccassent; cum semper potuissent ali et semper vivere.

332. *Ad* 4^m^, *Dist.* Ex peculiari Dei beneficio vim habuit perennem vitam tribuendi, *conc.* virtute propria seu naturali, *neg.* Dissentiunt quidem inter se interpretes circa hujus arboris naturam; verisimilior tamen nobis eorum videtur opinio,

1) *Antiq. judaic.* lib. I, cap. I. Sic etiam Mercerus, *comm. in gen.* II, 7.
2) Loco jam citato.
3) Θνητὸς ἔσῃ. Apud Origen. in *Hexapl.* opp. Origenis edit. Maur. tom. I, pag. 16.
4) Apud Petav. *De opif.* lib. II cap 10 §. 4.

qui censent ex peculiari Dei virtute ac beneficio eam habuisse hanc vim, mortem scilicet arcendi in perpetuum ab iis, qui ejus fructibus vescerentur [1]).

333. IV. *Obj.* 1° Nihil conferunt mosaicæ narrationi, imo potius obstant similes mythi, quos de ætate primitiva, quam auream appellant, quæque sensim in deteriorem abierit, feliciore ac lætiore hominum vitæ conditione apud alios antiquos populos reperimus. Omnes enim ejusmodi narrationes, si accurate examinantur, tantum abest, ut historiæ fide nitantur, ut contra ab hominibus fictæ esse videantur, quibus præsentium temporum fastidium lenirent animumque imagine vitæ ab omni labe immunis oblectarent. Quapropter pro fundamento rerum ad historiæ leges exigendarum nullo modo haberi possunt [2]). Quo incultior fuit ætas, eo magis in illa prævaluit studium fabulas vel rumore traditas captandi, vel novas fingendi. 2° Sane genus humanum in humili loco positum et ab exiguis initiis profectum sensim adolevisse argumento est totius naturæ historia; et omnium populorum primordia, fama ac monumentis quibusvis ad posteritatem propagata, egregie illud idem confirmant. Frustra igitur, qui indorum, persarum, hæbreorumque mythos pro vera historia amplectuntur, et obsoletas sententias novis commentis exornatas sequuntur, conantur allegoriis et symbolicis adumbrationibus artificiose nectendis historiarum luci clarius explendescenti officere [3]). 3° Ætas proinde aurea non præ se fert nisi statum illum societatis in quo maxime vigeret antropophagia [4]), vel quo homines belluino more viventes, nudi fere incedebant et glande ad cibum utebantur [5]). Ergo.

334. *Resp. Ad* 1m, *Neg.* Conjecturis enim non destruuntur; quæ gentium omnium omnisque ætatis traditiones unanimiter confirmant, maxime quod conspirent in præcipuis adjunctis eorum, quæ de ætatis illius vita Moyses refert. Ac 1° quidem eximia vitæ innocentia primos homines fruitos esse, omnium pœnarum, dolorum, laborum, criminum expertes, ut sinenses habent; 2° fuisse eosdem diis proximos, optimæ in-

1) Cf. Petav. op. cit. lib. II, cap. 7, §. 6 et seqq. Vid. etiam Nicolai, *Lez.* XXIII, *sul Genesi.*

2) Ita Wegscheider, §. 100 not. I; A. Matthiæ, *Præfat. de ratione tractandæ græcarum mythologiæ*, pag. 5 quæ reperitur in Seebode, *Archiv. für Philologie und Pædagogie*, seu, in *Archivio pro philologia et pædagogia*, auctore Seebode, Helmst. 1826 vol. II, part. 3; Arnold. Ekker, *Specim. inaug. in Protagoræ apud Platonem fabulam de Prometheo et generis humani ad humanitatem progressione.* Ultraj. 1822.

3) Wegscheider, §. 97 nota (*q*).

4) Ita Bory de Sant-Vincent, cf. *Revue encyclop.* Paris 1825 Mars, art. *Sciences physiques*, *Homme*, qui præterea censet vere auream dicendam esse ætatem illam, quam leves scriptores ferream dixerunt; profitetur autem se novam seu quintam præstolari ætatem, nempe *rationis*, quæ reservatur futuris generationibus, cujus tamen non valde exigua crepuscula jam nunc cernimus.

5) Non valde abhorret ab ejusmodi principiis Jos. Micali, *Storia degli antichi popoli italiani*, Firenze 1832 tom. I, cap. I, pag. 9 et Aloys. Bossi, *Della storia d'Italia* cap. 4 pag. 12.

dolis, vitamque vixisse optimam, ut græci et latini tradunt; 3° eos a Deo enutritos fuisse ac nudos et sine tegumento sub dio altos, ut Plato et Diodorus Siculus juxta ægyptiorum traditionem narrant. 4° Si cum his conferantur, quæ de mulieris ex costa Adam formatæ, quæ de parentum lapsu, deque modo, quo lapsus contigit, effectibusque inde sequutis habentur, de quibus postea dicemus [1]), et in quæ omnium gentium annales et memoriæ collineant, luce clarius patet, nonnisi ex communi fonte hæc omnia manare potuisse. Quod vero additur de studio præsentium temporum fastidium leniendi, fabulas captando novasque addendo, ita ut populi omnes religione, moribus, indole, ætate, lingua, regione longe a se dissiti, non solum in ipsius facti natura, sed in peculiaribus etiam ejusdem adjunctis fingendis conspiraverint, ab omni veritate longe abest. Id profecto non modo a germana philosophia, sed et a communi hominum sensu abhorret, præsertim cum plures ex ipsis nullo inter se commercio uterentur [2]); hoc enim portento simile foret.

335. *Ad* 2m, *Dist.* Diversis temporibus, seu post hominis lapsum, *trans.* eodem tempore, seu ante lapsum, *neg.* In primis enim observandum est, eadem illa monumenta historica, quæ de primordiis humani generis supersunt, incipiendo ab Hesiodo, Herodoto, Diodoro Siculo usque ad ætatem politiorem, quæque nobis primas societates seu primos homines veluti tribus nomadas ante oculos objiciunt ac paulatim ad perfectiorem cultum progredientes, nobis pariter exhibere traditionem aureæ ætatis, seu status innocentiæ primorum parentum. Quapropter nedum sibi invicem adversentur historica hæc documenta, apprime inter se conveniunt; si tamen admittatur diversa hominum diversis temporibus conditio, et status, tum ante, tum post hominis lapsum. Hinc si hæc adversarii recipiunt, dum humilem primorum hominum conditionem exponunt, quare eadem recusant, dum protoparentum beatam vitam et originem describunt, atque uti mythos traducunt, aut allegorias et symbolicas imagines historiæ luci officientes? Non modica potius lux historiis conciliandis inde maxime affulget, ut ex dictis patet.

336. *Ad* 3m, *Neg.* Siquidem anthropophagia in humani generis primordiis nullibi visa est; huic enim assertioni documenta historica repugnant; hinc illa non fuit nisi prava humani generis degeneratio, prout est vita sylvestris et feritas, quæ in

1) Cf. *Annales de Philosophie chrétienne*, art. cit.; Windischmann, op. et loc. cit.

2) Quibus si addantur traditiones et argumenta de communi populorum origine, de origine mundi, de hominis lapsu, etc, de quibus partim monumenta attulimus, partim inferius afferemus, vix non habetur argumentum evidens et demonstrativum de hujusmodi traditionum veritate.

nonnullis adhuc populis observatur, cujusmodi etiam est rudis eorum lingua [1]). Eadem enim ratione, qua dantur in hominibus progressus a cultu et educatione devenientes, sic dantur et regressus ex illius præsidii atque adjumenti defectu. Exemplum habemus in Europa nostra, quæ ex barbarorum incursionibus, depopulationibus, ferocia paulatim a summa humanitate in eam barbariem transgressa est, quam in medio ævo deploramus. Idem dicas de Asia et Ægypto quondam culturæ ac literarum, ut ita dicam, domiciliis. Vita igitur sylvestris et anthropophagia spectari debent tanquam extrema declinationis periodus, in quam populi quidam omnibus cultus præsidiis destituti prolapsi sunt.

337. Vehementer propterea errant plerique ex neotericis historicis aut archæologis, qui sibi sapientes videntur, cum sacræ scripturæ contradicunt, contendentes primos homines feritate primum belluina aut etiam anthropophagia laborasse, paulatim ad vitam sylvestrem ac venaticam progressos, deinde ad pastoritiam seu nomadicam, hinc ad agrestem pervenisse, ac demum ad socialem. Hi enim permiscent veram ac primitivam hominum conditionem cum iis, quæ contigerunt post generales aut partiales alterius ætatis dispersiones ac aberrationes, a quibus homines paulatim redeuntes primordia societatum ac civilis culturæ jecerunt, donec per ulteriores progressus ad statum, ut ita dicam, adultum perfectionis pervenerunt, et de quibus tum mythologica tum historica monumenta loquuntur [2]).

1) Cf. Comes de Maistre, *Soirées de St. Petersbourg*, Entretien deuxième, tom. I. pag. 81.; ubi hæc præclare scribit: „De là viennent les sauvages qui ont fait dire tant d'extravagances, et qui ont surtout servi de texte éternel à J. Rousseau... il a constamment pris le sauvage pour l'homme primitif, tandis qu'il n'est et ne peut être que le descendant d'un homme détaché du grand arbre de la civilisation par une prévarication quelconque, mais d'un genre, qui ne peut plus être répété, autant qu'il m'est permis d'en juger; car je doute qu'il se forme de nouveaux sauvages. Par une suite de la même erreur, on a pris les langues commencées, tandis qu'elles sont et ne peuvent être que des débris de langues antiques, *ruinées*, s'il est permis de s'exprimer ainsi, et dégradées, comme les hommes qui les parlent. En effet, toute dégradation individuelle ou rationnelle est sur-le-champ annoncée par une dégradation rigoureusement proportionnelle dans le langage.

2) Hinc Joan. Müller, *Historia univers.* cap. I. ubi agit de statu hominis primitivo, observat sub duobus diversis aspectibus statum primitivum generis humani describi; cum aliæ traditiones pingunt ætatem auream, in qua justitia et pax regnarunt, referunt pariter ætatem subsequentem speciei nostræ tanquam aberrationem a primævo instituto; aliæ vero traditiones describunt hominem ab initio immitem atque ferocem, donec sensim ac veluti per gradus mansuevit. Verum utræque hæ traditiones optime inter se cohærent, si ratio habeatur diversi status, in quo homines fuerunt, juxta ea quæ superius a nobis dicta sunt; quibus plane consentit S. Thom. dum insulsæ Tullii opinioni de hominibus sylvestribus (*De invent.* 1. 2.) respondet: *Verbum Tullii potest esse verum, quantum ad aliquam gentem; si tamen accipiatur principium* proximum *illius gentis, per quod ab aliis gentibus est distincta, quia non in omnibus perducitur ad effectum id, ad quod naturalis ratio inclinat. Non est autem verum universaliter.* (*Supplem.* q. 41. art. 1.)

PROPOSITIO III.

Status justitiæ seu gratiæ sanctificantis et felicitatis, in qua primi parentes constituti a Deo sunt, non erat eis debitus.

338. Propositio sic enunciata catholicam doctrinam exhibet, ut ex dicendis patebit. Cum tamen in salebrosam quæstionem inciderimus ob quorundam catholicorum theologorum controversias, præstat nonnulla præmittere, quæ conferant ad faciliorem propositæ doctrinæ explanationem, et ecclesiæ doctrinam a privatis scholarum placitis apprime secernere. Hæc igitur adnotanda sunt:

339. 1° *Debitum* naturæ, seu naturale multiplici sensu aliquid dici potest; sumitur enim vel pro eo quod origine contrahitur, vel pro eo quod est naturæ consentaneum; vel quod naturam in sui ordinis operationibus perficit; vel demum quod est naturæ pars, aut fluit a naturæ principiis, cujusmodi in homine sunt corpus et anima, aut facultas sentiendi et intelligendi [1]. Rursum aliquid naturæ *indebitum* ac *supernaturale* duplici ratione intelligi potest, scilicet aut *per se*, cum nempe ex principiis naturæ fluere seu provenire nequit, cujusmodi e. g. fuit ascensio Eliæ in cœlum super currum igneum, Samsonis robur, etc., aut *per accidens*, quod interdum obtinetur miraculo, licet alioquin ex naturæ principiis fluere soleat, e. g. omnes curationes instantaneæ, visus cæco restitutus, sapientia Adami, etc.

340. 2° Lutherus itaque, et post ipsum Bajus, Jansenius, Quesnellus cum suis contendunt, tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia atque immortalitatem cum reliquis consectariis sic homini naturales esse, ut sine ipsis hominis perfecta seu integra natura consistere non possit; neque Deum, salva sua bonitate et justitia, sine illis hominem condere potuisse. Ex quo principio inferunt, hominibus, qui nunc absque justitia originali nascuntur, aliquod naturale bonum deesse, quale deesset pecudi, si clauda vel cæca nasceretur; quod si alicui divinitus redderetur originalis justitia, donum quidem istud fore *supernaturale* per accidens, seu quoad modum, non autem per se, prout de visu cæco restituto diximus. Catholica autem doctrina tenet, tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia ac immortalitatem dona supernaturalia esse in se, et ita gratuita, ut Deus, salvis suis attributis, hominem sine illis condere omnino potuisset; nihilque propterea de naturæ bonis hominem per peccatum originale perdidisse; ita ut, peccato excepto, homo creari a Deo potuerit, qualis

1) Cf. Bellarminus, *De gratia primi hominis*, cap. 5.

nunc nascitur, morti scilicet, infirmitati, concupiscentiæ, ignorantiæ obnoxius, neque ad ordinem supernaturalem elevatus.

341. 3° Propositio nostra duo complectitur: *primo*, esse indebitam gratiam, *secundo*, indebita dona gratuita scientiæ, integritatis, immortalitatis, quæ sub *felicitatis* nomine comprehendit.

342. 4° Doctrina catholica sic exposita commisceri nequit cum duplici quæstione scholastica; quarum prima est, num Deus potuerit saltem de *potentia ordinata*, ut vocant, hominem sine elevatione cæterisque recensitis donis condere, nec ne; si quidem de *potentia absoluta* Deum ita se gerere potuisse omnes theologi catholici concedunt [1]). Altera controversia est, num (in hypothesi, quod Deus sive de potentia absoluta, sive de potentia ordinata potuerit hominem in puris naturalibus, ut scholæ loquuntur, condere) homini sic constituto necessaria forent gratiæ auxilia ad legem naturalem adimplendam. Jam vero nos pro certo habemus, etiam in hac hypothesi necessaria fore homini ejusmodi auxilia, nec ei a Deo defutura, qui nunquam impossibilia jubet, non quidem *ad modum*, ut scholæ lo-

1) Hoc vero discrimen instituunt theologi isti inter potentiam *ordinatam* et *absolutam:* ordinata est, quum Deus operatur non solum ex sapientiæ, sed et bonitatis, decentiæ ac congruitatis legibus; absoluta, cum operatur ex solis legibus justitiæ. Hinc quidam docent, Deum quidem de potentia *absoluta* potuisse hominem absque donis supernaturalibus et gratuitis condere, non autem de potentia *ordinata*. Non defuerunt, qui hanc sententiam accusaverint tanquam jansenisticam, eo quod vel ipse Jansenius fassus fuerit, Deum *absolute* sic homines condere potuisse, non autem ex potentia *ordinata*. Ast hujus sententiæ fautores profitentur magnum intercedere discrimen inter se ac Jansenium; quia Jansenius autumabat hominem esse *distortum ac malum* illis donis destitutum; contra vero se expresse affirmare *bonum* hominem sine illis fore; sed cum Dei *perfecta* sint opera, ideo concludunt, Deum sine his præclaris dotibus hominem minime condere potuisse. Ast rursum alii reponunt, nostrum non esse decernere quid divina bonitas postulet, quid non; quo principio semel constituto nos duceremur ad optimismum. Cæterum hæc certa nobis esse videntur: 1° Veteres in hoc saltem argumento hanc distinctionem penitus ignorasse; 2° qui hanc distinctionem inducunt, eadem proferre argumenta ad ostendendam impossibilitatem status naturæ puræ juxta potentiam Dei *ordinatam*, quibus utitur Jansenius ad evincendam eamdem impossibilitatem; 3° hujusmodi distinctionum artificio fretos jansenistas, omnes suas propugnare doctrinas, non verentes pontificiam censuram. 4° Cum ex solis justitiæ legibus, aut spectata sola potentia, Deus agere non possit, sequitur, si attentis etiam bonitatis, decentiæ ac congruitatis legibus hominem absque ejusmodi elevatione donisque adnexis creare nequeat, creari eum sine ipsis *nullatenus* posse; quod tamen pugnat cum propositionibus damnatis. 5° Propositiones Baji damnatæ sunt in sensu ab auctore intento; atqui Bajus admittebat Deum de potentia *absoluta* creare potuisse hominem absque ejusmodi elevatione ac donis, ut colligitur ex Jansenio, qui in suo *Augustino* Baji doctrinam adstruere et defendere vehementer contendit, ita ut ab initio opus suum inscribere voluerit: *Defensio Baji*; ergo, dum Bajus in propositionibus damnatis negat hominem a Deo creari potuisse in statu non elevato, intelligendus est de potentia Dei *ordinata;* ergo hoc sensu damnatæ sunt; ergo contradictoria catholica erit et vera: *Deus de providentia ordinata creare potuit hominem absque ejusmodi elevatione.* Quid juvat doctrinas profiteri, sin minus hæreticas aut erroneas, saltem iisdem maxime affines, cum pateat via regia omnibus obvia? Doctrina hæc catholica, quam tuemur maximi momenti est; cum annulus, ut ita dicam, sit, qui cætera doctrinæ catholicæ capita adnectit circa peccati originalis effectus, libertatem, Christi gratiam etc., ut ex dicendis planum fiet.

quuntur, sed *ad substantiam operis*, quæ non essent nisi naturalis ordinis, ut supponitur [1]).

343. His præmissis sic cum card. Gotti propositam doctrinam adstruimus [2]). Si status ille debitus homini esset, debitus foret vel ex parte hominis vel ex parte Dei; atqui neque ex parte hominis, neque ex parte Dei debitus dici potest. Non quidem ex parte hominis, cujus natura non exigit, nisi ut sit animal rationale, et ad bonum sui ordinis comparatum, cujusmodi profecto non est gratia sanctificans, alioquin non esset gratia, ut ratiocinatur apostolus (rom. IV.); sed neque immunitas a concupiscentia, quam per se humana natura non exigit, cujus est ferri in bonum sensibile per sensum et appetitum, ac in bonum spirituale et intelligibile per intelligentiam et voluntatem, ex quarum contrariis propensionibus naturaliter conflictus oritur ac ingens recte agendi difficultas; neque demum immortalitas et immunitas a doloribus ac pœnis, cum naturæ sensibilis, ac contrariis elementis seu principiis concretæ proprium sit, dolores pati, corruptionem, totalem denique solutionem [3]). Non debitus ex

1) Ex his patet statum quæstionis non cognosci ab iis auctoribus, qui hujus naturalis conditionis possibilitatem impugnant ex eo, quod homo tunc foret velut emancipatus a Deo, neque auxiliorum ipsius indigens, quod imprudenter admodum nonnulli ex Germania præsertim autumant; vel non amplius hominem debere ad Deum preces suas fundere ad ejusmodi auxilia obtinenda; vel etiam non posse amplius ostendi necessitatem revelationis, quum ex his sequeretur hominem per peccatum originale in iis, quæ ad naturæ humanæ essentiam spectant, non inferioris conditionis factum esse, quam foret in statu naturæ non elevatæ. Hæc enim aliaque ejusmodi nonnisi ex perperam vel intellecta vel exposita illius status conditione descendunt, non autem ex doctrina ipsa. Sane per ejusmodi auxilia seu media naturalis ordinis, quæ extrinsecus homini proveniant, ipsum minime propterea transferri ad ordinem supernaturalem inde patet, quod corpus humanum e. g. in statu suo naturali indigeat alimentis, quæ tamen in agris crescunt, et exterius suppeditantur, num propterea desinit esse in statu naturali, quia hæc alimenta non in proprio suo fundo, id est, intus in ipso corpore continuo succrescunt? Anima humana pro facultatum suarum evolutione et cultura indiget instructione parentum, institutorum, etc. infans nonnisi a cura parentum habet, quæ ad sui conservationem et perfectionem requiruntur; ad naturam itaque entis limitati non pertinet, omnia habere in seipso, nullaque re extra se indigere ad sui conservationem et finis sui assecutionem.

2) *Theol. scholastico-dogm.* in primam partem, *De homine et ejus statibus,* quæst. II., *De statu naturæ puræ*, dub. I. §. 2. et seqq. tom. VI. op. edit. Bononiæ 1729.

3) Ita physiologi unanimiter docent; qui naturam hominis, prout in se est, et comparate ad animantium brutorum naturam investigarunt, ut Bichat, *Anatomie gener.* tom. I.; M. A. Petit, *Discours sur la douleur;* Bilon, *Diss. sur la douleur;* Jacobi, *Fisiologia* tom, II; Tommassini, *Lez. critic.*, ac cæteris omissis, Ben. Majon, *Leggi fisiologiche.* Cf. edit. 3. Milano 1821. *Considerazioni generali sulla vita, e sopra i suoi fenomeni,* §. I. et seqq. tum ibid. classe I. *Delle funzioni conservatrici della vita e relative all'individuo*, ord. I. genere I. *Del piacere e del dolore,* §. 42. et seqq. et Gen. VI, §. 479. et seqq.; Magendie, *Précis élémentaire de physiologie*, articulo ult. operis. Ne longiores simus quam par est, hujus tantum textum dabimus: „L'existence individuelle de tous les corps organisés est temporaire; aucun n'échappe à la dure nécessité de cesser d'etre ou de mourir, l'homme subit le meme sort. L'histoire particulière des fonctions nous a fait voir que dès les premiers temps de la vieillesse, et quelquefois auparavant, les organes se détériorent, que plusieurs cessent complètement d'agir, que d'autres sont absorbés et disparaissent, qu'enfin dans la décrépitude la vie

parte Dei, qui, cum in donorum suorum distributione liberrimus sit, nulla adigitur necessitate, ut hunc potius quam illum perfectionis gradum creaturis suis largiatur.

344. Eadem veritas constat ex proscriptione thesium Baji et Quesnelli, in quibus contraria doctrina traditur. Nam S. Pius V et Gregorius XIII sequentes Baji propositiones proscripserunt, nempe 21: ***Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis*** (Eadem dicuntur in propositionibus 23 et 24); item 26: ***Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio;*** 55: ***Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur;*** 78: ***Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio;*** ac demum prop. 79.: ***Falsa est doctorum sententia; primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali*** [1]). Cum vero Quesnellus eandem doctrinam instaurasset prop. 35, quæ ita se habet: ***Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ***, eam rursum damnavit Clemens XI in const. ***Unigenitus.*** Cum igitur omnes istæ propositiones, utpote doctrinæ catholicæ adversantes, proscriptæ sint, ab hisce ipsis veritas patet contradictoriæ doctrinæ.

345. ***Premitur hic Jansenius***, inquit card. Gotti [2]), ***hæret, velut anguis torquetur;*** at postea, resumptis animis, confidenter affirmat, censura ista damnatos esse pontifices novem sanctissimos doctissimosque: Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Sixtum, Cœlestinum, Leonem, Gelasium, Hormisdam et Joannem II, a quibus Augustini doctrina, ut ecclesiæ catholicæ fidem continens, laudata est amplissimeque confirmata [3]).

est réduite a quelques restes des trois fonctions vitales et à quelques fonctions nutritives détériorées; dans cet état, la moindre cause extérieure, le plus petit coup, la chute la plus légère, suffisent pour arrêter l'une des trois fonctions indispensables à la vie, et la mort arrive immédiatement, comme le dernier degré de la destruction des organes et des fonctions. Mais un très-petit nombre d'hommes arrivent à cette fin qu'amènent les seuls progrès de l'âge. Sur un million d'individus à peine quelques-uns y parviennent; le reste meurt à toutes les époques de la vie, d'accidents ou de maladies, etc." Cf. etiam L. Martini, *Lezioni di fisiologia*, Torino 1831. tom. XII. lez, 93.

1) Bulla Greg. XIII.: *Provisionis nostræ*, qua confirmavit bullam S. Pii V jam pridem datam kal. octob. 1567, Utramque confirmavit Urbanus VIII.

2) Loc. cit. §. 2. num 10.

3) Eminet hic etiam prava Jansenii fides, qui, lib. I. *Prælect. de gratia Christi*, viginti nec minus capita insumit ad apologiam texendam, stabiliendamque doctrinam S. Augustini; quam doctrinam a novem romanis pontificibus approbatam et consecratam adstruit, deinde suam non minus quam doctrinam ecclesiæ esse affirmat, et comparat S. Doctorem cum apostolo Paulo. Eamdem viam inierunt ejus asseclæ, semper ab extollenda doctrina S. Augustini exordientes, ut deinceps, Augustini nomine quodammodo tecti, omnes suos errores disseminarent. Aliquis inter ipsos eo progressus est, ut effutire non erubuerit: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam pontificiam bullam.* Quæ propositio damnata est ab Alexandro VIII. Eodem

346. At frustra pravæ doctrinæ suæ Jansenius cum suis asseclis S. Augustinum patronum aut adstipulatorem sibi arrogat. Sic enim scribit S. Doctor: ***Homo ad Dei similitudinem factus est; tamen, quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et ideo fit gratia filius, qui non est natura*** 1). Si igitur *gratuita* ejus est filiatio, non est eidem *debita*. Rursum: ***Quamvis***, inquit, ***ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset*** 2); et clarius etiam: ***Si*** (anima) ***talis esse cœpit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde conditori suo gratias agat . . . Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est. . . . sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante creatore se ipsam excolat, et pio studio possit omnes adquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia cæcante liberetur*** 3). De immunitate autem a concupiscentia hæc scribit: ***Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habet in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratia sensit, quid operire deberet*** 4). Pariter de immortalitate disserens: ***Qui status***, inquit, ***eis mirabili Dei gratia præstabatur*** 5); et alibi: ***Ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum*** 6). Hæc autem luculenta sunt adeo, ut commentariis non egeant.

347. Placet autem S. Augustino S. Thomam adjungere, qui ejus doctrinam in sua transtulit scripta, ejusdemque mentem expressit. Clarissima porro sunt Angelici Doctoris verba: ***Possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus*** 7); et

artificio usi jam fuerant Lutherus et Calvinus. Quum vero S. Augustinus non modo ipsis nec apparenter favet, imo contrarium aperte docet, tunc nihili faciunt ejus auctoritatem.

1) *Cont. Maximin.* lib. II, cap. 15, num. 2.

2) *Retract.* lib. I, cap. 9, num. 6.

3) *De libero arbitrio*, lib. III, cap. 20, num. 56.

4) *Cont. Julian.* lib. IV, cap. ult. num. 82.

5) *De civ. Dei*, lib. XIII. c. 20.

6) *De peccat. merit. et remiss.* lib. I, cap. 5.

7) *Quodlib.* I, art. 8, opp. S. Th. edit. Rom. 1570. tom. VIII, part. 2; ibi enim ex professo de hoc argumento agit, dicens: „Sed quia possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus, utile est considerare, ad quantum se dilectio naturalis extendere possit." Deinde expositis aliorum sententiis, concludit: „Dicendum est ergo, quod diligere Deum super omnia plusquam seipsum est naturale non solum Angelo et homini, sed etiam cuilibet creaturæ, secundum quod potest amare aut sensibiliter aut naturaliter." Et in 2, dist. 31, q. 1, art. 2. ad 3.: „Poterat Deus, *inquit*, a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpæ et pœnæ habuisset, quia non per voluntatem (*Adami*) iste defectus causatus esset." Opp. cit. edit. tom. VI. Demum part. I, q. 95, art. I. disserens de rectitudine, cum qua conditus fuit Adam: „Manifestum est autem, *inquit*, quod illa subjectio corporis ad animam et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset; cum etiam in dæmonibus data naturalia post

alibi passim, adeo ut nulla possit suboriri dubitatio de ipsius sententia [1]).

348. Patet igitur ex dictis, tum auctoritate, tum ratione constare, statum justitiæ seu gratiæ sanctificantis et felicitatis, in qua primi parentes constituti a Deo sunt, non fuisse eis debitum; quod nobis demonstrandum proposuimus [2]).

DIFFICULTATES.

349. I. *Obj.* 1° Ultimus creaturæ rationalis finis in visione Dei beatifica consistit; cum ipsa sola plene hominis animum expleat, ipsumque perfecte beet, juxta celebre Augustini effatum: *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 2° Et sane, nisi ita esset, Deus hominem innocentem addixisset æternæ calamitati. Vel enim homo eam beatitudinem expeteret, vel non; si non expeteret, ipsa hæc perversitas calamitas esset; si vero expeteret et non obtineret, esset item calamitas ipsa privatio. 3° Jure propterea S. Augustinus pelagianos, qui parvulos peccato originali carere affirmabant, et tamen sine baptismo decedentes excludebant a regno cœlorum, sic vehementer urgebat: *Quare patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non adquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia* [3])? 4° Et alibi passim scribit, olim beatitudinem futuram *meriti mercedem*, quæ jam facta est *donum gratiæ.* Ergo.

350. *Resp. Ad* 1m, *Neg. antec.* Finis enim proprius naturæ rationalis non elevatæ præmiumque honestarum actionum positum quidem est in contemplatione et amore Dei, sed ordinis naturalis, seu in cognitione Dei abstractiva et amore naturali [4]).

351. Atque hinc responsio patet ad id, quod adjectum est, solam visionem beatificam animum nostrum explere. Hoc certe falsum est in hypothesi hominis status non elevati ad ordinem supernaturalem. In eo enim cognitio abstractiva Dei ejusque amor naturalis ordinis sic hominis animum expleret, ut in eo non existeret desiderium ullum vehemens et acre, ut ajunt, *absolutum et efficax* boni majoris, quod ejus pacem beatitudinemque turbaret, sicut modo beatos anxios aut mœstos non

peccatum permanserint." Hæc ex diversis S. Th. operibus afferri volui, ut pateat, quam impudenter nonnulli soleant pro contraria doctrina adducere auctoritatem S. Thomæ.

1) Cf. Martinez Ripalda, Soc. Jesu, tom. III. *De ente supernat. Append.* disp. 8, sect. I, Colon. Agripp. 1648. ubi accuratissime tum S. Thomæ tum rel quorum scholasticorum loca recenset.

2) Quantum satis est, de hoc argumento inter cæteros scripserunt Bellarminus, lib. *De gratia primi hominis*, primis novem capitibus; Suarez, proleg. 4, *De grat.*; Card. Gotti, loc. cit.; Tournely, *Tract. De gratia*, quæst. II.; sed præ cæteris P. Casini Soc. Jes. egregiam dissertationem scripsit cui titulum fecit: מַה־אֱנוֹשׁ scilicet, *Quid est homo?* seu *Controversia de statu naturæ puræ;* quam iterum vulgavit. P. Zacharia ut appendicem ad librum II *Opificii sex dierum, Patavii*, tom. III opp. ed. Venet. 1757.

3) Serm, XCIV. cap. VI

4) Cf. Suarez, Prolog. IV. *De grat.* num. 10.

tenet desiderium perfectioris visionis atque hypostaticæ unionis [1]).

352. Itaque effatum S. Augustini pro præsenti conditione accipi debet; in alio vero rerum ordine optime congruit ordini naturali, ut modo dictum est, non autem ordini supernaturali; hunc enim homo non agnosceret, ideoque neque expeteret, siquidem ignoti nulla cupido.

353. *Ad* 2m, *Neg.* Ex dictis enim jam patet, nullam vim habere propositum dilemma; homo enim non expeteret nisi naturalem beatitudinem, quam obtinere posset. Propensio autem, quam in se homo sentit ad felicitatem, respicit beatitudinem seu felicitatem in genere, non autem particularem, cujusmodi visio beatifica est. Ex hac autem naturali propensione eruunt philosophi argumentum ad adstruendam animorum immortalitatem.

354. *Ad* 3m, *Dist.* In sensu Pelagianorum, adversus quos S. Doctor *ad hominem*, ut ajunt, argumentum instituebat, *conc.* in sensu proprio, *subdist.*: in præsenti providentiæ ordine, *conc.* in alio de quo loquimur, *neg.* Pelagiani enim contendebant, posse quempiam naturalibus meritis regnum cœlorum seu beatitudinem, quæ in visione beatifica consistit, quamque *naturalem* vocabant, obtinere. Merito propterea S. Augustinus eos arguebat, quod ab ea excluderent naturam *innocentem*, in sensu intellige Pelagiano, qui non admittebant peccatum originale [2]). Deinde loquitur de ordine præsentis providentiæ, in quo juxta ipsum, ut alibi expendemus, nullus status datur medius inter tormentorum locum et cœlorum regnum.

355. *Ad* 4m, *Dist.* Improprie loquendo et habita ratione majoris gratiæ, quæ nunc positive indignis confertur, *conc.* proprie, et ut excludat omnem gratiam, *neg.* Etenim in *Enchiridio.* cap. XXVIII. disserens de statu innocentiæ, aperte ait: *Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Cur autem dixerit: Nunc *naturam humanam accipere per gratiam, quod fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum*, ibid. explicat, respondendo: *Quia post illam ruinam, major est misericordia Dei.*

356. *Inst.* S. Thomas (*Cont. gentes*, lib. III. cap. 50. et par. I. p. 12. art. 1.) docet inesse homini naturale desiderium videndi Deum, et viso effectu naturaliter desiderare hominem videre primam causam. Ergo.

357. *Resp. Dist. Antec.* Supposita ejus elevatione et fidei illustratione, *conc.* per se, *neg.* Sic homo, viso effectu, desiderat videre primam causam, *dist.* Prout est capax ex propria conditione, *conc.* absolute, *neg.* Docet enim idem Sanctus (cit.

1) Cf. Suarez, loc. cit. num. 19 et 20, et card. Gotti, loc. cit.
2) Cf. Cl. Bernard. De Rubeis, Ord. Præd. *De originali peccato tract. theol.* cap. XXXI §. 1 et seqq. Venet. 1757.

quæst. art. 4.) neque hominem, neque aliquam quamcumque creaturam naturaliter, seu spectata naturali conditione, Dei essentiam videre posse [1]).

358. II. *Obj.* Impossibilis est status ille, quo homo nasceretur absque peccato, ignorantiæ tamen et concupiscentiæ obnoxius; ignorantia enim et concupiscentia ut docet passim S. Augustinus, sunt pœna peccati, et Rom. VIII, 20 et 23 concupiscentia absolute *peccatum* dicitur; atqui talis foret status puræ naturæ; ergo.

359. ***Resp. Neg. major. Ad*** 1m autem probationem, ***Dist.*** Ignorantia et concupiscentia sunt pœna peccati in præsenti statu, *conc.* absolute et in alio statu possibili, *neg.* Mens enim humana, utpote finita, ex propria natura ignorantiæ et errori obnoxia est. Rursum natura humana, utpote sensitivo appetitu instructa, ita affecta est, ut in bonum sensibile tendat, et a malo sensibili refugiat, in quo nihil vitii habetur. Quod si interdum ejusmodi appetitu homo et inclinatur inordinate ad malum, et avertitur a bono, id per accidens est; et si defectus in hoc reperitur, non moralis sed physicus est, qui suapte natura oritur tum ex insita seu inhærente cuicumque creaturæ imperfectione, tum ex utriusque partis animalis et rationalis conjunctione. Dum vero S. Augustinus ignorantiam et concupiscentiam pœnas peccati vocat, loquitur, ut patet, de præsenti rerum ordine, quod et nos dicimus. Pœnæ siquidem nomen relativum est ad culpam [2]).

360. Eodem sensu Apostolus concupiscentiam peccatum vocat, quatenus nempe a peccato est, et ad peccatum inclinat; ut declaravit Tridentina Synodus, ideoque concupiscentia nonnisi improprie *peccatum* dicitur.

361. ***Inst.*** 1° Si ita esset, concupiscentia non solum naturalis proprietas hominis dicenda foret, sed insuper bona; atqui S. Augustinus plurimis in locis probat contra Julianum eam ex se pravam probrosamque esse; 2° eumdem Julianum insectatur, quod eam *naturalem* dicere auderet; 3° peccati præterea originalis transfusionem ex naturæ corruptione evincere satagit; quam quidem corruptionem vel ipsi ethnici philosophi agnoverunt,

1) Cf. De Rubeis, op. cit. cap. xxxv, ubi, cum protulisset ex Jansenio testimonia S. Thomæ, quæ suæ sententiæ favere videntur, in medium adductis apertissimis S. Thomæ locis, imo et principiis, evidenter ostendit Angelicum Doctorem nunquam docuisse, visionem Dei beatificam seu intuitivam esse naturalem hominis finem: sed ubique prorsus contrarium tradidisse. Deinde exponit, quo sensu dixerit S. Doctor, hominem *viso effectu* naturaliter desiderare seu appetere ut videat primam causam. Adeo ut mirum sit quam leviter nonnulli hæc S. Doctoris verba objiciant ad adstruendam impossibilitatem status naturæ puræ. Nobis satis sit afferre, quæ scribit S. Th. quæst. 22, *De veritate,* art. 7, quibus aperit mentem suam: „Homini, *inquit,* inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut scilicet, appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi aliis, non est determinatum a natura." Vide etiam Card. Gotti, loc. cit.

2) Cf. Card. Gotti, loc. cit.

naturam non matrem sed novercam appellantes. 4° Profecto, nisi ita esset; Deus tum ignorantiæ tum omnium scelerum, ad quæ sive ira sive cupiditate homines incitantur, tum denique errorum omnium, quorum fœcunda mater ignorantia est, auctor esset censendus. Hæc porro absurda sunt. 5° Hinc receptum illud scholarum effatum, hominem per peccatum originale non solum spoliatum esse gratuitis, sed et vulneratum in naturalibus. Quod pariter expressit Conc. Trid., dum per peccatum totum hominem secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse declaravit [1]; ergo ignorantia, concupiscentia, mortalitas non proprietates, sed vulnera naturæ dicenda sunt.

262. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Si pro *facultate* bonum sensibile appetendi et malum aversandi sumatur concupiscentia, tum *naturalis* tum bona proprietas est dicenda, *conc.* si pro actu malum concupiscendi, *neg.* Hoc enim postremo sensu est defectus naturæ, et solum a Deo permissus.

363. Dum vero S. Augustinus docet, eam esse ex se et pravam et probrosam seu malam et pudendam, ut ipsemet declarat, talis est, quatenus *pro appetitionibus, quibus caro concupiscit adversum spiritum* sumitur; seu, ut idem loquitur: *Quando id, quod non licet, libet* [2]; non vero quatenus sumitur pro facultate appetendi. Probrosam pariter concupiscentiam vocat, prout naturalem defectum denotat; sicut erubescere solemus de corporis vitiis, quæ a culpa sejungi solent, non quasi res esset moraliter mala.

364. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Eo quod *naturalem* diceret concupiscentiam, quæ ex defectu in malum tendit, *conc.* quæ in facultate bonum sensibile appetendi consistit, *neg.* Multiplici porro ratione errabat Julianus: 1° in eo quod vellet concupiscentiam, prout est defectus, esse *moraliter* bonam; 2° quod nullam agnosceret concupiscentiam *pœnalem*, seu rebellem; 3° quod fas esse diceret ipsi assentiri, aut sola sensuum delectatione et voluptate duci; 4° Demum quod hanc ipsam naturæ imperfectionem ad primam hominis conditionem referret. Quæ omnia jure S. Augustinus adversus Julianum insectatur [3].

365. ***Ad*** 3m, ***Dist.*** Postquam constituit mala ista, quibus affligamur, non primordia sed supplicia esse naturæ et quidem argumento conjecturali, ut vocant, *conc.* absolute ac independenter a jam probatis, *neg.* Originalis siquidem noxæ existentia et in omnes transfusio nonnisi ex revelatione, seu ex fide constare certo possunt et ostendi, prout revera dari originalem noxam ex his fontibus ipse Augustinus ostendit. Hac autem posita demonstratione, in subsidium vocat rationem ipsam, ut non

1) Sess. v, can. I.
2) *Enarr. in Ps.* CXVIII.
3) Cf. Dissertat. cit. Ant. Casini, §. 3, art. 4.

solum originale peccatum, sed etiam adventum Salvatoris, ejusque gratiam, aliaque fidei nostræ mysteria pariter colligat ex miseriis parvulorum [1]).

366. Sic philosophi naturæ corruptionem viderunt, quæ oritur ex defectu naturæ, *conc.* quæ oritur ex peccato, *subdist.*; conjecturaliter, *trans.* absolute, *neg.* Adde, ut observat Bellarminus [2]), ipsos diversimode de homine sensisse et locutos fuisse, prout et nostri increduli faciunt, qui eum modo brutis exæquant, modo Deo [3]).

367. *Ad* 4^m, *Dist.* Deus esset auctor naturæ, quæ secum trahit has imperfectiones et hos defectus, *conc.* esset auctor harum imperfectionum et defectuum, *neg.* Ea enim ratione, qua faber censeri nequit auctor rubiginis, etiamsi de gladio ipso rubigo prodeat, ut docet S. Thomas [4]), quia nempe sic fert natura et conditio ferri, ita, quod homo vel creatura quælibet aut ulteriorem perfectionem ac præstantiam non habeat, aut, quod idem est, defectus insitos habeat quosdam, qui ipsum consequuntur, non ex Deo id repetendum, sed ex finita et limitata ipsius naturæ conditione. Quod nobilissimo exemplo ex fonte petito illustrat P. Casinus. Ex fonte enim repetendum est, quidquid aquæ quis haurit, ex vasis angustia, quidquid non habet [5]).

368. *Ad* 5^m, *Dist.* Homo læsus est in naturalibus, id est, gratuitis et respective ad statum naturæ integræ, *conc.* in essentialibus et naturæ humanæ propriis, *neg.* Neque alia est mens Concilii Tridentini. Magna tamen inter theologos contentio viget, num deterior nunc homo sit, quam foret in puris naturalibus; huc quidam, quidam alio in diversas sententias distrahuntur. S. Thomas, Bellarminus, Suarez et communis schola-

1) Cf. Tournely, *De gratia*, part. I. quæst. II art. 3 object. ex parte miseriarum.

2) Lib. *De gratia primi hominis*, cap. VII. n. 26, seu in solut. ad XI. diffic., ubi ait, philosophos ethnicos contraria de natura nostra sensisse, ut ostendit Theodoretus (lib. V. *Contra Græcos*). Alii enim hominem miserrimum, alii felicissimum a natura conditum asserebant. Tullius in III. *De republ.* apud Augustinum, *In Julian.* lib. IV. cap. 12., naturam nobis novercam fuisse queritur. Contra Plato in III. item *De republ.* scribit, hominem per corpus fieri posse beatum, esseque animantium omnium felicissimum. Nec minus Galenus in libris *De partibus*, celebrat auctorem naturæ, ut *qui cum hominum genere præclarissime egerit.*

3) Non alia ratione se se gessisse aut gerere recentiores philosophos circa hominis conditionem, patet ex eo quod Fischer, Jacobi, Schelling, Sansimoniani, novi templarii, ut ex dictis in tract. de Deo constat, censeant, imo tueantur, hominem ipsum Deum esse, ac propterea profiteantur auto theismum; contra vero materialistæ in nullo ipsum differre velint a brutis, si excipias *organisationem* ut vocant, ex qua deducunt omnes ejus operationes, quas nos dicimus psychologicas. Hinc Bory de S. Vincent loc cit. contendit, hominem non posse sibi vindicare nisi primatum inter animantia bimana (perinde ac si præter hominem alia bimana existerent!); nam nonnisi ex humana superbia factum est, ut nonnulli philosophi ipsum donatum existimarint aliqua intelligentiæ divinæ particula; non aliter ac si vermiculus ex eo, quod in ipsum sol radium immittit, jactaret se esse emanationem entis incomprehensibilis. Sic ipse, qui, ut vidimus, consanguineitatem cum vespertilione affectat.

4) I. 2, q. 85. art. 6.

5) Dissert. cit. art. IV. §. 6.

sticorum sententia negant [1]); nonnulli recentiores theologi affirmant. Ipsi viderint. Nobis videtur quæstio hæc orta esse ex non satis perpensa naturali hominis conditione, quæ non exposcit nisi facultates necessarias, sive ad verum cognoscendum, sive ad bonum sui ordinis consectandum, quibus seu recte seu prave utens homo, possit se vel meliorem vel deteriorem efficere, tum in hoc tum in alio ordine providentiæ, fretus præsertim, ut præfati sumus, adjumentis ad id opportunis.

369. Ex dictis patet ignorantiam aliaque incommoda, quibus urgemur, non alio sensu vocari posse naturæ vulnera, quam respectu habito ad statum protoparentum, minime vero absolute; quo sensu etiam pœnæ aut pœnalitates dicuntur.

370. III. *Obj.* Tum auctoritati tum rectæ rationi adversatur asserere, Deum potuisse condere hominem absque sua culpa tum mortalem, tum morbis, doloribus cæterisque ærumnis obnoxium. Auctoritati quidem, cum 1° conc. Arausicanum, can. II definierit: ***Injustitiam Deo dare, qui censent Adamum moriturum fuisse, etiamsi non peccasset***; et 2° S. Augustinus asserat: ***Corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati*** [2]); qui 3° præterea: ***crudelitatis fore***, inquit, ***si Deus hujus vitæ ærumnis animas nullius peccati reas addiceret*** [3]). Repugnat insuper rectæ rationi; anima enim, quæ pars hominis est nobilior, est immortalis. 4° Naturam igitur animæ potius quam corporis homo consequi deberet; præsertim cum homini beatitudo saltem naturalis debeatur; vita autem, ***si non est æterna, nec est beata,*** ut sæpe arguit ipse Augustinus; 5° alioquin anima, quæ semper trahitur desiderio corporis, vim pati perpetuo deberet, quod est absurdum. 6° Illud præterea omnibus innatum et in animo quasi insculptum a natura est, non posse, qui innocens sit, re adversa ulla cruciari; ergo tum immortalitas tum dolorum et ærumnarum immunitas connaturales proprietates hominis sunt.

371. ***Resp. Neg. antec. Ad*** 1m, ***Dist.*** Ex eo quod Deus promissis suis non stetisset, ***conc.*** ex eo quod Deus naturale aliquod hominis jus violasset, ***neg.*** Loquitur porro Concilium ex suppositione concessæ Adam immortalitatis.

372. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Cujusmodi in Adam erat, quem Deus privilegio immortalitatis donaverat, ***conc.*** naturali spectata hominis conditione, ***neg.***

373. ***Ad*** 3m, ***Dist.*** Crudelitatis fore in sensu Manichæorum, qui Deum peccati auctorem simul et ultorem faciebant, ***conc.*** in nostræ thesis sensu, ***neg.*** Cum vero disputans adversus Julianum, docet: ***Deum fore injustum, si tam gravi jugo preme-***

1) Cf. Suarez, *Prolog.* IV. *De grat.*
2) *De civ. Dei*, lib. XIII c. XV.
3) Disp. I *Cont. Fortunat. manich.* num. 9. et disp. II. n. 28.

ret innocentes, id docet juxta *hujus sæculi dispositionem*, ut ipse loquitur, seu in præsenti providentiæ ordine 1).

374. *Ad* 4m, *Dist.* Nisi corporis naturalis conditio aliud postularet, *conc.* alias, *neg.* Quod vero additur de naturali beatitudine, quæ homini debetur, nempe pro meritis, non de hac vita, sed de altera intelligendum est; nunc enim homo in via ac fere in agone versatur. Pariter, quod dicitur de beatitudine, accipiendum est de beatitudine essentiali, quæ in anima speciatim consistit; non autem de beatitudine corporis, quæ adventitia est et accidentalis. Non esset autem vita beata, si non esset æterna beatitudine essentiali, ut dictum est.

375. *Ad* 5m, *Trans.* et *neg. cons.* Dato enim hoc desiderio, Deus huic supplere posset, ut nunc in beatis supplet. Deinde posset Deus per donum *quoad modum*, ut ajunt, supernaturale, rursum corpora propriis animabus conjungere.

376. *Ad* 6m, *Dist.* Non posse cruciari sine causa, *conc.* sine culpa, *neg.* Porro nos nulla habita ratione culpæ, causas mortis, dolorum, etc. assignavimus ex ipsa naturali hominis constitutione petitas. Certe animantia sine culpa malis afficiuntur, non tamen sine causa. Huc spectant duæ proposit. in Bajo confixæ, nempe 75: *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Job et martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt;* et 73: *Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc B. V. mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

377. Hinc patet non alio sensu immortalitatem aliaque recensita connaturales proprietates dici posse, nisi quatenus ipsi naturæ sunt consentanea, et homini innocenti concessa.

CAPUT III.

DE PROTOPARENTUM LAPSU.

378. Beata illa, in qua primi parentes nostri divino munere constituti fuerant, felicitas ac bonorum omnium affluentia brevi periit. Prævaricati enim sunt divinum mandatum; sensit tellus divinum anathema, quo tribulos et spinas ferre jubebatur; quare in sudore vultus sui terram findere, ex ejus visceribus victui necessaria eruere coactus, et infortuniorum mole devictus exinde homo est. Qui præterea, originali innocentia amissa, pugnam in se cupiditatum experiri cœpit ac jugum grave ferre debuit, donec in eam terram reversus est, ex qua ejus corpus fuerat efformatum. Hanc divini mandati transgressionem increduli

1) Cf. Casini, Dissertat. cit. art. III, §. 3, ad secundum.

hodierni directe impetunt; neoterici biblici expungunt; rationalistæ inter mythos amandant [1]). Ad doctrinam propterea catholicam propugnandam, sit

PROPOSITIO.

Primi parentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt, ac per ejus transgressionem graviter peccarunt.

379. Utraque propositionis pars ad fidem spectat, ut patet ex superius recitatis Conc. Trid. canonibus. Primam itaque ejus partem, quæ factum complectitur, evincimus 1° ex Gen. II, 17. collato cum III, 6. et seqq. Etenim Gen. II Deus hoc præceptum Adam dederat: ***De ligno scientiæ boni et mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris;*** et Gen. III de Heva legitur: ***Tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit.*** Ad hæc autem respiciens Apostolus (Rom. V, 12.), scribebat: ***Per unum hominem*** (Adam) ***peccatum intravit in mundum.***

380. Evincimus idem 2° ex communi Synagogæ et Ecclesiæ christianæ sensu. Veteres enim Hebræi tradunt malorum dæmonum principem, quem Sammaëlem vocant, Hevam ad peccandum perduxisse. Horum loca e scriptis hebræis collegit Eisenmenger [2]). Certe Sap. II, 24. dicitur: ***Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum;*** nempe peccatum, ad quod primos parentes diabolus induxerat; ibid. X de Adam legitur: ***Eduxit*** (sapientia) ***illum a delicto suo.*** Nec alia unquam fuit christianæ Ecclesiæ doctrina, quam ipsa a Christo et Apostolis accepit. Etenim Christus, Joan. VIII, 44., diabolum vocat ***homicidam ab initio***, hanc scilicet ob causam; ita etiam Apostolus (II Cor. XI, 3.) ait, serpentem ***Hevam seduxisse astutia sua.*** Hisce similia leguntur Apoc. XII, 9.

381. Hæc omnia confirmantur 3° ex antiquæ traditionis vestigiis, quæ apud omnes gentes reperiuntur. Nec enim intra Judæorum et Christianorum fines, hæc traditio sese continuit. Antiquissimis enim temporibus hanc traditionem inter mediæ et superioris Asiæ populos jamdiu fuisse pervulgatam, patet ex doctrina Zoroastrica de Ahriman, malorum geniorum supremo, serpentis specie induto, qui primos homines ad peccandum seduxit, ut habetur in Zendavesta a Kleukero edito [3]). Eam apud

1) Rosenmüller, quæ Gen. III de hominis lapsu referuntur, exponit de usu rationis, quem tunc primum protoparentes adepti sunt; sic Gablerus in *Prolegom. Commentationis Eichhornianæ*, vol. II, p. 1, pag. 137; Joan. Thiess in *Variarum de cap.* III° *Geneseos recte explicando sententiarum specimine;* aliique passim.

2) In op. *Judaismus detectus*, vol. I, pag. 822 et seqq.; Cf. etiam Reinh. Rus, Diss. *De serpente seductore non naturali sed diabolo*, Jen. 1712; et Zachar. Grapius, Diss. *De tentatione Hevæ et Christi a diabolo in assumpto corpore facta contra Balth. Bekkerum*, Rostoch, 1712.

3) Tom. I, pag. 25, et III, pag. 84 et seqq.

Græcos pariter diffusam fuisse, liquet ex antiquissimis Promethei fabulis et Herculis, decerpentis mala aurea ex arbore una cum serpente *Ladon* dicto ex arbore pendente, prout etiam visitur in nummo Antonini Pii, quem Spanhemius edidit et illustravit [1]); et in versibus Apollonii Rhodii [2]) describitur hic lapsus. Hujus traditionis vestigia extare apud Ægyptios, non obscure eruitur ex celebri quodam monumento hieroglyphico, quod detexit inter ruinas veterum Thebarum, ac gallice descripsit et lineari pictura in ære referri curavit Norden [3]), doctus Danus, qui Ægyptum invisit anno 1737. Demum, ne alios singillatim populos annumeremus, rem conficimus testimonio et confessione ipsius increduli, nec propterea suspecti, qui sic generatim scribit: ***Casus hominis est fundamentum theologiæ omnium pene antiquorum populorum*** [4]).

382. Alteram propositionis partem, quæ ad jus spectat, seu ad gravitatem peccati primorum parentum, apertissime scriptura testatur. Eccli. enim X 14 dicitur: ***Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus.*** Ex quibus patet primos parentes peccasse superbia, quod clarius colligitur ex promissis a serpente Hevæ

1) In notis ad Callimachum; vid. pag. 670.

2) *Argonaut* IV, v. 1396. et seqq.

. . . . ᾧ ἔνι Λάδων
Εἰσέτι που χθιζόν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα,
Χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, χθόνιος ὄφις. ἀμφὶ δὲ Νυμφαι
Ἑσπερίδες ποίπνυον, ἐφίμερον ἀείδουσαι.

In quo campo Ladon ad hesternam usque diem autea custodiebat mala, in Atlantis regione, terrestris serpens, cui Nymphæ Hesperides ministrabant, suavissime concinentes. Sic I. G. Hasse, *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- und Menschengeschichte*, seu: *Inventa spectantia ad antiquissimam telluris et hominis historiam*, part. I. pag. 194.

3) Paris 1795. tom. II. pag. 125. ubi ait: „Si je ne me trompe, il y est fait allusion à la chute d'Adam et d'Eve. On y a représenté un arbre vert, à la droite duquel est un homme assis, tenant à la main droite quelque instrument, dont il semble vouloir se défendre contre une petite figure ovale converte de caractères hiéroglyphiques, que lui présente une femme, qui est debout à la gauche de l'arbre, pendant que de l'autre main il accepte ce qui lui est présenté. Derrière l'homme paraît une figure debout, la tête couverte d'une mitre, et qui lui tend la main." Hinc non defuit, qui mosaicam de origine mali narrationem e monumento figuris hieroglyphicis inscripto haustam existimaverit, ut Georg. Rosenmüller in *Commentat. Repertorio Eichhorniano lit. bibl. et orient.* part. 5. pag. 158. et seqq. inserta; sic G. Fr. Hezel, *Ueber die Quellen der mosaischen Urgeschichte*, id est: *De fontibus mosaicæ primigeniæ historiæ*, Lemgo 1780. pag. 61. et seqq. et Gamg. in lib. *Nysa, oder philosophisch-historische Abhandl. Eleuteropolis*, 1790. Quorum sententias collegit et exposuit Gabler in *Prolegomenis Archæol. Eichhornianæ* part. 2 vol. I. pag. 288 et seqq. Vid. Car. Rosenmüller *Scholia in Gen.* III. Quidquid porro dicat de ejusmodi sententia, quam non probamus, ex ea tamen colligitur pervagatum apud gentes antiquitus lapsum protoparentum, ac veram historiam, non autem aut mythum aut visionem nobis a Moyse referri. Nonnulli tamen ex recentioribus archæologis aliter exponunt ejusmodi hieroglyphicam figuram. His addi debent, quæ de antiqua Sinensium traditione characteribus historicis leguntur apud Windischmann op. cit. *Phil. in Progressu historiæ mundi*, vol I. pag. 1, sect. I, Bonnæ 1827 pag. 367., de imagine seu effigie mulieris inter duas arbores consistentis, in quarum altera signum *cœli* reperitur, in altera vero signum *peccati* (apud grammaticos) *fructus incogniti*, quæ aperte produnt *seductionem*, uxoris illius, qui ab iisdem Sinensibus ibid. vocatur *communis archiparens*, seu caput omnium hominum. Cf. etiam quæ de eadem traditione lapsus Angelorum et primorum parentum apud Indos, ibid. pag. 614-619. referuntur.

4) Voltaire, *Philosophie de l'histoire*, chap. 17.

factis: ***Eritis sicut dii;*** peccasse insuper inobedientia recedendo a Deo pariter confirmatur tum ex verbis Gen. III ***Quia audisti vocem uxoris tuæ***, etc. tum ex Apostolo (Rom. V.), qui peccatum Adæ vocat ***inobedientiam***, et ex frequenti antithesi, quam ipse instituit inter Adæ inobedientiam et obedientiam Christi, ut Rom. V, 19. et alibi; peccasse mulierem saltem, infidelitate, quia credidit potius diabolo dicenti: ***Nequaquam moriemini***, quam Deo mortem comminanti; eos peccasse contemptu Dei et ingrati animi vitio, per se patet. Quæ certe omnia levia censeri non possunt. Crescit vero horum multiplicium peccatorum gravitas tum ex facilitate præcepti, tum ex adnexa pænæ comminatione, de quibus disserit S. Augustinus [1]). Hinc est quod Apostolus loc. cit. passim vocat peccatum Adæ ***prævaricationem atque delictum.*** Confirmatur denique peccati protoparentum gravitas ex illinc profluentibus pœnis, de quibus fusius agit Bellarminus [2]).

383. Satis superque igitur constat, tum primos parentes mandatum sibi a Deo datum transgressos esse, tum ejus transgressione eos graviter peccasse.

DIFFICULTATES.

384. I. ***Obj.*** 1° Nondum expositores inter sese conveniunt de sensu, quo tota illa mosaicæ narrationis pars, cui doctrina de primi hominis lapsu innititur, accipienda sit: nihil certi proinde statui potest circa protoparentum peccatum. 2° Nec sane cujusmodi peccatum illud proprie fuerit, definiri potest: neque cur Deus, qui summe bonus est, istud tam severe ultus fuerit, quum omnia in mosaica narratione indicent, nonnisi de levissima culpa agi et levissimi temporis. Ergo.

385. ***Resp, Ad*** 1m, ***Dist.*** Interpretes seu expositores liberiores ac Protestantes, ***conc.*** interpretes vere Catholici, ***neg.*** Quotquot enim vere Catholici sunt, neque novam Protestantium exegesim sectantur, sed Scripturam juxta Ecclesiæ et communem Patrum sensum exponunt, hi unanimiter consentiunt, agnoscentes verum et grave peccatum in illa Adami transgressione. Si qui vero singulares opiniones sectantur circa modum, quo illud peccatum patratum est, et sinceros prudentioris exegeseos fontes fastidiunt ac in absurda labuntur, ipsi viderint. Nos ex constanti Judæorum, Christianorum ac omnium pene gentium traditione, atque ex clarissimis utriusque fœderis biblicis documentis ostendimus, de vera historia agi in mosaica narratione, et de diabolo sub veri serpentis larva latente, non autem aut de aliquo mytho, philosophemate, ut nonnulli biblici neoterici contendunt, aut de allegoria, visione, aut somnio, ut non-

1) *Op. imperfecti cont. Julian.* lib. III. 2) *De amiss. grat.* lib. III. cap. II.; et num. 57., item num 65. et alibi passim. *De civ. Dei*, lib. XIV. c. 12.

nulli autumat [1]); alioquin de factis omnibus hac ratione reddi ratio facile posset.

386. *Ad* 2m, *Neg.* Diximus enim ex Apostolo, Adæ peccatum esse peccatum inobedientiæ, quod plura alia, superius enumerata, comitata sunt.

387. Ex eodem Apostolo didicimus, non levi, sed gravissima culpa protoparentes se commaculasse, quam *delictum* et *prævaricationem* nominat idem Paulus, quamque proinde S. Augustinus *ineffabiliter grande peccatum* vocat [2]). Quare justissime potuit Deus graviter in protoparentes animadvertere. Nec enim ex solo objecto culpæ gravitas aut levitas dimetienda est, sed præterea ex ejusdem peccati subjecto, intentione, fine ac cæteris adjunctis omnibus, quæ illud comitantur.

388. II. *Obj.* Si mosaicæ narrationis cortici inhærendum esset, non pauca occurrerent, quæ vix aut ne vix quidem cum Dei sapientia et bonitate conciliari queant. 1° Quis enim in primis sibi persuadeat, Deum homini innocenti et justo ejusmodi præceptum dedisse, quo rem indifferentem ac omnino innocuam vetaret? Præterea 2° nonne Deus, qui hominem in iis rerum adjunctis collocavit, in quibus ipsum diu consistere nolle præviderat, merito peccati auctor dici posset? Iniquum 3° demum videtur, Adamum eadem cum Heva pœna mulctatum, cum tamen ejusdem gravitatis crimine minime teneretur. Ergo.

389. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, Dico juxta communem Patrum sententiam, ideo Deum ejusmodi præceptum Adæ dedisse, tum ut ipse se Deo ac Domino subjectum esse cognosceret, tum ut virtutum exercendarum causa, obedientiæ præsertim, eidem suppeteret [3]).

390. *Ad* 2m, *Neg.* Deus enim libero arbitrio et gratia protoparentes munierat; si noluissent ipsi peccare, utique potuissent se a peccato continere. Cur vero Deus prævisum hunc lapsum permiserit, respondeo 1° cum S. Augustino: *Altitudinem consilii ejus penetrare non possum, sed longe supra vires meas esse confiteor* [4]). Respondeo præterea cum eodem S. Doctore; *Quia et de peccante multa bona facere poterat*, *ordinans eum secun-*

1) Ita Cajetanus, *Comm. in Gen.* in hunc loc., quem ex recentioribus secutus est Jahn.

2) Tum alibi tum in *Enchirid.* capp. 26 et 27.

3) Cf. Petav. *De opif.* lib. II, cap. 9, §. 6. Pulchre S. Joan. Chrys. *Hom.* XVI *in Gen.* hac similitudine Dei cum primo homine agendi rationem exposuit, dum usum illius fructus ei interdixit: „Quemadmodum, *inquit*, munificus aliquis dominus ædes amplas et magnificas cuipiam fruendas concedens, non justum illarum pretium, sed exiguam ejus particulam vult accipere, ut et sibi dominii jus integrum servet, et usuarius iste certo sciat, non se ædis esse dominum, sed illius beneficio ac liberalitate utendum sese accepisse, sic Dominus noster, cum quidquid aspectabile est homini commisisset, eique tum in paradiso domicilium, tum ejus delicias ad fructum animi tribuisset, ne paulatim animo in transversum abreptus ista ipsa, quæ oculis cernuntur, per se ac temere esse crederet, et supra dignitatis suæ modulum de ipso sentiret, unius illi usum arboris interdixit,"

4) *De Gen. ad litt.* lib. XI, c. 4.

dum moderamen justitiæ suæ; et quia nihil oberat Deo peccatum ejus; et sive non peccaret, mors nulla esset, sive quia peccavit, alii mortales de ejus peccato corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio [1]. His addo eamdem expostulationem fieri posse adversus permissionem alterius cujuscumque peccati, et sic recidimus in quæstionem de permissione mali moralis, de qua consuli possunt, quæ suo loco disseruimus [2].

391. *Ad* 3m, Respondeo nostrum non esse judicium ferre, uter gravius peccaverit, Adam ne scilicet an uxor ejus, quum hoc soli cordium inspectori Deo reservatum sit. Hac de re consulantur, si placet, Bellarminus [3] et cæteri auctores, qui utriusque sententiæ patrocinatorum momenta expenderunt.

CAPUT IV.

DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE.

392. Tota christiana religio duobus, ut ita dicam, cardinibus volvitur, peccati nempe originalis in omnes homines propagatione, et totius humani generis per Christum redemptione; magni propterea interest, hujus fidei dogmatis vindicias suscipere adversus acerrimos hostes tum veteres, tum recentiores, qui illud evertere conati sunt et conantur.

393. Pelagiani omnium primi originalis peccati existentiam et propagationem adorti sunt. Sociniani post obscuros nonnullos alios hæreticos idem bellum adversus catholicam hanc veritatem instaurarunt. Protestantes recentiores fere omnes idem error invasit, adeo ut in nonnullis provinciis de hoc articulo etiam disputare in ipsorum scholis vetitum sit [4]. Neoterici biblici ac rationalistæ ad unum omnes inter obsoletas doctrinas eumdem articulum rejiciunt [5].

394. Priusquam veritatem fidei nostræ circa hunc articulum propugnemus, de more nonnulla præmittenda esse ducimus ad majorem dicendorum perspicuitatem.

1) Lib. *De Gen. cont. Manich.* cap. XXVIII.

2) *Tract. de Deo ejusq. attribut.* cap. II, prop. III.

3) *De amiss. grat. et statu peccati*, lib. III, cap. IX.

4) Cf. quæ attulimus in tractatu *De vera relig.* part. II, prop. I, pag. 208. not. I, de decreto emisso ab ecclesia Genevensi die 5. Maji 1817, quo prohibetur, ne quispiam in scholis agat de peccato originali.

5) Ita Clericus, *Hist. eccl.* ad annum. 180, §§. 30 et 34. et alibi passim. Wetstenius, Frid. Ammon, uterque Rosenmüller, Georgius scilicet et Carolus, etc.; quibus accessit De Potter, non indignus Episcopi Pistoriensis Scipionis Ricci laudator et historicus, in opere, cui tit.: *L'esprit de l'Eglise, ou Considérations philosoph. et polit. sur l'hist. des Conciles et des Pontifes*, tom. II, pag. 151. De quo cf. Cl. Mastrofini, *Rilieri sull' opera del sig. De Potter*, cap. VI, Roma 1826. Ibi repetit De Potter doctrinam de peccato originali ex reliquiis Manicheismi, a quibus S. Augustinus se penitus liberare non potuit, quum sese convertit, ac propterea *primus* introduxit ejusmodi dogma in Ecclesiam.

395. 1° Commisceri non debet dogma de *existentia* ac propagatione originalis noxæ cum ejusdem propagationis *modo*. Illud enim ad fidem pertinet, istud non item; circa hunc enim propagationis modum discrepant Catholicorum sententiæ.

396. 2° Rursum hæc eadem de peccati originalis existentia controversia permisceri nequit cum quæstione de ejusdem peccati *natura* et *essentia*, circa quam sæculo XV novatores turpiter errarunt, dum originale peccatum vel in substantia aliqua, vel in ipsa concupiscentia, vel in aliquo actuali jugi peccato, quod ex fomite oritur, vel in actuali aliqua prava cupiditate consistere autumarunt. Hæc enim aliaque ejusmodi non pauca quum jamdiu obsoleverint, non est cur in iis refellendis immoremur. Eadem de causa antiquatas nonnullorum theologorum opiniones circa ejusdem peccati naturam non attingimus, cujusmodi sunt qui peccatum originale constituerunt in morbida quadam animæ qualitate, vel in ipsa Adami inobedientia nobis imputata, de quibus consuli potest Bellarminus 1). Si qui sunt ex recentioribus theologis, inter Germanos præsertim, qui obsoletas quasdam sententias instaurare adnisi sunt, opportuno loco eos perstringemus.

397. Melius agnosci non potest Ecclesiæ Catholicæ doctrina circa peccati originalis transfusionem et naturam, quam ex canonibus concilii Tridentini sess. V, quos propterea hic ex ordine subjicimus ut indidem corollaria nonnulla colligamus, quæ viam pluribus difficultatibus præcidunt. Sunt autem: Can. 1us: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.*

398. Can. 2us: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ; anathema sit.*

399. Can 3us: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest unicuique proprium . . . per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum . . . Jesu Christi . . .; anathema sit.*

1) *De amiss. grat. et statu peccati*, lib. v. cap. i. et seqq. usque ad cap. xvii.

400. Can. 4us: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati...; anathema sit.*

401. Can. 5us: *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet...; anathema sit.*

402. Ex his igitur patet, 1° peccatum Adæ quoad reatum culpæ, quem actio mala relinquit in anima, donec deleatur, in omnes homines transfundi.

403. 2° Hunc reatum, in quo ratio seu, ut scholæ loquuntur, *formalitas* peccati consistit, non aliud esse nisi *mortem animæ* ex Adami actione personali profectam. Ideoque naturam seu essentiam rationemve peccati originalis, prout *actionem* dicit, esse ipsum peccatum Adæ, quatenus caput erat totius humanæ naturæ seu omnium hominum, quæ quidem actio *physice* propria fuit solius Adæ, prout autem *reatum* dicit, non esse nisi *privationem* (non simplicem *carentiam* rei indebitæ) gratiæ sanctificantis et justitiæ, *quæ nobis inesse deberet* juxta ordinem a Deo constitutum; ex qua privatione fit, ut nos fere peccatores simus, filii iræ, Dei inimici et habitualiter, saltem negative, a Deo aversi [1]).

404. 3° Patet, mortem, concupiscentiam, morbos, ad malum pronitatem, etc. non esse nisi peccati originalis *effectus*, appendices seu pœnas.

405. Quibus præmissis, duo a nobis præstanda sunt: debemus scilicet ostendere tum ex Scriptura, tum ex traditione peccati originalis (ita dicti, quod a prima generis humani origine descendit) in omnes homines propagationem; deinde adversus incredulos, illosque qui eos sectantur, probare debemus nihil habere hanc propagationem, quod rectæ rationi adversetur.

406. Quum vero de peccato agitur, dicam cum B. Augustino, de B. Virgine Maria *propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum* [2]). In eamdem sententiam conc. Trid.

1) Cf. s. Th. I, 2 quæst. 82. art. 3 ubi palam profitetur: *Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali.* Sed hæc magis enucleabimus inferius in propositione III.

2) Lib. *De natura et gratia,* cap. XXXVI. Si quis plura cupiat de hoc argumento, præter Bellarminum, *De amiss. grat. et statu peccati*, lib. IV, cap. XV, et Petavium, *De incarnat.* lib. XIV, cap. II, consulat Ben. Plazza Soc. Jes. *Causa immaculatæ conceptionis Sanctissimæ Matris Dei Mariæ D. N.* vol. un. in-4. Panormi 1747, qui hanc quæstionem ex omni parte declaravit.

sess. V declarat: *Non esse suæ intentionis comprehendere in decreto*, ubi de originali peccato agitur, ***Beatam et immaculatam Virginem Mariam*, *Dei Genitricem*.**

PROPOSITO I.

Peccatum originale, quod est mors animæ, in omnes Adæ posteros transfundi, Sacræ Literæ docent.

407. Cum ea quæ minus clara sunt ab iis, quæ sunt clariora, lucem mutuari debeant, ideo ex N. T. libris, in quibus longe apertius doctrina traditur transfusionis originariæ culpæ, probationes nostras desumimus, ut ex his ea, quæ minus aperte in V. T. de eodem peccato leguntur, majorem vim accipiant, et luculentius determinetur sensus illorum textuum, qui ad rem præsentem faciunt.

408. Urgemus itaque Apostoli verba, Rom. V, 12, ubi scribit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [1]. Rursum ver. 17: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; et ver. 19: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Quare sibi semper constans Apostolus, I Cor. XV, 22: *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur*, *ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Demum, aliis prætermissis, II Cor. V, 14: *Unus pro omnibus mortuus est*, *ergo omnes mortui sunt*, *et pro omnibus mortuus est Christus.*

409. Quibus præmissis, sic ratiocinamur: 1° Apostolus in adductis locis loquitur de quodam peccato, per quod omnes homines facti sunt peccatores, ac proinde morti obnoxii: *In quo omnes peccaverunt*, etc. Atqui ejusmodi peccatum non potest esse actuale uniuscujusque voluntate patratum, cum etiam infantes sint morti obnoxii et sæpe moriantur, antequam quidpiam boni vel mali propria voluntate patrare potuerint; ergo est peccatum originale.

410. 2° Ut ex iisdem testimoniis patet, Apostolus perpetuam antithesin instituit inter Adam et Christum, inter inobedientiam Adæ et obedientiam Christi, ac proinde affirmat, nos constitui peccatores per Adam, justos per Christum; atqui nos vere et proprie in Christo et per Christum justi efficimur; ergo vere et proprie in Adam et per Adam efficimur peccatores.

1) **Versu 12:** *Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε καὶ, διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.*

411. 3° Juxta Apostolum non solum nos vivificabimur per Christum quoad corpus per futuram resurrectionem, sed etiam nunc vivificamur per justificationem quoad animam; ergo non solum quoad corpus in Adam et per Adam mortui sumus, sed etiam quoad animam per peccatum; atqui hoc peccatum ex dictis non potest esse actuale; ergo originale est.

412. Hæc autem non tantum confirmantur ex repetitis illis vocibus: *In quo omnes peccaverunt; in Adam omnes moriuntur; in omnes homines in condemnationem;* sed præterea ex mente Apostoli, qui ostendere nititur per argumentum, ut vocant, ad hominem adversus Judæos, qui admittebant omnium hominum condemnationem ob unius Adæ peccatum, omnes homines justificari ob unius merita Christi, ut fatentur Michaëlis [1]), Rosenmüller [2]), Chr. Fr. Ammon [3]), qui ostendunt, Judæorum fuisse opinionem, peccatum Adami causam extitisse omnis moralis corruptionis omniumque calamitatum. Porro ex Apostolo justificantur in Christo etiam infantes; ergo etiam infantes peccato obnoxii nascuntur.

413. Atque huc referuntur tum verba Job XIV, 4: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Seu prout in Hebraica veritate leguntur: *Quis dabit mundum ab immundo? Non unus, etiamsi breves dies ejus* [4]). Et juxta versionem Alexandrinam: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram* [5])

1) J. D. Michaëlis, *Introd. au Nouveau Test.* IVe, *édit. traduite sur la troisième édition avec une partie des notes de l'évêque de Petersbourg, Londres* 1819 *et des notes nouvelles de J. J. Chenevière, pasteur et prof. en théolog.* à Genève 1822 sect. VI, ubi docet, Judæos et gentiles fuisse destinatos ad immortalitatem et vitam per communem parentem Adamum, quem ipsi ut prototypum minime delegerant; quod si Deus voluit restituere immortalitatem per novum alterum caput fœderis spiritualis, id est, Christum, æquum erat ut Judæi et gentiles inter sese eos fructus dividerent, quos novus hic generis humani prototypus (*représentant*) allaturus erat. Ita hic auctor sensum capitis V Epistolæ ad Rom. exponit.

2) *Schol. in N. T.* in cap. V Epist. ad Rom. versu 12 ubi hæc scribit: „Summa totius sequentis disputationis, satis obscuræ, est hæc: sicut omnes Adami posteri; non tantum Judæi, sed etiam gentiles peccant et miseri fiunt, ita omnes, non tantum Judæi, sed etiam gentiles per unum Christum consequi possunt remissionem peccatorum et felicitatem. Hæc est doctrina a qua probe distinguenda est argumentandi ratio, qua Paulus utitur (*hæc enim rationalistis biblicis incommoda est*). Disputat nempe cum Judæis ex concessis. Nam Judæi erant in ea opinione, peccatum Adami fuisse causam omnis humanæ corruptionis moralis omnisque miseriæ."

3) Sic enim scribit Ammon, *Comm. de vestigiis theologiæ judaicæ in Epist. Pauli ad Rom.* (in novis opusculis theologicis 8, pag. 63 et seqq. Gœtt. 1803); qui præterea per summam impietatem, quæ tamen valde arridet Rosenmüllero, statuit pag. 74 Paulum, Pharisæorum allegorimatibus et interpretamentis midraschicis initiatum, in sua ad Romanos Epistola multas attulisse doctrinas rabbinicas, quibus dogmata christiana involveret, et sublimiora messianismi, cum allegorici tum moralis, placita animis Judæorum insinuaret. En, quo devenerint recentiores protestantes, et quid sentiant de sacrorum scriptorum inspiratione!

4) מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד׃
אִם־חֲרוּצִים יָמָיו.

5) *Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδεὶς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.*

Tum illa David, Psal. L (LI sæc. heb.) 7: ***Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*** Multo etiam clarius in hebraico textu dicitur: ***Ecce in iniquitate genitus sum, et in peccatis peperit me mater mea*** [1]). Quæ cum dicta fuerint juxta receptam persuasionem de peccato Adami tanquam causa omnium hominum condemnationis, ex confessione adversariorum nostrorum patet, non alium sensum subesse posse his textibus, nisi infantes aliqua immunditia, labe ac peccato pollutos concipi ac nasci, seu quod idem est, vetus testamentum apprime cum novo cohærere circa doctrinam de peccati originalis propagatione; alioquin nulla ratione potuisset Apostolus Judæos perstringere de universali justificationis causa per merita unius Christi, nisi pro certo sumpsisset ex Judæorum doctrinâ peccatum unius Adæ causam fuisse, quare genus humanum universum unam eamdemque condemnationem subierit.

DIFFICULTATES.

414. I. *Obj.* 1° Apostolus in locis prolatis, speciatim vero Rom. V, vel loquitur de peccato actuali Adæ, qui, cum primus peccaverit, omnium peccantium agmen ducit; unde peccatum cœpit esse inter homines, qui cum labilis naturæ sint, sicut et Adam fuit, eum imitantur [2]); vel 2° loquitur de peccato metonymice sumpto, seu de peccati pœna et effectu, quia omnis infirmitatis humanæ causa et origo, ut experientia constat, peccata sunt, et sic noxa in omnes homines diffunditur, quia o-

1) הֵן־בְּעָווֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃ Hæc autem verba sic vertit Rosenmüller: „En ego cum iniquitate genitus sum, et cum peccato (peccato inquinatum) fovit me mater mea." Ea deinde ita explanat: „Hæret in natura tota mea jam inde ab ortu meo et innata mihi pravitas. Quibus verbis judicem ad misericordiam flectere studet, ignoscendique peccati sui, si ex æquitate et clementia judicare velit, nonnihil adesse causæ asserit, quod infecta per originis vitium natura, non mirum est, si peccata alia proferat ac germinet. Imo dicit vates, se tunc etiam, cum a matre conciperetur, uteroque gestaretur, peccato fuisse infectum." Hæc videntur ad speciem catholica, sed reipsa non exhibent nisi sensum Zwinglii.

2) Ita veteres Pelagiani, deinde Zwinglius, demum Rosenmüller cum aliis neotericis biblicis. Sic inter cæteros loquitur Rosenmüller: „Nam sermo est de Adamo, qui primus peccavit, et respicitur ad cap. I et II, ubi Paulus evicerat, Judæos et gentiles esse ὑφ' ἁμαρτίαν. Ibi vero sermo est de peccatis actualibus. Peccatum εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, invasit genus humanum, id est, cœpit esse inter homines. Similes formulæ sunt: luxus invasit terram, provinciam aliquam; id est cœpit esse in illa terra. Hanc ἁμαρτίαν, seu peccandi consuetudinem et licentiam introductam esse dicit, δι' ἑνὸς ἀνθρώπου, per unum hominem Adamum, qui primus peccavit et omnium peccantium agmen ducit. Adamus nempe fuit labilis (natura ita comparatus, ut cupiditas facile præponderare posset), et revera lapsus est. Omnes ejus posteri sunt ejusdem naturæ, infirmi, laborant imperfectione morali. Non mirum igitur, omnes variis modis peccasse, et adhuc peccare, *Joan.* III, 6. Quomodo autem per Adamum peccatum invaserit genus humanum, an per neglectam educationem, vel mala exempla, hoc non explicatur ab Apostolo."

mnes peccatores deprehenduntur. Quod confirmatur ex verbis ἐφ' ᾧ *ex quo*, quibus utitur Apostolus, quæ juxta Erasmum et Clericum idem sonant, ac *quatenus*, *quia*, *eo quod* omnes peccaverunt, seu peccare solent, ideoque et pœnas luere, quod pariter ostenderunt Wetstenius, Varinus in hunc locum et Jacobus Vernetus [1]). Ergo.

415. ***Resp.*** ***Ad*** 1m, ***Neg.*** Nam qui primus peccatorum agmen ducit inter Angelos est diabolus seu Satanas, inter homines est Heva; aliunde vero Apostolus loquitur de eo peccato, per quod peccatores ***constituti sunt*** multi, sicut ***constituuntur*** justi multi in Christo, ideoque non per solam imitationem. Loquitur præterea, ut ex dictis constat, de eo peccato, per quod et infantes mortui sunt ac debent vivificari in Christo; quare omnino non possunt intelligi Apostoli verba de peccato imitationis.

416. ***Ad*** 2m, ***Neg.*** Etenim si de peccato proprie dicto non loqueretur Apostolus, sed solum de peccati pœna et effectibus, plura absurde dicta reperirentur in Apostoli verbis. Sic cum dicit: ***Et per peccatum mors***, idem esset ac ***per mortem mors***; et cum prosequitur ostendendo regnum mortis per regnum peccati, ostenderet regnum mortis per regnum mortis; qui sensus, quam sit absonus, nemo non videt. Sed ex illo capite hæc expositio excluditur, quod Apostolus semper comparet inter se condemnationem per Adam et justificationem per Christum; justificatio autem per Christum propria et intima est, ergo et condemnatio inducta per Adam.

417. Ad confirmationem autem petitam ex vocibus ἐφ' ᾧ, ***ex quo***, respondeo cum Cl. Muratorio; qui sic Clericum perstringit: ***Equidem expectabam ab homine critico aut veterum Græcorum auctoritatem, aut rationes ex intima linguæ græcæ peritia petitas, quibus hæc sua Paulini loci interpretatio confirmaretur. Sed ille unum nobis obtrudit Erasmum, virum certe in græco sermone minime hospitem, sed in quæstione de peccato originali plane pelagianum, quique nihil non molitus est, ut in alium sensum hæc et superiora Apostoli ver-***

1) *Ἐφ' ᾧ particula causalis*, inquit idem, *tantumdem valet ac διότι*, quia, eo quod, quandoquidem, *ut* II *Cor.* V, 4, *Philip.* IV, 10. *Multa loca collegit Wetstenius ad hunc loc. Thomas magister: Ἐφ' ᾧ, ἀντὶ τοῦ διότι. Farinus: Ἐφ' ᾧ, Ἀντὶ τοῦ διότι λέγουσιν Ἀττικοί. Vulgata habet:* in quo. *Unde mirabiles ortæ sunt disputationes, quasi mens Apostoli fuisset: nos omnes in uno Adamo peccavisse, illiusque culpam nostram factam esse. Sed in latinitate minus eleganter* in quo *(neutrius generis) sæpe sumitur pro* eo quod, quia, *unde ipsa vulgata versio, ἐφ' ᾧ nunc reddit* in quo, *Philip.* IV, 10. *Multa egregie de hoc loco monuit Jacobus Vernetus (in selectis opusc. Genev.* 1784, *pag.* 268 et seqq.) *caute tamen legendus. Ημαρτον* peccare solent, *ut in aliis plerisque locis hujus epistolæ. Cæterum bene monuit Erasmus ad* ver. 19, *non de* infantibus, *sed de* adultis, *ut in tota epistola, ita et hoc loco Paulum loqui.* Ex his deprehendimus: 1° Quot progressus rationalismus inter Protestantes fecerit; 2° quam desciverint Protestantes hodierni a suorum majorum (hæresiarcharum nempe, qui sacrorum instauratores sese prædicabant) institutis, qui, ut videbimus totum hominem etiam quoad essentialia per peccatum originale immutatum docuerunt; 3° quantum vero hæ distent interpretationes a Pauli mente et scopo, tum ex dictis tum ex dicendis patebit.

ba invita detorqueret. Erasmi studium hac in re infelicissimum alii castigarunt. Verum quis stilum Pauli vel leviter novit, qui non etiam didicerit similis sermonis structuras duras in speciem, et parum (uti delicatis videtur) elegantes Apostolo esse familiares? Deinde Theophylactus, Œcumenius et alii procul dubio græcæ linguæ peritissimi ἐφ' ᾧ interpretantur IN QUO ADAMO. *Quamobrem nisi qui ab anticipatis judiciis turbidisque affectibus judicio uti prohibetur, nemo alius hoc in loco memorasset imperitiam græci sermonis, eamque objecisset Augustino, verba ista cum Græcorum ipsorum consensu,* IN QUO *interpretanti* 1).

418. Sed data etiam illa Erasmi, Clerici, Wetstenii aliorumque interpretatione seu versione, nihil contra nos erui posse sic rursum ostendit ibid. Muratorius: *Fingamus,* ait, *Apostolum dicere: Sic et in omnes homines mors pertransiit, quia omnes peccaverunt, non hic de solis peccatis actualibus loqui Paulus potest... nam, cum dicat morti omnes homines esse obnoxios et reapse mori hac de causa, quod omnes peccarint, certumque sit, infantes nullius actualis peccati reos sæpe de vita decedere, necesse est, ut aliquod peccatum sit vel in ipsis infantibus, cujus causa malum istud subeant.* Et sic etiam responsio patet ad ea, quæ Erasmus addebat, Apostolum nempe hic non loqui de infantibus, sed de solis adultis. Aperta enim vis infertur Apostoli verbis, quibus testatur mortem regnasse etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.

1) Lamindi Pritanii, *De ingeniorum moderatione*, lib. III, cap. I, p. 265, edit. Paris 1716. Verum quoniam attulimus interpretationem, seu potius corruptionem Sacræ Scripturæ Rosenmülleri aliorumque ejusdem farinæ hominum græcizantium, qui verba ἐφ' ᾧ, exponunt *ex quo*, et perfricta fronte omnem respuunt dubitationem, ac dicunt illud *in quo* esse generis neutrius, tum vocem ἥμαρτον reddunt *peccare solent*, præstat scriptorum græcorum auctoritate istorum audaciam castigare. Œcumenius itaque in hunc loc. illud, Ἐφ' ᾧ ἥμαρτον, sic exponit: Ἐφ' ᾧ Ἀδαμ, ἢ δὲ ὄν Ἀδαμ, ἐφ' ᾧ καὶ συναμαρτάνομεν. Id est, *In quo* Adam, *vel per quem Adam ... in ipso inquit Adam simul morimur, quia in ipso simul peccarimus.* Theophylactus item in eundem locum inquit: Τί δέ ἐστὶ τὸ, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, τουτέστιν, ἐπὶ Ἀδαμ πάντες ἥμαρτον. Id est, *Quid autem est*, in quo omnes peccaverunt? *Hoc est*, in Adamo *omnes peccaverunt.* Eundem sensum agnoscit S. Joan. Chrysost. Ubi igitur occurrit ἐφ' ᾧ neutrius generis? Ubi illud ἥμαρτον pro *peccare solent* ponitur? Si hoc sensu verbum istud accipiatur, nullum suppeteret in uberrima illa totius græcæ linguæ copia verbum, saltem in usu ecclesiastico, ad exprimendam peccati actionem. Cf. Casp. Suiceri *Thesaurus ecclesiasticus*, e Patribus græcis compilatus, ad hanc vocem. Quod si hæc interpretandi ars non est prorsus arbitraria atque ad pervertendum Scripturarum sensum excogitata, quænam illa sit, penitus me ignorare fateor. Hi enim profani homines eo nervos suos intendunt, non ut dogmata ad Scripturas, sed ut Scripturas, licet invitas, ad sua præconcepta dogmata detorqueant. Cæterum ostendit Card. Toletus in cap. V Epistolæ ad Rom. annot. XV, præpositionem græcam ἐπὶ aliquando accipi pro ἐν, ut Hebr. IX, 17; immo apud probatos auctores particulam ἐπὶ, cum dandi casu, causam significare. Ipsum adi. Cf. etiam Bellarm. *De amiss. grat.* etc. lib. IV, cap. IV; Bossuet, *Défense de la tradition des SS. Pères*, chap. XII, et seqq. contra Richardum Simonium.

419. I. *Inst.* 1° De eodem peccato loquitur Apostolus versu 12 ac de eo de quo loquitur versibus 13 et 14, ut patet ex particula causali *enim* in versu 13. Atqui in his versiculis loquitur de peccato actuali, ut ex contextu liquet, cum sermo sit de peccato, quod non imputabatur ex legis positivæ defectu, et de iis, qui non peccaverunt adversus legem positivam, prout Adam peccaverat, sed tantum contra legem naturalem. Ergo. Et sane, addunt, 2° id manifestum magis fit ex versibus seqq. Etenim in ver. 15 dicitur, quod unius delicto *multi* mortui sunt; si *multi*, ergo non *omnes*. 3° Antithesis instituitur inter mortuos per Adam et justificatos per Christum; dicitur autem: ***Donum in gratia unius hominis J. C. in plures abundavit;*** et rursum ver. 18. Atqui 4° non omnes justificantur in Christo; ergo non omnes damnantur in Adam.

420. ***Resp. Ad*** 1^m^, ***Trans. maj.*** Diversæ enim expositorum sententiæ sunt; alii probabilius negant, contenduntque hoc ipso quod in ver. 12 Apostolus loquitur de peccato originali, cum in ver. 13 disserere de peccato actuali, prout orationis series et instituta ab Apostolo argumentatio suadet [1]. Sed hoc omisso, ***dist. min.*** Loquitur *etiam* de peccato actuali, ***conc.*** tantum, ***neg.*** De utroque enim loquitur, tum de originali, tum de actuali, seu potius de actualibus; loquitur enim de eo peccato, per quod mors regnavit in omnes, etiam in eos qui non peccaverunt adversus legem positivam; porro, ut ostendimus ex infantium morte, ejusmodi peccatum non potest esse actuale; ergo loquitur de peccato originali.

421. ***Ad*** 2^m^, ***Dist.*** Id est *omnes* seu multitudo, ***conc.*** multi tantum, ***neg.*** Universaliter autem voces *multi*, *multos*, etc. ab Apostolo hic usurpari, non autem sensu restrictivo, ex ipso contextu evincitur; promiscue enim in adductis versiculis ***multi, plures, omnes*** dicuntur. Est autem hebraismus in dictione *οἱ πολλοί* cum articulo, denotans totam seu universam multitudinem [2].

422. ***Ad*** 3^m^, ***Dist.*** Antithesis instituitur inter damnum nobis per Adæ peccatum illatum, et beneficium nobis collatum ex Christi meritis, ***conc.*** inter numerum et numerum, ***neg.*** Id enim evincunt ipsa Apostoli verba ver. 15: ***Sed*** NON SICUT DELICTUM ITA ET DONUM, ***si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis J. C. in plures abundavit.*** Et versu seqq. explicat, quonam sen-

1) Cf. Tolet. loc. cit.

2) En verba Rosenmülleri: *Οἱ πολλοί, cum articulo: Multitudo, totum genus humanum. Est hebraismus in hac dictione; nam etiam* רַבִּים omnes *denotat, et πολλοί redditur in Theodotionis versione Dan.* xii, 2. Addendum præterea est receptum esse apud ipsos profanos auctores, *omnes* dicere *multos*, cujus rei testem habemus Ciceronem ipsum, qui, *De republica*, lib. i, cap. xxxvi, edito ab Emin. Card. Ang. Majo, Romæ 1822 scripsit: *Siquidem* omnes multos *appellari placet.* Cf. nota 4^a^, Cl. editoris in hunc locum.

su hæc dixerit, addens: *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Ex quibus patet, Apostolum extollere beneficium Christi in nos proveniens super malum, quod in nos provenit per Adam; ex Adam siquidem unum contraximus peccatum originis; per Christum vero non solum ab hoc peccato, sed et ab innumeris actualibus, quæ deinde propria voluntate contraximus, liberamur. Hinc demum concludit ver. 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

423. *Ad* 4m, *Dist.* Si non renascantur in Christo secundum spiritum, prout ex Adam secundum carnem nati sunt, *conc.* secus, *neg.* Antithesis enim hic instituitur inter duo capita, carnale et spirituale, ita ut quemadmodum omnes, qui secundum carnem ex Adamo generantur, peccatores nascuntur, sic omnes qui secundum spiritum regenerantur in Christo, justi efficiuntur, non imitatione, ut patet, sed regeneratione [1]).

424. II. *Inst.* 1° Si Apostolus locutus esset de peccato Adami ut causa mortis, non asseruisset, mortem regnasse *usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*; siquidem mors regnavit non solum usque ad legem, sed semper, ante legem, sub lege ac post legem et post ipsum Christum. Verum et hoc concesso, 2° quid vetat quominus dicamus, per Adæ peccatum, quo ipse mortalis effectus est, in omnes ejus posteros mortem transiisse cum cæteris ærumnis, etsi non ad omnes transierit peccatum ipsius? 3° Hoc enim magis consentaneum est ipsius Apostoli doctrinæ, qui in eadem epistola cap. IV, 15, aperte docet: *Ubi non est lex, nec prævaricatio;* hæc enim lex parvulis non adest, ideoque nec prævaricatio; et ibid. VII, 8: *Absque lege peccatum mortuum erat;* item II Cor. V, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum*, seu neminem condemnari nisi propter peccata personalia. Ergo.

425. *Resp. Ad* 1m, *Neg.* Alio enim tendebat Apostoli scopus; quippe volebat ostendere omnes peccatores esse, tum infantes tum adultos. Quod ut obtineat, argumentum ducit ex morte, quæ est pœna peccati; cum vero nulla lege positiva an-

1) Apposite hic observat Becanus S. J. *Manualis Controv.* lib. IV, cap. I, n. 7. Apostolum utrumque dixisse et *multos* et *omnes.* Qui sunt illi *multi?* Nempe omnes, qui ex Adamo nascuntur per seminalem generationem, et similiter omnes, qui in Christo renascuntur per baptismum. Hi ergo multi sunt et omnes sunt. Non quidem simpliciter omnes (quia Heva et Christus non sunt constituti peccatores per Adamum, nec infideles constituti sunt justi per Christum), sed omnes, qui ex Adamo et Christo nascuntur, ex Adamo per seminalem generationem, ex Christo per spiritualem regenerationem. Eodem sensu dictum est, Gen. XVII, 5: *Patrem multarum gentium constitui te;* et cap. XXII, 18: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ubi patet, eos qui promittuntur Abrahamo, filii, nunc dici *multos*, nunc *omnes*, quia omnes sunt in certo quodam genere, non tamen omnes respectu totius humani generis.

te Moysem hæc pœna mortis delinquentibus statuta esset, ipse ex morte, quæ ab Adam regnavit usque ad Moysem, colligit omnes obstrictos fuisse hac mortis pœna ob peccatum Adæ, quod in omnes ejus posteros pertransiit, licet plures ex his, nempe infantes, nullo se potuerint inquinare peccato actuali, prout Adam fecerat. Hinc patet necessariam ei minime fuisse loqui de temporibus subsequentibus legem mosaicam [1]).

426. *Ad* 2m, *Resp.* Quominus id dicamus, vetare ipsum Apostolum, qui non solum mortem sed et peccatum ipsum docet in omnes homines pertransiisse: *In quo omnes peccaverunt.* Hac hypothesi adversariorum semel admissa, corruit tota Apostoli argumentandi ratio, ut ex nuper dictis patet. Etenim, cum peccatum originale non sit nisi justitiæ originalis privatio, ut inferius etiam enucleatius exponemus, fieri omnino non potest, ut justitiam originalem Adam in posteros transmitteret, cujus prius per peccatum suum personale jacturam fecerat; dona vero gratuita, illi gratiæ seu justitiæ originali adnexa, pariter amissa per culpam Adæ fuerant; hinc factum est, ut non potuerit filios gignere nisi utroque bono spoliatos. Id maxime ex eo patet, quod scopus Apostoli fuerit ostendere Judæis, quomodo ex justitia unius Christi cæteri justi fieri potuerint; quod evincit exemplo peccati Adæ, quo omnes infecti sunt, argumento ut vocant ad hominem, adversariis ipsis nostris fatentibus.

427. *Ad* 3m, *Neg.* Etenim in primis id non evincit quod ex eodem Apostolo affertur: *Ubi non est lex, nec prævaricatio;* siquidem de solis adultis ac de peccatis actualibus id affirmat Paulus.

428. Sed neque id probat, quod ex eodem adducitur Rom. VII, 8: *Absque lege peccatum mortuum erat;* id enim asserit de concupiscentia, quæ per legem irritatur juxta illud: *Nitimur in vetitum cupimusque negata*, ut patet ex contextu; dixerat enim immediate ante objecta verba: *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, id est, in omne malum me induxit.

429. Non denique id ostendit tertius textus: *Omnes nos*, etc. Ibi enim, ut verba ipsa ostendunt, sermo est de peccatis personalibus seu actualibus, quæ nonnisi ab adultis patrari possunt.

430. III. *Inst.* 1° Apost. Rom. V, 12, dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; ergo per imitationem, si enim per generationem intrasset, non per unum hominem intrasset sed per duos. Quare 2° Ezech. XVIII, 20, legitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Porro, si Adami peccatum transfunderetur, filii portarent iniquitatem patris. Ergo.

1) Cfr. Tolet. loc. cit. annot. XIX.

431. ***Resp.*** *Ad* 1^m^, ***Dist.*** *antec.* Tanquam per causam primariam, *conc.* tanquam per causam instrumentalem, *neg.* Etenim solus Adam fuit caput totius humani generis, non Heva ejus conjux, quæ sub viro fuit tanquam sub suo capite (I Cor. XI, 3), quæque extitit tantum occasio peccati originalis. Adde hunc loquendi usum, cum de generatione sermo est, in Scripturis obtinere. Sic Apostolus, Hebr. XI, 12, *ab uno* Abraham ortos asserit omnes ejus posteros [1]).

432. *Ad* 2^m^, *Dist. maj.* Filius non portabit iniquitatem patris, nisi sit ejusdem iniquitatis particeps, *conc.* si sit particeps, vel imitatione per peccata actualia, vel generatione, ut in casu nostro, *neg.* Prophetam autem loqui de peccatis actualibus, apertum est. Judæi enim in captivitatem babylonicam adducti querebantur, ob patrum suorum crimina se a Deo plecti. Quare invaluerat apud ipsos proverbium: *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt;* ad ipsorum propterea os obstruendum Deus eos monet, quod si ipsi destitissent imitari exempla ac crimina patrum suorum, minime laturi essent pœnam peccatorum, quæ patraverant ipsorum parentes, dicens: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis . . . hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet . . . et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia mandata mea custodivit, et fecit illa et vivet vita. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris.* Perperam igitur ad rem præsentem hæc afferuntur [2]).

PROPOSITIO II.

Dari peccati originalis propagationem, perpetua et constans docet Ecclesiæ traditio.

433. Cum Pelagiani S. Augustinum peccati originalis doctrinæ primum auctorem prædicarent, non secus ac neoterici Sociniani aut increduli homines faciunt [3]), respondebat S. Doctor

1) Cfr. Bellarminus, *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. IV, cap. VIII, n. 10.

2) Ibid. n. 2, necnon Becanus loc. cit. Vid. etiam *Lettres de quelques Juifs à Mr. De Voltaire*, tom. I, lettre II, §. 10.

3) Superius nonnullos adduximus, queis nunc addimus Wegscheider, qui in suis *Institutionibus Theologiæ Christianæ dogmaticæ*, §. 116, etsi fateatur Tertullianum primum vitium aliquod originis et traducem peccati significasse, atque alios alia his similia in medio protulisse, *a manichæismo*, ut profanus homo loquitur, „non valde aliena; Augustinus tamen, *ait ipse*, quoniam et ipse manichæus, princeps extitit, qui subtiliorem systematis formulam de peccato originali contra Pelagium Britannicum, acriter defenderit, et per universam Ecclesiam Latinam propagarit." §. 182 et seqq. subdit: „Controversia ista pelagiana maximam habuit vim ad systema quoddam Theolo-

iniquæ expostulationi: *non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus* [1]).

434. 1° Et sane veteris hujus germanæque fidei catholicæ testes sunt antiquissimi Ecclesiæ Patres, qui ante exortam pelagianam hæresim scripserunt. Sæculo II° S. Justinus in *dialogo cum Tryphone*, docet, non ideo Christum voluisse baptizari et crucifigi, *quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem inciderat* [2]). Tatianus, *Orat. contra Græcos: Non facti sumus*, inquit, *ut moreremur; sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas; servi facti sumus, qui liberi eramus: per peccatum venditi sumus* [3]); Quæ propositio cum generalis sit ac sese extendat etiam ad parvulos, qui nonnisi per peccatum originale propria culpa mori dici possunt, patet non de peccato personali, sed de originali loqui Tatianum. S. Irenæus, *Adv. hæres.* lib. V, cap. XVI: *Deum*, inquit, *in primo Adam offendimus, non facientes ejus præceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti* [4]). Sæculo III° et IV° Tertullianus, *De testim. animæ*, cap. III, scribit: *Per quem* (diabolum) *homo a primordiis circumventus, ut præceptum Dei excideret, et propterea in mortem datus; exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Nec minus aperte S. Cyprianus in epistola scripta non suo tantum, sed totius Carthaginiensis Concilii nomine, quod sexaginta sex Episcopis constabat, ex tota ferme Africa convocatis, catholicum dogma tradit, dum quorumdam rejicit sententiam, qui contendebant baptizandos infantes esse octavo a nativitate die, prout in Veteri Lege circumcidi solebant. Etenim: *A gratia*, inquit, *prohiberi*

giæ christianæ occidentalis et effingendum et confirmandum." Sic Münscher, *Dogmengeschichte*, seu *Hist. dogm.*

1) *De nupt. et concup.* lib. II, cap. XII.

2) *Ὡς ἐνδεὴς τούτων, ὑπέμεινεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τοῦ τῶν ἀνθρώπων, ὃ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει*, n. 88. Hic autem observat doctiss. Maran: *Manifeste et peccatum hæreditate acceptum et propria cujusque peccata distinguuntur*, (subdit enim S. Martyr immediate post citata verba: *Παρὰ τὴν ἰδίαν αἰτίαν ἑκάστου αὐτῶν πονηρευσαμένου, unoquoque sua culpa improbe agente*). *Omnes a serpente decepti sunt; omnes in mortem et serpentis fraudem inciderunt; sed tamen propria quisque culpa improbe agit.*

3) *Οὐκ ἐγενόμεθα πρὸς τὸ ἀποθνήσκειν, ἀποθνήσκομεν δὲ δι' ἑαυτούς. Ἀπώλεσεν ἡμᾶς τὸ αὐτεξούσιον· δοῦλοι γεγόναμεν οἱ ἐλεύθεροι, διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐπράθημεν.* Post opera S. Justini, edit. Maurin. p. 253.

4) . . . *Ἐν μὲν γὰρ τῷ πρώτῳ Ἀδὰμ προσεκόψαμεν, μὴ ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν· ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν, ὑπήκοοι μέχρι θανάτου γενόμενοι.* Ubi notandum est S. Irenæum, ut etiam ex antecedentibus et consequentibus constat, instituere perpetuam antithesim inter Adam, a quo et in quo perditi sumus, et Christum, per quem redempti sumus. Concludit enim ibid.: *Οὐδὲ γὰρ ἄλλῳ τινὶ ἦμεν ὀφειλέται, ἀλλ' ἢ ἐκείνῳ, οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ' ἀρχῆς*, id est, *Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et præceptum transgressi fueramus ab initio.* Ex his liquet, quam impudenter rationalistæ vel Augustino vel *Occidentali* Ecclesiæ tribuant doctrinam de peccato originali; siquidem Irenæus fuerat institutus in Ecclesia Orientali, etsi postea factus fuerit Episcopus Lugdunensis.

non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit; subdit autem: *Illi remittuntur non propria, sed aliena peccata* [1]), id est, non actualia, sed originale peccatum. Atque, ut omittam Athanasium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, qui omnes unanimiter verba Psal. L: *Ecce enim*, etc. exponunt de peccato originali, S. Gregorius Naz. *Orat. V*, n. 5: *Cum . . . omnes*, inquit, *ex eadem terra et massa coagmentati simus, eamdemque vitii arborem gustaverimus* [2]). Reliqua testimonia recolantur apud Bellarminum [3]).

435. 2° Testes præterea hujus antiquæ fidei sunt Ecclesiæ definitiones in diversis Conciliis prolatæ ab anno 412° ad 413^{m}, Per id enim temporis viginti quatuor Concilia in causa Pelagianorum celebrata sunt, inter quæ celebriora fuere tria Carthaginiensia, Diospolitanum in Palæstina et Milevitanum, quorum decreta Innocentius I solemniter probavit; quod pariter præstitum est sequenti sæculo, præsertim in Concilio Arausicano II, anno 529 celebrato [4]).

436. 3° Ejusdem fidei testis est universalis Ecclesiæ praxis, quæ ab ipsa ætate apostolica obtinuit, baptizandi infantes *in remissionem peccatorum*, prout dicitur in symbolo Nicæno-Constantinopolitano, quam nunquam Pelagiani inficiari ausi sunt; nec non ritus pariter antiquitus ubique receptus exorcismorum et insufflationum, quibus ab infantibus spiritus abigitur immundus, quem ritum pariter in Ecclesia universalem fuisse Pelagiani fatebantur [5]). Jam vero cur baptizarentur infantes in remissionem peccatorum, si nullo peccato adstricti essent? Cui bono abigeretur Satanas, si ab ipso infantes nullo modo constringerentur?

437. 4° Denique doctrinæ de peccati originalis transmissione testis est ipsa præscriptio. Vix enim exorta hæresis pelagiana est, dum eam omnes christiani orbis Ecclesiæ exhorruerunt atque damnaverunt. Quare Pelagius, ut in Diospolitana Synodo promeritam condemnationem declinaret, doctrinam suam,

1) *Epist.* LXIV, *ad Fidum,* in edit. autem Maur. epist. LIX, Cfr. quæ de hoc ineluctabili S. Cypriani testimonio adversus Joan. Clericum habet Cl. Muratorius, op. cit. lib. III, cap. II, pag. 375 et seqq.

2) *Ὅτι . . . πάντες ἦμεν ἐκ τοῦ αὐτοῦ χοὸς καὶ φυράματος, καὶ τοῦ αὐτοῦ ξύλου τῆς κακίας γεγεύμεθα.*

3) *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. IV, cap. V, Cfr. etiam De Rubeis, *Diss. de pecc. orig.* cap. XXI et seqq.

4) Cfr. *Collect. Concil.* Harduini tom. I, ubi Conciliorum referuntur acta, quæ tum in Orientali tum in Occidentali Ecclesia in hac causa per id temporis celebrata sunt, quibus addi debet Concilium œcumenicum Ephesinum, in quo doctrina pelagiana proscripta est, et canone IV, depositionis sententia lata est in clericos, qui *vel privatim vel publice quæ sunt Nestorii et Cœlestii supere* ausi fuerint. Ibid. col. 1623.

5) Quare merito sic Julianum urgebat S. Augustinus, *Cont. Julian.* lib. II, cap. II: „Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse a toto orbe exsufflandus esses, si huic insufflationi, qua princeps mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses."

ut hæreticis mos est, vocibus ambiguis obtegere diligenter satagit, ne agnosceretur. Quin imo, teste Hieronymo, ***Dial. III***, Pelagiani timuerunt, ne, si doctrinam suam palam proferrent, a plebe lapidarentur [1]). Hinc omnes sectæ ante Pelagium ab Ecclesia divulsæ, ut Novatiani, Donatistæ, Sabelliani, Ariani, Apollinaristæ, etc. dogma de originali peccato velut laciniam catholicæ fidei secum transtulerunt; Pelagiani igitur doctrinam catholicam impugnarunt, ac proinde novatores fuerunt. Merito propterea Vincentius Lirinensis in celebri suo ***Commonitorio*** hoc argumento Pelagianos premebat: ***Quis ante prodigiosum discipulum ejus*** (Pelagii) ***Cœlestium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum denegavit adstrictum*** [2])? Constat ergo ex universali et constanti Ecclesiæ traditione, dari peccati originalis propagationem [3]).

DIFFICULTATES.

438. I. ***Obj.*** S. Joannes Chrysostomus non solum peccatum originale non agnovit, sed ipsum penitus rejecit. Etenim, ***Hom. X, in Epist. ad Romanos***, exponens Apostoli verba: ***In quo omnes peccaverunt***, 1° infert quidem ex iis mortem ad posteros Adæ transiisse, non vero culpam; sic enim loquitur: ***Illo lapso ii etiam, qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales, non peccatores.*** 2° Absurdum plane existimat, Adamo peccante, ejus posteros factos esse peccatores; non item vero factos esse mortales: ***Quod enim***, prosequitur, ***illo peccante et mortali facto, qui ex illo [orti sunt, tales efficiantur, id a verisimili non abhorret; quod autem ex inobedientia unius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit?*** 3° Exponens vero, quo sensu Apostolus dicat: ***Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi***, pergit: ***Quid igitur hic significat illud*** peccatores? ***Mihi quidem videtur supplicio obnoxios et ad mortem damnatos. Quod igitur Adam mortuo omnes simul mortales effecti, id clare et pluribus ostendit Apostolus.*** Ergo.

439. ***Resp. Neg. antec.*** Aperte enim S. Joan. Chrysostomus non uno in loco catholicam doctrinam de peccati originalis propagatione tradit, ut ostendit S. Augustinus, qui ejus affert testimonium ex epistola ad Olympiadem, ubi hæc habet S. Do-

1) Etenim n. 17 Critobolus, qui Pelagianorum partes sustinet, ita loquitur: „Cogis me, ut ad invidiosum illud veniam, et dicam tibi? Quid enim peccaverunt (*infantes*)? Ut statim in me populorum lapides conjicias, et quem viribus non potes, voluntate interficias." Cui bene respondit ibidem Catholicus: „Ille hæreticum interficit, qui esse hæreticum patitur. Cæterum nostra correptio vivificatio est, ut hæresi moriens, vivas catholicæ fidei," col. 788 tom. II, opp. edit. Vallars.

2) Cap. XXXIV.

3) Cfr. Ger. Vossius, *Hist. Pelag.* lib. II, part. I, thesi. 6 ubi testimonia Patrum in hanc rem perquam diligenter collegit.

ctor: *Cum Adamus grave illud peccatum admisisset, atque commune hominum genus condemnasset, labore tum mulctatus est*[1]). Similia habet in *Hom. ad Neophytos*, in qua hæc legebantur, (postea enim deperdita est): *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam; ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis* [2]); in quæ verba scite observat S. Augustinus a S. Joan. Chrysostomo distingui paternum chirographum, quod hæreditate contraximus, ideoque et *nostrum* vocavit, ab illis debitis, quorum per peccata nostra actualia fœnus accrevit. Imo S. Doctor non obscure in hac ipsa nobis objecta *Hom. X* doctrinam de peccato originali tradit, dum asserit, peccatum illud, de quo Apostolus loquitur, quodque dominatum est in mundo ante legem, non fuisse legis transgressionem, *sed illud Adami peccatum inobedientiæ ipsummet fuisse quod omnia perdidit* [3]). Ibidem præterea antithesin perpetuo urget et comparationem inter Adam et Christum, quemadmodum per Christum orbis salutem adeptus est, ita, *uno inobediente Adam, orbis condemnatus est.* Prosequitur insuper: *Cum tibi Judæus dixerit, quo pacto, uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? Possis illi respondere: quo pacto, uno non obediente Adam, universus orbis condemnatus est* [4])? Alia prætereo, quæ catholicam hujus S. Patris mentem circa hunc articulum luculenter ostendunt. Si quæ vero in ejus scriptis occurrunt, ut in scriptis nonnullorum aliorum Patrum, quæ duriuscula videantur, rationem suppeditat S. Augustinus, dicens: *Quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur; et vobis* (Pelagianis) *nondum litigantibus, securius loquebatur* [5]). Nondum scilicet discussa atque enucleata catholica doctrina, cujus germina seu principia, ut ita loquar, tenebant Patres, non adeo accuratis vocibus seu verbis eam exponebant, ut factum ab iis est, qui post exortas circa quemlibet articulum hæreses scripserunt.

440. *Ad* 1m, prob. *Dist.* Peccatores actuales, id est, labe personali infecti, *conc.* qui non essent peccatores simpliciter, seu qui non essent originali noxa inquinati, *neg.* Alioquin non vocasset mortem *pœnam*, *supplicium*, *damnationem*, quæ voces cum relationem dicant ad culpam, hanc necessario supponunt, id-

1) Quæ verba leguntur epist. III, n. edit. Maur. *Ὅτε γὰρ ἥμαρτεν ὁ Ἀδὰμ τὴν ἁμαρτίαν ἐκείαν τὴν χαλεπὴν καὶ τὸ κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων κατεδίκασι γένος, μόχθῳ τότε κατεδικάζετο.*

2) Cujus græcum textum nobis conservavit S. August. *Contra Julian.* lib. I, n. 26: *Ἔρχεται ἅπαξ ὁ Χριστὸς, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὅτι ἔγραφεν ὁ Ἀδαμ. Ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγεν τοῦ χρείους, ἡμεῖς τὸν δαινεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγγενεστέραις ἁμαρτίαις.*

3) *Ἀλλ' ἐκείνη ἡ τῆς τοῦ Ἀδὰμ παρακοῆς, αὕτη ἦν ἡ πάντα λυμαινομένη,* n. I, tom. I, pag. 520.

4) *Πῶς, ἑνὸς παρακούσαντος τοῦ Ἀδὰμ, ἡ οἰκουμένη κατεκρίθη;* ibid.

5) *Contra Julian.* lib. I, n. 22, in fine.

que præsertim ex principio a S. Doctore posito n. 2, ubi ait: ***Pœnas neminem debere, nisi ex se peccator fuerit*** [1]).

441. *Ad* 2m. Eadem esto distinctio, ut patet ex scopo et contextu.

442. *Ad* 3m, ***Dist.*** Cum exclusione reatus actualis peccati, *conc.* cum exclusione reatus culpæ originariæ, *neg.* Alias non eos dixisset ***supplicio obnoxios*** et ***ad mortem damnatos***, quæ reatum supponunt, ut vera sint; alioquin censuisset S. Pater innocentes supplicio affectos quod esset injustitiam Deo tribuere, ut definivit Synodus Araus. II, can. II. Ubi non est omittendum, S. Joan. Chrysostomum minus clare exposuisse ***peccatum generatione contractum***, ex eoque illatam ***mortem animæ***, ut fideles, quos erudiebat, procul arceret ab erroribus traditis a Manichæis, et a Massalianis disseminatis. Peccatorum actualium principium natura sua malum adserebant Manichæi. Catholica doctrina de peccato originali abutebantur Massaliani [2]). Ab his erroribus ut sibi caveret Chrysostomus, eosdemque procul arceret a fidelium mentibus, ita verba sua temperavit in quæstione de peccato originali, ut minus accurate de peccati traduce egisse videatur, ut observat Le Quien [3]), ita ut primi peccati appendices et effectus longe lateque describeret, de ipsa causa et radice parcius ageret; tot quidem nocumenta, quæ patimur, in ipsum Adæ peccatum refert, traducem ejus aperte non declarat [4]).

443. I. ***Inst.*** In eadem homilia hæc addit S. Joan. Chrysostomus: ***Non solum nihil nocumenti accepimus a morte hujusmodi et condemnatione, si sapuerimus, sed mortales effecti lucrum etiam fecimus.*** Atqui hæc falsa essent, si originalem maculam contraheremus. Ergo.

1) *Μηδὲ δίκην ὀφείλων ὁ τοιοῦτος, εἴγε μὴ οἴκοθεν γέγονεν ἁμαρτωλός.*

2) Docebat enim et docet Ecclesia, animam Adæ ob peccatum mortuam esse, et diabolum in cor ejus ingredi, qui peccat. Hæc eadem hæretico sensu Massaliani tradebant. Duas quippe in quolibet homine animas ponebant, *communem* unam, *cœlestem* alteram, qua per peccatum exclusa, mortuus homo censeretur. Ajebant diabolum cum homine peccatore *οὐσιωδῶς*, *substantialiter* conjungi, nec ulla baptismi alteriusve sacramenti virtute abigi, nisi per orationem. Cfr. De Rubeis, *Diss. de pecc. orig.* cap. XII, §. 4, et cap. XXVI, §. 1.

3) S. Joan. Damasc. *De fide orthodoxa*, lib. II, cap. XXX, not. ult. ubi inter cætera describit S. Joan. Chrysostomi verba ex *Hom. in Psal. L*, ad illa verba: „Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, *ubi ait:* Iniquitatem illam profert *(David)*, quam primi parentes per summum nefas admiserunt, eamque factam esse dicit horum effluviorum scaturiginem. Nisi enim illi peccassent, morte non essent mulctati; dempta morte, corruptelam evasissent; incorruptionis socia foret immunitas a perturbationibus; nullus superesset peccato locus. Ex quo autem peccavere, corruptioni addicti sunt; corruptibiles facti, consimiles filios procrearunt, in quos subinde timores, cupiditates, libidines derivantur." Attamen Maurini editores hanc homiliam inter spurias rejiciunt; desumpta autem sunt adducta verba ex *Commentario* Theodoreti, in hunc eumdem psalmum. Cæterum Joan. Chrysostomus mentem circa peccati originalis propagationem bene assecuti sunt Theophylactus et Œcumenius, qui eum ut ducem sequuntur in *Commentariis* suis. Cfr. horum *Commentarii* in cap. V Epistolæ ad Romanos.

4) Ita ratio dignoscitur, quæ in nonnullis aliis Patribus græcis obtinet, Theodoreto præsertim, de quo postea.

444. ***Resp. Dist. major.*** Vertendo per gratiam Christi malum in bonum, *conc.* quasi nullam noxam contraxerimus, *neg.* Hoc eodem sensu canit Ecclesia: ***O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem;*** confirmatque S. Pater exemplo Martyrum, Apostolorum et Patriarcharum.

445. II. *Inst.* 1° Idem Sanctus, ***Hom. ad Neophytos***, decem effectus enumerans baptismi, ne verbum quidem habet de culpæ originalis emundatione, quæ tamen in hypothesi de peccato originali primus esset baptismi effectus; immo 2° infantes a peccato immunes appellat, dicens: ***Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.*** Ergo.

446. ***Resp. ad*** 1^m^, ***Dist.*** Quia aliud exposcebat propositus ipsi scopus, *conc.* quasi eam emundationem non agnosceret, *neg.* Scopus porro S. Doctoris erat ostendere baptismi effectum non in sola peccatorum remissione consistere, ut aliqui sibi persuaserant; hinc alios prætcrea effectus ipse recenset, ut eos ab hac persuasione abduceret. Præ oculis habenda præterea est animadversio, quam nuper apposuimus circa peculiarem œconomiam, quam observare debuit agendo de hoc peccato originis, ob ingruentes tunc hæreses Manichæorum et Massalianorum.

447. ***Ad*** 2^m^, ***Neg.*** Nec enim S. Pater dixit, infantes non esse coinquinatos peccato, prout verba S. Joan. Chrysostomi verterat Julianus. Ut enim ostendit S. Augustinus, qui præ oculis deperditam illam homiliam habebat, S. Doctor ita scripserat: ***Præterea etiam infantes baptizamus***, ***quamvis*** PECCATA ***non habentes***; ***intellige propria*** (sive actualia), concludebat S. Augustinus, ***et nulla contentio est*** [1]. Quo eodem sensu etiam S. Cyprianus, ***Epist. LXIX ad Fidum,*** infantibus dicit remitti ***non propria***, ***sed aliena peccata.***

448. Ad verba immediate sequentia: ***Ut eis addatur sanctitas,*** etc. ***Resp.*** præter remissionem originalis noxæ juxta dicta, non autem quod sanctitas sanctitati adjiciatur, quod esset aperte nimis contra ejus mentem.

449. III. *Inst.* Idem Sanctus, verba Apostoli exponens I Cor. XV, 22: ***Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur,*** hæc habet, ***Hom. XXXIX***, n. 3: ***Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam peccati morte mortui sunt? Qui ergo Noë vir justus sæculo suo fuit? Qui Abraham, qui Job, qui multi denique alii? Quid vero, dic rogo, omnesne vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam? Ergo de corpore si dictum accipia-***

1) Ipsa græca verba S. Joannis pariter posuit, quæ hæc sunt: *Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. Contra Julian.* lib. I, n. 22. Cfr. ibi §§. seqq., ubi non pauca in medium profert ejusdem testimonia.

mus, oratio constabit, si de peccato et justitia, minime. Quare sibi semper constans *Hom. XVII,* in eamdem epistolam, enumeratis bonis per Adæ peccatum amissis, prosequitur: *Quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illum ne* (Adam) *peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti; sed si non idipsum peccatum, aliud utique admisisti.* Ac demum, *Hom. IV, in Epistolam ad Ephesios,* circa finem: *Corruptibile,* inquit, *est corpus nostrum, sed anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest etiam animam corrumpere.* Ex his igitur patet juxta S. Joan. Chrysostomum: 1° Non omnes extitisse peccatores in Adam; sed plures justos semper extitisse. 2° Neminem perire ob peccatum Adam; sed quotquot pereunt, perire ob peccata personalia. 3° Solum corpus corruptibile per Adæ peccatum evasisse, non autem animam, quam sola peccata actualia corruptibilem efficiunt.

450. *Resp. ad* 1m, *Dist.* Peccato actuali, *conc.* originali, *neg.* Liquet enim primum textum esse de justitia et peccato actuali. Agit præterea hic S. Doctor adversus Manichæos, qui negabant resurrectionem mortuorum, exponebantque Apostoli verba de *resurrectione peccatorum actualium,* et de iis perimendis ac vitandis. Quamobrem eos perstringit hoc fere argumento: per resurrectionem mortuorum Manichæi intelligunt aut liberationem a peccatis lethalibus, aut a peccatis levibus. Si de liberatione a peccatis actualibus intelligant, cum Noë, Abraham et Job aliique sanctissimi viri iis minime se polluerint, minime resurrexissent; adeoque, quod consequens est, resurrectio non esset generalis, ut eam affirmat Apostolus; si vero contendant Manichæi, resurrectionem hanc nihil aliud esse præter liberationem a peccatis venialibus, cum in hac vita nemo liber sit a peccato veniali, jam nulla foret resurrectio. In hac propterea quæstione adversus Manichæos nullus erat locus tradendæ catholicæ fidei de peccato originali [1]).

451. *Ad* 2m, *Dist.* Si Adæ peccatum per lavacrum deletum sit, *conc.* si non sit deletum, *neg.* Loquitur porro S. Doctor de baptizatis, ut ostendit contextus.

452. *Ad* 3m, *Dist.* Licet peccatum deletum sit, quo quidem corpus differt ab anima, quæ denuo post baptismum corrumpi nequit, seu inquinari, nisi per actualia peccata, *conc.* quasi anima corrupta non fuerit ante baptismum, *neg.* Ex his patet, commode ad catholici sensus normam exponi posse, quæ asperius interdum scripsisse in hoc argumentum videtur S. Doctor, nec necesse esse ut affirmetur cum nonnullis minus cautis theologis S. Joannem Chrysostomum nondum exorta hac controversia

1) Cfr. De Rubeis, diss. cit. cap. XXV, §. 2.

errasse; cum præsertim ex iis, quæ superius allata sunt, constet, ipsum communem cum cæteris omnibus tenuisse doctrinam. Quibus coronidis gratia hoc ejusdem S. Patris effatum addimus, ex *Hom. XL in I ad Cor.* num. 2: ***Solus Deus hoc facit, quod quidem operatur in lavacro regenerationis. Ipsam animam*** (Deus) ***tangit gratia, et illinc peccatum evellit radicitus*** [1]), ejus nempe qui baptizatus est [2]). Quam longe abfuerit S. Pater a dogmate Pelagii, ostendunt, quæ de eodem scribit ad Olympiadem: ***De Pelagio monacho magno dolore affectus sum*** [3]), quod nempe *in fraudem abripi* et *impelli* viderit, ut ibidem addit. Attamen vix tunc temporis prava dogmata sua Pelagius disseminare cœperat.

453. II. ***Obj.*** 1° Clemens Alex. ait: ***Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus*** [4])? 2° Origenes passim docet: ***Non omnes homines, sed multos unius delicto peccatores fuisse effectos.*** 3° Tertullianus vero: ***Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum*** [5])? 4° Cyrillus Hierosolymitanus: ***Hoc quoque addisce, quod, priusquam anima in hunc mundum veniret, nihil peccaverit; sed cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus*** [6]). 5° Theodoretus inter cætera hæc habet: ***Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit*** [7]). Ergo communis est veterum Patrum sententia, nullam nos ex Adamo maculam trahere.

454. ***Resp. Ad*** 1^m^, ***Dist.*** In sensu hæreticorum Basilidianorum et Encratitarum, quos hic impugnat, ***trans.*** ut excludat peccatum originale, ***neg.*** Transmisimus porro primam partem, quia non satis constat ex contextu, utrum allata verba ex ore adversariorum proferat Clemens, an ex suo. Sed et hoc prætermisso patet, hic Clementem non loqui de peccato originali, sed de sorde contracta ex generatione, quam malam vocabant illi hæretici, qui nuptias damnabant [8]).

1) *Θεὸς μόνος τοῦτο ποιεῖ, ὃ δὲ καὶ ἐν τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας ἐργάσεται· αὐτῆς γὰρ ἅπτεται τῆς ψυχῆς ἡ χάρις κἀκεῖθεν πρόῤῥιζον ἀνασπᾷ τὴν ἁμαρτίαν.*

2) Cfr. De Rubeis, diss. cit. cap. xxv, §. 2, ubi S. Joan. Chrysostomum accurate vindicat. Cfr. etiam Bellarminus, *De amiss. grat.* lib. iv, cap. ix.

3) *Epist.* iv, *ad Olympiadem*, in fine: *Σφόδρα ἄλγησα ὑπὲρ Πελαγίου οὗ μονάζοντος.* Exarata autem est hæc epistola circa annum 407.

4) *Λεγέτωσαν ἡμῖν, ποῦ ἐπόρνευσεν τὸ γεννηθὲν παιδίον, ἢ πῶς ὑπὸ τὴν τοῦ Ἀδὰμ ὑπόπτωκεν ἀρὰν τὸ μηδὲν ἐνεργῆσαν;* *Strom.* lib. iii, n. 16, tom. i, pag. 556 et seqq. edit. Potteri, Venet. 1757.

5) *De nupt.* cap. xviii, edit. Rigaltii.

6) *Μάνθανε δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι πρὶν παραγένηται εἰς τόνδε τὸν κόσμον ἡ ψυχὴ, οὐδὲν ἥμαρτεν· ἀλλ᾽ ἐλθόντες ἀναμάρτητοι, νῦν ἐκ προαιρέσεως ἁμαρτάνομεν.* Catech. iv, §. 19.

7) *Οὐ γὰρ διὰ τὴν προπάτερος ἁμαρτίαν· ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκείαν ἕκαστος δέχεται τοῦ θανάτου τὸν ὅρον.* *Comment. in Epist. ad Rom.* cap. 5, v. 12, tom. iii, opp. edit. Sirmondi.

8) Id patet ex verbis immediate sequentibus: *Ἀπολείπεται δὲ αὐτοῖς ὡς ἔοικεν, ἀκολούθως λέγειν τὴν γένεσιν εἶναι κακήν·* id est, *Restat ergo eis, ut videtur, consequenter malam esse generationem.* Cfr. hic nota editoris.

455. *Ad* 2m, *Dist.* Id est, peccati sectatores, *conc.* peccatores simpliciter, *neg.* Nempe Origenes distinguebat inter eos qui peccant et peccatores; affirmat autem universos peccare, non omnes tamen esse peccatores, sed eos dumtaxat qui usum scilicet contraxerint ac consuetudinem peccandi. Cæterum Origenes se agnoscere omnes peccatores effectos ob culpam Adæ, aperte ac sæpe profitetur [1]).

456. *Ad* 3m, *Dist.* Innocens, id est, nullo personali peccato inquinata, *conc.* immunis a peccato originis, *neg.* Alioquin minime baptismi necessitatem adeo inculcasset, ut clericis deficientibus in mortis discrimine a laicis ac fœminis ipsis illum administrari posse contenderet [2]).

457. *Ad* 4m, *Dist.* Excluditur platonicum aut origenianum commentum de peccato electionis ante ortum patrato, *conc.* excluditur peccatum per Adam contractum, *neg.* ut patet ex contextu. *Catechesi* autem *XIII*, n. 17, universum humanum genus peccato obstrictum dicit, et vocat *humanitatem peccatricem* [3]); peccatum præterea dicit *maximum humani generis vulnus;* aliaque plura habet, quæ omnem de ejus mente suspicionem amovent.

458. *Ad* 5m, *Dist.* Id est, non propter personale peccatum Adæ, sed propter suum, quod nascendo ex Adam quisque contraxit, *conc.* propter suum actuale tantum, *neg.* Hoc enim falsum esset in infantibus, ut patet. Recte siquidem Theodoretum de peccato originali sensisse aperte ostendunt, quæ in *Epitome divinorum decretorum* cap. XI, scripsit: *Justitiæ decretum, cum unus peccaret, universum genus humanum morti tradidit. Divina autem misericordia, cum omnes essent sub maledicto, et peccati laqueis essent implicati, per unius justitiam dedit omnibus salutem* [4]).

1) Cfr. Huet. in *Origenianis*, lib. III, §. 24. Ex innumeris fere, quæ adduci possent, Origenis testimoniis, in quibus peccati originalis propagationem palam profitetur, unum afferimus ex *Hom.* XIV, *in Luc.* ubi ait: „Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum, de quo paulo ante diximus: Nullus mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus super terram? Et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli." Cfr. etiam *Hom.* VIII et XI, *in Lev. et Contra Cels.* lib. IV, pag. 191, edit. Spenceri.

2) Ut in loc. cit. *De baptismo*, circa finem cap. XVII, ubi inter cætera scribit: „Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus est perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit." Cæterum *De cultu fœminar.* lib. I, cap. I: „Ut non magis, *inquit*, in sordibus ageret et squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Hevam lugentem et pœnitentem, quo plenius id, quod de Heva trahit (ignominiam dico primi delicti et invidiam perditionis humanæ), omnis satisfactionis habitu expiaret . . . et Hevam te esse nescis? Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo; vivat et reatus necesse est. Tu es diaboli janua, es arboris illius resignatrix, etc." Alia testimonia habet Bellarminus loc. cit.

3) *Ἡ ἀνθρωπότης ἁμαρτωλός·* et *μέγιστον ἦν τὸ τραῦμα ... τὰ τῆς ἀνθρωποτητος τραύματα.* Plura alia vide apud Touttée, Dissert. III, *De Doctr. S. Cyrilli*, cap. 6, *De peccato originali*, Parisiis 1720.

4) *Ὁ μὲν γὰρ τῆς δικαϊοσύνης ὅρος, ἑνὸς ἡμαρτηκότος, ἅπαν τὸ τούτον γένος*

PROPOSITIO III.

Dogma de propagatione peccati originalis nullo modo rectæ rationi adversatur.

459. Veritas hujus propositionis non solum indirecte constat ex generali illo principio, per quod fieri omnino nequit, ut recta ratio aliquid doceat, quod divinæ revelationi adversetur; sed constat præterea directe, dummodo germana teneatur notio peccati originalis ex Ecclesiæ doctrina.

460. Quod ut pateat, juverit in mentem revocare, quæ attulimus ex Concilio Tridentino, quod palam docuit peccatum originale esse *mortem animæ*. Porro mors non est nisi vitæ privatio; cum autem vita animæ sit gratia sanctificans, hinc facile fluit, mortem animæ, ac proinde peccatum originale in sua formali ratione, ut aiunt, spectatum, consistere in privatione gratiæ sanctificantis seu justitiæ originalis, quam Adam peccato suo actuali, dum sibi perdidit, perdidit etiam toti posteritati suæ [1]).

461. Superius notavimus, aliud esse *carentiam* rei indebitæ, aliud *privationem* rei debitæ. Si Adam divino munere non fuisset elevatus ad statum supernaturalem per gratiam sanctificantem seu justitiam originalem, neque præterea illis donis gratuitis cumulatus fuisset, quæ constituebant integritatem naturæ, cujusmodi esse diximus scientiam, rectitudinem seu ordinationem partis inferioris ad superiorem, immortalitatem corporis, immunitatemque a doloribus; tam ipse quam ejus posteri sine ipsis fuissent, quin horum carentia habuisset rationem vel culpæ vel pœnæ. Quum vero divinæ bonitati placuerit elevare hominem a se conditum et cum ipso et in ipso totam humanam naturam ad ordinem supernaturalem per gratiam sanctificantem seu justitiam originalem, cujus ope tandem aliquando perveniret ad consortium divinitatis per visionem beatificam; quum præterea eidem Adam et in ipso et cum ipso toti humanæ naturæ contulerit integritatem per dona gratuita, quæ adjecit, Adam vero per peccatum a se patratum tum sibi tum posteris hæc amiserit; hinc fit, ut horum privatio habeat tam in Adam quam in ejus posteris, rationem tum peccati tum pœnæ: *peccati* quidem, quoad privationem justitiæ originalis stricte sumptæ; *pœnæ*, quoad privationem cæterorum donorum, quæ eidem Deus adjecerat. Hoc tamen intercedit inter peccatum Adæ et peccatum posterorum ejus discrimen, quod peccatum in Adam duplici sensu tale sit, nempe actionis et reatus, qui actionem

τῷ θανάτῳ παρέδωκεν· ὁ δὲ θεῖος ἔλεος πάντων ἀνθρώπων ὑπὸ τὴν ἀρὰν γεγονεμένων, καὶ ταῖς τῆς ἁμαρτίας πάγαις ἐμπεπαρμένων, δι᾽ ἑνὸς δικαιοσύνην πᾶσι τὴν σωτηρίαν δηδώρηται, pag. 280 et seqq. tom. IV, opp. edit. Sirmondi, ubi plura vide.

1) Cfr. S. Thom. loc. cit. 1ª, 2ᵃᵉ, q. 82, art. 3, ubi conceptis verbis inquit: *Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali.*

pravam sequitur, atque consistit in gratiæ privatione seu expoliatione; in posteris vero in altero tantum sensu, nempe quantum ad illos, peccatum istud consistit in reatu seu privatione sive expoliatione gratiæ sanctificantis 1).

462. Quum Adam debuerit conservare statum illum supernaturalem, ad quem a Deo per gratiam sanctificantem fuerat elevatus, neque illum absque gravi culpa potuerit amittere, non poterat Deo esse acceptus, nisi tali gratia ornatus. Hæc proinde gratia inesse, seu inhærere debebat tum ipsi tum ipsius posteritati: cum vero peccasset, hinc tam ipse quam ejus posteri destituti seu privati sunt re debita, seu quæ inesse aut inhærere eis debuisset; quare dum dicimus rationem formalem peccati consistere in privatione, non simpliciter id intelligendum est, sed in *privatione rei debitæ,* seu gratiæ sanctificantis, quæ singulis deberet inesse, ut essent Deo grati et accepti. Adam ea privatus fuit *agendo*, posteri autem *nascendo*.

463. Hinc optime S. Anselmus, *De concept. Virg. et peccato orig.* cap. XXIII, alias XXI: *Quod in illis* (infantibus), inquit, *non est justitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam ... spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam; et natura egens facta, omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit.* Et cap. XXVII, alias XXVI: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem.* Sed cfr. ipse ibidem.

464. S. Anselmo adjungimus S. Thomam, qui in II *Sent.* dist. XXX, q. 1, art. 2, inter cætera, quæ præclare ibi scribit, hæc habet: *Dicendum, quod defectus illius originalis justitiæ, quæ homini in sua creatione collata est, ex voluntate homi-*

1) Hic sedulo est animadvertendum, duplicem subesse *peccati* nomini notionem seu acceptionem: altera est *vulgaris*, ut ita dicam; altera vero *theologica.* Vulgari sensu dicitur actio ipsa prava et inordinata, qua quis Dei mandatum transgreditur; sensu theologico peccatum dicitur status ille habitualis, quo quis in statu peccati manet, seu a Deo aversus, destitutus gratia sanctificante, quæ amissa est per actum ipsum transgressionis. Quo sensu etiam vulgus dicere solet: Talis vel talis vivit in peccato, mortuus est in peccato, etc. Tamdiu vero quispiam in tali statu manet, quamdiu per veram conversionem ipsi non restituitur amissa gratia sanctificans. Hic autem status perquam proprie *peccatum* dicitur et est; siquidem est privatio rectitudinis, sanctitatis et amicitiæ cum Deo. Non est sola carentia aut negatio, sed verissima perfectionis privatio, juxta divina promissa debitæ. Voluntaria quoque dici debet, non adinstar actionis, quæ a libera voluntate proficiscitur, sed instar effectus, qui parvam actionem consequitur, aut instar termini, in quem denique ducit actio prava. Ab ea homo denominatur *habitualiter* malus et peccator, redditurque abominabilis Deo. Privat ipsa præterea hominem, seu animam candore et fulgore; unde *macula* est et labes animæ. Quæ sane omnia constituunt *veram* peccati *rationem.* Cf. De Rubeis, *De pecc. orig.* cap. 58, §. 3. Hoc vero postremo sensu peccatum Adæ in posteros propagatum dicitur.

nis accidit, et sicut illud naturæ donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente: ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturæ; ad idem enim genus privatio et habitus referuntur. Et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est, primi hominis inductus est talis defectus [1]).

465. Gratiæ sanctificanti seu justitiæ originali adnexum erat donum integritatis, seu adnexa erant dona nuper commemorata, quæ a gratiæ sive justitiæ originalis conservatione pendebant. Amissio præterea seu privatio justitiæ originalis secum adduxit amissionem seu privationem ejusmodi donorum, tum in Adam, tum in ejus posteris. Hæc autem privatio non habet proprie rationem *peccati*, sed tantum *pœnæ* et *effectus*, subsequentis privationem justitiæ originalis seu gratiæ sanctificantis.

466. Hinc ignorantia, in malum pronitas, concupiscentia, seu potius concupiscentiæ rebellio, cæteræ ærumnæ, mors ipsa, sunt totidem *pœnæ et effectus* peccati originalis [2]).

467. Jam vero juxta doctrinam catholicam superius vindicatam, tum elevatio primi hominis ad statum supernaturalem per gratiam sanctificantem, tum integritas naturæ non fuerunt humanæ naturæ debita, sed dona fuerunt gratuita, homini a divina largitate concessa, ita ut Deus potuerit absolute sine illis hominem condere. Igitur homo per peccatum non amisit nisi ea, quæ superaddita a Dei liberalitate illius naturæ fuerant. Seu, quod idem est, homo per peccatum ad eum se redegit

1) His vero si conferantur quæ Leibnitzius, Wolfius, Kantius, aliique excogitarunt de animalculorum præformatione, quæ ab Adamo ad hominis usque generationem per gradus lineæ descendentis deferantur; si conferatur systema Du Vigier, qui prima corpusculorum stamina ab initio elaborata invehit ad explicandam originalis peccati propagationem, patebit quam absurda hæc sint commenta ac indigna christiano philosopho. Cf. de his Bern. De Rubeis, op. cit. cap. 70 et 71.

2) Passim scholastici cum S. Thoma vocant concupiscentiam, seu concupiscentiæ inordinationem, *materiam* peccati originalis, vel partem *materialem* peccati, ut eam discernant a privatione gratiæ sanctificantis seu justitiæ originalis, quam dicunt partem *formalem* aut etiam *formam*. Verum etiamsi non rejiciamus hanc distinctionem et denominationem, multo nobis videtur commodius concupiscentiam vocare *pœnam* et *effectum* peccati originalis, perinde ac reliqua in textu commemorata. Privatio enim rectitudinis seu plenæ subjectionis partis inferioris ad superiorem, quæ subsecuta est amissionem justitiæ originalis, habet rationem pœnæ et effectus extrinseci. Et sic tollitur quævis æquivocatio. Sane ex Card. Pallavicino (*Della storia del Conc. di Trento*, lib. VII, cap. 9 n. 7) discimus: „Si cancellò dal decreto (*peccati originalis*) un periodo, nel quale dicevasi, che il Concilio non riprovava quella succinta proposizione, usata dagli scolastici: Del peccato originale rimanere dopo il battesimo la parte materiale e non la formale.” Delendo hanc periodi particulam, Concilium profecto non damnavit ejusmodi distinctionem; attamen hinc constat, posse quempiam eam impune rejicere, maxime quod ipsum Concilium declaraverit concupiscentiam eo tantum sensu dici *peccatum, quia a peccato est et ad peccatum inclinat.* Nec desunt, ut videbimus, qui hujusmodi verborum tegmine abutentes, erroneas doctrinas incautis obtrudant.

statum, in quo absolute creatus fuisset, si Deus cætera dona minime addidisset, tum pro hac, tum pro altera vita [1]).

468. Quod si status ille, qui in alia hypothesi fuisset *conditio puræ naturæ*, nunc habet rationem *naturæ peccatricis, lapsæ* ac *depravatæ*, ideo est, quia a peccato personali Adæ seu primi parentis inductus est. Hinc in iis, qui nascuntur ex Adam, defectus gratiæ habet, ut diximus, rationem privationis rei debitæ, seu peccati, defectus vero integritatis habet rationem pœnæ, seu effectus peccati. Quare in præsenti conditione nomina *peccati et pœnæ* sunt relativa ad statum elevationis et integritatis, et ideo sunt *peccatum* et *pœna* non in se, sed quia relationem habent ad peccatum Adami; contrarium autem damnatum fuit in propositione 47 Baji, quæ ita se habet: ***Peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla ratione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.***

469. Sic dum dicimur nasci per peccatum aversi a Deo, ejusmodi *aversio* intelligi debet in sensu *negativo*, seu de defectu conversionis et amoris; alioquin, si de aversione *positiva* accipi deberet, sequeretur parvulos, cum usum rationis attingunt, actualiter odisse Deum, ac repugnare divinæ legi, quod absurdum est, et pariter damnatum in propositione 49 Baji, quæ sic sonat: ***Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet*** [2]).

1) Clarissime hoc exponitur a Card. Cajetano, *Comm. in* 1ª, 2ᵐ, q. 109, art. 2 S. Thom. ubi loquens de differentia inter naturam in puris naturalibus et naturam lapsam, ait: „Quæ *(differentia)*, ut unico verbo dicatur, tanta est, quanta est inter personam nudam ab initio et personam expoliatam...Sicut enim persona nuda et persona expoliata non distinguuntur in hoc, quod una sit magis aut minus nuda, ita natura in puris naturalibus, et natura expoliata gratia et justitia originali non differunt per hoc, quod altera earum sit magis aut minus in naturalibus destituta...Sed quantum ad rationes rerum, magna differentia est, quia sicut in persona nuda, nuditas negationis rationem habet, in expoliata vero habet rationem privationis vestis debitæ conservari..., ita defectus animæ et corporis naturæ in puris naturalibus nec culpæ, nec pœnæ, nec vulnerum, etc. rationem habent, sed naturalium conditionum; in natura autem lapsa habent rationem corruptionum, vulnerum, pœnæ et culpæ in parte susceptiva illius." Ita etiam loquitur Dominicus a Soto, alter eximius Ordin. Prædicator. theologus, qui, *De natura et gratia*, lib. 1, cap. 9, dicit: „Illud *(peccatum originale)* primum fuit, cui posita erat pœna communis, scilicet ut genus nostrum in suam nudam naturam recideret." Sic Bellarminus, *De gratia primi hom.* lib. 1, cap. 5, §. 12: „Quare, *inquit*, non magis differt status hominis post lapsum Adæ a statu ejusdem in puris naturalibus, quam distet spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, etc."

2) Hoc ipsum animadverterat Cl. De Rubeis, diss. cit. cap. 46, n. 3, his verbis: „Quod in originali peccato permanenter et instar habitus est, in defectu consistit, non in aliquo pravo intellectus judicio, neque in aliqua prava voluntatis conversione in bonum commutabile; sed attamen ex eo defectu cognitionis in intellectu oritur habilitas ejus ad errandum, et ex defectu rectitudinis in appetitu oritur ejusdem habilitas ad inordinate concupiscendum, et ex defectu rectitudinis in voluntate oritur pronitas voluntatis ad pravos consensus."

470. Ex his porro, quæ juxta doctrinæ catholicæ regulas explanavimus de peccati originalis natura, propagatione et effectibus, pronum est inferre adversus incredulos:

471. 1° Nihil igitur habet dogma de peccato originali ejusque propagatione, quod rectæ rationi adversetur. Quænam enim concipi repugnantia potest in eo, quod Deus ob culpam hominem expoliaverit gratuitis donis, quibus ipsum ex pura sua liberalitate cumulaverat? Imo potius ejus bonitas in eo commendanda est, quod tot ac tantis bonis ipsum gratuito ditaverit [1]).

472. 2° Frustra igitur insultant increduli catholicæ fidei, quasi hæc ad exponendam propagationem peccati originalis doceret voluntates nostras *conjunctas* seu *inclusas* fuisse in voluntate Adami, sive spectetur ut caput physicum, sive ut caput morale totius generis humani, quod ipsi absurdum esse clamant, eo quod nostræ voluntates non existerent; quod vero non existit, nec agere nec velle vel repræsentari per alium potest, nisi ad summum per fictionem juris relate ad effectus externos, ut in societate quandoque contingit, non autem quoad reatum intrinsecum et proprie dictum [2]). Nam ipsi permiscent fidei dogma cum explicationibus privatorum, quas Ecclesia nec approbat nec rejicit.

473. 3° Quin potius ex dictis inferimus, nec habere locum difficultatem petitam ex *modo* propagationis peccati originalis. Si enim ratio *formalis*, ut aiunt, seu essentia vel, si mavis, *quidditas* peccati originalis consistit juxta exposita in sola *privatione* gratiæ sanctificantis, seu justitiæ originalis, dum quæritur, qua ratione seu quo modo propagetur peccatum origi-

1) Apposite Joan. Fonseca, Stabiensis Antistes, apud Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. VII, cap. 8, hujus noxæ propagationem exposuit exemplo regis tradentis feudum subdito suo, ut ad posteros perveniat sub conditione fidelitatis, a qua si deficiat, privet se et posteros suos. Observat autem historicus satis fuisse istud exemplum intentæ a Fonseca explicationi, per quam solum exponere contendebat, quo pacto Deus ob alterius noxam absque injustitia multare nos posset. Qua vero ratione hujusmodi noxa nostrum omnium culpa vocetur, alterius est quæstionis, quam alii ibidem exposuerunt. Adverto autem longe ante Fonsecam hoc idem exemplum attulisse S. Thomam in *Compendio theol.* cap. CXCV.

2) Cf. Feller, *Cathéch. philosoph.* tom. III, art. 5, *Le péché originel*, Cf. etiam De Rubeis, diss. cit. cap. 61, ubi inter cætera scribit: „Minus apta videntur, quæ afferuntur exempla ex humanis actibus atque præscriptis... Tametsi pupillorum voluntas v. g. dicatur quodammodo ex principis præscripto in voluntate tutorum reposita, id attamen negotium omne in actibus effectibusque consistit civilibus atque exterioribus . . . Longe dissita ratio est de peccato originali. Tradux ejus modusque traducis a Dei revelatione pendet, quæ pactum nullum nullamque conventionem indicasse videtur. Agitur etiam de culpa deque pœna proprie dicta, deque posteris hominibus, qui in utramque, culpam et pœnam, incidunt. Atqui ad culpam contrahendam subeundamque pœnam, uni alicujus voluntati alligari eorum voluntates posse qui non sunt, probare non videntur, quæ allata sunt exempla." Dominicus Soto loc. cit. pactum, quod nonnulli dicunt intercessisse inter Deum et Adam nomine totius generis humani, vocat fabulam, dicens aperte: *fabula est.* Sed præstat ipsum adire.

nale, quæritur qua ratione aut quo modo propagetur *privatio*, seu quomodo non communicetur alteri, quod non habetur [1]). Terminus enim generationis est individuum ejusdem speciei; per generationem propterea propagatur seu communicatur natura, qualem illud individuum exigit, ut talis naturæ sit et non alterius.

474. 4° Infertur adversus antiquos novatores Lutheranos, quam absurde commenti ipsi fuerint, peccatum originale consistere in quadam substantia, aut accidenti concupiscentia etc., et adversus Hermesium, qui non dubitavit peccatum originale *in inordinata sensualitate* reponere [2]). Ex quo principio sequeretur adhuc remanere peccatum originale in renatis per baptismum, quum in baptizatis adhuc talis *inordinata sensualitas* subsistat, ac proinde concupiscentiam verum esse peccatum, quæ omnia nimis directe doctrinæ Concilii Tridentini adversantur.

475. Et hæc ex perspicua, quam exhibuimus, juxta catholicæ doctrinæ principia, peccati originalis notione hic deduxisse sufficiat, ne nimis prolixi simus; reliqua autem quæ ex eadem profluunt, data opportunitate, evolvemus.

1) Quæstio potius instituenda esset, quanam ratione justitia originalis, quæ donum gratuitum fuit, in Adæ posteros fuisset propagata, si ille in officio stetisset, cum positiva sit et naturæ superaddita, non autem quomodo non propagetur, quod non est. Exinde patet omnes difficultates sponte sua concidere, v. g. has quæ a Pelagianis tanto cum apparatu proponebantur, quæque ab incredulis instaurantur: Non peccat qui genuit, non peccat qui condidit, non peccat qui nascitur, per quas rimas igitur peccatum fingitur ingressum? Tum etiam: Sæpe qui gignit a peccato justificatus est, quo pacto igitur trajicit peccatum in filium, quod ipse non habet; Non est peccatum nisi voluntarium; aliasque ejusmodi, quæ videri possunt apud Bellarminum loc. cit. cap. 10.

Id ipsum dicatur de hypothesibus circa originem animæ excogitatis ad propagationem peccati originalis explicandam. Mirum est ætate hac nostra virum, alioquin doctum et pium, in Germania non solum revocare antiquatum *traducianismum*, verum etiam ipsum evehere *generatianismum*, quem mordicus tuetur ceu *solum* systema, quo propagatio peccati originalis explicetur, juxta quod non solum corpus, sed anima quoque a parentibus *generatur*. Non vacat ejusmodi systematis argumenta in medium afferre, quæ nullius momenti sunt. Solum observo, generatianismum istum sapere materialismum, quod etiam non leviter indicatur ex argumento, hic ab auctore secundo loco posito: Omnis *organismus* generat simile sibi; ergo homo, etc. Hæc vero ratio vindicandi catholicam doctrinam, ipsam objicit dicteriis et impugnationibus impiorum. Cf. S. Thom. p. I. q. 118, art. 2, ubi non solum argumenta solvit, quæ adducit auctor ad adstruendum *generatianismum* sed in corp. circa fin. hæc habet notatu digna: „Cum sit (*anima*) immaterialis substantia, non potest causari per generationem, sed solum per creationem a Deo. Ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore, et ideo *hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.*"

2) In op. *Christiano-catholica dogmatica*, part. III. Monasterii 1834.; ubi pag. 163, scribit: „Certum igitur est, naturam hujus hæreditatæ peccaminosæ qualitatis consistere posse in hæreditata disproportione inter rationem et sensualitatem; vel brevius: in hæreditata inordinata dispositione, ex qua in annis evolutionis illa disproportio vel illa inordinata sensualitas necessario oritur." Et clarius, pag. 174: „Ego, *inquit*, ex rationibus cap. præced. §. 226, adductis utique peccatum originale in inordinata sensualitate reponam. Qui illam demonstrationem non putat esse sufficientem, substituat corruptionem humanæ naturæ (*ipsi ignotam*)." Eadem jam insinuaverat in *Christ. dogm.* part. I. pag. 33, ubi peccatum originale vocaverat *peccaminosam qualitatem ... aliquam moralem corruptionem*.

DIFFICULTATES.

476. *Obj.* E mytho sacro (hominis lapsus) nulla ejusmodi dogmata in veræ religionis doctrinam recipienda sunt, nisi 1° quæ non pugnant cum idea Numinis et cum naturæ humanæ indole morali, quales e Scripturæ Sacræ effatis indubitatis ac sanæ rationi convenientibus recte demonstratæ fuerint. Quapropter, si dogmata de peccato originis et de imputatione peccati adamitici ad hanc legem exegeris, hæc maxime tenebis: ***Primum***, nec ***benignitatem*** Dei concedere, ut per unius hominis peccatum universa hominum natura corrumpatur atque depravetur: nec ***sapientiam*** pati, ut opus Dei, ab initio præstantissimis instructum dotibus, paulo post ob causam levissimam in aliam plane deterioremque conditionem transformetur; nec ***justitiam*** admittere, ut innocentes ob alienum peccatum ita puniantur, ut ipsis peccandi necessitas imponatur. Hinc bene jam Pelagius monuit, ***nulla ratione concedi posse, ut Deus, qui propria remittit peccata, aliena imputet*** [1]). ***Deinde*** 2° Jesu ipsius nullum extat effatum, quo dogma illud confirmetur: nec quisquam Scriptorum Sacrorum præter Paulum diserte illius mentionem fecit; imo naturæ humanæ post lapsum etiam Scriptura Sacra non solum ipsam imaginem divinam, sed magnas quoque attribuit vires ad virtutem colendam, quam ne ethnicis quidem denegat, eademque peccata ad liberum hominis arbitrium plane perspicueque refert, et filios paternorum peccatorum pœnas luere negat (Deut. XXIV, 16; II (nempe IV.) Reg. XIV, 6; Ezech. XVIII, 20). ***Postremo*** 3° experientia docet, conscientiam recti cum ratione progrediente cuivis homini inesse, et cupiditates ipsas per se malas non esse, sed malas fieri tantum ex prava hominis voluntate, neque vitiositatem eam esse, ut semper et ubique homines qualescumque in pessima quæque ferantur. Ita Wegscheider [2]).

477. Admisso adversarii principio, quod ex mosaica narratione (quam impie ipse *mythum sacrum* appellat) nihil erui possit, quod pugnet cum Numinis idea aut adversetur sanæ rationis principiis.

478. ***Resp. Ad*** 1[m], Negamus doctrinam de propagatione peccati originalis rite expositam juxta catholicæ fidei principia, Dei benignitati, sapientiæ aut justitiæ repugnare. Non quidem benignitati, cui eadem ratione, qua non repugnat permittere in unoquoque nostrum peccata actualia seu personalia, sic nec repugnat illud permittere potuisse in Adam. Idem dic de sapientia et de justitia, prout peccatum Adæ sub respectu peculiaris illius actionis spectatur, seu prout personale fuit. Sin vero idem

1) Apud S. Augustinum, *De peccat. merit.* lib. III. cap. 8.

2) Op. cit. §. 117.

peccatum attenditur, quatenus ad nos relationem dicit, non magis iisdem Dei attributis repugnare evincitur. Sub hoc enim respectu, ut ex dictis patet, peccatum originale in nobis non dicit nisi *negationem* tum gratiæ tum donorum, quæ Adam peccando amisit, et *privationem* relate ad culpam personalem Adæ. Hinc nec deteriores facti sumus, nec positivam corruptionem naturæ incurrimus, nisi quam exposceret prima ipsa naturæ conditio. Ideoque, quod inferius ostendemus, neque ullam peccandi necessitatem, ut adversarius autumat, intulit nobis originale peccatum, neque innocentes ob alienum peccatum plectuntur neque, aliena nobis peccata imputantur.

479. *Ad* 2^m. Esto, nullum extare expressum Christi Domini effatum de peccato originali [1]); quum tamen Apostolus Paulus, ut adversarius fatetur [2]), diserte de eo mentionem fecerit, christiano cuilibet id satis esse debet, ut firmissime illud credat; tum quia Paulus est scriptor divinitus inspiratus, tum quia ipse profitetur, se Evangelium suum neque ab homine neque per hominem didicisse, *sed per revelationem Jesu Christi*, Gal. I, 12; hinc enim patet non aliam esse doctrinam Pauli quam doctrinam Christi [3]). Quod vero subdit de viribus ad virtutem excolendam ac libero arbitrio nobis relictis, non ferit nisi suos Lutheranos, Calvinistas et Jansenistas illorum discipulos, minime vero doctrinam catholicam, quæ, ut ex dicendis patebit, liberum hominis arbitrium post peccatum agnoscit et profitetur, ac Protestantes contrarium docentes anathemate percellit. Quod ex Deut., IV Reg. et Ezechiele urget, nihil commune habet cum eo, de quo nos agimus [4]), siquidem in Deuter. et lib. Regum prohibetur, quominus in politico regimine

1) Dixi *expressum;* æquivalenter enim hoc docuit Christus Dominus. cum, Joan. III, 3, dixit Nicodemo: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei;* et rursum v. 5: *Nisi quis renatus fuerit*, etc.

2) Tandem fatentur, Paulum *diserte* mentionem facere peccati originalis. Quo igitur abeunt tot subtilitates, philologica tentamina Erasmi, Wetstenii, Rosenmülleri aliorumque ad eludendum Pauli testimonium? Ast conscientiæ nunquam ita resisti potest, ut interdum se non prodat. Pretiosa propterea nobis esse debet tam impii hominis confessio, qui præterea ibid. §. 115, fatetur Libros Sacros ipsos docere: „Non solum quemvis hominem ad errores atque vitia proclivem esse, sed nonnullis etiam locis nativam quamdam commemorare naturæ humanæ imbecillitatem ac vitiositatem, per Adam ad posteros propagatam." Quod sane parum non est.

3) Hic vero notanda est ejusmodi hominum Protestantium inverecundia, qui nullum servant modum, omnem a Sacris Scriptoribus inspirationem ablegant, et erroris eosdem insimulant; ut patet ex ejusdem scriptoris verbis, §. 118, ubi ait: „Imputatio vero illa peccati adamitici, quam Paulus Apostolus, sui temporis doctores Judæos secutus, argumentationibus suis subjecit, ad obsoleta dogmata releganda est; quæ et philosophiæ et historiæ ignorantia in magnum veræ pietatis detrimentum per Ecclesiam propagavit et aluit." Potestne reperiri aut fingi major audacia? Attamen hic publicus professor est in academia Fridericiana! Tales sunt protestantismi progressus in Germania. Suo loco vidimus accusatum Joannem et cæteros Apostolos emotæ phantasiæ, eo quod Christi divinitatem prædicaverint; nunc accusatur Paulus; interdum accusatur Christus ipse!!

4) Hæc ipsa jam objecerat Voltaire in suo *Dict. philos.* art. *Ezéchiël* Cf. *Lettres de quelques juifs*, etc. tom. II, lett. IV, §. 6.

filii insontes occidantur una cum patribus. Ezechiel vero loquitur de iis, qui patres suos non imitantur, ut ex dictis patet.

480. *Ad* 3[m], Reponimus pariter hæc non impetere nisi novatorum doctrinam, qui docuerunt peccatum originale consistere in vitiositate et concupiscentia; concupiscentiam ipsam esse vere et proprie peccatum; inquinari ab ipsa omnia justorum opera, aliaque absurda, a quibus doctrina catholica penitus abhorret [1]). Idipsum dicatur de iis, quæ idem auctor ibidem fuse prosequitur, quasi doctrina de peccato originali conferret ad virtutis studium deprimendum vel plane extinguendum, foveret superstitionem, aliaque ejusmodi, a quibus refellendis supersedemus, utpote quæ omnia proficiscantur ex falso supposito atque a commentitia catholicæ doctrinæ expositione.

481. Sic pariter supersedemus ab aliis incredulorum difficultatibus afferendis, quæ omnes eodem vitio laborant; quæque ex data explicatione peccati originalis ita evanescunt, ut nullum amplius locum habeant. Velle propterea his diutius insistere, idem esset ac tempus inutiliter terere et crambem repetere.

482. Satis erit in exitu quæstionis, Muratorii sententiam verbaque proferre, quibus propulsat ac penitus obterit Pelagianos, Socinianos, cæterosque incredulos hujus temporis, qui catholicam doctrinam incusant, quasi ipsa Deum injustum exhibeat, quod ob unius culpam genus humanum universum tot tantisque objiciat pœnis: *Quod si justus*, inquit, *et laudandus esset Deus, si talem, qualis nunc est, hominum naturam creasset, sique Phereponus* (Clericus), *ut arbitror, idem fatetur, imo contendit, quid est quod ipse ejusque majores Pelagiani, justitiam divinam Catholicorum opinione dictitant lædi; et cogitatione assequi non posse videntur, quomodo Augustini hypothesis, imo thesis, consistere queat cum ejusdem divinæ justitiæ evidentissima notione? Iisdem testantibus, divinæ bonitati atque justitiæ contrarium non est, naturam nostram ab initio tot subjecisse ærumnis, cum tanta proclivitate ad malum, tantaque difficultate ad bonum, tametsi nulla culpa præcesserit; ergo multo minus divinæ justitiæ repugnat, tot in nos mala congerere unius peccati præcedentis intuitu. Justus ergo et bonus et laudandus in utraque hypothesi Deus. Hæc sola intercedit diversitas: quidquid Pelagiani adferre possunt pro tuenda justitia ac bonitate divina in hypothesi sua, illud ad eamdem tuendam in hypothesi Catholicorum inservit. Quidquid vero Catholici pro sua habent, non æque a*

1) Sic enim ad mentem Concilii Tridentini declarat doctrinæ catholicæ sensum *Catechismus Rom.* part. II. cap. 2, 32: „Concupiscentia, quæ ex peccato est, nihil aliud est nisi animi appetitio, natura sua rationi repugnans; qui tamen motus, si voluntatis consensum aut negligentiam conjunctam non habet a vera peccati natura longe abest." Errores vero Lutheranorum Concilium Trid. sess. V. anathemate confixit.

Pelagianis pro sua opinione usurpari potest. Facilius enim Catholici justitiam ac bonitatem Dei sartam nobis tectamque exhibent, tot humanæ naturæ miseriis non a primæva institutione ac voluntate Dei boni, sed a primorum parentum culpa derivatis, quam si talem, qualis nunc est, naturam ab initio creatam affirment. Et hoc sinceri sagacesque viri non intelligere nequeunt 1).

483. De iis, quæ spectant ad ejusdem originalis peccati remedium tum apud Hebræos tum apud ethnicos, in tract. *De baptismo* disseremus.

CAPUT V.

DE PECCATI ORIGINALIS EFFECTIBUS.

484. Primi *emendatores sacrorum* (hæresiarchæ) ex eo, quod sunt amplexi, principio, justitiam originalem, quæ, ut diximus, complectebatur tum gratiam sanctificantem tum dona gratuita, quibus Deus primum hominem cumulavit, esse eidem homini debitam ac partem essentialem ipsius humanæ naturæ, deduxerunt, hominem lapsum per justitiæ originalis amissionem turpiter adeo corruptum esse, ut amiserit prorsus libertatem suam naturalem, factus sit in spiritualibus veluti truncus, lapis, salis statua, ipsamque amiserit ad agendum atque ad sese determinandum *potentiam* 2); intulerunt insuper concupiscentiam verum esse peccatum; quæ cum inficiat omnes hominis actiones, has totidem fieri peccata; philosophorum virtutes totidem vitia esse 3).

1) Op. cit. lib. III, cap. I.

2) Dixi *potentiam,* licet enim nonnulli recentiores Protestantes negent, majores suos inficiatos esse ejusmodi potentiam in homine lapso, satis tamen superque ex libris eorum symbolicis constat, ipsos eam absolute negasse. Etenim, ut alia omittam, *Apolog.* II. §. 2, pag. 54, legitur: „Hic locus testatur nos non solum actus, *sed et potentiam,* seu dona efficiendi timorem et fiduciam erga Deum, adimere propagatis secundum naturam." Cæterum eos hominem lapsum velut truncum habuisse, patet ex *Form. Concil. epit.* art. I, p. 572 et seqq.; *Declar.* art. I, pag. 544, ubi dicitur: „In spiritualibus et divinis rebus, quæ ad animæ salutem spectant, homo est instar statuæ salis, imo est similis trunco et lapidi, ac statuæ vita carenti, quæ neque oculorum, oris aut ullorum sensuum cordisve usum habet." Et pag. 661: „Et hac ratione recte etiam dici potest hominem non esse lapidem aut truncum. Lapis enim aut truncus non reluctatur; sed neque intelligit aut sentit, quid secum agatur, sicut homo Deo sua voluntate reluctatur." Et pag. 723: „Velut ille Adam quasi asinus indomitus et contumax.,. quasi fuste, plagis, etc." De libertate post peccatum hæc habet *Apol. Confession. Augustanæ,* I. 50, „Libero arbitrio in rebus spiritualibus omnino destituta, etc.," nempe humana voluntas.

3) Quod attinet ad concupiscentiam, Protestantes eam habuisse ut *verum peccatum,* evincunt clare ipsorum testimonia. Sic Melanchton, *Loc. theol., De peccato orig.* pag. 360 et seqq.; Chemnitius, *loc. theol.* I, 317.; Quenstedt, *Theol. did. pol.* II. 135 et seqq.; Gerhard., *Loc. theol.* IV, 317 et seqq.; Bretschneider, *Entwickl. der dogmat. Begr.,* seu *Evolut. dogm. concept.* §. 94. Sed præstat, id evincere ex ipsorum libris symbolicis. Itaque in *confessione Gallic.,* art. XI. dicunt: „Credimus, hoc vitium *(concupiscentiam)* esse vere peccatum, quod omnes et singulos homines, ne parvulis quidem exceptis adhuc in utero matrum

485. Hæc ipsa ex eodem principio collegerunt Bajus ac Jansenius, ut ex dictis ac dicendis patebit.

486. Posteriores *sacrorum emendatores*, seu qui sub finem sæculi elapsi et hac ætate nostra suos emendatores emendarunt vel in dies magis emendant, ex ea, quæ protestantismi propria est, natura in oppositos errores dilapsi sunt ac dilabuntur, quo magis rationalismus progreditur et evolvitur.

487. Isti igitur autumant, 1° Adamum *paradisiacum* (sic enim vocant hominem justitia originali præditum) nunquam fuisse individuum *historicum* ac reale, sed merum *ideale*, quatenus per ipsum prototypus spiritualis intuitionis exhibetur, ad quem homo realis et historicus saltem propius pertingere posset, ác tandem magis magisque pertingeret illum in se exprimendo [1]).

488. 2° In doctrina Lutheri, asserentis justitiam originalem constituisse partem essentialem naturæ humanæ, agnoscunt sublimiorem humanæ ejusdem naturæ ac dignitatis formam, juxta quam justitia sive sanctitas in hominis natura reperitur, et ei non ab extrinseco provenit, ut Catholici, juxta ipsos, perperam docent.

489. 3° Hinc, si justitia originalis homini concreata est et naturalis, etiam justitia *restauratrix* ac *redimens* eumdem characterem habeat necesse ést. Quare Redemptor ipse non est apparitio absolute supernaturalis, sed juxta aptissimam formulam Schleiermacher, Christus est *perfectionata creatio humanæ naturæ* [2]).

490. 4° Peccatum proinde originale seu hominis lapsus, spectari tantum potest velut naturæ lapsus in deterius, quæ a Deo pura atque honesta ab origine condita est; ac ita se habet ejusmodi lapsus et malum, quod inde profluit, ad naturam, sicut *positivum* stat ad *negativum*. Distinguere enim debemus, aiunt, partem positivam et negativam naturæ humanæ. Quidquid spe-

delitescentibus, æternæ mortis reos coram Deo peragat." Idem docet *Catechism. Heidelbergens.* quæst. 5 et seqq. *Conf. Belgica*, art. xiv et seqq.; præsertim *Conf. Augustana*, art. ii, p. q. Quod spectat ad sententiam Melanchthonis circa virtutes gentilium, vadem habemus ipsum Wegscheider, qui §. 115, not. f) ait: „Ipse Melanchthon virtutes gentilium vera vitia et arboris maledictæ fructus nominare haud dubitavit." *Loc. theol. ed. princ. anno* 1521, fol. 16, art. b. „Veruntamen quod Melanchthon Socratis, Zenonis, Catonis aliorumque virtutes philosophicas, ut ait, pro vitiis habet et virtutum umbris, ex amore laudis ortis, parum memor fuisse videtur eorum quæ leguntur apud Ciceronem, etc." Ex his discimus, unde dogmata sua hauserunt Jansenistæ.

1) Ita Baür, hodie prof. theol. protestanticæ in univers. Tubingæ, in opere, quod opposuit libro Cl. Doct. Möhler, cui tit. *Symbolica, seu expositio dogmaticarum antithesium Catholicorum et Protestantium*, Moguntiæ, 1832, qui non ita pridem et ipse erat professor theolog. catholicæ in eadem Tubingæ universitate; verum cum scripsisset, *Neue Untersuchungen* etc. seu *Novas disquisitiones circa dogmata opposita inter Catholicos et Protest. sive Defensio meæ Symbolicæ adversus criticam profess. Baür*, etc. Moguntiæ 1834, ex illo commendatissimo tolerantiæ domicilio migrare, saltem indirecte, coactus fuit; postea vero professor theologiæ in universitate Monachii in Bavaria, ibidem obiit anno 1838. Cf. cit. opus, *Novæ disquisitiones*, pag. 72, et pag. 122.

2) Cf. ibid. pag. 123.

ctat in homine ad partem positivam, est ipsa natura a Deo condita; quidquid autem negativum est in positivo, considerari debet velut negatio ac terminus activitatis creatricis Dei relate ad hominem, seu velut defectus ulterioris perfectionis in humana natura. Ac propterea, quod idem est, ex istorum doctrina peccatum originale non consistit nisi in malo metaphysico, seu in creaturæ humanæ limitatione; eo enim ipso quod homo finitus est, peccator est [1]).

491. 5° Quare totum humanum ens concipi debet velut vitalis quædam per internam legem dynamica coordinata evolutio, per quam opposita sibi invicem principia, in primo jam semine inclusa, magis semper magisque resolvuntur ac manifestantur sub diversissimis formis, juxta relativam præponderantiam unius vel alterius, aut extolluntur per seriem graduum mirifice inter se coordinatorum ad summam vitæ potentiam [2]).

492. Ex hac principiorum sibi oppositorum colluctatione ac relativa dynamica prævalentia sive rationis super sensibilitatem sive sensibilitatis super rationem, inferunt induci necessitatem, a qua homo nunquam non impellitur. Si prævalet sensibilitas, non habetur nisi homo *naturalis*, qualis nempe in suis primordiis conditus est et deinceps lapsus; si prævalet ratio, tunc habetur homo *renatus* sive supernaturalis, qui naturali sua virtute magis evolvitur, et uno vel pluribus gradibus super hominem naturalem extollitur, prout magis minusve excitat in se vitam religiosam humanitatis, quam in se Christus in summo gradu expressit ac exhibuit. Sane nunc homo institutionis ac politioris humanitatis ac scientiarum ope ad ejusmodi perfectionem accessit et statum supernaturalem, ad quem a Christo excitatus est, et in dies magis magisque progredietur [3]).

493. Sic isti Rationalistæ, qui, dum universam, ut ita dicam, terminologiam religiosam retinent *justitiæ originalis*, *peccati originalis*, *redemptionis*, *status supernaturalis*, *gratiæ*, *libertatis* etc., totam religionem funditus labefactant ac evertunt [4]);

1) Ibid. pag. 139.

2) Ex his patet, systema Baür sub diversis vocibus convenire cum systemate janseniano de duplici delectatione necessario ac relative victrice. Cfr. pag. 123.

3) Ibid. p. 151, et seqq. Hic merito observat Cl. Möhler: *Sic igitur juxta Baür est Orpheus ad Christum, uti se habet cantatrix diobolaris seu plateuris ad dominam Catalani, aut uti Opiz ad Goëthe.* Ita ut totum discrimen, quod intercedit inter hominem quemcumque et Christum, pendeat ex diversis sapientiæ ac probitatis gradibus, et fieri fortasse poterit (quod in istorum hypothesi factum iri desperandum non est) ut aliquis Christum ipsum adæquet, aut etiam præcellat. Talis est Christi idea, quam novi isti emendatores sacrorum nobis exhibent!

4) Ex quibus liquet, plane Rationalistas convenire cum Sansimonianis, novis templariis, qui, ut vidimus in tract. *De Deo*, nomina retinent *Dei*, *Trinitatis*, *Salvatoris* seu *Redemptoris*, *Messiæ*, etc. notionem vero atque existentiam rejiciunt, ac evertunt. Nec mirum, siquidem fratres omnes sunt ex eadem familia, qui, mutato nomine atque habitu, impietatem profitentur, Rationalistæ velamine biblico obducti, cæteri citra omnem ambagem aut pallio philosophico obvoluti.

et tamen Pelagianam audent vocare libertatem illam indifferentiæ, quam in homine lapso Catholici tuentur [1]).

494. Verum incredulis istiusmodi dimissis, quum Jansenistæ plane conveniant cum antiquo Protestantium systemate circa justitiam originalem homini debitam, circa originalis noxæ naturam et inductam inde totalem ac essentialem hominis lapsi corruptionem, eadem ac priores Protestantes, mutatis vocibus, colligunt consectaria tum circa concupiscentiam, quam et ipsi peccatum proprie tale vocant, tum circa infidelium virtutes, quas pariter dicunt fuisse ac esse totidem vitia aliaque ejusmodi, tum præcipue circa libertatis amissionem ejusque in homine lapso naturam.

495. Quod attinet ad reliqua doctrinæ capita, ea suo loco expendemus; hic discutiendam suscipimus eorum doctrinam circa hominis lapsi libertatem. Duplex porro est circa hanc doctrinam præcipuus Jansenistarum error: alter versatur circa naturam istius libertatis, quæ non requirit in istorum hypothesi nisi immunitatem a coactione, non autem a necessitate, ut homo in statu naturæ lapsæ possit mereri vel demereri; alter circa existentiam libertatis indifferentiæ, quam penitus per originale peccatum sublatam fuisse autumant. Adversus quos errores sit

PROPOSITIO I.

Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficit libertas a coactione, sed illa præterea requiritur, quæ dicitur a necessitate.

496. Hæc propositio de fide est. Etenim contradictoria propositio III. Jansenii, quæ his verbis concipitur: ***Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione***, tanquam *hæretica* proscripta fuit ab Innocentio X [2]). Jansenio præiverat

1) Sic loquitur Baür apud Möhler, pag. 81: „Cum libero arbitrio, quamcumque demum ejusdem notionem nobis effingamus, connectitur Pelagianismus in tota sua extensione. Quid aliud enim liberi arbitrii nomine designatur (nisi velimus ei subjicere notionem prorsus arbitrariam), quam facultas se determinandi pari modo ad unum vel ad alterum ideoque tam ad bonum quam ad malum? Igitur sine sensu atque contradictorium est, præter liberum arbitrium admittere quamdam præponderantem tendentiam sensibilem, quæ semper inflectat solum ad alterutram partem. Perinde ac libra, cujus ambæ lances, nisi æquales sint, atque ita dispositæ, ut æquilibrium post nutantem aliquem motum restituatur; nihil est, quod fini suo suoque concептui respondeat, ita nulla justa idea cum liberi arbitrii nomine conjungi potest, nisi sumatur velut totalis indifferentia passiva ac velut æquilibrium. Quævis inflexio erga alterutram partem destruere non debet possibilitatem præcipitandi singulis momentis in oppositam partem; quia libertas, utpote electionis facultas, non admittit gradualem differentiam, aut vacillationem inter plus et minus. Hic solummodo punctum quæstionis sistit, an adsit; necne. Qui eam in sensu totali non habet, prorsus non habet." Ast vehementer errat hic auctor tum circa germanam libertatis, tum circa veram Pelagianismi doctrinam; ut partim ex dictis, partim ex dicendis planius fiet.

2) In bulla, *Cum occasione.*

Bajus, cujus propositio 38: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*, pariter damnata est a Gregorio XIII aliisque Romanis Pontificibus [1]).

497. Ne verborum ambagibus implicemur, juverit paucis perstringere, ad majorem dicendorum perspicuitatem, quæ a theologis ac philosophis probatis traduntur circa libertatis naturam.

498. *Primo* libertas prout hic eam accipimus, definiri potest *facultas eligendi*. Hæc definitio universalis est, et competit omni enti libero: Deo, Angelis, homini. Complectitur præterea tum libertatem, quæ dicitur *exercitii*, tum eam, quæ dicitur *executionis*. Excludit denique omnem necessitatem tum intrinsecam tum extrinsecam, veramque libertatis naturam exprimit variasque ejus species.

499. Sane Deus hujusmodi facultate utitur in omnibus suis operationibus, quæ *ad extra* dicuntur; liberrime enim eligit inter duos vel plures terminos contradictorios, inter duos vel plures diversos potest eligere vel non eligere. In quo vero ejus libertas a libertate tum Angelorum tum hominum differat, mox dicemus.

500. Complectitur eadem definitio, ut diximus, libertatem tum *exercitii* tum *executionis*. Porro libertatem exercitii voco imperium ipsum immediatum voluntatis, seu actum ipsum intimum volendi; libertatem vero *executionis* dico actus imperatos a voluntate et externos, cujusmodi essent surgere, ambulare, etc. Prior libertas habet pro objecto actus internos voluntatis; posterior actus etiam, ut diximus, exteriores. Jam vero libertatis notio proprie dicta non cadit in illam, quam diximus executionis, sed in illam, quam vocavimus exercitii; et hæc est, quæ dicitur facultas eligendi, quæque a Latinis optime dicitur *optio*, a Græcis *προαίρεσις* sive *electio* [2]).

501. Porro *eligere*, si sermo sit de actibus interioribus voluntatis, idem valet ac velle inter duas aut plures res unam, quam in adjunctis, in quibus quispiam vult, possit nolle; aut nolle unam aut plures res, quas in iis adjunctis seu circumstantiis, in quibus reperitur, possit velle, aut contra.

502. Libertati executionis opponitur *violentia* seu *coactio;* ut cum quis impeditur ab aliquo moliendo, vel cogitur ad aliquid faciendum vel omittendum contra suam voluntatem seu voluntatis imperium.

1) Mala Jansenii fides hinc eruitur, qui, cum optime nosset, tum istum, tum cæteros errores Baji, quos ipse revocavit in suo Augustino, jamdiu fuisse a Romanis Pontificibus seu a Sancta Sede proscriptos, attamen moriens in extremis tabulis protestatus est, semetipsum ac librum suum Sedi Apostolicæ humillime subjicere, ut quidquid ipsa decreverit, ratum habere voluerit. Sed cfr. opus, cui titulus: *Réalité du Projet de Bourgfontaine*, ubi omnia hæc impietatis mysteria in apertam lucem proferuntur.

2) Hinc illud: *Optio hæc tua est; utram harum vis conditionem, accipe.*

503. Libertati exercitii opponitur *necessitas*, quæ secum trahit *impossibilitatem oppositi*, ita ut quis sic determinetur, ut non possit non velle, quod vult, aut non possit velle, quod non vult.

504. Fieri autem potest, ut aliquis fruatur libertate executionis, non autem libertate exercitii, et contra, ut fruatur libertate exercitii, et non polleat libertate executionis [1]).

505. Electio duos saltem requirit terminos comparationis; alioquin non daretur facultas eligendi aut optio, si non possit quis nisi unum determinate prosequi aut aversari. Hinc nemo dixerit, liberum esse hominem in prosequendo felicitatem in genere, aut liberos esse beatos in amando Deum; quia in his non dantur termini comparationis, in quos cadat electio.

506. Termini autem comparationis multiplices sunt. Tales esse possunt duo vel plura contradictoria, e. g. amare vel ab amando abstinere; tunc exurgit ea libertatis species, quæ dicitur *contradictionis*. Interdum termini comparationis possunt esse duo non solum contradictoria, sed etiam contraria, ut amare et odisse; in hoc casu ea libertatis species habetur, quæ dicitur *contrarietatis*. Demum ejusmodi termini possunt esse res inter se solum diversæ, e. g. scribere vel legere; et ex his profluit libertatis species illa, quæ *specificationis* aut *disparitatis* nomen habet.

507. In Deo et in beatis non invenitur libertas contrarietatis, qua possit eligi inter bonum et malum; in hominibus vero una cum cæteris libertatis speciebus et hæc reperitur, quæ oritur ab humana natura finita tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

508. Libertatis enim radix, ut observat S. Thomas [2]), *est voluntas sicut subjectum, sed sicut causa est ratio; ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas acceptiones boni.* Animadvertit præterea

1) Qui inclusus e. g. aut vinctus est, etsi maxime velit, non potest foras exire aut loco moveri, in quo detinetur. In interiori proinde animi motu liber est, ast impeditur ejusdem liberæ voluntatis executio extrinsecus. Ita etiam, si superior aliqua intelligentia ita posset in interiora organa nostra agere, ut intimos animorum motus impediret, ac proinde impediretur brachium aut manus, ne se attollerent, non daretur libertas executionis. Vis itaque seu violentia opponitur libertati executionis. At non potest opponi libertati exercitii. In hoc enim haberetur terminorum pugna; cogerer enim actualiter nolle quod volo, aut velle quod nolo, in quo habetur manifesta contradictio. Hinc neque Deus ipse potest violentiam inferre voluntati, ut docet s. Th. 1ª, 2æ, q. 6, art. 4, ad 1m: *Deus qui est potentior quam voluntas humana, potest voluntatem humanam movere . . . Sed si hoc esset per violentiam, jam non esset cum actu voluntatis, nec ipsa voluntas moveretur, sed aliquid contra voluntatem.* Contra vero simplex necessitas non opponitur *libertati executionis*, sive physica sit sive moralis. Si detur quispiam, qui toto vitæ suæ tempore *faciat quod vult*, et detur eodem tempore, ipsum in nullo casu particulari aliter posse operari, etiam si vellet, iste semper necessario cogeretur perficere suas particulares volitiones; neque unquam liber esset, etsi suam semper voluntatem exequeretur.

2) 1ª, 2æ, quæst. 17, art. 1, ad 2m.

ibid. S. Doctor, actus voluntatis et rationis supra se invicem ferri posse, seu mutuam dari actionem voluntatis in rationem, et vicissim rationis in voluntatem, quatenus voluntas potest applicare rationem ad consideranda motiva electionis inter diversos terminos, seu ad deliberandum, et ratio movere potest voluntatem ad eligendum. Hæc autem deliberatio rursum in creaturas tantum cadit, utpote finitas et limitatas, non autem in Deum, qui nunquam deliberat, utpote qui omnia uno actu videt.

509. Ex dictis jam colligitur, 1° non esse permiscendam libertatem executionis, quæ etiam libertas *consequens* nuncupatur, cum libertate exercitii, quæ etiam dicitur *antecedens*, et a qua prior illa pendet.

510. 2° Non esse confundendam *voluntatem* cum *libertate*, quia actus potest esse maxime voluntarius, etsi non sit liber.

511. 3° Nullam dari libertatem, ubi non datur locus electioni. Nec ullam dari electionem, ubi non saltem duo habeantur termini comparationis, in quorum alterutrum cadere possit electio, aut ubi dici nequeat: *Optio hæc tua est*; *utram harum velis conditionem*, *eam sumas.*

512. 4° Naturam libertatis, de qua loquimur, proprie consistere in antecedenti immunitate a quacumque interna necessitate, sive *physica* sive *morali*, aut alio quocumque nomine vocetur, qua tollatur indifferentia ad electionem inter duos aut plures terminos sive oppositos sive diversos, et, si præterea de homine in præsenti statu sermo sit, inter terminos sibi contrarios. Hinc est quod *libertas indifferentiæ* et *arbitrii* etiam nuncupetur, per quam homo vere dicitur et est dominus suarum actionum.

513. *Secundo.* Ad intelligentiam veterum auctorum, quorum auctoritate Jansenistæ mire abutuntur, animadvertisse pariter juverit, 1° veteres passim *voluntarium* et *spontaneum* pro *libero* usurpare [1]; 2° vocabula *voluntatis* et *libertatis* vicissim sumere [2]; 3° sæpe confundere *necessitatem* cum *coactione*, *vi* atque *violentia;* 4° interdum etiam libertatem *naturalem* cum libertate *morali;* idem dicas de servitute [3]. Quæ si, ut par est, ob oculos habeantur, omnia disjicientur, quæ ad suam communiendam sententiam seu hæresim adversarii proferunt, ut ex dicendis patebit.

514. His itaque delibatis, facile sic jam assertam propositionem adstruimus et vindicamus: Etiam in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum non sufficit libertas a coactione, sed præterea requiritur libertas a necessitate, si hæc necessitas etiam

1) Ita S. Augustinus non semel dicit, libere Deum vivere, quamvis maxime necessarium sit eum vivere. Cfr. Petav. *De opif.* lib. III, cap. VI et cap. XII.
2) Cfr. Petav. ibid. cap. VII.
3) Ibidem.

in hoc statu omnis meriti ac demeriti rationem prorsus tollit ac destruit. Atqui. . .

515. Minor autem constat 1° ex iis omnibus Scripturæ locis, in quibus actiones humanæ meritoriæ aut demeritoriæ illi tantum electioni adscribuntur aut imputantur, per quam homo dominus dicitur et est suarum actionum. Talia sunt Deut. XXX, 19: *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum.* I Cor. VII, 37, de virginibus sic loquitur Apostolus: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit;* et alibi passim. Talia præterea sunt illa omnia, quæ continent præcepta, exhortationes, consilia. Sic Exodi. XX, 3 et seqq.: *Non habebis deos alienos . . . non assumes nomen Dei tui frustra*, etc. Talia demum sunt ea testimonia, in quibus Deus aliquid hominibus promittit sub ea conditione: *si voluerint*; Matth. XIX, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ibid. ver. 21: *Si vis perfectus esse*, etc. Quæ omnia aliaque ejusdem generis multa plenam electionem seu optionem ad merendum vel demerendum etiam in præsenti rerum ordine aperte vel declarant vel supponunt [1]).

516. Constat 2° eadem minor ex testimoniis Patrum, qui humanæ libertatis naturam in præsenti statu in hoc positam affirmant, quod homo immunis per eam sit a quavis intimi necessitate. Hæc testimonia copiosissime, ut solet, collegit Petavius [2]). Nos unum aut alterum tantum promemus. S. Hieronymus: *Liberi*, inquit, *arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est* [3]). Quam Hieronymi sententiam cum protulisset S. Augustinus, eam maxime probat his verbis: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam* [4])? Qui præterea in libro *De duabus animabus contra Manichæos*, inter cætera hæc habet: *Quamobrem illæ animæ, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, peccatum earum tenere non possumus* [5]). Quid est autem liber ad faciendum vel ad non faciendum animi motus, nisi vis electiva, nisi optio? Adeo vero certum hoc erat S. Augustino, ut ibidem contrarium asse-

1) Cfr. Tournely, *De Deo.* Appendix, *De arbitrii libertate,* secundæ conclusionis prima probatio, ex Scripturis.

2) Toto libro III, *De opif.*, et, ad S. Augustinum quod attinet, lib. IV; nec non in opusc., quod inscribitur: *Elenchus Theriacæ Vincentii Lenis*; quod quidem fictum est nomen, nam verus auctor est Fromondus.

3) *Cont. Jovin.*, lib. III, num. 3, edit. Vallarsii.

4) *De natura et grat.* cap. LXV, num. 78.

5) *De duabus animabus*, cap. XII, n. 17, tom. VIII, opp.

rere, peccare nempe posse quempiam absque ejusmodi electione seu libero animi motu, *iniquitatis*, *insaniæ et magni deliramenti* damnet [1]). Cætera testimonia recolantur apud citatos auctores.

517. Cum vero adversarii abutantur auctoritate S. Thomæ, nos non piget locupletissimum ac insignem hac de re S. Doctoris locum exscribere. Quum enim quæsivisset: *Utrum homo habeat liberam electionem* actuum, *aut ex necessitate eligat?* respondet: *Dicendum quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur* (quæ est ipsissima Jansenii sententia)... *Hæc autem opinio est hæretica. Tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones, quia non solum adversatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio, laus atque vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit* [2]). Ergo ex S. Doctore 1° libera non est voluntas, quæ ex necessitate movetur, etsi nulla interveniat coactio; 2° sententia, quæ id adstruit, hæretica est, utpote fidei contraria; 3° germanæ morum philosophiæ adversatur, cum præcidat omnes radices et principia moralitatis, consiliisque, adhortationibus, præceptis, punitioni, laudi ac vituperio aditum intercludat.

518. Constat 3° ex ipsa ratione. 1° Etenim, semel constituto principio de voluntate ineluctabili atque antecedente necessitate ad aliquid abrepta, tota moralitatis ratio destruitur; ideo enim *morales* actiones nostræ dicuntur, tum quod morum regulis congruant aut adversentur, tum præcipue quod earum imperio ac disciplinæ subjiciantur, seu ab iis dirigantur. *Incipit genus morum*, inquit S. Thomas, *ubi primum dominium voluntatis invenitur* [3]). Atqui id, ad quod interna ducimur necessitate, a morum regulis dirigi nequit; ergo. 2° Ex eodem S. Doctore prima totius meriti radix in eo posita est, ut aliquid ex iis tribuendo, quæ in dominatu habemus, quoddam nobis jus comparemus, ut quidpiam de alienis accipiamus: *Per actum proprium*, inquit, *quis mereri non potest, nisi sit dominus*

1) Ibid. Sic enim loquitur: *Dicere... peccare sine voluntate* (libertate) *magnum deliramentum est; et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ.*

2) Quæst. VI. *De malo*, Opp. S. Doctoris edit. Rom. 1570, tom. VIII; quod de cæteris citationibus S. Doctoris semper intelligendum est; una enim, excepta Summa, hac editione utor.

3) In II, *Sent.* distinct. 24, quæst. 3, art. 2.

sui actus. Sic enim suum actum quasi pretium pro præmio dare potest [1]. Atqui actuum, quos non vis electiva eliciat, sed necessitas, quamvis placita, a nobis extorqueat, proprie domini non sumus. Ergo frustra eos quasi pretium pro præmio offerremus. 3° Ea insita est omnibus libertatis notio, ut dominium quis habeat in proprios actus, quod ex deliberatione oritur: *Dicendum*, inquit rursum Doctor Angelicus, *quod ex hoc contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest* [2]. Atqui in voluntate ineluctabili necessitate ad alterutrum compulsa, nullum locum habere potest deliberatio, nec proinde dominium aut libertas. Addatur, in adversariorum hypothesi non magis reum esse, qui innocentem gladio peteret et occideret, quam lapis, qui e tecto decidendo transeuntem perimeret. Quid jam esset de legibus ac de societate universa, ubi invalesceret absurda ejusmodi doctrina? Concludendum igitur est ad merendum vel demerendum, etc., prout demonstrandum assumpsimus [3].

DIFFICULTATES.

519. I. *Obj.* S. Augustinus passim docet, omnem actum voluntarium liberum esse eo ipso, quod a voluntate profluat. Nam lib. *De spir. et litt.* cap. XXXI: *Hoc, inquit, quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult non facit;* et *De civ. Dei*, lib. V, cap. X: *Necesse est, ut, quod volumus, libero velimus arbitrio;* et alibi passim [4]. Huic doctrinæ subscribit S. Prosper, lib. *Contra Collatorem*, cap. XVIII, ubi ideo nos liberos adstruit esse sub gratia, quia *volentes oramus, volentes loquimur, volentes operamur*, etc. Subscribit S. Joan. Damascenus, *De fide*, lib. III, cap. XIV, dum ait: *Arbitrii libertas nihil aliud est quam voluntas.* Subscribunt denique S. Fulgentius, S. Bernardus, S. Anselmus aliique. Ergo.

520. *Resp. Dist. antec.* Docet S. Augustinus cum reliquis Patribus omnem actum voluntarium eo ipso liberum esse, quod profluat a voluntate, quatenus est formaliter voluntas, id est, prout sumitur pro electiva facultate, *conc.* quatenus natura est, seu prout agit ex natura, *neg.* Duplici enim sensu *volun-*

1) *De veritate,* quæst. 29, a. 6.

2) 1a, 2æ, quæst. 6, art. 2, ad 2m.

3) Consulantur de hac gravissima quæstione, præter Petavium in tribus postremis libris *De opif.* ac in *Elencho adv. Vinc. Lenis,* et lib. IX, *De Incarn.* De Champs S. J. in egregio opere *De hæresi Janseniana,* Maffejus in *historia theologica,* et in cæteris scriptis quæ opposuit P. Migliavacca, qui in libro inscripto, *L'infarinato posto nel raglio,* doctrinam catholicam impugnaverat, et Tournely in *Append.* sæpius laudata.

4) Omnia S. Doctoris testimonia, quæ huc referri possent, collegit et expendit Petavius op. cit. nec non Tournely loc. cit. sec. obj.

tatis vox usurpari consuevit, tum nempe ad facultatem naturalem animi nostri significandam, quæ per modum naturæ ad unum determinatæ ac necessitate impellente movetur; tum ad liberam ipsam ejusdem voluntatis electionem, quæ præcedente deliberatione ab eadem voluntate veluti proprio motu fit. Hanc distinctionem jamdiu S. Thomas viderat: ***Voluntas***, inquit, ***in quantum voluntas, cum sit libera, ad utrumlibet se habet. Potest enim agere vel non agere, sic vel sic facere, velle et non velle*** (en voluntatem proprie talem seu formaliter sumptam). ***Si respectu alicujus***, pergit ipse, ***hoc voluntati non conveniat; hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid sicut ad ultimum finem, quem non potest non velle*** [1]) (en voluntatem, prout natura est, seu agentem per modum naturæ). Eadem habet S. Augustinus [2]). Duplicem hunc sensum data opera adversarii confundunt, ut S. Augustino ac reliquis Patribus tribuant sensum ipsorum menti plane adversantem.

521. I. ***Inst.*** Atqui juxta citatos Patres voluntas ita distinguitur a natura, ut semper libera sit, ad discrimen naturæ, quæ in aliquid fertur, utpote ad unum determinata. Etenim S. Augustinus, lib. ***De duabus animabus***, cap. XII: ***Illæ animæ***, scribit, ***quidquid faciunt, si*** natura, ***non*** voluntate ***faciunt***, etc. et ***De libero arbitrio***, lib. III, cap. I: ***Motus*** (animæ) ***non estutique naturalis, sed voluntarius:*** Sic pariter S. Bernardus; imo et S. Thomas, qui ait: ***Voluntas dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam; quædam enim fiunt naturaliter, quædam voluntarie*** [3]). Ergo.

522. ***Resp. Dist. min.*** Voluntas distinguitur a natura juxta citatos Patres, prout est formaliter voluntas ex dictis, ***conc.*** voluntas ut natura est, seu agit per modum naturæ ad unum determinatæ, ***neg.*** Idem enim recurrit loquendi abusus. Huic autem difficultati, quam sibi S. Thomas proposuerat, ita respondet: ***Dicendum, quod voluntas dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam; quædam enim fiunt naturaliter, et quædam fiunt voluntarie. Est autem alius modus causandi proprius voluntati, quæ est domina sui actus, præter modum, qui convenit naturæ, quæ est determinata ad unum; sed quia voluntas in aliqua natura fundatur, ne-***

1) Quæst. 2, *De potentia*, art. 3, in corp.

2) S. enim Doctor, lib. *De duab. anim.* cap. XII: *Quamobrem*, inquit, *illæ animæ, si* natura, *non* voluntate *faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum animi motu carent*; quibus verbis aperte distinguit voluntatem proprie dictam, seu formaliter, ut loquuntur, voluntatem, a naturali facultate, seu prout natura est. Rursum vero disputans cum Felice manichæo, lib. II, cap. VII: *Non necessitatem*, inquit, *natura facit; sed voluntas culpam*; et cap. IV: *Cum* (Dominus) *dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem* (id est voluntatem) *indicat, non naturam.* Ex his deprehendimus, unde S. Thomas hauserit suam distinctionem.

3) I part., quæst. 10, art. I, ad 1m.

cesse est, quod modus proprius naturæ quantum ad aliquid participetur a voluntate [1]). Sin vero adversarii contendant, voluntatem a natura distingui, ut rem a re, ut vult Scotus, qui pariter objicitur, tunc reponimus, id dari posse, si natura accipiatur præcise ut natura est tantum. Voluntas enim non est natura tantum, sed natura simul et voluntas; cum in aliquibus agat ut natura tendens in unum, in aliis ut voluntas, seu ut facultas libera ad opposita, præeunte judicio rationis.

523. II. *Inst.* Ergo quidquid præeunte ratione aliquis vult et amplectitur, liberum dicendum est. Atqui multa sunt, quæ præeunte ratione necessario volumus; cujusmodi in nobis est beatitudo in genere, in beatis amor beatificus, in Deo ipso processio Spiritus Sancti; optime igitur cohæret libertas cum necessitate.

524. ***Resp. Dist. maj.*** Quidquid præeunte ratione volumus, liberum dicendum est, si ita objectum proponatur, ut subsit rationis judicio et locus detur deliberationi, ita ut voluntas possit dici domina sui actus, *conc.* si ita proponatur, ut necessario prosequendum aut fugiendum, *neg.* Atque ita exponi debent nonnulla Patrum testimonia, qui ideo inferunt hominem liberum esse, quia ratione præditus est. Hoc enim verum est, si ad hunc sensum referatur, quod nempe ratio sit radix et fundamentum libertatis, seu si referatur ad libertatem suppositi vel potentiæ; at falsum est, si referatur ad libertatem actus, quando objectum non proponitur ut indifferenter prosequendum vel fugiendum, ut patet in exemplis adductis [2]).

525. III. ***Inst.*** Atqui etiam in his, in quibus objectum ab intellectu proponitur ut necessario prosequendum vel fugiendum, juxta S. Augustinum consistit vera et proprie dicta libertas. Quum enim, lib. ***De nat. et grat.*** cap. XLVI, objiceret Pelagius: ***Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur;*** respondet S. Doctor; ***Per enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram*** (scilicet libertatem), ***quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constrictione naturæ; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.*** Quod et alibi passim inculcat. Ergo.

526. ***Resp. Neg. subsumptam. Ad prob. Dist.*** Absurdum est juxta S. Augustinum, nos liberos non esse in eo, quod beati esse volumus, quoad libertatem contrarietatis, *conc.* quoad libertatem contradictionis, *neg.* Scopus enim S. Augustini in ad-

1) Ibid. Unde colligitur mala adversariorum fides, dum non verentur depromere pro sua sententia argumenta ex S. Thoma, qui eos tanto ante jam tempore omnino protriverat.

2) Recolantur quæ prænotavimus initio propositionis.

ducto loco aliisque similibus est, refellere Pelagianos, qui constituebant essentiam libertatis in libertate contrarietatis seu in indifferentia ad bonum ac malum, minime vero in libertate contradictionis aut specificationis. Eos propterea provocat ad exemplum Dei ac beatorum, qui, licet peccare non possint, neque a justitia deficere, tamen liberi essentialiter sunt; quia: *Nec libertas, nec pars libertatis*, ut loquitur S. Anselmus, *est potestas peccandi* [1]; sed potius *libertatis defectus*, ut ait S. Thomas [2]. Merito igitur S. Augustinus Julianum, qui dicebat: *Deus liber non est, qui malum non potest velle*, hac ratione perstringit: *Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem* [3]*?*

527. At, inquit Jansenius, S. Augustinus loquitur de voluntate justitiæ, prout in Deo et beatis est, quæ non patitur indifferentiam contradictionis. Deus enim suam justitiam essentialiter et necessario vult, prout necessario pariter eam volunt beati.

528. ***Resp. Dist. antec.*** Loquitur S. Augustinus de voluntate, qua prosequitur justitiam, prout dicit exercitium justitiæ ad extra, qua bona et justa operari potest vel omittere, *conc.* prout dicit attributum essentiale ad intra, *neg. Ad prob. dist.* Deus justitiam suam essentialiter et necessario vult quoad specificationem ad volendum bonum et justum, ita ut contrarie ab ipsa deficere non possit malum volendo aut operando, *conc.* quoad exercitium ad extra, ita ut ab ipsa deficere non possit negative non operando, *neg.*

529. IV. ***Inst.*** S. Augustinus, *De civ. Dei*, lib. V, cap. X, ad declarandam naturam nostræ libertatis utitur exemplis vitæ et præscientiæ Dei. Ait enim: *Si illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim et vitam Dei et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere et cuncta præscire.* Porro necessitas, quæ similis est illi, qua necesse est Deum vivere et cuncta præscire, omnem interimit libertatem a necessitate; atqui hæc necessitas ex Augustino libertatem voluntatis non tollit; ergo.

530. ***Resp. Dist. maj.*** Necessitas, quæ similis est illi, qua necesse est Deum vivere et cuncta præscire, omnem tollit libertatem, si sermo sit de vita Dei naturali et essentiali, qua Deus est, *conc.* si sermo sit de vita Dei, ut ita dicam, accidentali, quæ in operatione ejus ad extra consistit, quæ necessaria non est, nisi necessitate consequente et hypothetica perinde ac præscientia, *neg.* Jam vero S. Doctorem de ejusmodi vita ac præ-

1) *Dial. de lib. arb.* cap. I, pag. 117 col. I, *B*; quod postea etiam inculcat. Eadem habet S. Thomas passim.

2) 1ª, 2ᵉ, quæst. 109, art. 2, ad 2ᵐ.

3) *Op. imperf. cont. Julian.* lib. I, num. 100.

scientia loqui, patet tum ex contextu, tum ex scopo sibi proposito, qui est Stoicos illos impugnare, qui cum Tullio contendebant voluntates nostras nulli necessitati etiam consequenti subjici: *Ne videlicet non essent liberæ, si subjicerentur necessitati.* Quibus apposite respondet S. Augustinus, necessitatem consequentem nullo modo officere libertati: *Sic etiam cum dicimus*, pergit ipse, *necesse est, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem* [1]).

531. V. *Inst.* At 1° idem S. Doctor, lib. *De duab. anim.* cap. I, liberum arbitrium definit: *Animi motum cogente nullo.* Cui definitioni insistens S. Thomas, hæc expresse habet: *Liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest* [2]). Igitur coactio est, quæ liberum arbitrium tollit. 2° Et sane, inquiunt, juxta hos Sanctos Doctores unam tantum proprieque dictam coactionem libertati adversari evidentissimo efficitur S. Thomæ testimonio, ex 1, p. q. 82, art. 1 ubi, cum quæsiisset: *Utrum voluntas aliquid ex necessitate appetat?* illudque, quod certissimum est, constituisset, in beatitudinem universos *necessario* trahi, ideoque voluntatem aliquid *ex necessitate* velle, celebri quod sibi objecerat Augustini effato: *Si aliquid est necessarium, non est voluntarium*, respondet: *Dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit.* Ergo juxta utrumque Doctorem sola vere ac proprie dicta coactio libertati adversatur; ideoque meritum ac demeritum optime potest cum necessitate naturali consistere.

532. *Resp. Dist. antec.* Juxta utrumque Doctorem liberum arbitrium ex eo dicitur, quod cogi non potest coactione improprie dicta seu necessitate, *conc.* proprie dicta, *neg.* Interdum enim coactionis vox *stricte* sumitur pro vi ex principio extrinseco illata; interdum *late* pro naturali ac necessaria ad unum inclinatione, quæ facultatem ad oppositum aufert; interdum denique *latissime* pro morali quadam vi eaque vehementi, non tamen ineluctabili. Porro tum S. Augustinum tum S. Thomam *coactionis* vocabulum *late*, imo *latissime* usurpasse pro quacumque *necessitate*, adeo ut, dum aiunt: *Id esse liberum, quod non est coactum*, nil aliud sibi velint, quam: *Id esse liberum, quod nulla necessitas extorserit*, ex plurimis ipsorum locis apparet. Sic S. Augustinus, *Retract.* lib. I, cap. XV, scribit, primos parentes ideo esse culpandos, quia *nullo cogente*, hoc est, libera voluntate peccarunt: *Suasit enim*, ait, *tentator, ut hoc fieret, non coëgit.* Sic pariter S. Thomas, *Cont.*

1) Ibid. n. 1. 2) In II, dist. 25, quæst. 1, art. 4.

gent. lib. III, cap. CXLVIII, cum demonstrandum suscepisset, ***Per auxilium divinæ gratiæ hominem non cogi ad virtutem***, ita disputationem aggreditur: ***Posset autem videri alicui, quod per auxilium divinum coactio homini inferatur ad bene agendum.*** Ita alibi passim.

533. ***Ad*** 2m, seu *ad confirmat. Dist.* ut supra: Si voluntas accipiatur pro natura, *conc.* si accipiatur pro rationali facultate eligendi ac respuendi vi prædita, seu prout est formaliter voluntas ex dictis, *neg.* Talem esse mentem S. Thomæ, constat ex iis, quæ ***De veritate***, cap. XXIV, art. I, scribit; ubi, cum ipsissimam S. Augustini sententiam usurpasset, ait: ***Cum electio sit quoddam judicium de agendis, vel judicium consequatur, de hoc potest esse electio, quod sub judicio nostro cadit. Judicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus ex principiis. Unde, sicut de primis principiis non judicamus, ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus.. ita et in appetibilibus de fine ultimo non judicamus ... sed naturaliter approbamus; propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundum Augustinum, non autem liberum judicium, proprie loquendo, quum non cadat sub electione.***

534. VI. ***Inst.*** 1° Laus non debetur nisi actibus liberis; atqui S. Augustinus laudem Deo et Angelis tribuit ob actus ipsis prorsus necessarios. Etenim, ***Tract. LIII in Joan.*** laudi Deo vertit, ***quod negare seipsum non potest;*** et ***De civ. Dei***, lib. XII, cap. I. ***Angelis adhærere Deo.*** Id ipsum dicatur de vituperio ac de demerito. 2° Nam idem S. Doctor, sibi semper constans, docet, inesse in nobis post primi hominis lapsum peccandi necessitatem, adversus Pelagianos, ac præsertim ***Operis imperf.*** lib. I, cap. CV: et tamen simul docet adversus eosdem peccata ista ex necessitate patrata a Deo imputari; ait enim ibid.: ***De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.*** Ergo.

535. ***Resp. Dist. major.*** Laus proprie et stricte sumpta non debetur nisi actibus liberis, *conc.* laus latiori sensu sumpta, scilicet pro honore, *neg.* Sic *dist. min.* S. Augustinus laudem late sumptam Deo et Angelis tribuit ob actus ipsis necessarios, *conc.* stricte sumptam, *neg.* Ut enim observat S. Thomas, laus stricte sumpta est ***sermo dilucidans magnitudinem virtutis;*** et hæc non debetur nisi actibus liberis; quatenus vero late sumitur, laus nempe pro honore, ***non actui, sicut laus, sed magis agenti tribuitur,*** ut ipsemet loquitur, et confertur ratione dignitatis solius suppositi, licet jam sit in fine, ac proin-

de etiam propter actus necessarios [1]). Neque aliter in objectis locis intelligendus est S. Augustinus. Ad Deum vero speciatim quod attinet, ipsum etiam stricto sensu laudare possumus, si non quantum ad ejus essentiam, *saltem secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur;* quod Angelicus Doctor rursum animadvertit [2]).

536. *Ad* 2^{m}, *Dist.* S. Augustinus docet, inesse homini necessitatem peccandi peccato materiali et improprie dicto, *conc.* formali et proprie dicto, *subd.* necessitatem moralem et vagam, *conc.* physicam et determinantem ineluctabiliter ad aliquod peccatum, *neg.* [3]). Sed de hoc fusius in tract. *De gratia.*

537. II. *Obj.* Christus liber plane fuit tum in amando Deo, tum in præcepto Patris servando de morte subeunda. His enim actibus et sibi et nobis meruit, sibi gloriam, nobis gratiam; libertas autem totius meriti radix est. Atqui Christus nulla quoad illos actus utebatur libertate a necessitate; cum neque ab amando Deo abstinere posset, utpote comprehensor, neque a morte subeunda, cum sibi servandum esset præceptum Patris. Ergo... Hæc autem confirmantur ex iis, quæ scribit S. Thomas, disserens de libero Christi arbitrio: *Vel dicendum*, inquit, *quod si etiam* (liberum arbitrium Christi) *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus* [4]). Ergo juxta S. Thomam 1° non tollitur libertas *ex determinatione ad unum;* 2° ad rationem meriti ac laudis sat est, non *coacte*, sed *sponte* in laudabilia ferri, seu sola externa coactio, non autem necessitas aut spontaneitas officit libertati.

538. *Resp. Dist. primam partem major.* Christus liber fuit in amando Deo, quatenus amor ille ad creaturas tendebat, *conc.* quatenus amor ille divinam bonitatem essentialem intuitive cognitam spectabat, *neg.* Hoc enim postremo sensu actus amoris beatifici nec liber est nec indifferens, sed omnino necessarius; at priori sensu actus amoris in Christo liber fuit libertate *specificationis* seu *disparitatis. Licet enim anima Christi*, inquit S. Thomas, *esset determinata ad unum secundum genus moris scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter; poterat enim hoc vel illud facere et non facere.*

1) In primo *Ethic.*, lect. 18; et 2^{a} 2^{ae} quæst. 103, art. 1, ad 3^{m}, ubi integer textus ita se habet: „Laus distinguitur ab honore dupliciter. Uno modo, quia laus consistit in solis signis verborum; honor autem in quibuscumque exterioribus signis; et secundum hoc laus in honore includitur. Alio modo, quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicujus absolute; sed per laudem testificamur de bonitate alicujus in ordine ad finem, sicut laudamus bene operantem propter finem. Honor autem est etiam optimorum, quæ non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine."

2) 2^{a} 2^{ae}, quæst. 91, art. 1, ad 1^{m}.

3) Cf. Tournely, loc. cit., septima objectio.

4) In III, dist. 18, quæst. 1, art. 2, ad 5^{m}.

Et ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad merendum 1).

539. Alteram majoris partem de libera Christi morte, *conc. oblatus enim est, quia ipse voluit;* at *neg. min.* ex ea parte, qua dicitur Christus mortem necessario subiisse, vel quia, ut pluribus placet, præceptum Patris non fuit præceptum stricte tale seu stricte sumptum, sed solum late tale 2), vel quia, quod aliis potius arridet, si mandatum Patris fuit præceptum proprie dictum, Christus ipsum habuit conditionatum tantum, dummodo scilicet ipse voluisset mortem obire nec petere dispensationem 3). In utraque porro hypothesi Christus liberrimus fuit, ideoque per eam et sibi et nobis promereri potuit 4).

1) *De verit,* quæst. 29, art. 6, ad 1m.

2) Ita censet inter cæteros Petavius, *De Incarn.* lib. IX, cap. 8, §. 6, cujus hæc verba sunt: „Præceptum illud et mandatum, quod Christo Pater edidisse dicitur, velut de perferendis suppliciis ac luenda morte, non absolutum imperium videri fuisse, sed simplicem significationem consilii ac voluntatis suæ, quia multa illi proponebat Pater ad humanam recuperandam salutem remedia, ex quibus quod vellet eligeret, adeo ut, quidquid ex omnibus capesseret, id sibi gratum esse ac placere monstraret, proindeque mandante se ac præcipiente faceret. Non fuisse præcepti necessitate aliqua circumscriptum Dominum Jesum, docere ipsemet videtur, apud Joannem X, 17, ita loquens: „Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso; et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo." In his verbis, cum se habere dicit ἐξουσίαν, id est, *potestatem ponendi animam suam,* ex proprietate nominis intelligendum est, utrinsque amplectendi liberam ei optionem fuisse, non unius dumtaxat. Nec enim potestatem vel ἐξουσίαν homini datam esse quisquam sanus ac sobrius dicat, naturalis aliquando subeundæ mortis, vel, si ex alto præcipitet, in terram cadendi; vel eum denique, qui vinculis alligatus in carcere detinetur, potestatem habere illic manendi. Hæc enim ridicula sunt. Cum ergo Christus potestatem habere se dicat mortis obeundæ, eamque se ab semetipso, id est, suapte voluntate suscipere, procul dubio demonstrat liberum sibi integrumque fuisse, utrum mallet e duobus eligere, ut aut moreretur aut se morti subtraheret." Quam deinde sententiam plurimorum Patrum Græcorum et Latinorum auctoritate adstruit. Cf. *Theses* Nic. Rayé, Soc. Jes., quas inseruit P. Zacharia in *Thesauro Theol.* tom. IX, opusc. 18, in quibus ostendere satagit Christum incapacem fuisse præcepti rigorosi.

3) Sic plures theologi arbitrantur juxta illud, quod legitur, Matth. XXVI, 53, de Christo dicente ad Petrum: „An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?" Nec improbabile putat Petavius, loc. cit. §. 13, in fine: „Potuisse Christum eodem momento, quo paternum de redimendo genere humano consilium sine ullo præciso mandato cognovit, ab eodem ultro petere, ut, quod suæ voluntati electionique permittebat, sibi hoc accuratiore imperio præciperat, quo tanto demissiore et humiliore obsequio fungeretur. Nam utrumque sic obtinebimus, ut et liberrima optione Christus mortem per tot cruciatus obeundam susceperit, et in hoc ipso *strictæ,* ut vocant, ac rigidæ obedientiæ partes impleverit."

4) Plusquam viginti recensentur theologorum sententiæ ad hunc nodum dissolvendum, quas quisque recolere potest tum apud Marin, S. J. tom. II, tract. 17. *De Incarn.*, disp. 13 et 14; tum apud Aranda, in eod. tract. *De Incarn.* Nemo tamen excogitavit, quod Hermesius in op. cit. *Christiano-cath. dogmatica*, pag. 3. Munsteri 1834, pag. 260. Hic enim quamvis affirmet *impossibile haud esse* liberam voluntatem seu quod ipse vocat *humanum libere velle in Christo cum unitate ac divinitate ejus personæ* philosophice *componere,* sic tamen de hac Christi libertate loquitur atque ita omnia quæ illam adstruunt, argumenta data opera convellit, ut ea veluti res indifferens minime *necessario* admittenda ex ejus sententia videretur. Quod sane erroneum vehementer est; nec solum communi Patrum et theologorum omnium doctrinæ contradicit (Cf. Petav. *De Incarn.* lib. VIII, cap. 8), sed

540. *Ad* 1^m *confirmat. Resp.* Non tollitur, juxta S. Thomam, libertas ex determinatione ad unum secundum genus moris; quæque relinquat libertatem contradictionis et specificationis seu disparitatis, *conc.* ex determinatione ad unum simpliciter, *neg.* Mentem enim suam S. Doctor exposuit in adductis verbis.

541. *Ad* 2^m *confirmat. Dist.* Ad rationem meriti ac laudis sat est non *coacte*, sed *sponte* in laudabilia ferri, id est, libere ex immunitate a necessitate, *conc.* spontanee tantum, *neg.* Eo enim ipso, quod dicat Angelicus Doctor: ***Et ita est dominus actus sui***, patet eum vocem *coacte* pro *necessario* usurpasse. Eodem enim docente: ***Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere ... unde appetitus finis non est de his, quorum domini sumus*** [1].

542. III. *Obj.* Ipsa libertatis notio suadet optime necessitatem cum libertate componi. Ad hoc enim, ut actus liber censeri debeat et sit, sufficit, 1° ut prævio rationis judicio eliciatur; per hoc enim distinguitur ab actibus brutorum; 2° ut voluntas seipsam ad agendum moveat, agatque proinde, et non agatur tanquam bruta animantia [2]; 3° ut sit perfecte voluntarius, id est, non solum a voluntate elicitus, sed etiam imperatus, et non coactus; 4° ut ita sit voluntarius, ut etiam sit in nostra potestate, adeo ut homo per ipsam, *si vult, facit; si non vult, non facit*, ut loquitur S. Augustinus [3]; 5° ut cum voluntaria delectatione eliciantur juxta illud ejusdem S. Augustini certissimum effatum: ***Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti*** [4]; vel etiam, ut alibi loquitur: ***Libera voluntate facimus ..... quia delectati facimus*** [5]. Et sane, inquiunt, 6° licet peccatores obdurati et habitibus irretiti dura premantur necessitate, libere tamen peccant, imo et ipsi damnati et dæmones graviter peccant majori adhuc necessitate compulsi; 7° beati in cœlo licet necessario Deum diligant, libere tamen diligunt, cum ipsorum amor actus humanus sit; ac 8° demum Deus ipse, licet nunc saltem necassario creaturas velit, liber tamen semper circa easdem censetur. Ergo.

543. *Resp. Neg. antec. Ad* 1^m, *Dist.* Sufficit, ut subsit judicio rationis indifferenti seu libero et expedito, *conc.* judicio ineluctabiliter ad unum inflexo et determinato, *neg.* [6]. Hoc

ipsius Ecclesiæ sensui et Scripturarum auctoritati. Hæ quippe (ut cætera prætercam), nobis perhibent, Christum ut hominem meruisse obediendo et mortem subeundo; non meruit autem, neque obedivit voluntate divina; ergo meruit et obedivit voluntate humana, et quidem *libera*, ut patet ex hactenus dictis et ex Ecclesiæ doctrina, quæ ad merendum vel demerendum definivit requiri immunitatem a necessitate; quod nunc de fide est.

1) Part. I, quæst. 82, art. I, ad 3^m.

2) S. Thom. *De verit.* quæst. 24, art. 2.

3) *De Spiritu et litera*, c. 31, num. 53.

4) *De nupt. et concupisc.* lib. I, cap. 30, num. 33.

5) *In Ps.* CXXXIV, num. 11.

6) S. Thom., 1^a, $2^æ$, quæst. 6, art. 2, ad 2^m.

enim speciatim intervenit discrimen inter homines et bruta animantia.

544. *Ad* 2m, *Dist.* Ut voluntas ita se ad agendum moveat, ut possit pariter se non movere per plenam ad motum et quietem facultatem, *conc.* secus, *neg.* Et hic rursum patet diversa hominum et brutorum ratio; quia bruta physice, non autem moraliter se movere possunt, nec propterea *habent dominium sui actus*, ut ait S. Thomas [1]).

545. *Ad* 3m, *Dist.* Ut sit perfecte voluntarius sensu nuper exposito, *conc.* alias, *neg.* Sic etiam ut non sit *coactus*, id est, necessarius, *conc.* coactus stricte sumptus, *neg.*

546. *Ad* 4m, *Dist.* Ut sit in nostra potestate omnimoda physica et morali per facultatem electivam ad opposita et diversa, *conc.* in sola potestate physica, *neg.*

547. *Ad* 5m, *Dist.* Eliciatur cum delectatione consequente, deliberata et vincibili, *conc.* antecedente, indeliberata et invincibili, *neg.* Talis porro est sensus Augustini in citatis locis; ideo enim eam naturam sat bonam esse propugnat, *quæ habet in potestate*, *illicitam delectationem*, *si extiterit*, *ita cohibere*, *ut non solum de cæteris licitis recteque factis*, *verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur* [2]).

548. *Ad* 6m, *Dist.* Peccatores dura premuntur necessitate morali, voluntaria et vincibili, *conc.* physica, *neg.* Id ipsum dicatur de dæmonibus et damnatis, qui juxta satis receptam sententiam nonnisi morali compelluntur necessitate, libere propterea vereque peccant, licet ipsis peccata non amplius ad demeritum imputentur, utpote in termino constitutis, ut loquitur S. Thomas [3]).

549. *Ad* 7m, *Neg.* Beatos libere Deum diligere. *Ad confirmat.* autem, *dist.* Amor beatificus humanus est quoad substantiam operis, *conc.* quoad modum operandi, *neg.*

550. *Ad* 8m, *Dist.* Deus ipse nunc saltem necessario vult creaturas necessitate consequente, ideoque semper libere, cum velit per eundem actum, quo semel voluit, seu potius vult ab æterno, eo quod in Deo nulla detur successio actuum, *conc.* necessitate antecedente, *neg.* [4]).

1) *Cont. gent.* lib. II, cap. 47, ratione 3.
2) *De Gen. ad lit.* lib. XI, cap. 7, num. 11.
3) Cf. 2a, 2æ quæst. 13, art. 4, ad 2m et alibi.
4) Recolantur, quæ de hoc argumento scripsimus in tract. *de Deo*, num 291 et seqq.

PROPOSITIO II.

Etsi per originale peccatum liberum hominis arbitrium attenuatum sit non est tamen extinctum;

seu

Manet in statu naturæ lapsæ vera et proprie dicta libertas ad merendum vel demerendum necessaria.

551. Propositio hæc est de fide. Concilium enim Trident., sess. VI, can. V, hanc definitionem edidit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anath. sit.*

552. Cum vero dicimus, liberum hominis arbitrium per peccatum originale esse viribus attenuatum atque inclinatum, non id intelligendum est de proprietatibus ipsius naturalibus, sed juxta dicta relate ad integritatem naturæ, qua Deus primum hominem præditum voluit.

553. Hæc thesis præcipue perstringit novatores sæc. XVI, Lutheranos et Calvinistas, nec non Jansenistas, qui communem cum ipsis causam inierunt; ideoque argumentis theologiæ propriis est vindicanda. Indirecte vero eos pariter afficit incredulos, qui negant hominem libero arbitrio pollere. Cum autem omnia argumenta, quæ tum ex Scriptura et Patribus tum ex libertatis notione deprompta in superiori propositione attulimus, disserentes de libertatis natura, hanc eamdem propositionem evincant, supervacaneum et molestum esset, ea denuo proferre. Urgebimus propterea adversus incredulos ea rationum momenta, quæ nos certos faciunt de existentia nostræ libertatis.

554. Ac prima quidem ratio petitur ex ipso intimo sensu; quo ita afficimur, ut plane sentiamus, nos aliquid velle vi propria et ex proprio delectu, ut possimus id ipsum non velle; id vero ita, ut de libera electione nostra dubitanti illico possimus facto ipso libertatis nostræ demonstrationem exhibere. Altera ratio petitur ex modo ipso agendi. Etenim si necessitate aut spontaneitate ad agendum impelleremur, totam vim nostram promeremus, non autem ex parte tantum, ut in agentibus necessariis fit; porro nos vim nostram pro arbitrio exerimus, eam cohibemus, suspendimus, iterum conamur, etc. Tertia eruitur ex universali omnium hominum consensione, quæ oriri nequit nisi vel ex sensu intimo vel ex naturali animi propensione ad istud judicium ferendum; quod pro instituto suo ostendunt philosophi. Hanc vero totius orbis conspirationem in agnoscenda hominis libertate pulchre exposuit S. Augustinus, dum ait: Hanc *cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtæ, et*

indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et Antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum 1). Quartam suppeditant leges, præmia ac pœnæ, quibus, Solone teste, ut habet Cicero, omnis humana respublica continetur; quæ prorsus inutiles forent, nisi daretur vera in homine libertas 2). Quintam denique, cæteris prætermissis, præbent ipsi libertatis impugnatores, qui, etsi ore et scriptis libertatem inficiantur, ita vitam suam componunt, et omnia sua dirigunt atque accommodant, ac si plena se se uti libertate persuasum ipsis esset; in periculis enim sunt admodum solliciti, in dubiis cauti, in ulciscendis injuriis feroces, hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem colant; puniunt, si quid deliquerint; injurias propulsant, aliaque ejusmodi præstant, quæ cum ipsorum doctrina componi nulla ratione possunt 3). Ergo.

DIFFICULTATES.

555. I. ***Obj.*** Scripturæ passim nulla nos proprie dicta libertate in præsenti statu pollere tradunt, ut 1° Jerem. X, 23: ***Scio Domine, quia non est hominis via ejus.*** 2° Prov. XXI, 1: ***Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.*** Ita alibi sæpe. Ergo.

556. ***Resp. Neg. antec. Ad*** 1m, ***Dist.*** Quoad executionem, ***conc.*** quoad exercitium, ***subdist.*** Quoad opera supernaturalia, ***conc.*** quoad opera naturalis ordinis, si faciliora sint, ***neg.***

557. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Per motionem congruam, ***conc.*** per libertatis ablationem, ***neg.*** Sic cætera testimonia, quæ afferri solent exponi debent, nempe vel de libertate executionis, vel de necessitate gratiæ, vel de servitute peccati, vel de necessitate morali, etc. ut suis locis expendemus.

1) *Lib. de duab. anim.*, num. 15, alias cap. 11. Cf. Cudworth, ***De æternis et immutabilibus justi et injusti notionibus***, cap. 1 et seqq., ad calcem ***Syst. intellect.***; Hooke, ***Religionis nat. principia***, part. 2, sect. 1, art. I. ***De libertate.***

2) Hinc A. Gellius, ***Noct. attic.*** lib. VI, cap. 2: ***Sine libertate***, aiebat, ***pœnæ forent injustæ.*** Quæ ipsa quoque Augustini mens est: „Sublata libertate omnis humana vita subvertitur; frustra leges dantur; frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla justitia bonis præmia et malis supplicia constituta sunt."

3) Cf. Storchenau, S. J., ***Institutiones metaphysicæ***, lib. III, ***Psych.*** part. I, sect. 3, cap. 3. Apposite Holland, ***Réflex. philosoph.*** etc. de hoc argumento scribit: „Il en est des arguments contre la liberté comme de ceux qu'on fait contre la possibilité du mouvement et contre l'existence des corps. Ces arguments sont quelquefois très subtils, difficiles à résoudre, surtout pour ceux qui ne connaissent pas les charlataneries dialectiques; mais comme ils contredisent des sentiments vifs, profonds, irrésistibles, universels, ils éblouissent l'esprit sans le convaincre. Indépendamment de toute méditation, l'homme croit qu'il y a du mouvement dans le monde, qu'il existe des corps autour de lui, et que c'est lui-même qui se détermine aux actions qu'on lui voit faire pendant le cours le sa vie. Les philosophes, qui soutiennent que c'est là un instinct trompeur, ne peuvent s'en dépouiller eux-mêmes; malgré tous les sophismes qui leur font illusion, ils ne pensent pas autrement que le vulgaire, parce qu'ils ne peuvent s'empêcher de sentir comme lui."

558. II. *Obj.* S. Augustinus, disputans adversus Pelagianos, tria hæc nunquam non inculcat: 1° Periisse post hominis lapsum, innocentis hominis arbitrium, ut in *Enchirid.* cap. XXX: *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* 2° Esse in natura lapsa peccandi *necessitatem*, ut in *Lib. contra Fortunatum*, num. 22: *Postquam ipse* (Adam) *libera voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* 3° Arbitrii *indifferentiam* per Adæ scelus omnino periisse: eamdemque in libris *Contra Julianum* acriter insectatur; et *Serm. CVI*, num. 11, aperte *nos non agere, sed agi* affirmat. Ergo.

559. *Resp. ad* 1m, *Dist.* Affirmat S. Augustinus, periisse post Adæ lapsum liberum hominis arbitrium, quale in paradiso fuit, *habendi plenam cum immortalitate justitiam*, seu quoad ejus perfectionem, ut ex dictis constat, *conc.* absolute ac simpliciter, *neg.* Docet nempe S. Doctor, innocentis hominis arbitrium potens fuisse etiam ad *immortalitatem* et ad ulteriores actus, justitia originali et sanctitate ut privilegio stabili felicissimum statum illum perficiente; et hæc profecto libertas periit. At remanet arbitrii libertas naturalis, qualem hominis natura exigit tum ad actus aliquos saltem moraliter honestos, tum ad assentiendum *active* gratiæ motionibus. Hinc, *Enchir.* loc. cit. S. Augustinus *emortuum* et *non emortuum* dicit nostrum arbitrium; *emortuum, ad habendam plenam cum immortalitate justitiam; non emortuum*, ad cooperandum Deo, et ad moralia naturæ opera saltem faciliora perficienda [1]).

560. *Ad* 2m, *Dist.* Necessitatem *moralem* ortam ex concupiscentia vel concupiscentiam ipsam, *conc.* necessitatem proprie dictam, *neg.* Per hanc siquidem necessitatem intelligit S. Doctor concupiscentiam ipsam, seu perversam illam peccati legem, de qua conquerebatur Apostolus (Rom. VII, 15): *Non enim, quod volo bonum,*

1) Cf. Faure S. J., *S. Augustini Enchiridion notis est assertionibus theologicis illustratum*, Romæ 1755, in hunc locum, ubi fuse ostendit, liberum arbitrium, quod hic deperditum dicit S. Augustinus, esse illud, „quod homo primus, male utens, perdidit; atqui illud fuit arbitrium *sanum* et potens *juste* vivere. Deinde dicitur perditum illud arbitrium, quod contraponitur arbitrio liberato post casum; hujusmodi autem non est nisi arbitrium sanum. Præterea arbitrium deperditum comparatur facultati, quam ad vitam conservandam habet, qui se occidit; igitur sermo est de arbitrio potente conservare vitam caritatis acceptam in creatione. Denique Augustinum ante liberationem in homine servo, negare liberum arbitrium *cum addito*, non simpliciter et ea universalitate, qua nostra ætate loquimur ostendunt verba, quæ sæpe hoc capite habet, et quibus arbitrium negat: AD JUSTE FACIENDUM LIBER NON ERIT, et infra: QUOMODO QUISQUAM DE LIBERO ARBITRIO IN BONO GLORIETUR OPERE. Concludendum itaque, Augustinum hoc Enchiridii loco idem docere, quod et alibi docet, et omnes cum illo. Verum est, magnas arbitrii vires homo, cum conderetur, accepit; sed peccando amisit (Aug. *Serm.* 132, num. 6, *De verb. Apost.*). Sed merito addit Aug.: „Adhuc curatur ... sanatur languor; libertas periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit (Lib. I, *ad Bonif. contra duas epist. Pelag.* cap. 2)." Hæc exscribere placuit, quia aureus hic libellus admodum rarus est, atque ut pateat verus Augustini sensus ex ipso contextu erutus. Hoc enim loco valde abusi sunt Lutherus, Calvinus et Jansenius.

hoc ago; sed quod odi malum, illud facio; ex qua oritur proclivitas ad malum et difficultas ad bonum.

561. *Ad* 3m, *Dist.* Acriter insectatur arbitrii *indifferentiam*, qualem Pelagiani adstruebant in perfecto virium æquilibrio, prout erat in statu innocentiæ, *conc.* qualem adstruunt Catholici, *neg.* Pelagiani enim contendebant, talem a Deo hominem conditum esse, qualis nunc nascitur, et inficiabantur ob Adæ scelus in nobis infirmatum seu attenuatum arbitrium esse per grassantem concupiscentiam; sed autumabant perfecta nos uti arbitrii indifferentia et ad bonum et ad malum. Hoc erat totius pelagianæ hæreseos fundamentum, quod cum Catholica doctrina cohærere nulla ratione potest. Illud propterea totis viribus subruere satagebat S. Augustinus. Præstat has omnes responsiones confirmare earum rerum auctoritate, quas S. Doctor scribit, *Contra Epist. Pelagianorum*, lib. I, cap. II; objicientibus siquidem Pelagianis, quod ex Catholicorum doctrina; *primi hominis peccato liberum arbitrium perierit, ut nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur*, respondet: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis, utique ad bene justeque vivendum.* Hæc plane invictissime ostendunt, quam turpiter ac fraudulenter erraverit Jansenius in videnda, ut ipse ait, et asserenda Augustini sententia.

562. Ad illud, quod additur ex eodem Sancto Doctore: *Nos non agere, sed agi*, reponimus falsum esse, quod adversarii obtrudunt; nam S. Augustinus ibid. aperte dicit: *Immo et agis et ageris, si a bono agaris.*

563. III. *Obj.* Voluntas nunquam agit, sed semper agitur. 1° Vel enim malum aversatur, vel bonum prosequitur. Si malum aversatur, necessario aversatur, eo ipso quod felicitati, in quam necessario tendit, opponatur; 2° quod si bonum prosequitur, semper necessario majus bonum prosequitur vel reale vel apparens, non solum in genere, sed etiam in specie seu in particulari. 3° Si vero diversi generis bona ab intellectu ut æqualia apprehendantur, voluntas nunquam eliget; alioquin enim eligeret sine ratione sufficienti, bilancis in modum; quæ si utrinque æque gravis fuerit, nullum unquam dabit præpondium; quod si alteri ex lancibus adjectum quidpiam vel detractum fuerit, eam illuc præponderare oportebit, quo eandem gravius pondus abripiet, ideoque jam necessario. 4° Et sane voluntas in eligendo semper sequitur intellectum, qui causa est necessaria; 5° cum non possit aliter res percipere nisi ex effectu, quem objecta in eum efficient

aut excitabunt, quæque major aut minor erit pro diversa corporum nostrorum indole, diverso animi habitu aut propensione. Hinc cernimus, diversa ratione ab uno eodemque objecto alios homines affici, imo èumdem hominem diversimode diversis temporibus. Ergo.

564. ***Resp. Neg. antec. Ad*** **1**[m], ***Dist.*** Si sub sola ratione boni vel sub sola ratione mali quidpiam voluntati proponatur, ***conc.*** si sub mixta repræsentatione boni ac mali, ***neg.*** 1). Tunc enim voluntas non abripitur, sed deliberat.

565. ***Ad*** **2**[m], ***Neg.*** Quandoquidem, ut scite passim observat S. Thomas, sola felicitas in genere seu bonum summum, quod est undequaque bonum determinat necessario nostram voluntatem; cætera autem bona, quæcumque demum sint, hoc ipso quod sint finita ac limitibus circumscripta, numquam necessario assensum nostrum abripiunt, cum ipsa limitatio malum seu defectus sit 2).

566. ***Ad*** **3**[m], ***Neg.*** Neque admittimus, voluntatem in ejusmodi casu eligere sine ratione sufficienti; quia ipse finis, propter quem hoc vel illud eligeret inter duo æqualia, esset ratio sufficientissima electionis. Adde, ipsum propriæ libertatis exercitium pro ratione sufficienti haberi posse 3).

567. ***Neg.*** Etiam paritatem adductam ex bilance. Nec enim anima nostra ad libræ imaginem et similitudinem facta est, sed ad imaginem et similitudinem Dei, qui inter duo aut plura æqualia eligit; et nos proinde eligere possumus in tali æquili-

1) Hinc optime S. Thom. 1[a] 2[æ], quæst. 13, art. 6: „In omnibus, *inquit*, particularibus bonis potest *(homo)* considerare rationem boni alicujus et defectum alicujus boni, quod habet rationem mali. Et secundum hoc potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere ut eligibile vel fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali aut alicujus defectus; et ideo ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem, cum non sit de fine, sed de his, quæ sunt ad finem... non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit."

2) Rursum S. Th. loc. cit. q. 10, num. 2: „Quia defectus, *inquit*, cujuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum, quod est perfectio, et cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona. Et secundum hanc considerationem possunt repudiari vel approbari a voluntate, quæ potest in idem ferri secundum diversas considerationes." In quæst. vero 6, *De malo*, art. unico, observat: „Quod objectum movens voluntatem est bonum *conveniens* apprehensum. Unde, si sit aliquod bonum, quod apprehendatur sub ratione boni, non autem sub ratione boni convenientis, non movebit voluntatem."

3) Cf. Storchenau loc. cit. §. 129, schol. I, in resp. ad 5[m], diff.; ubi pluribus rationibus labefactat ejusmodi difficultatem; ac inter cætera observat, *rationalis* et *rationabilis* non idem hoc loco significare, cum possit voluntas aliquid *rationaliter* appetere et *irrationabiliter* eligere. Quod toties fit, quoties aliquis ex certa scientia, deliberato proposito atque ex sola malitia legem divinam aut humanam transgreditur; talis enim est, qui eligit peccatum, quod actu cognoscit grave malum esse, juxta illud poëtæ:

. . . Aliudque cupido,
Mens aliud suadet; video meliora
proboque,
Deteriora sequor.

brio constituti, cum voluntas nostra sit principium activum, cujusmodi libra non est [1]).

568. *Ad* 4m, *Dist.* Ita tamen, ut ipsa intellectus applicatio ad aliquid considerandum, et quidem sub uno potius respectu quam sub alio, ab ipsa vicissim voluntate pendeat, *conc.* secus, *neg.*

569. *Ad* 5m, *Negamus* in ejusmodi perceptione vel affectione constitutam esse libertatem, prout adversarii fingunt; sed in electione constituitur, quæ talem perceptionem aut affectionem subsequitur; quæque si habeat pro objecto bonum particulare, locum semper relinquit deliberationi, ac proinde libertati, juxta ea, quæ ex S. Thomæ observatione protulimus. Adde sine objecto sive motivo externo determinante posse voluntatem ex principio suæ activitatis intrinseco se movere, prævia objecti repræsentatione et ita propriæ activitatis vim exerere, secus ac Leibnitziani contendunt [2]).

570. IV. *Obj.* 1° Voluntas nunquam ad actum accedit nisi prævio judicio practico; 2° multo minus aliquid vult contra practicum et ultimum intellectus judicium; 3° maxime quod voluntas non est nisi potentia cæca; ergo a judicio practico necessario determinari debet. 4° Atqui judicium practicum est necessarium; pendet enim a judicio intellectus theoretico, cujus munus est rationem exhibere tum boni tum mali in objecto, quod necessario repræsentat prout illud percipit, cum intellectus sit potentia necessaria. Ergo.

571. *Resp. ad* 1m, *Neg.* Neque enim absolute requiritur ejusmodi practicum judicium ad hoc, ut voluntas aliquid velit aut nolit, vel etiam suspendat suas volitiones. Sufficit enim simplex boni repræsentatio vel mali, neque necesse est ad verum judicium instituendum, ut voluntas suos actus eliciat. Ex ejusmodi enim repræsentatione habet voluntas quidquid proxime requiritur ad volendum aut non volendum.

572. *Ad* 2m, *Dist.* Quatenus voluntas nunquam non velit, quando actu vult, *conc.* quatenus aliquod judicium prævium requirat, ut illud necessario sequi debeat, *neg.* Cum enim a voluntate pendeat, ut judicium illud ultimum sit, quando jam vult, si contrarium posset velle, vellet et non vellet eodem actu,

1) Cf. Zorzi, *Prodromo della nuova enciclopedia italiana*, Siena 1779, art. *Libertà*, §. 18, ubi statuit libertatem fundari in indifferentia æquilibrii, quod fuse prosequitur. Eo tamen progressus est Spinoza, ut asserere non dubitaverit: Homo *in tali æquilibrio positus* (nempe qui nihil aliud percipit quam sitim et famem, talem cibum et talem potum, qui æque ab eo distant) quin *alterutrum eligat, fame et siti peribit.* Hæc delirantium somnia sunt.

2) Cf. Storchenau, loc. cit., ubi observat indifferentiam activam duplicem esse, unam *electionis,* alteram *simpliciter* activam; illa non eget principio determinante externo, hæc eget; differt tamen ab indifferentia passiva, quæ per principium externum *efficiens* tolli debet; illa soli voluntati competit, estque necessarium veræ libertatis constitutivum, hæc et intellectus et appetitus propria est.

quod implicat. Ast ipsa nullo indiget judicio prævio, quo necessario determinetur [1]).

573. *Ad* 3m, *Dist.* Voluntas est potentia cæca, quatenus nunquam agat absque objecti repræsentatione, *conc.* absque judicio practico et quidem prævio, *neg.* Hinc *negamus consequentiam.*

574. *Ad* 4m, *Neg.* Ex dictis enim voluntas ipsa est, quæ vim suam exercet in hoc judicio, intellectum applicando ad hæc potius quam illa motiva perpendenda, sub hac potius ratione quam sub alia, et prout vult, donec se determinet ad electionem; et hinc patet, liberum pariter sub hoc respectu esse judicium theoreticum intellectus, quod a simplici perceptione minime pendet, sed ab applicatione voluntatis ad ea quæ percipit. Licet propterea perceptio in se sit necessaria, non est tamen necessarium judicium, quod eam subsequitur; imo sæpe sæpius judicamus contra id, quod sensus exhibent et res percepta præ se fert, ex. gr. remum in aqua non esse fractum, etsi fractus appareat; solem et lunam longe majoris amplitudinis esse, ac sensus referant ob ipsorum a nobis distantiam, aliaque id genus innumera, ut leges opticæ postulant, ac physica præsertim recentior docet. Sæpe etiam posita perceptione suspendimus judicium et nihil omnino decernimus. Demum ipsa perceptio quodammodo voluntatis imperio subest, quatenus voluntas, ut dictum est, applicat sensus circa hoc vel illud objectum, ut inde mens ideas sensibiles sibi cudat, ac deinde percipiat; et si de veritatibus abstractis sermo sit, mentem applicat ad hanc potius quam illam veritatem contemplandam. Patet inde mentem humanam semper activam esse in suis ideis, in suis perceptionibus, in suis judiciis, in suis volitionibus ac determinationibus [2]).

575. V. *Obj.* 1° Saltem sensus intimus decipere nos potest, dum videtur testari nos pro lubito velle, dum tamen reipsa a causa exteriori movemur; 2° eadem ratione ac si acui magneticæ aut lapidi decidenti paulo ante motum cum cognitione desiderium aliquod versus aliquem locum determinatum se movendi imprimeretur, viderentur sibi hæc corpora a se ipsis ad eum motum determinari, ac proinde libere. 3° Ita porro et in homine

1) Cf. ibid. cap. 2, §. 22, schol. 1, ubi id ex professo ostendit.

2) Ex dictis patet, corruere totam argumentationem ductam ex animi nostri analysi, per quam ingenti adeo apparatu humanam libertatem se evertere præfidebat Collins. Quæ enim, ut ipse aiebat, ad hanc de libertate quæstionem pertinere possunt mentis nostræ operationes, ad has quatuor potissimum revocantur: percipere, judicare, velle, agere. Jam vero ex nulla harum oriri potest electio. Mens enim necessario percipit, judicat porro prout percipit, vult prout judicat, agit prout vult, nullus igitur electioni locus. Verum ex iis, quæ attulimus, constat, falsas esse ejusmodi assumptiones. Nam nec mens necessario percipit, prout expositum est; nec necessario judicat prout percipit, uti ostendimus; judicium enim juxta sanam philosophiam est mentis operatio distincta a mera perceptione; nec sæpe vult prout judicat; quod si agit prout vult, ideo est, quia hoc includit ipsum exercitium libertatis; implicat vero, eodem tempore velle agere et non velle; idem enim simul esset et non esset.

reipsa accidere patet ex eo, quod a Deo tanquam prima causa prædeterminari debeat, et applicari ipsius potentia, quoties ad actum accedere debet; seu saltem necessaria est Dei præmotio, qua homo tanquam causa secunda omnes et singulas actiones suas peragat. Ergo.

576. ***Resp.*** *Ad* 1m, vel *neg.* vel *dist.* Sensus intimus nos decipere potest in iis, quæ sunt sensus intimi objectum, et de quibus ipse aperte testatur, *neg.* in cæteris, *trans.* vel *conc.* Ostendunt enim philosophi nunquam sensum intimum in iis de quibus aperte testatur et quæ ejus objectum sunt, decipere nos posse [1]. Si quæ sint, in quibus videmur decipi, non sunt ejusdem intimi sensus objecta, cujusmodi esset existere nos ab alio, conservari, etc.

577. *Ad* 2m, *Neg. paritatem.* Nunquam enim vel acus magnetica aut lapis, qui in dicta hypothesi putarent se libere moveri, possent propriæ libertatis demonstrationem exhibere cessando a motu; contra vero homo non solum sentit, dum movetur, se libere moveri, sed sentit, præterea se actu habere potestatem ad oppositum atque ad diversa, et cuilibet, a se petenti demonstrationem suæ libertatis, illico eam exhibet exsiliendo, consistendo, motum cohibendo vel accelerando, prout ipsi libet.

578. *Ad* 3m, ***Dist.*** Prædeterminari aut præmoveri debet homo a Deo tanquam causa prima, quatenus indiget conservatione illius activæ facultatis, quam per creationem ipsi Deus communicavit, *conc.* quatenus homo ad actus singulos debeat præmoveri aut prædeterminari, *neg.* Nempe ea ratione, qua homo aut alia creatura quælibet propriam existentiam cum facultatibus, quas uniuscujusque natura exposcit, a Deo per creationem accepit, eadem ratione illarum a Deo conservationem habet per continuationem, seu extensionem illius divinæ voluntatis actus, quo primum conditus est. Actus iste divinæ voluntatis, qui se porrigit ad totam conservationis periodum, dicitur perpetua creatio, non eo sensu quod Deus reipsa continue ac singulis veluti momentis eum de novo creet; sic impulsus ille, quem Deus homini primum indidit ad felicitatem in genere, et qua homo movetur ad eligenda particularia media, quæ ad eam perducunt, debet a Deo conservari, ut possit vires suas exercere, dicitur continua præmotio et, si placet, prædeterminatio [2]. In hoc profecto nihil intercedit, quo humana libertas lædi vel minimum possit, quod facile cuiquam patet [3].

1) Cf. Storchenau, *Logic.*, §. 158 et seqq.

2) Ita S. Thom. 1a 2æ, quæst. 9, art. 6, ad 3m, his verbis: „Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum."

3) Cf. Fortunatus a Brixia, Ord. Min. reform. *Metaphys.* p. 3, sect. 3, §. 60 et seqq. ubi luculenter hoc argumentum e-

579. Difficultates, quæ peti solent vel ex divina præscientia, vel ex divinæ gratiæ efficacia, partim in tractatu *De Deo* disjecta sunt [1]), partim disjicientur in tractatu *De Gratia.*

CAPUT VI.

DE FUTURA HOMINIS VITA.

580. Brevi dilabitur præsens hæc vita, quæ data homini est, ut serviat Deo conditori suo. E matris sinu ad tumuli obscuritatem præcipiti ruimus cursu: *Omnes enim morimur*, ut sapiens illa Thecuites aiebat, *et quasi aquæ delabimur in terram, quæ non revertuntur* [2]). At, si itineris nostri metam attigerimus, pro meritis, quæ nosmet nobis comparavimus, altera nos vita manet fausta vel infausta. Fieri autem potest, ut homo ex hac vita decedens beatitudinem, ad quam conditus est, statim assequatur; vel ad tempus ab ipsa arceatur, donec scilicet a levibus, quibus hinc coinquinatus sordibus migravit, purgetur, aut debitas pœnas persolvat; vel etiam ob nefaria scelera, queis sese obstrinxit, non solum ab ea penitus excludatur, verum etiam gravioribus addicatur suppliciis; vel denique ob originalem noxam, qua inexpiatus supremum diem obiit, ab eadem beatitudine in perpetuum abjiciatur. De hac proinde supernaturali felicitate, quæ in intuitiva Dei visione ac fruitione posita est, de purgatorio et inferno, de statu decedentium sine baptismate disserendum ex ordine superest, quæ totidem distinctis articulis prosequemur.

ARTICULUS I.

De supernaturali hominis beatitudine.

581. Beatitudo, quæ etiam summum bonum ac ultimus finis dicitur, quamque et probi et pravi homines vehementer appetunt [3]). definitur in genere a Boetio *status omnium bonorum congregatione perfectus* [4]) et a S. Augustino *bonorum omnium summa et cumulus* [5]), a scholasticis passim definiri solet *summum bonum appetitus rationalis adæquate satiativum* [6]).

volvit. Cf. etiam Card. Gerdil. *Saggio d'instruz. teolog. de Deo creatore, De mundo.* Hinc ipse Tullius, *Quæst. Tusc.* lib. I, cap. 23, aiebat: „Sentit animus se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua non aliena moveri.

1) Part. 3, cap. 1, n. 392 et seqq.

2) II Reg. XIV, 14.

3) Cf. S. August. *Serm.* I, *in Psal.* CXVIII, n. I, ubi præclare scribit: „Si vis esse beatus; esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt . . . Beatum quippe esse tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati."

4) *De consolat. philos.*, lib. III, pros. 2.

5) *Enarr. in Psal.* II, n. 11.

6) Cf. Suarez, tract. *De ultimo fine et beat.* disp. 15, sect. 1.

582. Ea autem vel est *objectiva* vel *formalis*. Objectiva est res ipsa, cujus possessione efficimur beati; formalis est actus ipse, quo beatitate ipsa utimur ac fruimur, seu ipsa hujus rei possessio et fruitio [1]).

583. Magna olim inter philosophos de beatitudine objectiva exarsit contentio; quare in diversas ipsi abiere sententias, quas Lactantius enumerat [2]). Marcus Varro apud S. Augustinum ostendit, sectas philosophorum de summo bono ita posse permisceri, ut ex ea permixtione biscentum octoginta octo sententiæ seu placita existant, non quæ aliquando fuerint, sed quæ esse potuerint [3]). Divina postmodum revelatione affulgente, nullum dubium superest, solum Deum, in quocumque providentiæ ordine, objectum esse essentialis beatitudinis intelligentis naturæ, quatenus ab eadem possidetur per ultimam ac perfectissimam actualem facultatum operationem. Hæc vero perfectissima operatio tribus potissimum actibus continetur, visionis nempe, amoris et gaudii [4]).

584. Hæc, quæ de beatitudine diximus, tum naturali tum supernaturali, ad utriusque rationem conveniunt. Beatitudo enim naturalis, quamvis in se perfecta, relate tamen ad supernaturalem imperfecta est, ac ejusmodi nomine vix digna, utpote quæ in sola visione seu potius cognitione abstractiva consistit, quæ comparari potest per creaturas, atque in amore et gaudio naturali, quæ inde dimanant. Contra vero supernaturalis in clara atque intuitiva ipsius Dei visione seu cognitione [5]) sita est, ex qua amor pariter supernaturalis et supernaturale gaudium profluunt. Nobis de postrema hac tantum disserere in animo est, atque ut dogmaticos theologos decet, posthabitis scholasticis inquisitionibus, quæ fidei dogmata minime attingunt [6]).

1) Ex quibus patet beatitudinem ex duobus conflari, tum nempe re extrinseca, in qua consistit summum bonum, et ejusdem boni possessione, seu unione, qua nobis conjungitur; nisi enim objectum beatitudinis nobis uniatur, et nos quodammodo afficiat, beati nec esse nec dici possumus. Cf. Lessius, *De summo bono*, lib. I, cap. I.

2) *Divin. Instit.* lib. III, cap. 7, ubi decem recenset sententias cum suis auctoribus.

3) *De civ. Dei*, lib. XIX, cap. I, n. 2, ubi, quomodo illa permixtio facienda sit, et quibus differentiis additis tantus sententiarum numerus emergat, ostendit clarissime. Cf. Suarez, *De beat. in communi*, disp. 5, sect. I; Lessius, loc. cit. cap. 3.

4) Cf. Suarez, loc. cit. lib. I, disp. 6, sect. 2, n. 10; et sect. 3; et Lessius, op. cit. lib. II, cap. I et seqq. præsertim vero cap. 6, ubi inquirit: Quis horum actuum in beatitudine sit potior, visio, an amor, an gaudium? ostenditque quemlibet eorum sub peculiari respectu sibi primatum vindicare. Visio primas tenet, quatenus est perfectio physica et reliquorum radix et fundamentum; amor primum obtinet locum, quatenus Deum respicit ejusque bonum; gaudium seu fruitio primas obtinet, quatenus bonum hominis spectatur. Dantes, *Parad.* Cant. XXX, v. 40, has diversas sententias præclare componit illis versibus:

Luce intellettual piena d'amore.
Amor di vero ben pien di letizia,
Letizia, che trascende ogni dolciore.

5) Dixi: *seu cognitione;* exploratum enim est, nomen *visionis* hic sumi sensu translato pro cognitione, quam per intellectum adipiscimur.

6) De his quæstionibus consuli possunt inter cæteros Suarez et Lessius, opp. cit.

585. Cum igitur Deus intuitive visus sit objectum supernaturalis beatitudinis, ad quam tendimus, quatuor potissimum sunt a nobis constabilienda, quæ totidem fidei nostræ articulos constituunt. Ac 1° quidem beatos superno lumine illustratos Deum ipsum immediate ac intuitive videre; 2° nec tamen ipsum comprehendere; 3° pro diverso meritorum gradu eosdem Deum inæquali modo videre; 4° demum divinam hanc beatificam visionem ad futuram usque corporum nostrorum resurrectionem minime esse differendam.

PROPOSITIO I.

Beati in patria supernaturaliter Dei essentiam intuitive vident.

586. Hunc fidei articulum definivit Concilium Florentinum, quod, Actione XXII, in ***Decreto Unionis***, statuit, animas perfecte puras ***in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est*** [1]. Idem jam antea præstiterat Benedictus XII. [2].

587. Dixi in propositione enunciata ***supernaturaliter***, ut sic excluderem errorem Beguardorum et Beguinarum, docentium sæculo XIV, naturaliter Deum ab intellectu creato videri posse, et ***animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum,*** ut refertur in ***Clementina: Ad nostrum, De hæreticis*** [3]. Beguardis præiverant in hoc errore Eunomiani, qui, teste Theodoreto, non solum Deum naturali virtute ac perspicue videri, sed comprehendi posse ab humano intellectu incredibili audacia autumarunt [4].

588. Adstruitur vero thesis adversus Palamitas contendentes Deum a beatis minime videri, prout in se est, seu in sua essentia, nec supernaturaliter, sed tantum abstractive [5]. Recen-

1) Cf. *Acta Conc.* Harduini, tom. IX, col. 986.

2) In *Extrav.: Benedictus Deus,* apud Raynaldum, ad annum 1334.

3) Cf. *Coll. Conc.* Labbei, tom. XI, part. 2, col. 1566.

4) *Hæret. fabularum*, lib. IV, cap. 3, ubi refert Eunomium ausum esse dicere: *Se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam Dei essentiam exacte se nosse, eamdemque de Deo notitiam habere, quam Deus habet de se ipso;* Ὡς οὐδὲν τῶν θείων ἠγνόησεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν ἀκριβῶς ἐπίσταται τοῦ θεοῦ τὴν οὐσίαν, καὶ τὴν αὐτὴν ἔχει περὶ τοῦ θεοῦ γνῶσιν, ἣν αὐτὸς ἔχει περὶ ἑαυτοῦ ὁ θεός. Eadem scribit S. Epiphan. *Hær.* LXXVI, pag. 989, edit. Petavii.

5) Hujus erroris apud Græcos schismaticos vindex et propugnator acerrimus exstitit Gregorius Palamas, novæ illius factionis coryphæus, quæ Palamitarum nomen ab ipso nacta est. Inter stultiora Palamitarum placita illud erat, quod affirmabant lucem quamdam esse increatam, et oculis conspiciendam velut manantem ex Deo fulgorem, qualem in Thabore viderunt Apostoli, cujus adspectu gaudent beati in cœlo; in eoque spectaculo velut in summa felicitate acquiescant; quod natura ipsa Dei, qualis in se est, a nemine conspici possit. At enim Palamitarum stuporem magis magisque illud ostendit quod effutiebant, se ad certum corporis habitum conformatos mirifica quædam cernere. Cum enim ad pectus vel umbilicum caput ac mentum admovissent et oculos contorsissent, suppresso spiritu, mirabilem se lucem intueri, et inexplebili voluptate affici di-

tiores Armenii schismatici, teste Radulpho Archiepiscopo Armachano, eumdem errorem amplexi sunt [1]).

589. Sic porro Catholicum dogma ex Scripturis in primis ostendimus: Christus, Matth. XVIII, 10, diserte inquit; *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Quemadmodum autem Angelos videre Deum inde constat, sic de hominibus idem est consequens ex eo, quod, Matth. XXII, 30, de iisdem affirmet ipsemet Christus: *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, seu ut, Luc. XX, 36, apertius adhuc dicitur: *Æquales Angelis sunt.* Videbunt igitur et ipsi faciem Dei. Hoc pariter palam confirmat Apostolus, dum ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quod de perfecta cognitione et manifesta profecto dicitur, quum illi opponatur ea, quæ est adumbrata et per ænigma alienamque speciem objicitur. Idem evidentissime declarat hoc Joannis: *Scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Porro nisi Dei essentiam ac naturam clare et manifeste intueamur, non eum videbimus *sicuti est.* Ergo.

590. Idem dogma constanter Patres tradiderunt, quas longo agmine profert Petavius (*De Deo*, lib. VII, cap. 7). Nos unum vel alterum ex Græcis ac Latinis laudabimus, ne in hac re, quæ non amplius in controversiam cadit, longiores simus. S. Irenæus itaque: *Quemadmodum*, inquit, *videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt, sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam, qui vident Deum* [2]). S. autem Cyprianus: *Quæ erit gloria*, exclamat, *et quanta lætitia, admitti ut Deum videas* [3])? His adjicimus S. Augustinum, qui: *Homo*, inquit, *Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei*;

cebant; imo affirmabant, lumen istud conspiciendum etiam oculis corporeis verum illud esse lumen, quo Deus induitur. Cf. Petav. *De Deo*, lib. I, cap. 12 et 13, tum lib. 7, cap. 7, §. 8, ubi ejusmodi Palamitas acerrime vellicat. Hujus erroris nebula veluti tinctum sese exhibet, nempe quoad lucem illam thaboriticam, de qua paulo ante, vel ipse Leo Allatius, in op. *De Eccles. occid. et orient. perpet. consens.* lib. II, cap. 17, col. 837, edit. Colon. Agrip. 1648. Cumque ob id laudatus fuisset a Beausobre, *Hist. crit. de Manichée,* liv. III, chap. I, pag. 470, vehementius propterea vapulat a Trevoltiensibus, anno 1736, art. I, pag. 14, his verbis: „Léon Allatius, Grec de cette espèce de prétendus savans qui ont beaucoup lu et n'ont jamais su lire, admirateur des Grecs modernes, Allatius sans principes de philosophie ni de théologie, etc." quæ nimis fortasse acerbe dicta mihi videntur, habita præsertim ratione hominis, qui ab schismate ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ rediit, et multigena eruditione excelluit.

1) *De quæstionibus Armen.* lib. XIV. cap. I.

2) *Ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς, ἐντός εἰσι τοῦ φωτὸς, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν· οὕτως οἱ βλέποντες τὸν Θεὸν, ἐντὸς γίνονται τοῦ Θεοῦ, μετέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος ... ζωῆς οὖν μεθέξουσιν οἱ ὁρῶντες Θεόν.*

3) *Epist.* LVI. edit. Maur.

et nunc in speculo videmus et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus [1]). Quæ perspicua sunt adeo, ut interpretatione non egeant.

DIFFICULTATES.

591. I. *Obj* In sensu minus proprio accipiendæ Scripturæ sunt, dum videntur intuitivam Dei visionem adstruere; quod duplici ex capite eruitur: 1° ex analogia, cum sæpe exhibeant sanctos Veteris Testamenti Deum conspexisse *facie ad faciem*, ut Jacob, Gen. XXXII, 30, et Moysem, Exod. XXXIII, 11, et alibi, illi tamen ipsius Dei essentiam non viderunt, neque Catholici id contendunt; et insuper ex omnimoda invisibilitate, quæ ex iisdem Scripturis Deo vindicatur; sic Apostolus, I Timoth. I, 17, ait: ***Regi sæculorum immortali***, INVISIBILI, et clarius adhuc ibid. VI, 16: ***Qui . . . lucem inhabitat inaccessibilem***, *quem* ***nullus hominum vidit***, SED NEC VIDERE POTEST. Quibus consonat dictum Joannis, I, 18: ***Deum nemo vidit unquam.*** 2° Sane nec ipsi Angeli Deum intuentur, dicente Petro, I Epist. I, 12: ***In quem*** (Spiritum Sanctum) DESIDERANT *Angeli prospicere.* 3° Eodem propterea sensu Deus *invisibilis* dicitur, quo *incomprehensibilis* prædicatur; quum vero incomprehensibilis Deus reipsa sit, sic est et invisibilis. Ergo.

592. ***Resp. Neg.*** *antec.* Neque in primis id eruitur ex analogia, quamquam enim demus prolata testimonia de visione improprie dicta esse accipienda, prout alia Scripturarum loca declarant et communis interpretatio fert [2]), non tamen inde consequitur, eodem sensu esse intelligenda quæ protulimus, tum quia antithesis in his instituitur inter visionem abstractivam, quam vocant, et intuitivam, quæ in aliis non habetur; tum quia alia ratione, quam illud adversarii contendunt, hæc eadem loca exposuit universa antiquitas et perpetuus Ecclesiæ consensus retinuit.

593. Non eruitur ex altero capite, ex omnimoda nempe invisibilitate, quæ Deo vindicatur, ut iidem autumant. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, quatuor modis juxta Ecclesiæ Patres Deum invisibilem in Scripturis perhiberi: 1° oculis corporeis; 2° in præsentis vitæ conditione; 3° solius naturæ viribus; 4. interdum dicitur invisibilis ex hoc, quod est incomprehensibilis. Quibus positis dico, Apostolum in duobus obje-

1) *Epist.* CXLVIII. alias CXI. num. 7, referens verba S. Hieronymi, tum *tract.* XXI. *in Joan.* n. 14, 15.

2) Etenim hoc nobis est certum ac declaratum ex Oseæ XII, 3, ubi de Jacob, qui tamen Deum vidisse perhibetur, dicitur: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, et invaluit ad Angelum et confortatus est.* Ad Moysen vero quod spectat, jam illi dixerat Deus: *Faciem meam non videbis.* Cf. Calmet, *Com. in Exod.* loc. cit. Cf. etiam S. August. Epist. cit., ubi fusius de hoc argumento scribit.

ctis locis vel de visione, quæ per oculos corporeos haberi posset, vel de visione per naturæ vires comparanda esse intelligendum, nisi ipsum sibi non constare velimus. Hinc S. Augustinus, *Epist.* CXLVIII verba illa enarrans; ***Regi sæculorum***, etc. ait: ***Invisibili autem non in sæcula sæculorum; sed tantum in hoc sæculo.*** Sic textus S. Joannis ad statum præsentis vitæ referendus est [1]).

594. *Ad* 2^m^, *Neg.* Cum græcus textus illud Angelorum *desiderium* referat, non ad Spiritum Sanctum, sed ad mysteria, de quibus Petrus ibidem locutus erat, dicens: *in quæ* [2]). Deinde quia, ut animadvertit S. Gregorius Magnus, Angeli desiderant prospicere desiderio excludente fastidium, non autem desiderio excludente præsentiam et fruitionem: ***Et desiderant igitur,*** inquit, ***sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur*** [3]).

595. *Ad* 3^m^, *Neg.* Cum diversa materia substrata eumdem sensum minime patiatur. Nam neque divina omnipotentia fieri potest, ut intellectus finitus comprehendat adæquate objectum infinitum, cujusmodi Deus est; contra vero nulla invenitur repugnantia in eo, quod Deus se videndum præbeat beatis, auxilio præsertim, ut inferius dicemus, suffultis, quod lumen gloriæ vulgo dicitur. Diverso propterea sensu Deus invisibilis et incomprehensibilis prædicatur.

596. II. ***Obj.*** Sancti Patres, Ambrosius, Hieronymus, plerique græci, præsertim S. Joan. Chrysostomus et Theodoretus, aperte negant divinam naturam unquam fuisse visam sive ab hominibus sive ab Angelis. Satis sit. S. Joan. Chrysostomi verba proferre, quæ ***Hom. XV. in Joan.*** leguntur: ***Id quod est Deus***, inquit, ***non modo prophetæ, sed nec Angeli nec Archangeli vident . . . creata quippe natura quomodo increatum videre possit*** [4])?

597. ***Resp. Neg. antec. Ad probat. Dist.*** Patres aperte negant divinam naturam unquam fuisse visam visione ***comprehensiva***, ***conc. intuitiva***, ***neg.*** Id constat ex fine, quem sibi proponebant, impugnandi scilicet Anomæos. Et re quidem vera de intuitiva Dei visione hæc habet S. Joan. Chrysostomus, quæ plane decretoria sunt: ***Quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit? Quando apertis regiis ædibus ipsum regem conspicere licebit, non ultra in ænigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem; nec ultra per fidem, sed per speciem*** [5])?

1) Cf. Tolet. in h. l. Annot. LIV; nec non Maldonatus, qui diversas exhibent hujus loci interpretationes.

2) *Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι.*

3) *Moral.* lib. XVIII, n. 91.

4) *Αὐτὸ ὅπερ ἐστὶν ὁ Θεὸς, οὐ μόνον προφῆται, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἄγγελοι εἶδον, οὔτε ἀρχάγγελοι ... ἡ γὰρ κτιστὴ φύσις ἅπασα πῶς καὶ ἰδεῖν δυνήσεται τὸν ἄκτιστον;* num. 1, tom. VIII. edit. Maur.

5) *Τί ἂν τὶς εἴποι, ὅταν αὐτὴ τῶν πραγμάτων ἡ ἀλήθεια παραγένηται, ὅταν, τῶν βασιλείων ἀνοιγέντων, κατοπτεύειν ἐξῇ τὸν βασιλέα αὐτὸν, μηκέτι ἐν αἰνίγματι, μηδὲ*

In objecto vero loco non excludere S. Doctorem nisi perfectam comprehensionem, evincunt verba immediate sequentia; subdit enim: *Quantam Pater habet de Filio* [1]).

598. De eadem visione comprehensiva *juxta naturæ suæ proprietatem* palam loquitur S. Hieronymus, vel ut ait S. Augustinus, negat videri posse Deum oculo corporeo, *quia tunc mente cernitur, cum invisibilis* (terrenis his oculis) *creditur*. En quomodo S. Hieronymus aperte tradat dogma Catholicum: *Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, et potuerimus cum Apostolo dicere: nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu* [2]).

599. De eadem pariter visione comprehensiva est intelligendus S. Ambrosius, *Comment. in S. Lucam*, ubi videtur negare Deum tum ab hominibus tum ab Angelis conspici; prosequitur enim ibid. dicens: *Ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis* COMPREHENDIT [3]).

600. Sic Patres reliqui, præsertim græci, sunt intelligendi in iis, quæ facessere videntur aliquam difficultatem; si qui vero sunt, quorum dicta emolliri non possint, velut singulares et a communi cæterorum, imo et ipsius Ecclesiæ sensu discrepantes, ea qua par est reverentia, sunt deserendi [4]).

601. III. *Obj.* Huic intuitivæ Dei visioni obstant: 1° finitæ creaturæ conditio, quæ objectum infinitum, cujusmodi Deus est, attingere nequit; 2° naturæ diversitas, unde fit, ut impares simus ad naturam divinam conspiciendam, quæ in alio prorsus ordine est. Hinc ea ratione, qua oculus corporeus objecta spiritualia, ex. gr. Angelos, videre nequit, sic mens nostra Deum, ut in se est, non potest conspicere, qui immenso intervallo ejus excedit facultatem. Nec enim datur ulla proportio inter facultates nostras et Deum. Ergo.

602. *Resp. Neg. antec.* Neque enim obstat *primum*; cum nos minime contendamus, creaturam finitam Deum attingere

ἐσόπτρου, ἀλλὰ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, μηκέτι διὰ πίστεως, ἀλλὰ διὰ εἴδους; Parænes. I, *ad Theodor. lapsum*, in fine num. 11, tom. I, opp. edit. Maur.

(1) *Τοσαύτην ὅσην ὁ Πατὴρ ἔχει περὶ τοῦ παιδός*, ibid. num. 2. Paulo ante jam pariter dixerat: *Nemo sic norit ut Filius, οὕτως οὐδεὶς οἶδεν ὡς ὁ Υἱός*. Witasse, tract. *De Deo*, tom. II, quæst. XI, art. 2, sect. 2.

2) *Comm. in cap.* I, *Isaï.* in v. 10, quæ verba superius vidimus ab Augustino relata.

3) *Expos. in Luc.* lib. I, n. 25.

4) Cf. Petav. *De Deo*, lib. VII, cap. 6. Ex his dignoscimus necessitatem vivi ac infallibilis jugiter magisterii Ecclesiæ, quæ per anfractus, ut ita loquar, sententiarum tuto semper nos ducat. De Theodoreto, cujus non pauca obscure dicta habentur ob hæresin Anomæorum, quæ in sua diœcesi Cyrensi grassabatur, cf. Witasse, loc. cit.

modo infinito, ut supponitur, sed modo finito ac limitato, ut creaturam decet; alioquin neque abstractivam de Deo cognitionem haberemus.

603. Sed neque *alterum* obstat; quia, etsi impares simus pro naturæ nostræ in se spectatæ conditione, ad naturam divinam conspiciendam ut in se est, ad id tamen pervenire possumus suffulti atque adjuti peculiari illo auxilio, quo mens roborata capax efficitur ejusmodi visionis; non aliter quam divina gratia in præsenti sæculo instructi opera supernaturalis ordinis et meritoria vitæ æternæ præstare possumus, ad quæ tamen ex nobis ipsis profecto assurgere minime valemus.

604. Atque hinc responsio patet ad comparationem institutam inter oculos corporeos quoad objecta spiritualia et mentem nostram quoad Deum, præsertim cum comparatio claudicet inter oculos et mentem. Oculi enim corporei nonnisi sensibilia pro objecto habere possunt; mens vero remote saltem, ut loquuntur scholæ, ad Deum videndum potentiam habet, quæ proxima efficitur seu idonea per *luminis gloriæ* adjumentum, ut de gratiæ auxilio dictum est.

605. Sic nulla datur inter Deum et facultates nostras proportio *entitatis*, ut vocant, *conc.* nulla datur proportio *habitudinis*, *neg.* Alias nec possemus nobis Dei abstractive cogniti ideam et certitudinem comparare.

606. Si quis modo quærat, quid tandem sit *lumen gloriæ*, quo illustrati Deum beati vident, respondeo, difficile nobis esse id definire. Disceptant non parum inter se theologi in ejus natura determinanda. Juxta Thomistas est qualitas quædam creata, ad modum habitus animæ beatæ inhærens. Juxta Scotistas est charitas ipsa, quacum justi decedunt, et cujus ope consortes fiunt divinæ naturæ. Si Thomassinum audiamus, ipsa est Spiritus Sancti hypostasis, beatorum mentem intime collustrans; si Petavium, est Deus ipse, animæ beatæ conjunctus. Ex fidei principiis nihil de eo liquido constat; quapropter, cujusmodi sit, tunc plane noverimus, cum, divina sospitante gratia, ad beatitudinem illam nobis pervenire contigerit [1]).

1) *Quale autem sit necessarium illud auxilium,* inquit Petavius, *De Deo,* lib. VII, cap. 8, §. 4, *sive lumen gloriæ, quo ad Deum videndum natura fulcitur, nemo liquido demonstravit, minime omnium efficientis quoddam genus esse causæ, ac velut habitum, et δύναμιν, sive facultatem actuosam, quod passim in scholis percrebuit. Immo vero si ex iis, quæ palam et aperte significarunt* (veteres), *conjecturam de eo facere volumus, cujusmodi lumen illud sit, magis erit ut ad objectam intelligentiæ ac visioni rem illud referamus, quam ad efficientem visionis potentiam. Quemadmodum externa lux illa, qua illustrata corpora cernuntur oculis corporis, ad subjectiva visui colorata potius corpora quam ad videndi sensum pertinet, et in* objecti, *ut loqui solent, censu apparatuque numeratur, non ipsius videndi facultatis.* Quod deinceps, allatis in medium pluribus veterum testimoniis, ostendere pergit. Thomassini sententia, quod ad rem ipsam spectat, cum hac Petavii convenit.

PROPOSITIO II.

Beati supernaturaliter Deum nec comprehendunt nec comprehendere possunt.

607. De fide est hæc propositio, ut ex Concilio Lateranensi IV, cap. *Firmiter* constat, ubi: *Credimus*, inquiunt Patres, *quod sit Deus incomprehensibilis.*

608. Priusquam vero eam adstruamus, animadvertendum est diversa ratione a veteribus Patribus et recentioribus theologis ejusmodi incomprehensibilitatem exponi. Veteres enim, ut ostendit Petavius [1], ad comprehensionem requirebant æqualitatem *objectivam* et *intentionalem* cognoscentis et rei cognitæ, adeo ut ex istorum sensu comprehensio sit potius *repræsentatitia* quam *essentialis*, quæ consistat in plena et adæquata objecti cogniti perceptione, quæ totum illud perfecte contineat, ac veluti exhauriat, ita ut nihil rei cognitæ lateat cognoscentem. Plenam autem esse oportere volunt hanc notitiam tum rei ipsius secundum se ac substantiam suam (*formalem* vocant), tum eorum omnium, quæ in illius potentia continentur, quod *eminenter* inesse dicitur [2]. Recentiores vero theologi deterriti difficultatibus, quæ in componenda Dei simplicitate et intuitiva visione cum incomprehensibilitate occurrunt, illa notione non contenti, aliam subjecerunt, adeo ut juxta ipsos ad comprehensionem requiratur tanta perfectio cognitionis, quanta est in objecto perfectio cognoscibilitatis, ac propterea ad comprehensionem requirunt æqualitatem *essentialem* et *entitativam*, ut vocant [3].

1) *De Deo*, lib. VII, cap. 3. ubi monet *comprehensionem* Latinis idem esse ac Græcis *κατάληψιν*, quæ vox a *καταλαμβάνειν* profluit ac proprie idem significat ac *assequi* vel *attingere*, id præsertim, quod vehementer assequi conati sumus. Hinc ad animum translata dictio obscuræ et hactenus occultæ ac diu quæsitæ rei certam perceptionem significat. Deinde cap. seqq. talem fuisse veterum mentem, cum loquuntur de incomprehensibilitate Dei, luculentissime ostendit.

2) Hoc itaque intercedit discrimen inter veterum Patrum et scholasticorum recentiorum sententiam circa incomprehensibilitatis notionem, quod veteres ad comprehensionem non requirerent nisi adæquatam rei notitiam tum ejus, quod *formaliter* eidem inesse dicitur, tum ejus quod *eminenter*, ut nos loquimur, aut *virtualiter* in ea includitur. Scholastici autem præterea ad comprehensionem requirunt cognitionem, quæ ita exæquet et exhauriat objectum cognitum, ut nihil in eo sit, quod penitus non cognoscatur. Hinc veteres constituebant comprehensionem in *æqualitate objectiva* et *intentionali* cognoscentis et rei cognitæ, scholastici eam constituunt in *æqualitate essentiali* et *entitativa* inter cognoscentem et rem cognitam, secus ac veteres existimarunt; qui, ut ex dictis liquet, *repræsentatitiam* potius quam *essentialem* et *entitativam* æqualitatem exposcebant.

3) Idque ex principio philosophico olim recepto, præter cognitionem requiri æqualitatem *modi* cognoscendi, quia *modus* objecti debet esse *modus* cognoscentis. Objectum porro in casu nostro est infinitum; ergo, inferunt, infinitus pariter debet esse cognoscens ad comprehendendum.

609. In hoc commodior prior sententia videtur, quod faciliorem præbeat viam ad duo ista componenda, visionem nempe Dei intuitivam et incomprehensibilitatem. Sunt qui contendant hanc eamdem notionem incomprehensibilitatis etiam S. Thomæ propriam fuisse [1]); eam certe amplexi sunt Vasquez et Petavius [2]). Verum quidquid de hoc sit, quod diutius expendere non vacat, in utraque hypothesi generalibus argumentis ex Scriptura, traditione ac ipsa ratione theologica deductis veritatem catholicam breviter vindicamus.

610. Etenim, Jerem. XXXII, 19. Deus dicitur *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*; et Rom. XI, 33. exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* Quo pariter referuntur omnia illa Scripturarum loca, in quibus Deus *invisibilis* perhibetur, quæ, ut ex dictis patet, nonnisi de ejusdem incomprehensibilitate accipi possunt.

611. Nec minus aperte eadem veritas patet ex Patribus; inter quos S. Irenæus: *Immensurabilis*, inquit, *in corde Deus, et incomprehensibilis in animo* [3]); S. Augustinus autem: *Attingere*, ait, *aliquantum mente Deum*, *magna beatitudo est*, *comprehendere autem*, *omnino impossibile* [4]). At supervacaneum arbitror, omnium Patrum testimonia singillatim proferre, cum eorum doctrina circa hunc articulum evidenter constet ex ipsorum principiis adversus hæreticos. Etenim ipsi 1° nituntur ostendere Filii et Spiritus Sancti divinitatem ex comprehensione divinitatis ipsius; ita S. Joan. Chrysostomus in *Homiliis contra Anomœos*, Cyrillus Hieros. *Catech. VI*, et S. Irenæus, cujus celebre effatum prædicatur: *Mensura Patris Filius*, *qui et capit eum* [5]). 2° Colligunt Spiritum Sanctum Deum esse, eo quod Dei solius sit divinam essentiam comprehendere, cum tamen de ipso scriptum sit, I Cor. II, 10: *Spiritus omnia scrutatur*, *etiam profunda Dei;* ut S. Athanasius, disputans adversus Arium, Clemens Alexand., S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Cyrillus Alexand. aliique [6]). 3° Luculenter affirmant, Deum neque ab hominibus, neque ab Angelis et Archangelis comprehendi posse; ut S. Joan. Chrysostomus, S. Hilarius, cæterique passim.

612. Quare merito proscripta fuit a Concilio Basileensi Augustini de Roma propositio: *Anima Christi videt Deum tam*

1) Ita quidem censet Petavius; verum plura sunt, quæ huic sententiæ sese opponere videntur. Cfr. tamen ipse S. Doctor p. I, quæst. 12, art. 7 in corp. et ibid. art. 7, ad 3m cf. Witasse, loc. cit. quæst. XI, art. 3.

2) Petav. loc. cit.; Vasquez, in I part. S. Thom. disp. 52 et 53.

3) *Contra hæres.* lib. IV, cap. 19, n. 2, pag. 252 edit. Maur. ubi de hoc argumento disputat.

4) *Serm.* CXVII, *De verbis Evang. Joan.* cap. 5.

5) Cf. Petav. loc. cit. cap. 4.

6) Vid. Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 14, n. 10.

clare et intense, quantum clare et intense Deus videt se ipsum. Hanc autem censuram confirmavit Nicolaus V, Eugenii IV, successor, quum anno 1449 Concilium Basileense ipsum approbavit, *quantum ad censuras* et *causas beneficiales* [1]. Porro anima Christi Deum supernaturaliter videt. Ergo.

613. Rationem theologicam nobis suppeditat S. Thomas p. I, q. 12, a. 7, dicens: *Unumquodque cognoscibile est* (intrinsece) *secundum quod est ens actu. Deus igitur, cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est; nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere; in tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, in quantum majori vel minori lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat; unde impossibile est, quod Deum comprehendat* [2].

DIFFICULTATES.

614. I. *Obj.* 1° Apostolus, I Cor. XIII, 12 ait: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum.* Atqui Apostolus profecto cognitus erat a Deo cognitione comprehensiva. 2° Quare in eadem epistola IX, 24, ita fideles adhortabatur: *Sic currite, ut comprehendatis;* et ad Philipp. III, 12: *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* 3° Hinc receptum est, ut beati *comprehensores* vocentur. Ergo.

615. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Id est, *simili* cognitione seu intuitiva, *conc. æquali* seu comprehensiva, *neg.* Hic enim posterior sensus in quacumque hypothesi esset absurdus; ideo autem hoc utitur verbo Apostolus, ut significet discrimen inter cognitionem Dei, quæ in hac vita haberi potest, quæque non est nisi abstractiva, et illam, quam in altera vita nos esse assecuturos confidimus, quæ in clara ipsius Dei visione posita est.

616. *Ad* 2m, et 3m, *Dist.* Per assecutionem termini, *conc.* per adæquatam cognitionem objecti, *neg.* Duplici enim sensu vox *comprehensionis* sumitur, videlicet pro cognitione adæquata cognoscibilitati objecti, ita ut tantum cognoscatur, quantum in se cognoscibile est; tum pro assecutione termini, ad quem tenditur; hoc autem posteriori sensu loquitur Apostolus in adductis locis, ut ipse contextus declarat; item etiam sancti Patres, dum affirmant, Deum non posse comprehendi in via, posse autem in patria. Hinc beati, qui ad illam pervenerunt, *comprehensores* vocantur [3].

1) Cf. *Acta Conc.* Hard. tom. VIII, col. 1200, tum. col. 1307 et seqq.

2) Ex quibus magis patet, quænam fuerit Doctoris Angelici mens circa notionem *comprehensionis.*

3) Cf. Suarez, *de Deo*, lib. II, cap. 5, n. 1.

617. II. *Obj.* S. Augustinus, *Epist. CXLVIII*, cap. IX, sic comprehensionem definit: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*, *aut cujus fines circumspici possunt.* Porro ita Deum vident beati; Deus enim, utpote simplicissimus ac nullis constans partibus, omnique compositione carens, aut non videtur omnino, aut ita videtur, ut nihil videntem lateat. Ergo.

618. ***Resp. Neg. min.*** Nec enim fines Dei conspici possunt, qui dari nullo modo possunt, nec talis profecto est sensus S. Augustini loc. cit. ubi solum contendit, Deum a nulla creata mente comprehendi posse, utpote infinitum, ac proinde talem præmisit comprehensionis notionem, ut quod sibi proposuerat ostenderet, neminem scilicet Deum comprehendere. *Ad probat. dist.* Nullis constans partibus realibus et reali carens compositione, *conc.* virtualibus partibus ac virtuali compositione, *neg.* Ex iis enim, quæ suo loco disseruimus [1]), constat, admittendam in Deo esse virtualem distinctionem, tum inter divinam essentiam et attributa, sive absoluta sive relativa, tum inter attributa absoluta inter se comparata; idem dicatur de virtuali eorumdem attributorum graduum extensione. Quare beati ea tantum vident, quæ *formaliter*, ut aiunt, in Deo insunt, non autem ea omnia, quæ *eminenter* solum aut *virtualiter* in Deo continentur, quod tamen requiritur, ut dici possit Deus a beatis comprehendi. Ita quidem nonnulli theologi ex veterum placitis respondent.

619. S. Thomas vero cum aliis, qui eum sequuntur, respondet, Deum quidem a beatis totum videri, at non *totaliter.* Ideo scilicet in hac sententia Deus non comprehenditur a beatis, dum eum vident, quia ab ipsis *non ita perfecte videtur*, *sicut visibilis est*, ***sicut, cum aliqua demonstrabilis propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur*, *non est aliquid ejus, quod non cognoscatur, non subjectum*, *nec prædicatum*, *nec compositio, sed tota non ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est*** [2]). Utraque responsio probabilis est; utram quis amplectatur, incolumis est doctrina Catholica. Imo fortasse non discrepant inter se nisi verbis; in eo enim ambæ conveniunt, quod nempe totum objectum infinitum videatur sed modo finito, cum alter creaturæ competere nequeat [3]).

1) Tract. *de Deo*. n. 281 et seqq.
2) Loc. cit. ad 2m.
3) Suarez, *de Deo*, lib. II, cap. 19, n. 14. quod dicitur a S. Thom. loc. cit. ad 3m. „Deum non videri *totaliter*, quia modus objecti non est modus cognoscentis," ita exponit: „Id est, quia objectum est cognoscibile infinite et visio non est infinite cognoscitiva; unde, licet videns essentiam Dei videat ipsam esse infinite cognoscibilem, tamen simul videt a se non infinite videri, et ita suam visionem non habere modum adæquatum objecto, et ideo non comprehendere illud." Quid autem sit objectum illud esse infinite cognoscibile, explicat D. Thomas in art. 8, „quod in eo potest videri quidquid possibile vel cognoscibile est: quod fieri non potest per visionem finitam."

620. Hic alias plures difficultates subjicere possem, in quibus potissimum ingenium suum exercuerunt scholastici. Verum ut plurimum in vocum ambiguitate, aut diversa comprehensionis notione consistunt. Cum agatur de quæstione, quæ jamdiu obsolevit, pluresque hodiernæ majoris momenti nos urgeant, eos, qui plura cupiunt, remittimus ad illos auctores [1]).

PROPOSITIO III.

Beati pro diversitate meritorum inæquali ratione Deum vident.

621. Hic fidei nostræ articulus a duobus œcumenicis Conciliis definitus est. Concilium enim Florentinum in *Decreto Unionis* statuit: *Sanctorum animas in cœlum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum diversitate, alium alio perfectius;* et Tridentinum, sess. VI, can. XXXII, eum anathemate percellit, *qui dixerit, hominem justificatum per bona opera non mereri gloriæ augmentum.*

622. Statuitur autem adversus Jovinianum sæculi IV hæreticum ejusque sectatores, qui, cum ex Stoicorum placitis peccata omnia paria esse autumarent, paria quoque merita esse dixerunt, proindeque et parem omnium fore retributionem. In eumdem errorem etsi ex diverso principio prolapsus est Lutherus. Hunc ipsum errorem jamdiu damnaverat S. Siricius Rom. Pontif. in Concilio Romano, et S. Ambrosius in Concilio Mediolanensi.

623. Dum vero asserimus inæqualitatem beatificæ visionis pro diversitate meritorum, hæc inæqualitas non respicit beatitudinem essentialem, seu objective sumptam, aut etiam specificam, sed eam tantummodo, quæ accidentalis dicitur, seu majorem vel minorem intensitatis gradum. Exploratum ac certum quippe apud omnes est, visionem beatificam specificam et essentialem eamdem prorsus esse in omnibus beatis, cum unum idemque sit objectum, nempe Deus, et idem principium proximum visionis, scilicet lumen gloriæ in omnibus, prout in præsentiarum unum idemque cunctis fidelibus fidei lumen est.

624. Ita igitur propositionis sensu exposito, pronum est eam evincere. Scripturæ enim luculentissime doctrinam Catholicam tradunt; siquidem Christus, Joan. XIV, 2, dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* et Apostolus, I Cor. XV, 41: *Alia*, inquit, *claritas solis*, *alia lunæ*, *et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate*; *sic et resurre-*

1) Vid. Petav., Suarez, Vasquez, Witasse, loc. cit. nec non Simonnet, tract. *de Deo*, disp. 5, etc.

ctio mortuorum. Præclare Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. VI, Gnosticos perstringens, eos hisce verbis interrogat: *Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Sed apertius idem Apostolus in citata epist. cap. III, 8, scribit: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; et II Cor. IX, 6: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

625. Talis præterea semper fuit Ecclesiæ sensus, ut ex Patribus constat. Etenim S. Polycarpus (in actis passionis suæ): *Merita mea*, dicebat, *doloris æstimatione pensabo; quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam* [1]). S. Cyprianus: *Cum habitationes multas* (Christus) *apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat* [2]). S. Hieronymus duos hac de re integros libros Joviniano opposuit. S. Augustinus lib. *De sancta virginitate*, expendens Apostoli verba: *Stella enim a stella differt in claritate,* addit: *Hæc sunt merita diversa Sanctorum* [3])

626. Hæc eadem veritas ex ratione theologica seu principiis fidei nostræ adstruitur. Nam vita æterna proponitur ut merces et corona, quæ ex justitia redditur juxta illud Apostoli, II Timoth. IV, 8: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ergo pro inæqualitate meritorum inæqualis erit [4]). Hac præterea diversa retributione sublata, acriora incitamenta desunt ad virtutem sectandam, ad adversa fortiter perferenda, ad magna et ardua suscipienda. Ita enim constituti sumus, ut, nisi stimuli nobis addantur, cito deficiamus, aut saltem in incœptis deferveamus.

DIFFICULTATES.

627. I. *Obj.* Matth. XX, 10. Unus denarius et una merces cunctis pariter retribuitur operariis, licet alii plus, alii minus in vinea excolenda laboraverint; ergo eadem omnes gloria donabuntur.

628. ***Resp. Dist. antec.*** Una merces objective et specifice sumpta, *conc.* una merces formaliter ac in eodem gradu, *neg.* Scilicet unus Deus erit omnium merces, qui ab omnibus possidebitur, at non eadem perfectionis et intensionis mensura. Ad parabolas autem rite intelligendas, earumdem scopus attendendus est. Porro scopus Christi in parabola operariorum est osten-

1) Vid. *Epistol. Ecclesiæ Smyrn.* de S. Polycarpi martyrio, n. XI, post epist. S. Ignatii, edit. T. Smithi, Oxon. 1709.
2) *De habitu virgin.* circa finem.
3) Cap. 26. Cf. plura alia Patrum testimonia, apud. Petav. *de Deo*, lib. VII, cap. 10.
4) Cf. S. Thom. part. I, q. 12, a. 6.

dere futurum esse ut sint *primi novissimi et novissimi primi* nempe gentiles credentes in Christum præponendos esse Judæis, qui longe prius vocati fuerunt a Domino ad fidem. Cætera, quæ in parabola occurrunt, ejusdem emblemata sunt et ornamenta minime attendenda. Ac profecto hoc sensu eam Patres semper intellexerunt [1]).

629. II. *Obj.* Si Sancti in cœlo Deum inæquali ratione vident, alter erit altero beatior; quod absurdum est. Etenim, si alter esset beatior altero, præ alio alius majori bono frueretur, quod pariter absurdum est, tum quia omnes fruuntur summo bono, summo autem non datur majus aut æquale, tum quia omnes beati Deum vident sicuti est, ac proinde omnes æquali ratione, cum Deus sit ipsa divina essentia simplex prorsus et indivisibilis. Ergo.

630. *Resp. Dist. min.* Est absurdum, si alter altero beatior esset, quia alius fruitur majori bono quam alius, *conc.* si alter altero beatior esset, quia alius summo bono perfectius fruitur quam alius, *neg.* Omnes autem ejusmodi difficultates eodem vitio laborant, eo nempe quod statuitur diversitatem beatitudinis petendam esse ab ejusdem objecto, cum tamen repetenda sit ex parte subjecti seu videntis. Beati enim eamdem Dei essentiam vident eodemque bono fruuntur, at diversa ratione pro diversa cujusque aptitudine [2]) ac lumine gloriæ, quo Deus potest perfectius unius intellectui conjungi quam alterius. Sic plures eamdem depictam tabulam intuentur, omnes eamdem vident et totam contemplantur; at, qui melius pingendi artem callent, multo plura vident seu considerant quam alii minus periti, ex. gr. æquissimam omnium partium proportionem, umbras apte luminibus intermixtas, colorum dispositionem et harmoniam, defectus, si qui sunt, aliaque ejusmodi, quæ cæteros fugiunt, aut nonnisi imperfecte ab iis discernuntur [3]).

631. *Inst.* Si inter beatos alii minus alii magis perfecte Deum vident, qui minus perfecte vident, dici nequeunt vere beati, tum quia eorum appetitus non expletur, cum possint clariorem visionem appetere, tum quia possunt invidere majori aliorum felicitati. Ergo.

632. *Resp. Dist. antec.* Nisi essent beati divinæ voluntati plene conformes, *conc.* secus, *neg.* Unusquisque enim, cum Deum pro sua aptitudine videat, qua pro meritis anteactæ vitæ donatur, hoc ipso expletum sentiet suum desiderium; hinc etiam nemo alterius majori felicitati invidere poterit, perinde ac nemo inter convivas alteri invidet, quod plus cibi potusve sumpserit, cum quilibet pro suo desiderio atque capacitate sumat. Præclare S. Augustinus dicit: *Ita Deus erit omnia in omnibus, ut, quoniam Deus charitas est, per charitatem*

1) Cf. Petav. loc. cit. cap. II, et Maldon. ac Cornel. a Lapide hic.

2) Cf. S. Thom. loc. cit.

3) S. Thom. ibidem.

fiat, ut, quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis [1]).

PROPOSITIO IV.

Animæ justorum, quibus nihil luendum superest, non expectata corporum resurrectione neque extremo judicii die, simul ac corpore discedunt, beatifica visione donantur.

633. Hæc propositio de fide est; definita enim fuit hæc veritas primum a Benedicto XII, Rom. Pont. in Constit. ***Benedictus Deus***, ac rursum a Conc. Florent. quod in ***Decreto Unionis***, recitatis prius Concilii Lugdunensis verbis: ***Credimus .... illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino maculam incurrunt, eas etiam animas, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel iisdem corporibus sunt purgatæ, in cœlum mox recipi***, alia hæc verba adjecit: ***et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est*** [2]).

634. Ut difficilior hæc quæstio, quantum fieri potest, dilucida sit, nonnulla præmittenda nobis sunt.

635. ***Primo.*** Diversa ratione diversi hæretici hoc fidei dogma impugnarunt. Alii enim ideo differendam autumarunt visionem Dei beatificam usque ad futuram corporum resurrectionem, quod voluerunt animas interire cum corporibus, ac postea una cum corporibus extremo judicii die excitari ac revocari ad promeritam gloriam aut pœnam. Hic error quorumdam Arabum fuit peculiaris sæculo III, qui opera præsertim Origenis fuerat protritus [3]), penitusve obsoleverat, nisi hac fere ætate nostra denuo a nonnullis Protestantibus, duce Priestley, vitam recepisset [4]). Alii dilatam eamdem visionem contenderunt, eo quod censuerint, animas, licet omnino purgatas, in beata aliqua requie degere usque ad futuram corporum resurrectionem, promeritam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, expectantes. Hunc errorem amplexi sunt Græcorum plerique post Photianum schisma [5]), sibique usurparunt Lutherus et Calvinus ***(sacrorum emendatores!)***; sed et ejusmodi error in oblivionem fere deciderat, donec sæculo superiore renovatus est non sine ingenti quodam apparatu a Burneto, ejusque opera longe lateque inter Protestantes disseminatus [6]).

1) *Tract.* LXVII, *in Joan.* n. 2.
2) Apud Hard. loc. supra cit. et in *Collect. Conc.* Labbei, tom. XIII, col. 1167.
3) Cf. Euseb. *Hist. Eccles.* lib. VI, c. 37, ubi refert convocatum adversus illum errorem fuisse non exiguum Concilium, in quo Origenes tanto robore decertavit, ut, qui prius in errorem lapsi fuerant, sententiam mutarent.
4) Cf. Pierre de Joux, *Lettres sur l'Italie, sous le rapport de la religion*, tom. II, pag. 581, note.
5) Cf. Muratorius, *de Paradiso non expectata corporum resurrectione*, etc. cap. 18, pag. 194 et seqq. Veronæ 1738.
6) Vid. Muratori, ibid. cap. I.

636. *Secundo.* Neque debet hæc quæstio permisceri cum millenarismo. Etsi enim Millenarii seu Chiliastæ mille annorum regnum in hoc eodem terrarum orbe tribuant justis post resurrectionem cum Christo, attamen, si aliquem excipias, non propugnant differendam ipsis propterea esse ad id temporis, multo minus post resurrectionem, visionem Dei beatificam. Hi enim propugnant, tum post mortem tum post futuram resurrectionem justos visione beatifica donari, præsertim si sermo sit de recentioribus millenarismi propugnatoribus. Animadvertendum tamen, sermonem hic nobis non esse, quod per se satis patet, de millenarismo, qualem antiqui Gnostici commenti sunt, qui omnem vivendi turpitudinem sibi pollicebantur in illo millenario regno. Hæc enim doctrina aperte hæretica est.

637. *Tertio.* Sedulo præterea distingui debet ab hæreticorum errore quæstio illa, quæ agitari cœpit sub postremis Joannis XXII annis inter quosdam Minoritas et Dominicanos. Minoritæ enim ultro fatebantur, animas justorum ante corporum resurrectionem et in cœlis recipi et Christi in forma servi aspectu frui, sed negabant, quum quæstio satis nondum discussa fuisset, ante resurrectionem eas videre ipsam essentiam Dei seu Christum in forma Dei. Contra vero Dominicanæ familiæ alumni ejusmodi animas ipsam Dei essentiam intueri contendebant. Joan. XXII, Rom. Pontif. examini hanc controversiam subjecit, discutiendamque proposuit præstantioribus illius temporis theologis, nec ipse dedignatus est, quæ pro utraque parte stare videbantur, argumenta et auctoritates congerere; quare malevolorum invidiam subiit, quasi veritati refragaretur [1]).

638. *Quarto.* Ad obscuriora quorumdam Patrum dicta intelligenda, animadvertere demum juverit, permiscendam non esse quæstionem de visione beatifica ante corporum resurrectionem cum beatorum sede, circa quam præcipue versantur nonnullæ Patrum locutiones; alii enim eam vocarunt *paradisum*, alii *Abrahæ sinum*, *receptacula*, etc. [2]).

639. Ex his deprehendimus, alia esse argumenta, quibus tum Priestley tum Burneti errores impugnari debent, alia quibus il-

1) Hæc sedulo præ oculis habenda sunt, ne inter se controversiæ simul permisceantur, quæ, quamvis toto cœlo differant, passim tamen simul confunduntur. Documenta, quæ huc referuntur, inferius dabimus.

2) Ut enim observat Muratorius, op. cit. cap 12, non levis inter aliquot ex antiquis Patribus dissensio occurrit, ubi agatur de statuendo *loco*, in quem justorum animæ abscedentes a corpore deferantur. Alii *cœlum*, alii *sinum Abrahæ*, isti *locum quietis*, illi *paradisum* censent sive appellant. *Paradisus* ipse apud aliquos aut ipsum cœlorum regnum significat, aut saltem in cœlorum regione situs creditur; apud alios in ignota hujus terræ plaga. Sunt et paucissimi, qui sub terra, sive inferis, non quidem pœnalibus, ejusmodi animarum sedes collocant. Attamen vel ipsi, qui a cœlesti patria illorum animas interim arcere videntur, eorum beatitatem inchoatam, immo prægrandem omnes fere fatentur; ipsamque tum solum consummandam complendamque arbitrantur, quum Christus judex cunctos tandem e tumulis excitabit et judicabit. Quod dictum est de loco, idipsum dicatur de *gradu* beatitudinis, de quo inter se discrepant, non autem de beatitudine ipsa. Quare hæc distingui debent.

lorum Minoritarum sententia evertitur, quæ post datas ab Ecclesia definitiones prorsus obsolevit. Ad expositos enim hæreticorum errores proterendos, ea omnia Scripturarum ac Patrum testimonia sufficiunt, in quibus promiscue mentio fit tum de Christi tum de Dei assecutione post hujus mortalis vitæ cursum. Adversus autem Minoritarum opinionem illæ præterea requiruntur auctoritates, quæ directe ostendant, justorum animas, non solum ad Christi, sed ad Dei ipsius consortium ac visionem ante corporum resurrectionem admitti.

640. Quibus ita dispositis, iter jam nostrum insistimus ad propugnandam enunciatam Catholicam veritatem. Ac primo quidem eam evincunt, quæ scribit Apostolus, II Cor. V, 6: *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem); audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore et præsentes esse ad Dominum.* Quæ prorsus decretoria sunt. Ex Apostolo enim, ne peregrinemur a Domino, et ut præsentes ad eum simus, id est, ut non amplius per fidem, sed per speciem seu facie ad faciem, ut alibi loquitur, ipsum videamus, debemus peregrinari a corpore; imo, ut citius tantum consequamur bonum, *bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore.* Ergo divisi a corpore statim ad divinam præsentiam ac Dei fruitionem admittimur; alioquin talis voluntas non bona, sed vacua esset ac fatua, si usque ad finem mundi expectanda nobis felicitas tanta esset. Magis magisque illud confirmatur ex ejusdem Apostoli verbis, quæ immediate præcedunt: *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Ad hanc igitur domum non manufactam pervenire tantum nobis licebit, *cum terrestris domus nostra dissolvetur*, hoc est, cum mors a corpore nos separabit. Hisce principiis inhærens idem S. Apostolus, ad Philipp. I, 23, scribebat: *Coarctor autem a duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos.* Certum igitur erat Apostolo statim se esse ad Christum perventurum post corporis sui dissolutionem. Ex his simul collatis præterea discimus, ex mente Apostoli idem esse, Deum intueri ut in se est, et non amplius per fidem sed per speciem, ac esse cum Christo vel cum Domino, ideoque his testimoniis Apostoli non minus errores hæreticorum convelli quam illorum Catholicorum doctrinam, qui tempore Joannis XXII distinguebant inter visionem Dei beatificam et consortium Christi in forma Dei.

641. Nec alia unquam fuit sacræ antiquitatis doctrina. Nos pauca delibabimus Patrum græcorum et latinorum testimonia ad id adstruendum. Ex Græcis porro eminet S. Gregorius Na-

zianzenus, qui *Orat. X, in laudem Cæsarii fratris* eum exoptat *in cœlum penetrare... ac magno regi assistere et emicante inde lumine compleri* [1]; et apertius etiam, *Orat. XI, in S. Gorgoniam sororem suam*, quam assecutam ait *contemplationem gloriæ, tum cæteræ, tum supremæ Trinitatis puriorem* [2]; sic, *Orat. XVIII, in S. Cyprianum*, affirmat hunc Martyrem et in cœlo esse, et *Sanctæ Trinitati assistere* [3]. Item S. Gregorius Nyssenus, de Pulcheria Teodosii imperatoris filiola loquens: *Hinc est avulsa planta*, ait, *verum in paradiso consita est. A regno in regnum translata est ... quum ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit* [4]? Sic S. Joan. Chrysostomus, *Orat. in S. Philogonium*, beatum illum Sanctum prædicat, quod hinc abiens, et civitatem suam relinquens, in alteram, quæ est Dei, civitatem ascendit, et hanc Ecclesiam deserens, in illam conscriptus est, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis, ac festis istis relictis, ad celebrem Angelorum conventum translatus est; *Illic autem*, inquit, *qui adsunt, perpetuo vident* (regem Deum), *quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœlum* [5]. Quare Græci in *Menologio* Sanctos vita functos *adstare Trinitati* in cœlo dicunt, ut de S. Basilio legitur: *Basili sapiens, qui assistis Trinitati* [6]! Ex Latinis satis sit commemorare S. Cyprianum, qui in *Cohortatione ad martyrium: Quæ erit gloria*, ait, *et quanta lætitia admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias*, etc. [7]? Integer porro S. Martyris liber, quem *de mortalitate* inscripsit, de hoc argumento est.

642. Sed quia permolesta res est, Patres singillatim singulos appellare, juverit communem ipsorum doctrinam ad quædam præcipua capita revocare, ex quibus melius constans ac perpetua antiquitatis doctrina colligitur.

643. Atque in primis recensendi sunt illi Patres antiquissimi, qui, persecutionibus furentibus, consueverunt hac spe, obti-

1) N. 18. *Σὺ δὲ ἡμῖν οὐράνους ἐμβατεύοις ... βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ περιστάμενος, καὶ τοῦ ἐκεῖθεν φωτὸς πληρούμενος.* Ubi obiter observandum est, hic a Gregorio Nazianzeno *cœlum*, in quod fuisse receptam confidit animam fratris sui, vocari ibidem *sinum Abrahæ*, in quo conquiescat, et spectet choream Angelorum ac beatorum virorum gloriam. Hæc sunt ejus verba *Καὶ ἐν κόλποις Ἀβραὰμ, οἵτινες δὴ οὗτοί εἰσιν, ἀναπμύσαιο, καὶ ἀγγέλων ἐποπτεύοις χορείαν, καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε καὶ λαμπρότητας.*

2) N. 27. *Τάξις οὐρανία, δόξης θεωρία, τῆς τε ἄλλης καὶ τῆς ἀνωτάτω τριάδος ἔλλαμψις καθαρωτέρα τε καὶ τελεωτέρα.*

3) N. 30. ... *Καὶ τὴν τῆς ἁγίας τριάδος ἔλλαμψιν, ἧς σὺ νῦν παραστάτης, κ. τ. λ.* Pag. 288, edit. Billii.

4) *Ἔνθεν τὸ φυτὸν ἀνεσπάθη, ἀλλὰ τῷ παραδείσῳ ἐνεφυτεύθη· ἐκ βασιλείας εἰς βασιλείαν μετέστη ... ὡς καλὸς ἐκεῖνος ὁ ὀφθαλμὸς ὁ τὸν Θεὸν βλέπων.* Tom. II, pag. 949-950, edit. Paris. 1615.

5) *Ἐκεῖ δὲ διηνεκῶς οἱ παρόντες ὁρῶσιν (τὸν βασιλέα Θεόν) ὡς αὐτοῖς ἰδεῖν δυνατόν· καί παρόντα, καὶ τῇ τῆς ἰδίας δόξης λαμπρότητι κοσμοῦντα τοὺς συνιόντας ἅπαντας.* Pag. 494, tom. I, opp. edit. Montf.

6) *Βασίλει σοφὲ, παρεστῶς τῇ τριάδι.* Vid. *Menol. Græcor.*

7) Quæ est epistola LVI. *Ad Thiaritanos*, edit. Maur. pag. 94.

nendæ statim beatitudinis, credentium fidem confirmare. Ita Tertullianus, licet chiliasta, et S. Cyprianus [1].

644. 2° Illi omnes, qui Sanctorum animas, deposita corporum mortalitate, illico æterna vita, regno cœlorum, Dei ac Christi consortio frui dicunt, cujusmodi innumeri prope sunt, tum inter Græcos, tum inter Latinos, ac inter cæteros uterque Gregorius, Nazianzenus et Nyssenus, Joan. Chrysostomus superius commemorati, Basilius [2], nec non Cyprianus, Ambrosius, Petrus Chrysologus apud Petavium [3].

645. 3° Ii omnes, qui affirmant, discrimen inter utrorumque Sanctorum statum, eorum nempe qui aut ante aut post Christum obierunt, in eo consistere, quod illi ad infernos carceres mitterentur, donec eos illinc Redemptor eduxisset; isti autem post ejus adventum non amplius illuc detrudantur, sed evehantur in cœlum et ad Christi convictum et consortium. Ita S. Joan. Chrysostomus, ***Hom. de SS. Bernice, Prosdoce et Domnina***, ubi de mortis metu, qui in antiqua lege summus fuit viris etiam sanctissimis, in nova minimus ne in puellis ac parvulis quidem extitit, disserit, illud quod *merito accidisse* dicit: ***Nam antea mors ad inferos deducebat, nunc autem ad Christum perducit*** [4]. Sic etiam S. Cyrillus Alex., Auctor sermonis ***De consolatione mortuorum***, apud eumdem [5].

646. 4° Denique, cæteris omissis, ii omnes, qui perhibent Christum ad inferos descendisse, ut captivos inde Patres secum eveheret in cœlum. ***In inferna loca descendit***, inquit S. Gregor. Nazianz. (***Orat.*** XXXV.), ***sed inde animas evehit*** [6]. Ita pariter S. Athanasius, Cyrillus Hierosolym., S. Augustinus, et ante hos, ipse S. Irenæus, etsi millenarismo aliquantulum indulserit, S. Ignatius, Clemens Alex., Origenes, aliique passim [7].

647 Ex quibus præterea eruimus, Sanctos Patres promiscue loqui, tum de Dei, tum de Christi præsentia ac fruitione, ideoque integrum Catholicum dogma prorsus adstruere.

DIFFICULTATES.

648. I. *Obj.* cum Calvino [8]; 1° Scriptura tam bonorum præmium quam malorum pœnam semper ad extremum judicii diem refert. Matth. enim XXV ita describitur universale judicium ac si tunc primum tum justis tum improbis detur promerita retri-

1) Tertull. *Scorpiac.*, cf. pag. 492, edit. Rigaltii, not. (i). Cyprianus passim tum loc. cit. tum. *Epist.* XV, LII, LVI, etc. Cfr. not. Rigaltii.

2) Cfr. Petav. *de Deo*, lib. VII, cap. 13.

3) Ibid.

4) N. 3. *Τὸ μὲν γὰρ πρότερον ὁ θάνατος εἰς τὸν ᾅδην κατῆγεν· νυνὶ δὲ ὁ θάνατος πρὸς τὸν Χριστὸν παραπέμπει.*

5) Ibid.

6) N. 93. edit. Billii. *Εἰς ᾅδου κάτεισιν, ἀλλ' ἀνάγει ψυχὰς, ἀλλ' εἰς οὐρανοὺς ἄνεισιν.*

7) Cf. Murat. op. cit. cap. 10.

8) *Institut.* lib. III, cap. 25.

butio; nam tunc electi segregabuntur a reprobis; ergo ad eam diem permixti erant. Regnum præterea electis *paratum* dicitur a constitutione mundi; ergo ipsum non erant adepti. Tertio, sententia sic pronunciabitur: *Venite* BENEDICTI, *discedite* MALEDICTI*:* ac demum concluditur: ***Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam,*** ut ostendatur eos tunc primum *ire*, non autem *redire;* quibus nihil apertius esse potest. 2° Sed magis hæc confirmantur, tum ex parabola zizaniorum, Matth. XIII, 24, quæ crescere permittuntur, donec in consummatione sæculi ab Angelis separentur, tum ex parabola sagenæ missæ in mare et congregantis omnia piscium genera, ibid. 47, insuper ex Christi promissione Apostolis facta, Joan. XIV, 2: ***Vado parare vobis locum... iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis.*** Hinc denarius diurnus, in quo significatur æterna retributio, non datur nisi ad vesperam, id est, ad mundi finem. Ergo.

649. ***Resp.*** *Dist. antec.* Scriptura, tum bonorum præmium tum malorum pœnam seu retributionem adæquatam et completam perhibet reddendam toti homini, id est, animæ et corpori, *conc.* inadæquatam et incompletam, quæ soli animæ datur, *neg.* Hac enim ratione exponi debent omnes adducti textus de judicio universali, in quibus minime sermo est de solis *animabus*, sed de *hominibus*, qui non sola anima, sed et corpore præterea constant. Homines enim reipsa tunc primum judicis vocem audient, tunc primum sententiam accipient; tunc primum alii ab aliis separabuntur, tunc demum primum *ibunt*, *non redibunt*, alii in vitam æternam, alii in supplicium æternum, Christus electos recipiet ad se, eisque tribuet denarium diurnum. Hæc autem expositio necessario admittenda est, ut simul componantur ejusdem Scripturæ testimonia, in quibus æterna retributio statim a corporis morte promittitur, et copia videndi Deum et Christo fruendi; alioquin secum constare nequeant. Cum igitur facilis via pateat ad conciliationem ejusmodi instituendam adversantium sibi auctoritatum, ubi vero ea deseratur, omnis alia ad eam prorsus intercludatur, pronum est inferre, hanc solam admitti posse, accedente præsertim totius Ecclesiæ ac traditionis sensu, ut ex probationibus luculenter patet.

650. ***Inst.*** 1° Judicium uniuscujusque particulare statim post obitum tunc deberet institui. Jam vero ejusmodi particularis judicii, cui subjiciantur animæ simul ac corpore discedunt, nullum extat in Scripturis vestigium; imo quoties agitur de præmio aut pœna, utrumque ad universale judicium refertur. Hinc Apostolus, Hebr. XI, 13, loquens de Sanctis Veteris Testamenti, ait: ***Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes;*** deinde subdit v. 16: ***Nunc autem meliorem*** (patriam) ***appetunt, id est, cœ-***

testem, demum concludit v. 40: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Omnium igitur sors pendet anceps, donec electorum numerus fuerit expletus, quod nonnisi in mundi exitu locum habere poterit. 2° His principiis propterea semper insistens B. Apostolus, II Timoth. IV, 8, de reposita sibi corona justitiæ dicit: *Quam reddet mihi in illa die justus judex.* Et 3° S. Joannes, I Epist. III, 2: *Scimus*, ait, *quoniam, cum apparuerit* (Christus scilicet in fine mundi), *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo.

651. ***Resp. Neg. min.*** Apposite S. Augustinus, *de anima*, lib. II, cap. IV, n. 8: *Quis adversus Evangelium*, inquit, *tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat*, scilicet *judicari animas*, ut ibidem ait, *cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, judicari* [1]*?* Et sane, Eccles. XI, 28, de hoc particulari judicio perspicue dicitur: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias ejus;* et Apoc. VII, 9 Joannes testatur, se vidisse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et linguis stantes *ante thronum Dei et in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmæ in manibus eorum;* quæ certe gloria nisi post meritorum discussionem esse non potuit.

652. Sed, ut accedamus ad explanationem verborum Apostoli ex cit. Epist. ad Hebr. *Juxta fidem omnes isti* (id est Patriarchæ) *defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, dist.* Terrenis, *conc.* cœlestibus, *subd.* ante Christi in cœlum ascensionem, *conc.* post Christi ascensionem, *neg.* Tunc enim ex eodem Apostolo, Ephes. IV, 8, 9, cum Christus descendisset primum in inferiores partes terræ *ascendens in altum captivam duxit captivitatem.*

653. Sic in subsequentibus verbis *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem*, non tempus dilationis exprimitur, sed vis illationis, ut Apostoli sensus exposcit, ait enim: *Confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc* (id est, *igitur*, *ergo* etc.) *autem meliorem appetunt, id est, cœlestem;* ac si diceret: Qui autem peregrinos se dicunt, hoc dicentes significant, se patriam desiderare. Quam ergo patriam desiderabant patres nostri? Sane, si Chaldæam de-

1) Exinde patet, Calvinum nobis illudere, dum se tanti facere auctoritatem S. Augustini sæpius inculcat; ubi enim aperte adversus suas hæreses pugnantem videt, eum parvi pendit omnino, ut alias animadvertimus.

siderassent, tempus illis non deerat illuc revertendi; vita enim erat longa, via brevis. Fatendum est *igitur* eos meliorem desiderasse patriam, nempe cœlestem [1]).

654. Postrema autem verba: ***Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur***, hunc sensum præ se ferunt ex mente Apostoli: Hinc illis præcipuis amicis suis et omnium fidelium patribus paravit Deus Jerusalem cœlestem, in qua una cum Deo regnant. Hanc autem sibi promissam beatitudinem tunc temporis, seu toto Veteris Testamenti tempore, illi non receperunt, Deo per singularem in nos bonitatem providente, ut usque ad tempora nostra, nimirum usque ad ascensionem Christi, nemini Sanctorum illuc pateret aditus, ut non ante Novi Testamenti tempus, quod nostrum est, consummatam consequerentur beatitudinem; animæ quidem, quam consecuti sunt per visionem Dei, qua fruuntur ab ascensione Christi; corporis vero, qua fruentur nobiscum in communi omnium resurrectione. Itaque neutram ***sine nobis***, id est, ante tempora nostra recipiunt beatitudinem.

655. ***Ad*** 2^m^, ***Dist.*** Toti personæ (*mihi*), ***conc.*** animæ, ***neg.*** Responsio patet ex dictis.

656. ***Ad*** 3^m^, ***Dist.*** Id est, etiam quoad corpus glorificatum, ***conc.*** quoad solam animam, ***neg.*** Si tamen ad Christum ea verba referuntur, et non rectius ad ipsam divinam essentiam, ac proinde ad visionem beatificam, ut non obscure postulat ipse contextus.

657. II. ***Obj.*** Sancti Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus et Bernardus aperte docent beatitudinis consecutionem usque ad futuram corporum resurrectionem esse differendam. Etenim S. Hilarius passim docet: ***Animas in custodia detineri, donec veniat tempus, quo judex meritorum faciat examen*** [2]); ***Sitire Dei aspectum*** [3]); ea esse adstrictas necessitate, ut consepultis corporibus ad inferos descendant [4]). Ita S. Ambrosius, qui hæc habet: ***Solvitur corpore anima, et post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur*** [5]). S. Joannis Chrysostomi verba tam aperta sunt, ut aliter accipi nullo modo queant: ***Quoniam***, inquit, ***si maneat anima, et millies sit immortalis, sicut est revera, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia sicut neque punietur . . si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ est in cœlis*** [6]). S. Augustinus passim memorat ***receptacula***, in quibus animæ detinentur usque ad

1) Cf. Bernardinus a Piconio, *Triplex. expos.* in hunc locum.
2) *In Psal.* cxx. n. 16 et alibi.
3) *In Psal.* LXII, n. 3.
4) *In Psal.* CXXXVIII, n. 22 et alibi.
5) *De Cain et Abel*, lib. II, cap. 2, num. 9.
6) *Hom.* XXXIX, *in* I *ad Cor.* XI, 3.

resurrectionem [1]); et, *Retract.* lib. I, cap. XIV, n. 2, hæsitantem se exhibet, dicens: *Angeli quidem sancti, quod ibi* (in cœlo) *sint, nulla quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quæritur.* Demum S. Bernardus, tum in *Serm. I, III et IV, de Sanctis*, tum alibi, docet animas *in expectatione quietis sub altari et in atriis esse*, ibique expectare corporum resurrectionem, donec exultent *visione et contemplatione Dei.* Ergo.

658. *Resp. Dist. antec.* Docent Patres differendam esse beatitudinem *accidentalem, adæquatam* et *completam*, quæ non solum in animæ, sed et in corporis glorificatione consistit, *conc. essentialem, inadæquatam* et *incompletam* quoad animam, vel *neg.* vel *subdist.* In sententia nonnullorum, qui arbitrabantur animam solutam, desiderio teneri proprii corporis, adeoque incompletam esse sub hoc respectu illius beatitudinem, *conc.* alio sensu, *neg.*

659. Quæ quidem ut probe intelligantur, animadvertendum est: 1° Patres citatos nobiscum re consentire, dissentire autem in loquendi ratione; 2° ipsos differre Sanctis beatitudinem completam, quod et nos profitemur; 3° eos diversa *loca, mansiones, receptacula, sinum Abrahæ, paradisum, regnum Christi, regnum Dei,* diversos *cœlos* commemorasse, ad ostendendam differentiam inter statum futurum post resurrectionem stabilem ac completum, et statum præsentem incompletum atque, ut ita dicam, precarium; tum etiam ad ostendendam diversitatem in gradibus beatitudinis pro diversitate meritorum. His præmissis:

660. S. Hilarius in primo textu, qui nobis opponitur, loquitur de gloria consummata et perfecta; alioquin, si vim verborum urgere velimus, consequeretur, nec impios addictos esse pœnis, quod est contra apertam illius doctrinam; nam, *Tract. in Psal. II*, testatur impiorum animas statim ad infernum puniendas descendere: *Testes nobis*, ait, *evangelicus dives et pauper, quorum unum Angeli in sedibus beatorum et in Abrahæ sinu locaverunt, alium* STATIM *pœnæ regio suscepit . . . Nihil illic dilationis aut moræ est* [2]), Passim præterea S. Hilarius martyrum animas *ad refrigerium æternæ beatitudinis post mortis istius tempus* admittit, ut in *Comm. in Psal LXV.* n. 22, In secundo textu qui objicitur, ideo dicit Hilarius animas sitire regnum Dei, quia ex ipsius mente duo hæc regna Christi

1) *Enchir.* cap. 109, *de civ. Dei,* lib. XII, ca. 9, n. 2, *de Genesi ad lit.* lib. XII, cap. 35, etsi ibi vox *receptaculum* non occurrat, dicit tamen animas non resumptis corporibus *non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident. Confess.* lib. IX. cap. 3, admissum dicit amicum suum Nebridium nuper defunctum *in sinum Abrahæ.*

2) Num. 48. Ex quibus rursum patet, idem esse ex mente S. Hilarii *sinum Abrahæ* et *sedes beatorum.*

et Dei inter se differunt in eo, quod in regno Christi visio non sit adeo completa, prout erit in regno Dei, in quo post resurrectionem completa omnino erit, ut ibidem ipsemet declarat [1]. In tertio denique testimonio S. Pater peculiarem suam proponit opinionem, animas ad exemplum animæ Christi, antequam admittantur in cœlum, debere prius ad inferos descendere, nec tempus determinat, quo animæ apud inferos manere debeant [2]. Cæterum S. Hilarius scribens in Psal. XLI. n. 9, sic argumentatur: ***Si Christus Dei requies est; ergo qui in Christo erunt, erunt in Dei requie.***

661. S. Ambrosius, lib. ***De Caïn et Abel***, nil aliud sibi voluit, quam animas incertas adhuc esse de futuræ resurrectionis tempore. Alioquin, si nimis urgerentur ejus verba, sequeretur juxta ipsum, animas adhuc manere incertas de sua propria sorte, quod esset contra ipsius principia. Etenim ipse, *Epist.* XV. n. 4, de S. Acholio Thessalonicensium Episcopo, scribit: ***Est igitur jam superiorum incola, possessor civitatis æternæ illius Hierusalem, quæ in cœlo est. Videt illic urbis ejus mensuram immensam . . . lumen sine sole perpetuum; et hæc omnia jam dudum quidem sibi comperta, sed*** NUNC ***facie ad faciem manifestata,*** etc. His similia plura occurrunt in Sancti Ambrosii scriptis [3].

662. Quod vero spectat ad diversas mansiones, quas distinguit in lib. ***De bono mortis***, quem ***nondum veteranus sacerdos*** scripsit [4], eas collocat in cœlo; scribit enim, cap. X: ***Hæ sunt habitationes, de quibus dicit Dominus*** (Joan. XIV, 1) ***multas mansiones esse apud Patrem suum, quas suis pergens ad Patrem suum discipulis præpararet*** [5]. Quare ratio nulla est, cur his Burnetus prave adeo abutatur.

1) Cf. Murat. op. cit. cap. 12. ubi plura testimonia congerit, quæ satis superque ostendunt, mentem hujus Patris cum Catholica doctrina plane consentire.

2) Cf. Murat. ibid. cap. 11. pag. 99, ubi observat hanc fuisse opinionem etiam S. Irenæi et Tertulliani, quæ tamen peculiaris illorum fuit nec alios habuit adstipulatores.

3) Cf. Murat. ibid. cap. 14, pag. 135 et seqq. qui plura exhibet.

4) Cf. Admonitio editorum Maurin. in lib. *De bono mortis*, et in nota ad cap. II, hujus libri, ubi ipsi conciliant, quæ contraria scribere visus est S. Doctor, nempe libro II. *De Caïn et Abel*, cap. 2. n. 9, a nobis adducta, et quæ hic affirmat *ut factorum suorum incertum supremo judicio non vereantur* (animæ solutæ) *eventum*; verba igitur ex libro II. *De Caïn et Abel* eo sensu exponunt, ut nimirum anima non de sua felicitate, quam cognitam et exploratam esse Patrum communis est opinio, dicatur ambigere, sed de resurrectionis ac judicii die, immo et de fratrum salute, quorum, Ambrosio teste, eam miseret. Nam, si, de salute propria vir sanctus animam incertam putasset quomodo in eodem libro, cap. 9, n. 31, de justis mortuis dixisset: „Et merito pro viventibus habentur; quia, etsi corporis gustaverint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, et illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna?" Similia et alibi habet.

5) N. 45, ubi pariter notandum est, S. Antistitem ea, quæ scribit in hoc libro de diversis habitaculis, desumpsisse ex apocrypho libro IV Esdræ, ut ipsemet testatur, dicens: *Siquidem et in Esdræ libris legimus. . . et* habitacula *reddent animas, quæ his emendatæ sunt, et revelabitur Altissimus super sedem judicii.* Hæc porro leguntur lib. IV Esdræ, cap. 7, 32 et seqq.

663. S. Joan. Chrysostomus in objectis verbis vult ostendere necessitatem resurrectionis corporis, non autem differri animæ beatitudinem. Nempe ex eo quod, ut ipse argumentatur, corpus fuerit animæ comes in passione, concludit: vel utrumque coronabitur vel neutrum. Etenim dogma Catholicum ipse luculentissime tradit, ***Hom. X in II ad Cor.*** dicens: ***Ne timeas. Confide, cum concideris. Neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Dominum*** CONFESTIM ***transmittit*** [1]). Alia ejusdem testimonia non minus perspicua dedimus in probationibus [2]).

664. S. Augustinus cit. loc. ostendit, se dubitare de loco, non autem de gloria ipsa ante extremum judicii diem, quod jamdiu animadverterat Lud. Vives in suis notis ad opera S. Augustini. Sane ***Epist. CLXXXVII***, n. 7, diserte scribit S. Doctor: ***Ubicumque sit paradisus, quisquis beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui ubique est;*** et ***Confess.*** lib. IX, cap. III, de Nebridio amico suo nuper defuncto dicit: ***Quidquid illud sit, quod illo significatur sinu*** (Abrahæ), ***ibi Nebridius meus vivit.... Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor.*** Quid vero est ex mente Augustini ***inebriari? Est facie ad faciem Deum videre,*** ut ipse declarat in ***Enarr. in Psal. XXXV***, n. 14, exponens vocem ***inebriabuntur.*** Ejusdem præterea mens patet ex iis, quæ disputat passim adversus Pelagianos inducentes distinctionem inter vitam æternam et regnum cœlorum [3]).

1) N. 2: *Μὴ φοβηθῇς· θάῤῥει κατακοπτόμενος· οὐ γὰρ μόνον φθορᾶς σε ἀπαλλάττει καὶ βάρους, ἀλλὰ καὶ τῷ κυρίῳ παραπέμπει ταχέως.*

2) Cf. Murat. op. cit. cap. 15 ubi luculentissime mentem S. Doctoris explanat, omnesque difficultates disjicit, quas ex illius scriptis Burnetus opponit.

3) Observandum præterea est S. Augustinum olim Millenariorum opinioni adhæsisse, ut ipsemet fatetur, *De civ. Dei*, lib. xx, cap. 7, dicens: „Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo Sabbato adfuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando." Vid. Joan. Cadonici in *Vindiciis augustinianæ ab imputatione regni millenarii doctrinæ*, edit. anno 1747, tum in tribus *Dialogis*, anno 1753, ac demum *De Augustini sententia de beatitate Sanctorum ante Christi Domini descensum ad inferos*, 1763. Ubi Cadonici animadvertit, juxta S. Augustinum justos per mille annos fruituros cum Christo spiritalibus deliciis in terris; ita tamen, ut beatifica visione nunquam illi caruerint, vel cariturì sint. In hac bibliotheca Collegii Romani asservatur epistola Muratorii ad eumdem Cadonici data, in qua ejus opus summopere commendat ac felicitatem in mente S. Augustini exponenda. Cf. tamen quæ adversus Cadonici scripsit P. Mamachius Ord. Præd. in op. *De animabus justorum in sinu Abrahæ, ante Christi mortem*, duobus vol. in 4°. Romæ 1766.

665. Demum S. Bernardus in præfatis sermonibus intelligi potest de gloria consummata et adæquata, quam Sancti resumptis corporibus olim obtinebunt, minime vero de gloria essentiali, quæ in Dei visione consistit, quæ tamen juxta peculiarem ipsius opinionem minus perfecta censenda est ob corporis desiderium, quo animæ solutæ quodammodo urgentur. Sic enim, *Serm. LXXXVII*, de contemplatione Dei disputans, tres modos distinguit pro diverso statu corporum in Sanctis: *Et primo quidem*, inquit, *vocatur cibus*, *secundo potus*, *tertio ebrietas... Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum vero corpore exuti et in cœlum translati jam bibere dicuntur eadem, quæ prius comederant, quia jam per speciem contemplantur sine labore, quæ prius per fidem crediderunt, dum in corpore positi peregrinarentur a Domino... In hoc ergo statu positi, Sancti bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt, quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur.* Quod si alicubi duriuscula quædam scripsit, quæ cum communi doctrina vix componi queunt [1]), alibi ea retractavit. Nam in *Serm. XLII*, *De diversis*, n. 5, luculentissime doctrinam Ecclesiæ Catholicæ declarat, dicens: *Qui in cœlo sunt*, *gaudio gaudent ad visionem Dei*, *Christi fratres in natura*, *cohæredes in gloria*, *similes in æternitate jucunda.* Similia habet alibi passim [2]).

666. III. *Obj.* 1° Ecclesia semper consuevit pro omnibus indiscriminatim orare, prout constat ex vetustissimis liturgiis, nempe pro Beata Virgine, pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, etc. Instar omnium sit liturgia syriaca, in qua de Sanctis sic legitur: *Deus præsta eis requiem bonamque memoriam, et potissimum sanctissimæ Deiparæ Mariæ.* Similia occurrunt in liturgiis æthiopica, Jacobi, Marci, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Epiphanii, utriusque Cyrilli, nec non in Sacramentario Gelasii et Gregorii M. atque in missali mozarabico. Hujus autem consuetudinis vestigia adhuc super-

1) Singularia certe videntur, quæ scripsit, *Serm.* III, *De Sanctis*, n. I, ubi ait: „Advertistis . . . tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato; primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata; primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei, etc. et *Serm.* IV, n. I: Interim sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt . . . donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare . . . Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? *Visione* utique et contemplatione, non prælatione. Ostendit enim nobis Filius (ut pollicitus est) semetipsum non in forma servi, sed *in forma Dei.* Ostendet etiam nobis Patrem et Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis.” Quæ tamen commode videntur exponi posse per ea, quæ ex eodem Sancto attulimus de triplici modo Deum videndi.

2) Cf. Murator. cap. 19, pag. 202 et seqq.

sunt in Secreta S. Leonis Papæ, in qua Deum precamur, *ut et illum beata retributio comitetur*, *et nobis gratiæ tuæ dona conciliet.* 2° Accedunt denique orationes et responsoria pro defunctis, quæ palam ostendunt, nondum de animabus latam esse sententiam, ut cum dicitur: *Libera eam de morte æterna* etc. aut: *Ne absorbeat eas tartarus*, aliaque ejusmodi. Ergo.

667. ***Resp. Ad*** 1m, ***Dist.*** Diverso sensu ac diverso fine, *conc.* eadem ratione eodemque fine, *neg.* Nempe, etsi consueverit Ecclesia pro omnibus preces fundere, quod et nunc etiam in Canone pro omnibus facere pergit, illis verbis: ***Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur***; accomodam tamen distributionem pro diverso defunctorum statu atque ad diversos fines easdem preces fundit. Animabus scilicet in purgatorio degentibus requiem apprecatur; Sanctis in cœlo regnantibus gloriam accidentalem ejusque augmentum, vel etiam corporis resurrectionem, tum etiam ut nos potius ipsorum precibus commendemus, ipsorum gratulemur triumphis [1]), etc. Quod optime significavit S. Augustinus, dum in ***Enchiridio***, cap. CX, inquit: ***Cum sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt:*** et ***Serm. CLIX***, n. 1: ***Injuria est***, inquit, ***pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*** [2]); quod intelligendum est, ut ex dictis patet, de gloria essentiali. Atque sic reipsa accipiendas esse ejusmodi preces, necessario exposcit ipsa ejusdem Ecclesiæ consuetudo orandi Sanctos in cœlis regnantes, ut pro nobis intercedant, quod item in iisdem liturgiis reperitur.

668. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Quatenus Ecclesia in orationibus aut responsoriis pro defunctis rem præteritam velut præsentem spectare soleat, *conc.* quatenus profiteatur incertum adhuc esse ipsorum judicium atque sententiam, *neg.* Hæc autem ratio agendi Ecclesiæ patet in solemnitatibus, quas per annum celebrare consuevit. Etsi enim agatur de re jamdudum præterita, eam tamen tanquam præsentem aut etiam futuram spectare consuevit, ex. gr. tempore Adventus illa frequenter ingeminat: ***Rora-***

1) Cf. Tournely, *De Deo*, quæst. 14, in solut. diff. ex liturgiis et precibus Ecclesiæ. Circa Secretam S. Leonis M. cf. Aug. Rocca Ord. S. Aug. in *Scholiis ad lib. sacramentorum S. Gregorii M.* Romæ, 1597, ad pag. 128. Addenda præterea est animadversio eorum, qui observant, Ecclesiam certam non fuisse, utrum Sancti illi, quorum mentio fiebat, jam pervenerint ad beatitudinem, an vero nonnullas adhuc leviores maculas eluendas habuerint, sine quibus vita hæc mortalis non transigitur. Hinc pro ipsis Ecclesia orare consuevit post ipsorum obitum. Cf. Card. Bona loc. mox citando.

2) Ibid. vero Ecclesiæ mentem uberius explicat dicens: „Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur."

te cœli desuper, et nubes pluant justum, etc., et sic de cæteris; atque hac ratione filios suos admonet atque hortatur, devotionem in iis excitat, lætitiam etiam aut mœrorem pro eorum diversitate, quæ ipsa frequentat [1]).

669. IV. *Obj.* Gloriæ dilationem ratio ipsa suadet: 1° Sancti enim Veteris Testamenti non statim ad beatitudinem admissi sunt; ergo nec Sancti Novi Testamenti admitti statim ad eam debent; 2° Christus ipse cum anima sua ad inferos descendit, neque ad cœlum ascendit nisi post resurrectionem. 3° Præterea corpus animæ socium fuit in meritis; ergo et in retributione comes esse debet; 4° præsertim cum anima sine corpore semper misera esse debeat, utpote quæ perpetuo corporis desiderio torqueatur. Ergo.

670. *Resp.* 1° Cum agitur de dogmate fidei, non ratione aut congruentiis disceptari debet, sed monumentis, inquirendumque utrum Scripturæ, traditio, Ecclesia hoc dogma tradiderint nec ne; cum id constat, conjecturæ nostræ per se concidunt. Singillatim nunc ut ad propositas difficultates faciamus satis,

671. *Resp.* 2° *Neg. antec. Ad* 1m, *Neg. conseq. et paritatem*; neque enim eadem ratio temporis valet pro Sanctis Veteris Testamenti ac pro Sanctis Novi Testamenti. Quemadmodum autem fuit Christus primogenitus mortuorum, sic prior in cœlum ingredi debuit, antequam alius quisquam Sanctorum illuc admitteretur.

672. *Ad* 2m, *Neg.* rursum *conseq. et paritatem;* nam prætcrquam quod anima Christi beatifica Dei visione fruebatur, ideo ad inferos descendit, ut Sanctorum animas indidem educeret ac secum in cœlum eveheret; quæ ratio in Sanctis locum non habet, neque in omnibus Christo Sancti assimilari debent, alioquin et ipsi deberent die tertia post mortem resurgere, etc.

673. *Ad* 3m, *Dist. antec.* Ita tamen ut causa meritorum anima sit, *conc.* secus, *neg.* Anima enim ad opera bona perficienda corpore utitur tanquam instrumento; deinde *neg. conseq. et parit.* quia anima a corpore disjuncta gloriæ capax est.

674. *Ad* 4m, Esto quod anima tali desiderio quodammodo teneatur, non inde tamen sequitur ipsam miseram effici, tum quia essentia beatitudinis in anima consistit; quæ vero ad corpus dimanat, non est nisi accidentalis; tum quia Deus huic desiderio non sine fenore supplere potest.

675. V. *Obj.* Joannes XXII sententiæ de dilatione visionis beatificæ adstipulatus est; ter enim ex suggestu in ecclesia Avenionensi eam propugnavit. Hinc suæ opinionis fautores summa benevolentia excipiebat; contra vero eidem refragantes insectabatur, prout contigit Durando Meldensi Episcopo, qui vix Pon-

1) Card. Bona, *Rerum liturgic.* lib. II, cap. 14 et Bened. XIV. *De sacrif. Missæ,* lib. II, cap. 9; Lebrun, *Explication de la Messe,* tom. III, diss. 10, art. 18, *Remarques*, pag. 300 et seqq. Paris 1741.

tificis judicium effugit, regia auctoritate ac patrocinio fretus, et Thomæ Valesio Ord. Præd., qui in carcerem conjectus est. In eum finem, ut quot posset in suam sententiam perduceret, Lutetiam Parisiorum Gerardum Eudum generalem ministrum Minoritarum misit, una cum Arnaldo de S. Michaële, prout referunt Card. de Alliaco, Gerson, Ochamus, aliique. Quare Philippus Galliarum rex ignem eidem Joanni comminatus est, nisi a sententia resipuisset. Ergo.

676. *Resp. Neg. antec.* Ut autem Joannis XXII factum rectius cognoscatur, hæc ordinatim sunt diligenter animadvertenda:

677. 1° Exorta est ejus tempore controversia inter quosdam Minoritarum et Prædicatorum Ordinis alumnos, an beati in cœlum statim post mortem recepti, præter Christi humanitatem fruerentur visione ipsa Dei beatifica [1]). Joannes controversiam hanc dirimere aggressus, ut ea, qua par erat in re tanti momenti et tunc temporis satis implexa quæstione, procederet maturitate, quæ utrique contendentium parti favere videbantur, tum ex Scriptura tum ex Patribus argumenta summa diligentia collegit. Hæc discutienda dedit Cardinalibus omnibus, præsulibus atque doctoribus, quos anathematis religione adstrinxit, ut diligentissime ea pervestigarent, *nobisque*, *quid eis videatur, exponant*, ut ipse loquitur [2]).

678. 2° Cum accepisset ob ejusmodi collectionem, in qua argumenta pro utraque parte prostabant, calumniam sibi impactam esse a malevolis, quasi neganti sententiæ favisset, adscitis eodem anno Cardinalibus per publicos tabelliones protestatus est, se *nunquam gessisse in animo decidere vel credere*, *quod esset quovis modo Scripturæ Sacræ obvium vel contrarium fidei orthodoxæ*, voluitque ut hæc protestatio in orbe universo christiano publicaretur [3]). Literis præterea ad regem Philippum datis calumniam eamdem illic disseminatam a se propulsavit, præsertim quoad duos illos, qui missi Lutetiam perhibebantur ad eam doctrinam propagandam [4]).

679. 3° Invaluit calumnia opera præsertim illorum schismaticorum, qui favebant Ludovico Bavaro, cujus odium simultatesque adversus hunc pium Pontificem eo erant progressæ, ut ei oppusuerit antipapam Petrum de Corbaria. Falsis ejusmodi rumoribus decepti sunt nonnulli scriptores minus in Pontificem propensi, qui calumniosas hasce voces pronis auribus excceperunt posterisque transmiserunt [5]).

1) Cf. Raynaldi Tarvisini, *Annales ecclesiast.* ad annum 1333. Exorta videtur hæc quæstio ex occasione illorum sermonum, quos habuerat S. Bernardus in solemnitate omnium SS.; quos superius citavimus. Mota autem hæc quæstio est anno 1331.

2) Cf. Raynaldi, ib. ad an. 1333, n. 27.

3) Ibidem.

4) Ibid. Hujus protestationis meminerunt etiam pseudo-minoritæ et præsertim Bonagratia, ejusdem Pontificis infensissimus hostis.

5) Genebrardus, Ocham, Ciaconius recensentur a Bzovio, Ord. Præd. inter Pontificis malevolos. Cf. in *Annal. eccles.* ad annum 1331. Inter hos tamen Ochamus aperte ostendit, se dubium

680. 4° Nec Durandus Meldensis Episcopus fuit a Joanne inquisitus, neque Thomas Valesius, sed ambo a fidei quæsitore; Durandus quidem ob erroneas aliquot sententias, quas disseminaverat in libro a se conscripto [1]; Valesius eo quod imprudenter e publico suggestu non solum Joannem Pontificem perstrinxerit, sed præterea, controversia nondum dirempta, maledictionem divinam precatus fuerit in contrariæ sententiæ assertores [2].

681. 5° Philippus et Robertus, alter Galliarum, alter Scotiæ rex, per literas ad Joannem Pontificem datas obsequium demissionemque animi luculenter significantes, eum exorarunt, ut controversiam definire vellet [3]; easdem preces Parisienses theologi in epistola ad eumdem Rom. Pontificem scripta obtulerunt, in qua: ***Vestræ Beatitudini***, inquiunt, ***cum qua possumus humilitate et reverentia, totis cordis præcordiis supplicamus, quatenus prædictæ quæstioni ... dignetur Vestra Sanctitas finem dare, partem illam, qua nutrita fuit hactenus devotio populi christiani, Vestro regimini crediti, veram esse, determinatione apostolica confirmando*** [4]. Quæ profecto cohærere non possunt cum iis, quæ vulgabantur a Pontificis malevolis inimicis, quæque leviter nimium ac imprudenter arripuit Card. De Alliaco, qui anno 1406, id est, 62. anno a morte Joannis XXII, ea vulgavit.

682. 6° Demum re satis discussa Joannes, hortatu præsertim Philippi regis et academiæ Parisiensis, convertit animum ad emittendam definitivam decisionem suam pro immediata Dei visione beatifica. Hanc vero cum morte præventus publicare minime potuerit, legit coram Cardinalibus et tabellionibus, in qua protestabatur se declarare intentionem, *quam habemus*, inquit, *et* HABUIMUS [5]. Revera non aliam unquam ipsius mentem fuisse, crebræ ipsius protestationes, quas data occasione emisit tribus postremis vitæ suæ annis, quibus controversiam hanc discutiendam suscepit, luculentissime patefaciunt. Hoc pariter testantur scriptores coævi etiam minus in Pontificem propensi. Disserens enim Bzovius de tribus illis sermonibus, quos habuit Pontifex in

esse circa ea, quæ de Joanne XXII retulerat. Ait enim: „Si assertiones illius (*Joannis*) vel opera aliter recitaverim quam habeat veritas, reportatoribus imputetur . . . mihi nullatenus, quia sub illa forma mihi recitata fuerunt." (In *Dialogo*, part. 2, tract. 2, sub finem).

1) Tres potissimum fuerunt errores, in quos Durandum Meldensem Episcopum, doctorem *robustissimum* nuncupatum, fidei inquisitores prolapsum deprehenderunt, quos hic non vacat recensere, quique videri possunt apud Raynaldum, ad annum 1333, num. 48 et seqq.

2) Cf. Bzovius loc. cit. n. 11.

3) Apud Joann. Villani, lib. XI, cap. 19.

4) Cf. Apud Martene in op. *Thesaurus novus anecdotorum*, tom. I, col. 1383 et seqq. edit. Paris. 1717.

5) Apud Raynaldum, ad annum 1334, num. 37. Neque hic silentio prætereundum, quod Joannes in bulla canonizationis S. Thomæ Aquinatis de eodem sancto habet, *quem in cœlestibus agminibus positum Deum glorificare cognoscitur*. Data est hæc bulla die 18. Julii 1323; cfr. *Bullar. Ord. Præd.*, Romæ 1730, tom. II, pag. 161. Similia leguntur in bulla canonizationis S. Ludovici Tolosatis, data 7 idus Aprilis 1317; cfr. *Bullar. Rom.* Laërt. Cherubini, Romæ 1617, tom. I, pag. 153.

ecclesia Avenionensi, jamdiu deperditis, quibus videbatur catholicum dogma oppugnare ex Scriptura et Patribus, eos *neque asserendo*, *neque decernendo*, inquit, recitavit [1]); *nec nisi disputandi gratia*, subdit Ciaconius [2]): *sic enim ad veritatem poterit promptius perveniri*, ut scripsit ipsemet Pontifex ad Philippum regem anno 1333 [3]).

683. Ex his autem, quæ ab certissimis documentis deprompsimus, colligitur, non solum evanescere, quæ in objectione congesta sunt, sed præterea falsitatis argui Calvinum, dum affirmare non erubuit, Joannem XXII docuisse mortalitatem animarum [4]); insuper minus fideliter a nonnullis auctoribus catholicis referri factum istud, dum Pontificem traducunt veluti propensum fere in contrariam fuisse sententiam, de dilatione nempe visionis beatificæ; multo magis autem a vero ablusisse inter Catholicos eos, qui autumant, Joannem XXII, eamdem sententiam *ex cathedra* definivisse, ut ita detrahant infallibilitati Romani Pontificis [5]).

ARTICULUS II.

De Purgatorio.

684. Purgatorii nomine significamus statum expiationis ad tempus duraturæ, in quo animæ justæ obstrictæ vinculis ac debito temporaneæ qualiscumque satisfactionis, vel ob venialia peccata, vel ob lethalia quoad culpam jam dimissa, a corpore disjunctæ detinentur, donec dignæ fiant, quæ ad æternam beatitudinem admittantur.

685. Ut omnem tum indulgentiarum tum suffragiorum usum in Catholica Ecclesia receptum ad illarum animarum levamen e medio tollerent novatores sæculi XVI, Aërium sæculi IV hæreticum, nec non Petrobrusianos, Albigenses, Waldenses, nonnullosque alios sectarios secuti, purgatorii existentiam inficiati sunt, atque hinc suffragiorum utilitatem. Lutherus prius anceps hæsit, deinde utrumque rejecit. Calvinus eo usque progressus est, ut,

1) Bzovius, ad annum 1331. num. 11. Cfr. etiam cit. epistola universitatis Parisiensis ad Joannem XXII, apud Martene loc. cit., ubi doctores Parisienses ita scribunt: „In qua *(quæstione)* Vestra Sanctitas pulcherrime et subtilissime allegavit et quamplures auctoritates adduxit, immo tot quot non recordamur nos legisse apud doctorem aliquem, quas ad unum adduxit tot et tantas, semper tamen recitando, et nihil determinando, asserendo, seu etiam opinando, sicut audivimus, dignetur, etc."

2) *Historiæ Pontificum Rom.* fol. tom. I, col. 871. Romæ 1630, ubi ait: *Affirmans, se nihil nisi disputandi gratia asserere et nihil adhuc se determinasse.*

3) Apud Raynaldum, ad annum 1333, num. 46 et seqq.

4) *Instit.* lib. IV, cap. 8, §. 28, de quo cfr. Raynaldus, ad annum 1334, num. 38.

5) Ita auctor libri, cui titulus: *Defense de la declaration du clergé de France l'année* 1682, part. 3, liv. IX, chap. 46. Quod quidem opus non esse genuinum Bossueti fœtum non pauci scriptores, neque spernendis argumentis contendunt, aut saltem fuisse interpolatum, antequam in lucem ederetur ab ipsius nepote, jansenianis partibus non parum addicto; mirum porro est, quam graviter hallucinetur hujus operis editor in notis, quas loc. cit. apposuit; cfr. *Œuvres de Bossuet,* tom. XXI, édition de Liége 1768.

Instit. lib. III, cap. V, §. 3, clamandum dixerit, *non modo vocis, sed gutturis ac laterum contentione, purgatorium exitiale esse Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit ac evertit.*

686. Ut autem adversus hos novatores commodius pugnemus, verus quæstionis status aperiendus est, apprime secernendo ea quæ stricte sunt de fide ab iis, quæ intra opinionum limites continentur. Porro duo hæc tantum quoad purgatorium de fide sunt, primo scilicet ejusdem purgatorii existentia, secundo suffragiorum utilitas, ut ex dicendis patebit.

687. Omnia igitur, quæ spectant ad locum, durationem, pœnarum qualitatem, ad catholicam fidem minime pertinent, seu definita ab Ecclesia non sunt. Utrum scilicet sit aliquis determinatus locus necne, et ubi positus sit; utrum parum an diu debeant animæ in purgatorio detineri; utrum ignis purgatorii sit materialis an metaphoricus, utrum scilicet consistat in quadam animi tristitia, exorta ex anteactæ vitæ consideratione, fœditate peccati, aliisve ex causis, propter quas voluntaria et peroptata ipsis animabus sit purgatoria hæc afflictio [1]). Diversæ olim de iis extiterunt inter veteres Ecclesiæ Patres, et inter scholasticos etiam recentiores adhuc vigent discrepantes sententiæ. Idipsum dicatur de modo, quo animæ defunctorum suffragiis fidelium juvantur, circa quem diversæ pariter perhibentur theologorum sententiæ, de quibus inter alios consuli possunt Bellarminus, toto libro II. *De purgatorio*, et duo germani fratres de Walemburg [2]).

1) Leibnitzius, *System. theol.* pag. 350, scribit: „Plerique omnes *(veteres et recentiores)* consenserunt in castigationem paternam sive purgationem post hanc vitam, qualiscumque ea esset, quam ipsæ animæ ab excessu ex corpore, illuminatæ, et sibi conspecta tunc imprimis præteritæ vitæ imperfectione, et peccati fœditate maxima tristitia tactæ, sibi accersunt libenter nollentque aliter ad culmen beatitudinis pervenire. Voluntariam enim esse purgatoriam hanc afflictionem recogitantis acta sua animæ, præclare multi viri notarunt, et inter cæteros illustris est Granatensis locus, qui Philippo secundo in novissima ægritudine magnam consolationem attulit." Hæc hausisse videtur Leibnitzius ex pulcherrimo tractatu, quem de purgatorio scripsit S. Catharina Jannensis, in quo inter cætera hæc habet: „L'anima separata dal corpo, la quale non si trova in quella nettezza, come fu creata, vedendo in se l'impedimento, e che non le può essere levato salvo che per mezzo del purgatorio, presto vi si getta dentro, e volentieri, e se non trovasse questa ordinazione atta a levare quell' impaccio, in quello istante in lei si genererebbe un inferno peggiore del purgatorio;" et paulo ante jam dixerat: „Non credo, che si possa trovare contentezza da comparare a quella di un'anima del purgatorio (eccetto quella de' santi del paradiso) ed ogni giorno questa contentezza cresce per lo influsso di Dio che in esse anime va crescendo . . . e quanto alla volontà non possono mai dire che quelle pene sieno pene . . . Dall' altra parte poi hanno una pena tanto estrema, che non si trova lingua che la possa narrare, nè intelletto, che possa capirne una scintilla." Sed præstat integrum legere hunc ipsum tractatum, qui impressus est ad calcem vitæ ejusdem Sanctæ.

2) Petrus et Hadrianus ambo Episcopi et celebres controversistæ. Cf. *Tractatus speciales de controversiis fidei.* Colon. Agrippinæ 1671, tom. II. *De unitate Eccles.* lib. XIII, controversia I. *De purgat.* §. 5.

688. Haud ignoramus ex his, quæ diximus ad fidem minime spectare, aliqua esse, quæ, quamvis definita non sint, absque temeritatis nota rejici non possunt; quum satis innotescat circa ea non solum communis theologorum doctrina, a qua cordato Catholico absque gravissima causa recedere nefas est, sed insuper ipsius Ecclesiæ sensus, præsertim circa pœnarum acerbitatem, quibus animæ in purgatorio cruciantur. Cum tamen nobis propositum sit, catholica dogmata potissimum tueri atque adstruere adversus incurrentes errores, et contra ea, quæ catholicam doctrinam quoquomodo labefactant, ideo rata habentes, quæ communi consensu probata sunt, adversus Protestantium doctrinam sequentem statuimus propositionem.

PROPOSITIO.

Datur purgatorium, et justorum animæ in eo detentæ fidelium suffragiis juvantur.

689. Hanc propositionem quoad utramque sui partem de fide esse, liquet ex fidei professione, jussu Pii IV, edita, juxta quam Catholicus quilibet profiteri debet: *Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.* Et sane præter Concilii Florentini definitionem in *Decreto Unionis*, Concilium Tridentinum, sess. XXV, in *Decreto de purgatorio*, tradit Ecclesiam Spiritu Sancto edoctam ex Sacris Literis et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis docuisse: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari.* Sapienterque ibidem *præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores et subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quamdam ac superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant.* Cum vero fundamentum erroris Protestantium in eo fuerit, quod contenderent, non posse dimitti culpam, quin tota simul remittatur et pœna, hinc eadem Tridentina Synodus, sess. VI, can. XXX, definit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit; anathema sit.*

690. Vere igitur Ecclesiæ doctrinam de purgatorio ex Sacris Literis in primis haustam fuisse, quoad Vetus Testamentum, monumentum ineluctabile habetur II Machab. XII, 43, ubi fortissimi Judæ religiosa pietas commendatur, qui, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum et vanum videretur orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quæ peremptorii testimonii verba perspicua sunt adeo, ut nulla indigeant explanatione. Neque aliam viam ejus vim evadendi Protestantes invenerunt, quam negando hujus libri canonicitatem [1]), perperam tamen, ut suo loco ostendunt Sacrarum Literarum professores. Idem patet quoad Novum Testamentum ex iis, quæ Matth. XII, 32, Christus protulit: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.* Quibus verbis non obscure Christus alludit ad receptam apud Judæos persuasionem, nonnulla peccata etiam in futuro sæculo remitti, ut indicant ea, quæ protulimus ex lib. II Machabæorum: *Ut a peccatis solvantur.* Nam *de quibusdam veraciter non diceretur*, ut inquit S. Augustinus, *quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent* (quidam peccatores), *quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro* [2]). Et S. Bernardus: *Si non credunt*, ait, *ignem purgatorium restare post mortem ... quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo neque in futuro remitteretur; cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiove peccati* [3])? Quæ omnia huc demum recidunt: Ex allata Christi sententia, aliqua peccata sunt, quæ saltem quoad pœnam remitti in futuro sæculo possunt; sed qui cum talibus peccatis ex hac vita decedunt, in regno cœlorum esse non possunt, in quod nihil coinquinatum intrabit, neque in inferno, in quo nulla datur peccatorum remissio, nec spes ulla evadendi; status igitur medius debet aliquis esse temporariæ pœnæ vel expiationis, in quo ad eluenda ejusmodi peccata detineantur.

691. Ex antiqua pariter traditione Ecclesiam Catholicam suam de purgatorio accepisse doctrinam, testes in primis sunt vetustissimi Patres, Tertullianus, lib. *De corona militis*, cap. III: *Oblationes pro defunctis*, inquit, *annua die facimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum*, subdit cap. IV, *si legem*

1) Cf. Nat. Alex. *Hist. eccles.* diss. 45, in sæc. IV.

2) *De civ. Dei*, lib. XXI, cap. 24, n. 2.

3) *Serm.* LXVI, *in Cant.* n. 11.

expostules Scripturarum, *nullam invenies* (quæ videlicet annuas istas oblationes præcipiat): *traditio tibi prætendetur auctrix*, *consuetudo confirmatrix*, *et fides observatrix.* Similia habet in lib. *De monogamia*, et alibi [1]). S. Cyprianus, *Epist. LXVI*, *ad clerum et plebem Furnitanam* data, prohibuit, ne pro Victoris anima *oblatio fiat, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur,* quod contra canones Geminium Faustinum presbyterum ausus fuisset bonorum suorum tutorem constituere. *Episcopi*, subdit, *antecessores nostri*, *religiose considerantes et salubriter providentes*, *censuerunt*, *ne quis frater excedens*, *ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac, si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Certum igitur est, in Ecclesia Africana a sæc. II et III, consuetudinem inolevisse sacrificium offerendi pro defunctis; præsertim, quod Patres isti de ea loquuntur tanquam de re a majoribus ac traditione recepta [2]). Sed eadem consuetudo viguit in Ecclesia Orientali. S. Cyrillus, *Catech. V*, *Mystag.* n. 9, scribit: *Deinde pro omnibus generatim* (oramus), *qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima* [3]). Eusebius, *De vita Constantini,* lib. IV, cap. LXXI refert, sacrificium oblatum esse pro ipsius Imperatoris anima in martyrio Apostolorum. Omitto Arnobium, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum, Chrysostomum, Basilium, aliosque non paucos, quos recenset Natalis Alexander [4]). Frustra siquidem eorum testimonia proferremus; Calvinus enim fatetur, Patres omnes per annos mille trecentos tradidisse, ut pro defunctis orationes fierent; quamvis tamen incredibili ausu asserat, omnes in errorem abreptos fuisse. *In eo dico*, scribit, *Instit.* lib. III, cap. X, *aliquid humani passos esse; ideoque ad imitationem trahendum non esse contendo, quod fecerunt.* Idem fatetur Dallæus; hoc ipsum confirmat Forbesius, qui diserte præterea ostendit, in *Instructionibus historicis*, omnium Patrum auctoritate niti orationes pro defunctis; attamen et ipse concludit: *Non est tutum veteres imitari.* Sic etiam fatetur Petrus Vermilius, cognomento Martyr, in Epist. I, ad Corinth. cap. III, Ecclesiam semper orasse pro mortuis [5]).

1) *De Monog.* cap. 10, circa finem, tum in lib. *De exhort. castitat.* cap. 11.

2) Revocandum hic in mentem est, quod alias adnotavimus, Ecclesiam Africanam ab Ecclesia Romana fidem seu Evangelium accepisse, ideoque et articulum de purgatorio, deque suffragiis pro defunctis, ac proinde, quod consequens est, eamdem obtinuisse fidem in Ecclesia Romana sæc. I et II.

3) *Εἶτα ... πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμένων μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται, τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας.* Vid. pag. 328, opp. edit. Touttée, Paris. 1720.

4) *Hist. eccles.* cit. diss. 45, in sæc. IV.

5) Ex his pariter constat, illudere nobis velle Protestantes, dum fingunt se controversias fidei revocare ad tria

692. 2° Præter Patres testes sunt Concilia antiquissima. In Conc. enim Carthag. III, anno 397 celebrato cavetur, ut *sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur...nam, si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ... commendatio facienda sit, solis orationibus fiat* [1]). Concil. Bracarense I, cap. XVI, pro illis orare vetat, qui mortem sibi consciscunt [2]); et cap. XXI, inter clericos dividere jubet oblationes factas, ut oraretur pro defunctis [3]). Eorumdem suffragiorum meminerunt Concilia Cabillonense, Wormatiense, etc. [4]).

693. 3° Testes sunt liturgiæ antiquissimæ, non solum Ecclesiæ Catholicæ, cujusmodi sunt tum illa, quæ S. Jacobo tribuitur, quæque in usu fuit in plerisque Orientalibus Ecclesiis, quæque citatur a Concilio Trullano, et exponitur a S. Cyrillo Jerosolym., tum liturgiæ a SS. Matthæo, Marco, Petro, etc. nuncupatæ, item liturgiæ, quæ sub nomine S. Basilii, S. Joan. Chrysostomi, Gregorii et Cyrilli vulgatæ sunt, Syriaca, Mozorabica sive Hispanica, etc. ut alias Ecclesiæ Occidentalis liturgias silentio prætercam. Huc insuper accedunt liturgiæ complurium sectarum, quæ a primis ipsis Ecclesiæ sæculis separatæ sunt ab Ecclesia, in quarum numero sunt liturgiæ Jacobitarum, Cophtorum, Armenorum, Æthiopum, Syrorum, Nestorianorum, tum Malabaricorum ac Chaldæorum. Ex his Malabarici Missam præterea peculiarem habent pro defunctis, quæ prostat apud Lebrun [5]), qui animadvertit, liturgias omnes editas ante sexdecim sæcula, *nulla omnino excepta,* memorias et preces habere pro animabus defunctorum, omnesque Orientales Ecclesias unanimiter credere, sic ordinatum fuisse ab Apostolis, juxta id etiam quod legitur in Constitutionibus apostolicis, editis sub finem sæculi II [6]).

694. 4° Testes sunt vetustiora ipsa epitaphia seu sepulcrales inscriptiones, in quibus vel pacem et requiem defunctis superstites adprecantur, vel a defunctis ipsis bona expostulantur; hasce illustravit Gener [7]) et rursum Cl. Morcelli [8]).

aut quatuor priora Ecclesiæ sæcula. Cf. Nat. Alex. diss. cit.

1) In *Act. Conc.* Hard. tom. I, col. 964.

2) Ibid. tom. III, col. 351.

3) Ibid. col. 352.

4) Ibidem.

5) *Explication de la Messe,* etc. diss. 10, pag. 300, tom. III. Paris 1741. Vid. etiam Card. Bona, tum *De rebus liturg.* lib. II, cap. I, §. 7, tum *De offic. Defunct.* §. 2 et 3.

6) Apud Cotelerium, *SS. Patrum, qui temporibus Apost. floruerunt . . . opera,* etc. *Const. apost.* lib. VIII, cap. 41 et 42, pag. 419, vol. I; cfr. ibid. not. 25; vid. etiam Card. Thomasius tom V, p. 226, col. I et seqq.

7) *Theolog. dogmatico-scholast.* Rom. 1773, tract. 3, part. 2, lib. III, §. 2, class. 8, tom. IV, pag. 430 et seqq.

8) *De stilo inscript. latin.* Romæ 1780, lib. II, cap. 3. *De Epitaphiis,* qui non solum plures profert veteres inscriptiones, in quibus Christiani, qui eas collocarunt, pacem et expiationem peccatorum defunctis precantur, sed adnotat dictionem illam: *In pace,* vel: *In pace esse faciat Deus,* totam esse christianam, ita ut viri eruditissimi non aliud quærant testimonium, ut vetus epitaphium inscriptionibus christianis adnumerent. Vid. §. 4. In nostro (Soc. Jesu) musæo Kircheriano prostat inscriptio vetustissima, in qua veterum fides

695. 5° Testes demum sunt non pauci ex Protestantibus ipsis. Etenim Calvino, Dallæo, Petro Martyri, quos superius commemoravimus, addendus est Binghamus, qui ejusmodi consuetudinem ab ipsa primitiva Ecclesia receptam esse fatetur, orandi scilicet pro defunctis ac pro iis litandi [1]). Plures modo Protestantes, tum ex Anglia tum ex Germania, consentiunt in admittendo statu expiationis post mortem. Ex Anglis quidem potissimum recensentur Montagu et Gunning apud Starckium [2]), qui sese admittere profitentur statum *epurationis*, Scheldon insuper, Blanscford, Barow apud Tabaraud [3]), qui suffragia ac preces pro defunctis non respuunt. Inter Germanos autem Dr. Molanus apud Bossuetum [4]) fatetur, Lutheranorum partem non solum approbare, verum etiam frequentare preces pro defunctis [5]). Nominatim vero Leibnitzius, in *Systemate theologico*, et statum expiationis propugnat et preces in suffragium defunctorum [6]); eamdem profitetur doctrinam Dr. Less, theologus Gottinguæ [7]), nec non Young, recens scriptor [8]), qui rationes insuper addit ad istiusmodi dogma confirmandum.

696. Nec mirum videri debet, Protestantes demum purgatorium seu statum *expiationis*, quam et *scholam præparationis* vocant [9]), admisisse, cum pro hoc statu pugnet quodammodo

de purgatorio his verbis exprimitur: KALIMARE. DEUS. REFRIGERET. SPIRITUM. TUUM. UNA. CUM. SORORIS. TUAE. HILARE.

1) Lib. XV, cap. 3, §. 16, tom. VI, pag. 330 et seqq. edit. Halæ, ubi dicit: „Fuisse autem universalem Ecclesiæ praxim pro omnibus, nemine excepto, orare, ex concordi omnium scriptorum ecclesiasticorum testimonio liquet." Agit autem de precibus defunctorum.

2) *Entretiens philosophiques, ou le Banquet de Théodule, par M. le baron De Starck, ministre protestant, trad. de l'allemand sur la 5me édit.* pag. 335, Paris 1818.

3) Tabaraud a. a. o. pag. 358, 420 et seq. ibid.

4) *Projet de réunion, dans les œuvres posthumes de Bossuet*, tom. I, pag. 90.

5) Fatetur ipsemet Wegscheider, §. 192, not. *(f)*, lutheranam ecclesiam haud prorsus improbasse preces pro defunctis. Sane in *Apol. conf. augustan.* art. XII, dicitur: *Quam* (orationem pro defunctis) *nos non prohibemus.* Vid. *Libri symbolici Protest.* edit. Augusti. p. 274 et seqq.

6) *Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la religion, Système théologique*, edit. D. Emery, pag. 348 et seqq. Paris. 1819.

7) *Théorie de la religion chrétienne*, apud Starckium, loc. cit.

8) *Théorie de la connaissance des esprits.* ibid.

9) Si Protestanti cuilibet *purgatorium* commemores, excandescit; si vero ab eodem quæras, utrum admitti possit nec ne status *expiationis*, *epurationis*, aut *schola præparationis*, *expectationis*, etc. id tibi facile tribuit; imo interdum ejusmodi statum admittendum esse vehementer contendit. Tanta est vis verborum! Præter citatos auctores plures alii addi possent, qui proferuntur a Koeppen in *Philosophia christianismi*, vol. II, qui exscribit integros textus Plank ex *Verbis pacis*, Horst ex *Mysteriosophia*, Meyer, etc. Quibus præiverant Hollaz, *Exam. theol.* pag. 1221, et Quenstedt, *Theol. did.* vol. IV, pag. 377 et seqq. nec non Holst, *Warum beten wir für die Verstorbenen?* seu *Cur oramus pro mortuis?* et alii. Verum in eo conveniunt omnes, quod dicant, nimis violentum esse, statim in cœlum admittere eos omnes, quos anteactæ malæ vitæ tantum pœnituit in extrema periodo, vel qui nimium indulserunt hujus vitæ sensualitatibus, cum *nihil coinquinatum* illuc ingrediatur; item durum nimis esse, istos omnes æternis cruciatibus addicere. Sane, sublato purgatorio, vel omnis spes peccatoribus in exitu vitæ est adimenda, vel debent facinorosiores quilibet statim collocari cum SS. Aloysio ex. gr. atque Theresia, a quo ipsa conscientia refugit. Quantumvis enim homo sibi adblandiatur, vox conscientiæ altius clamat, præsertim in mortis articulo.

universum genus humanum, sive quodam ipsius naturæ instinctu, sive, quod longe probabilius existimo, ex antiqua traditione. In hoc enim conveniunt Judæi, tum veteres, ut ex adducto Machabæorum lib. II loco palam fit, tum recentiores, qui oratione ***Kadisch***, seu commemoratione animarum pro ipsis bene precantur. De hoc ritu apud ipsos recepto fidem præterea facit liber, qui inscribitur ***Mazor***, pluresque rabbini testantur apud Serarium [1]) et Genebrardum [2]). In ipsam hanc doctrinam conveniunt Islamitæ, qui orationem pro defunctis vocant ***El-Katme*** [3]). Conveniunt ethnici, tum græci tum romani. Etenim Clem. Alex. refert, Stoicos credidisse statum expiationis post mortem, quem vocabant *ἐμπύρωσιν* [4]). Doctrina Pythagoræorum circa metempsychosin eidem fundamento innititur. Græci passim vocant mortuos *κεκμηκότας* et *καμόντας*, id est, *patientes, laborantes* etc. Hinc Homerus, ***Iliad III***, et ex eo Virgilius, ***Æneid.*** lib. VI, ver. 441, memorat *lugentes campos*, ac vers. 740 et seqq. pluribus describit eos, qui

.....exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt [5]).

Claudianus similiter, ***In Ruffinum***, lib. II, ver. 491:

Quos ubi per varios annos, per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, etc.

Plato ipse, tum alibi tum in dialog. ***De animo***, docet animas in luto et tenebris detineri, quamdiu penitus purgatæ sint [6]). Sic etiam Persæ. Zoroaster enim apud Eusebium, ***Præp. evang.*** [7]), loquitur de transmigratione animarum per duodecim zodiaci signa, priusquam emaculatæ perveniant ad cœlestem beatitudinem. Sic Indi admittunt suffragia mortuorum per preces, sacrificia, etc. ut patet ex itinerum descriptione Hafner [8]).

697. Cum igitur unanimi consensu, ac veluti inita conspiratione, in purgatorio admittendo conveniant Scripturæ, Patres, Con-

1) In *Harmonia Machabæorum*, lib. II, cap. 12, pag. 692 et seqq.

2) Apud eumdem, ibid.

3) Cf. Maraccius Cong. Mat. Dei in *Alcorano arabice ac latine edito*, 2 vol. fol. Patavii 1698. Postellus lib. XXI, *De concordia orbis*, lib. XXI, cap. 9 scribit: *Orat Judæus pro defunctis, comedit cum pauperibus Musulmanus.* Cf. Marac. tom. I, prodrom. part. 3, ad refut. Alcorani, pag. 81, edit. cit. tum quæ ibid. ex Alcor. pag. 90, 91, refert de examine sepulcri.

4) *Strom.* lib. V, pag. 549.

5) Cf. La-Cerda, S. J. in comm. in hæc loca Virgilii, et observ. Beathie in op. *On Truth*, part. 3, chap. 2, in 8°, p. 221 et seqq. Sic Homerus, *Iliad.* lib. III, v. 278.

Καὶ ποταμοί, καὶ γαῖα, καὶ οἱ ὑπένερθε καμόντας.
Ἀνθρώπους τίνυσθον.
Et flumina et tellus et qui sub terra mortuos
Homines punitis.

Cfr. *Dict. Ernesti*, ad vocem *Κάμνω*, *laboro*, nec non Eustachii, *Comment.* in hunc loc. Homeri. *De persuasione Roman.* Cf. Joh. Kirchmanni Lubecens. *De funeribus Roman.* lib. IV.

6) Cfr. apud Euseb. *De præp. evang.* lib. XI, cap. 37 et seqq.

7) Apud Starck, loc. cit.

8) *Voyages de Hafner*, 2 part. pag. 29, *dans la Bibliothèque de Sprengel.* part. 39 Cf. Baro De Stark, op. cit.

cilia, liturgiæ, sectæ omnes, omnesque populi christiani, judæi, islamitæ, pagani, nec ab ipso dissentiant doctiores ipsi Protestantes, cujuscumque demum communionis sint, nescio omnino, quare adhuc in dubium revocari possit ejusmodi dogma, in quod vel ipsa nos quodammodo natura impellit, qua ducimur ad veniam pacemque parentibus et amicis implorandam. Hunc statum ipsa rerum analogia exposcere videtur; a legibus enim civilibus non omnes culpæ capitali pœna plectuntur. Ejusmodi præterea fides incredibili solatio est homini in extrema vitæ periodo constituto, qui, etsi gravibus se antea sceleribus commaculaverit, veniæ tamen obtinendæ dulci spe alitur, neque in desperationem agitur, dum sibi in hac vita pœnitentiæ satisfactoriæ nullum amplius locum esse persentit. Vel enim hoc ipsi solamen dandum est, quod scilicet expiatoriis pœnis in altera vita possit noxas suas eluere, vel omnis salutis ac conversionis spes ipsi est adimenda. Conscientia siquidem hominis, præsertim in aditu mortis, ita torquet et angit, ut nemo unquam possit sibi ita vim inferre, ut sibimet persuadeat, se post tot admissa scelera in cœlum post paullulum admissum iri, perinde ac si innocentem omnino sanctissimamque duxisset vitam [1]).

DIFFICULTATES.

698. I. *Obj.* Secundus Machabæorum liber apocryphus est; aliena præterea manus in illum intulit eam sententiam: *Sancta ergo*, etc. Verum, utroque etiam dato, nihil inde pro catholico dogmate extundi potest, 1° quia hic auctor illud commendat, quod prout vituperandum ipsi Catholici rejiciunt, cujusmodi est Raziæ facinus, qui sese interemit; 2° quia in prolato testimonio sermo est de hominibus lethali culpa adstrictis, qui nempe contra legis vetitum surrepta idolorum donaria intra vestes celarant; 3° quia ex eo sequeretur, animas interire cum corporibus, una cum iisdem corporibus ad novam postea vitam revocandas: *Nisi enim*, inquit hic auctor, *eos, qui ceciderint, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis;* 4° quia agitur de facto singulari, nempe Judæ, quod in exemplum trahi non potest, præsertim cum nulla pro mortuis in lege sacrificia statuta seu præscripta sint; 5° quia non ad eos levandos a purgatorii pœnis, de quibus nec ibi nec alibi mentio est, sacrificium offerri voluit, sed potius ad ostendendum affectum suum erga ipsos, et ad avertendam Dei vindictam a reliqua exercitus parte. Ergo.

1) Cf. Pierre de Joux, *Lettres sur l'Italie*, tom. II, lett. 41; Comes De Maistre, *Soirées* etc. *huitième entretien* cum notis appositis; qui plures congerunt animadversiones, ut evincant, quam pium sit hoc dogma et naturæ humanæ sensibus consentaneum.

699. ***Resp.*** **1°** ***Neg.*** Nos vero hic utrumque tanquam certum habemus ex Sacrarum Literarum professoris lectionibus, ad quem provincia vindicandi authentiam SS. Librorum spectat. Illud addimus, hunc librum a recentioribus Protestantibus in censum Sacrorum Librorum passim admitti; tum etiam in illorum hypothesi, qui eum rejiciunt, non minus validum inde erui argumentum tanquam ex libro historico ac fere coævo, qui nobis eam testatur credendi rationem, quæ apud Judæos eo tempore obtinebat. Pluris certe nobis valet hujus libri auctoritas, quam auctoritas Flavii Josephi, Gorionidis aut Philonis, ad fidem de iis faciendam, quæ ipsorum ætate contingebant. Genuinam præterea esse sententiam illam, quæ ab adversariis textui assuta traducitur, aperte evincunt græca omnia et latina exemplaria, sive edita, sive manuscripta, in quibus nunquam non reperitur [1]; et apprime ingenio congruit scriptoris, qui passim solet ejusmodi considerationes interserere.

700. ***Ad*** **1m**, ***Neg.*** Quod si auctor commendat factum Raziæ se interficientis, eum quidem laudat quod *fortiter* fecerit, non autem quod *pie*, ut adnotat S. Augustinus, qui hac de causa secundum hunc Machabæorum librum dicit *sobrie* esse legendum [2].

701. ***Ad*** **2m**, ***Resp.*** **1°** ***trans.*** Nec enim omnes consentiunt, eos milites in surripiendis illis idolorum donariis graviter deliquisse; quoniam non idololatriæ causa, sed aviditate potius immoderata arrepti, donaria illa sibi vindicaverant. Sed dato etiam, ***Resp.*** **2°** Ipsos potuisse ante mortem ejusmodi peccati pœnitere; sermo enim illic est de iis, *qui cum pietate dormitionem acceperant.*

702. ***Ad*** **3m**, ***Neg.*** Ibi enim sacer scriptor pro Judæorum more utramque quæstionem, de animæ scilicet immortalitate ac de corporum resurrectione, conjungit, prout et Christus ipse, Sadducæos perstringens, Matth. XXII, 31. conjunxit: *Non legistis,* inquit, ***quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium***; et Apostolus, I Cor. XV, 32: ***Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus; cras enim moriemur*** [3].

703. ***Ad*** **4m**, ***Neg.*** Non solum enim Judæ factum ab omnibus commendatum est, sed insuper, ut ibidem legitur, omnes *ad preces conversi, rogaverunt, ut id, quod factum erat delictum, oblivione traderetur;* omnesque propterea pecuniam ad sacrificia pro defunctis offerenda suppeditarunt; universalis

1) Cf. Nic. Serarius S. J. op. cit.; Nat. Alex. *Hist. eccles.* V. T. ætat. sexta, dissert. 7, art. 8; Calmet, *Præf. in duos lib. Machab.* etc.

2) *Contra Gaudent. Donat.* lib. I, n. 38.

3) Cf. Bellarm. *De purgat.* lib. I, cap. 3, n. 16 et seqq. Calmet. in hunc loc.

igitur erat praxis Judæorum orandi pro mortuis, quod et Grotius fatetur in *Adnotat. ad Cassandri consultationem*, ad art. 20 et alibi. Atque hinc responsio patet ad illud, quod addebatur de sacrificiis pro mortuis, quæ nullibi in lege præscripta leguntur. Comprehendebantur enim sub lege generali de sacrificiis pro peccatis totius populi, quæque offerri poterant tam pro præsentibus quam pro absentibus, tam pro vivis quam pro defunctis, juxta interpretationem et consuetudinem synagogæ; quo refertur et illud Eccl. VII, 37: *Mortuo non prohibeas gratiam*, per eleemosynam scilicet, preces et sacrificia [1]).

704. *Ad* 5m, *Neg.* Etsi enim aperta mentio non fiat de purgatorio, æquivalentibus tamen verbis idem dicitur. Si Judas enim sacrificium offerri voluit pro defunctis, profecto non id voluit pro iis, qui nullas pœnas saltem temporarias solvendas haberent, neque pro iis, qui pœnis æternis essent addicti, ut res ipsa clamat; ergo pro iis, quos credebat in purgatorium detrusos. Ultima animadversio locum habere nequit, quum directe pugnet cum iis, quæ ibidem referuntur.

705. *Inst.* Saltem nihil evincitur ex allatis Christi verbis: *Non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro;* 1° enim ejusmodi dictio popularis est, cujus eadem est virtus, ac si diceretur: Ejusmodi peccatum *nunquam* fore remittendum, quod ex locis parallelis expresse eruitur; nam Marc. III, 29, dicitur *in æternum*, et Luc. XII, 10, *non remittetur* [2]). 2° Neque ex eo, quod Christus negarit tale peccatum in futuro sæculo remittendum, sequitur quædam alia peccata fore remittenda juxta dialecticæ regulas, quæ docent, ex negatione affirmationem minime descendere. 3° Loquitur ergo Christus de remissione culpæ, quæ nonnisi in hac vita haberi potest, nec proinde ad remissionem pœnæ transferri debet; 4° ex hoc enim sequeretur leviora peccata remitti in hoc sæculo, graviora autem in futuro, quod cum Catholicorum principiis pugnat. Ergo.

706. *Resp. Neg. antec. ad* 1m, *Neg.* Dato enim, juxta parallelismum Evangeliorum, phrasim a Christo adhibitam idem valere ac *nunquam* ejusmodi peccatum dimissum iri; cum tamen *nunquam* sive *æternum* duas partes complectatur, hoc nempe sæculum et futurum, quod Marcus et Lucas universe dixerunt, Matthæus *distributive* exposuit; quod non fecisset, nisi ad utramque partem, ad præsens scilicet sæculum et ad futurum, peccatorum remissio pertineret. Quæ animadversio robur sumit ex eo quod diximus, Christum per ea verba allusisse ad receptam apud Judæos persuasionem de peccatorum

1) Cf. Joseph. Du Voisin, in *Proœmio ad Pugionem fidei Raym. Martini;* Bartolocci, *Biblioth. rabbinica*, part. 2, diss. 3; Card. Gotti, *De vera Christi Ecclesia*, tom. II, art. 10, §. 11; Serarius, loc. cit.

2) *Εἰς τὸν αἰῶνα... οὐκ ἀφεθήσεται.*

remissione obtinenda, non solum in hac vita, sed etiam in futura [1]).

707. *Ad* 2^m, Responsio patet ex modo dictis. Hic enim Christus non instituit disputationem, quæ exigi ad strictas dialecticæ regulas debeat, sed vulgari loquendi modo utitur. In familiari autem sermone ridiculum se præberet, qui diceret, currum navimque mihi non extruam neque in hac neque in altera vita, cum in altera vita neque currus neque naves extrui possint; sic porro locutus esset Christus, si nulla in futuro sæculo daretur peccatorum remissio. Præsertim quod illis verbis Christus alludat ad receptam fidem de peccatorum in altera vita remissione.

708. *Ad* 3^m, *Neg.* Sed loquitur de peccato, quatenus complectitur et culpam et pœnam, quod insinuant ejusdem Christi verba apud Marcum loc. cit., ubi de ejusmodi blasphemo dicitur: ***Reus erit æterni delicti***, id est, pœnæ æternæ, quæ nempe subsequitur peccatum. Quod tuentur vel ipsi recentiores exegetæ protestantes Grotius, Griesbachius, Kuinoel [2]); ita ut sensus sit: Non remittetur ei in hoc sæculo quoad culpam, ideoque obnoxius erit in futuro sæculo æternis suppliciis, per oppositionem ad alia minus gravia peccata, quæ remittuntur quoad culpam in præsenti sæculo, et quoad pœnam, tum in hoc tum in futuro. Ex his disjicitur, quod demum objiciebatur, inferri, scilicet peccata leviora in præsenti vita remitti, graviora autem in altera; ex data enim modo expositione patet, istud minime sequi.

709. II. *Obj.* Scripturæ medium hunc expiationis statum constanter excludunt; ac 1° quidem in iis omnibus locis, in quibus vel duarum dumtaxat animarum sedium fit mentio, ex. gr. Matth. XXV, 34 et seqq.: ***Venite benedicti, possidete regnum ... discedite maledicti in ignem æternum***, vel perpetuitatis immutabilis status alterius vitæ, ut Eccles. IX, 10: ***Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas;*** et clarius, cap. XI, 3: ***Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem... ibi erit.*** 2° Ita duplicem ab obitu statum esse docent, ut illico ad alterutrum animæ mittantur. Sic Luc. XVI, 22: ***Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.*** Ita etiam, ibid. XXIII, 43, Christus pio

1) Cf. Maldon. *Comm. in Evang.* in cap. 12, 32. S. Matth.

2) Sic enim ipse scribit in cap. 3, 29. S. Marci: *Ἁμάρτημα in versione Alexandrina respondet Hebræorum vocabulis* חַטָּאָה et עָוֹן, *quæ non tantum peccatum indicant, ut* חַטָּאָה Gen. 31, 36, עָוֹן *Exod.* 28, 38, *sed etiam peccati pœnam, ut* חַטָּאָה *legitur Zach.* 14, 19. עָוֹן Psal. 40. (41) 13. *quo posteriori loco* LXX, *habent ἀνομία, de peccati pœnu,* etc.

latroni immediatam gloriæ consecutionem promisit; et, Joan. V, 24, idem Christus credenti in se promittit vitam æternam: *Et transit a morte ad vitam*; iis vero, qui in Domino moriuntur, Apoc. XIV, 13: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis*, græce: *Ex nunc, illico*, etc. 3° Scripturæ medium illum statum excludunt iis omnibus in locis, in quibus summa meritorum Christi efficacia commendatur, qui *una oblatione*, ut dicitur, Heb. X, 14, *consummavit in sempiternum sanctificatos*, ita ut aliis precibus aut suffragiis opus non sit; etenim *Sanguis J. C... emundat nos ab omni peccato*, ut ait S. Joan. I Epist. I, 7. Ergo.

710. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *prob. Dist.* Post extremum judicium, *conc.* ante illud, *subd.* quoad animas penitus purgatas, aut lethali culpa adstrictas, *conc.* quoad alias juxta dicta, *neg.* Et sic patet responsio ad primum Scripturæ textum.

711. Quoad alios textus, in quibus proponitur immutabilitas status, *dist.* Respectu meriti vel demeriti, *conc.* respectu solutionis debiti, si quod remanet, donec ad paradisum quilibet pertingat, *neg.* Ex illis enim objectis textibus solum evincitur, non dari amplius in altera vita locum ad ulteriora merita, nec ad resipiscentiam aut regressum, non autem non dari purgatorium, de quo ibidem non est sermo.

712. *Ad* 2m, *Dist.* Si nihil obstet, *conc.* si quid adhuc luendum supersit, *neg.* Cum enim nihil coinquinatum in cœlum intret, hinc, licet in statu gratiæ ex hac vita decedant, tamdiu tamen in purgatorio detinebuntur, quamdiu debitum non solverint *usque ad novissimum quadrantem.* Et ita explicari debent adducta Scripturarum testimonia de Lazaro, de pio latrone, ac de iis omnibus, qui debitis omnibus persolutis ex hac vita migrarunt aut in dies migrant.

713. *Ad* 3m, *Dist.* Christus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ejusque sanguis emundat nos ab omni peccato, per se, seu quoad valorem pretii, quatenus per modum causæ ac remedii universalis oblatus est, *conc.* quoad nos, *subdist.* si rite nobis applicetur per Sacramenta ac bona opera, *conc.* secus, *neg.* Quo sensu idem Apostolus dicebat: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi* (Coloss. I, 24.); alioquin, si nimis urgerentur illa Scripturarum testimonia, nec infernus daretur. Quoniam vero per pia opera ad vitam æternam obtinendam necessaria, ut suo loco ostendemus, non evacuatur crux Christi, ita nec per pœnas satisfactorias purgatorii.

714. Dices: Deus, Ezech. XVIII, 21 ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

715. *Resp. Dist.* Quoad reatum culpæ et pœnæ æternæ, *conc.* quoad reatum pœnæ temporalis, *subdist.* interdum, interve-

niente scilicet charitate aut contritione perfecta, *conc.* semper et in omni casu, *neg.* Alioquin ipsemet Deus non poposcisset pœnas a Davide aliisque peccatoribus, quos certe noxarum suarum pœnituerat. Et sic alia his similia testimonia exponi debent, quæ optime cum doctrina ac toto systemate catholico cohærent.

716. III. *Obj.* Doctrina Patrum est, 1° nullam dari in altera vita peccatorum remissionem. Sic inter cæteros S. Joan. Chrysost. ***Hom. II**, de Lazaro*, num. 2; ubi negat, posse quempiam, cum hinc decesserit, *commissa diluere;* et S. Hieronymus, lib. III, *In cap. V, Epist. ad Galat.*, ubi affirmat, in altera vita *unumquemque portare onus suum*, ita ut ibi non detur locus orationibus, quibus quis juvari possit, secus ac fit in hac vita. 2° Docent, nullum ibidem dari pœnitentiæ locum. Ita inter cæteros S. Cyprianus, *Lib. ad Demetrianum;* S. Ambrosius, *De bono mortis*, cap. II; S. Joan. Chrysostomus passim; S. Augustinus, *Epist. XCI* et *Tract. XLIX in Evang. S. Joan.* num. 10, ubi ait: *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur;* tum *De peccat. merit.* lib. II, cap. XXXIII, affirmat, peccata hic remissa non obesse post mortem. Quare S. Pater ita passim non sine aliqua hæsitatione de purgatorio loquitur, ut dubius semper de eo esse videatur; cum enim in *Enchiridio*, cap. LXVIII, verba Apostoli: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* de igne tribulationis hujus sæculi exposuisset, addit, cap. seq.: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est; et utrum ita sit, quæri potest.* Similia habet, *De civ. Dei*, lib. XXII, cap. XXVI, num. 4; ubi profitetur, se non redarguere *eos, qui Apostoli verba de igne purgatorii exponunt, quia forsitan verum est.* Imo *De peccat. mer.* lib. I, cap. XXVIII, cui consonat Auctor libri *Hypognosticon,* expresse affirmat, in alia vita *non esse ullum ulli medium locum.* Ergo.

717. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Doctrina Patrum est, nullam dari in altera vita remissionem peccatorum *lethalium* quoad culpam, *conc.* quoad pœnam, et juxta plures theologos *venialium* et quoad culpam et quoad pœnam, *neg.* Et sic explicari debent, quæ opponuntur ex S. Joan. Chrysostomo et S. Hieronymo, ut patet ex contextu ac scopo ipsorum, qui hic est, ut inducant peccatores ad resipiscentiam, et quidem tempestivam [1]).

1) Satis enim est, vel leviter S. Joan. Chrysost. contextum percurrere, ut ejus sensus apertissime appareat. Ait enim ibid. num. 3: „Si quem calumniatus es, si cui factus es inimicus, reconciliare, priusquam veniatur ad judicium. Omnia hic dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras; simul atque vero discesserimus illuc, non est postea nobis situm pœnitere, neque commissa diluere, etc." tom. I, p. 730, edit. Maur. Id ipsum dicatur de S. Hieronymo, qui loc. cit. exponit, duplici sensu vocem *onus* in Scripturis adhiberi, in bonam nempe ac in malam partem; et conclu-

718. *Ad* 2^m, *Dist.* Nullum dari pœnitentiæ locum, ita ut ex malo aliquis bonus fiat per conversionem et lethalium culparum remissionem, *conc.* ita ut pro peccatis præteritis ac prius dimissis satisfacere non possit, *neg.* Atque hac ratione exponendi sunt laudati Patres, Cyprianus, Ambrosius et Chrysostomus juxta nuper dicta [1]).

719. Prima vero, quæ objicitur, Augustini sententia, nullam præ se fert difficultatem, quum ipsemet adjecerit conditionem *si ea dignus est*, qua satis aperte ostendit retardari ejusmodi requiem, si ille, qui ex hac vita decedit, obstrictus debitis sit, quæ nondum exsolverit [2])

720. Ad alterum testimonium, quo affirmat, peccata hic remissa non obesse post mortem, *dist.* Si remissa sint et quoad culpam et quoad pœnam, *conc.* si quoad culpam tantum, vel *neg.* vel *subdist.* non obesse post mortem ad obtinendam cœlestem gloriam vel ocius vel serius, *conc.* nullo modo, *neg.* [3]).

721. Negamus denique, S. Doctorem cum hæsitatione de ipso purgatorio loqui, cum nemo fortasse ex antiquis S. Augustino apertius de purgatorio disseruerit, tum alibi tum potissime in integro libro *De cura pro mortuis*, nec non *Confess.* lib. IX, cap. XII, num. 32, ubi, loquens de funere matris suæ, inter cætera commemorat preces ad Deum fusas, *cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri;* tum subdit, cap. seq. num. 37: *Inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis . . . ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum, Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam*, etc.*; et Serm. CLXXII*, cap. II, alias XXXII, *De verbis Apostoli*, concludit, de suffragiis pro defunctis disserens: *Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia.* Dum igitur videtur dubius hærere, de qualitate pœnarum ac ignis præsertim purgatorii disserit; et ancipitem in *Enchiridio* et loc. cit. ex lib. *De civitate Dei* se prodit, utrum ex adducto Paulino dicto pœna ignis satis confirmari possit, et utrum locus ille de purgatorio intelligendus sit nec ne [4]).

dit sensum Apostoli esse, quod ille, qui conturbavit Galatas, *portabit pro hoc opere judicium, et consequenter pro suo labore mercedem.* Quid hic sit cum purgatorio commune, non video.

1) Satis et hic pariter est eorum contextum inspicere, quem solum brevitatis causa prætermittimus, cum agatur de re clarissima. Consulantur in loc. cit.

2) Agit hic de diversis animarum receptaculis, donec perveniant ad futuram resurrectionem in qua sola consequentur animæ justæ perfectam et adæquatam beatitudinem, et reprobæ completam damnationem: „Cum facta fuerit resurrectio, *inquit*, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora; quando cum corpore torquebuntur."

3) Disputat adversus Pelagianos, qui ex remissione peccati originalis per baptisma arguebant adversus Catholicos, nullam amplius pœnam in ipsorum hypothesi fore solvendam, cum tamen contrarium constet. Respondet autem S. Doctor, etiam sublato peccato, remanere pœnalitates in hac vita, quæ cessabunt in altera vita.

4) Cf. hæc ipsa S. Augustini loca.

722. Dum vero tum ab eodem S. Augustino tum ab auctore *Hypognosticon* dicitur, nullum dari post mortem locum medium, id affirmant in sensu Pelagianorum, quos oppugnabant, qui distinguebant, quod satis innotescit, inter regnum Dei et vitam æternam, hancque conferri dicebant infantibus sine baptismo decedentibus. Hinc patet, nullum inde infligi vulnus doctrinæ de purgatorio, quam propugnamus.

723. IV. *Obj.* 1° Nihil prohibet, quominus dicamus, persuasionem de purgatorio ac de suffragiorum utilitate ortam esse vel ex paganismo, vel 2° ex naturali quadam ac nobis insita pietate et amore in defunctos; unde illuc impellimur, ut eos bene valere cupiamus, aut in preces erumpamus ex suavi quadam illusione, vana tamen atque fallaci. Ergo.

724. ***Resp. ad*** 1m, ***Neg.*** Imo cum adeo constans ac universalis ejusmodi doctrina et praxis sit, ut ostendimus, cur potius dici non debet, gentes omnes ex primæva hominum fide eam accepisse, quæ quamvis postea apud ethnicos, prout in aliis doctrinæ capitibus plus minus contigisse novimus, erroribus permixta fuerit, in Dei tamen Ecclesia integra ac inviolata permansit? Ecclesia enim, seu vera Dei religio, si illius amplitudinem spectemus, ethnicismo anterior est. Ethnici, quod a progenitorum religione acceperant, erroribus suis ac vanis commentis eo turpius depravarunt, quo magis ab ea digressi sunt, non tamen ita, ut vestigia ac lineamenta antiquæ veritatis hic atque illic non retinuerint [1]). Nisi enim id pro certo habeamus, quod ex ipsa religionis ac paganismi historia tam præclare constat, neque hujus neque alterius cujuslibet persuasionis universalis ratio ullatenus reddi posset.

725. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Si sermo sit de privatis individuis, privatorumque precibus aut praxi, *trans.* si de publicis atque ab universa Ecclesia approbatis atque præscriptis, *neg.* Etenim ***quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur***, juxta auream S. Augustini regulam [2]). Quare non ex dulci ac inani mentis illusione, sed ex revelatione ac perpetua et constanti Ecclesiæ doctrina receptum est, ut preces ac suffragia pro defunctis offerantur. Quod hæc autem doctrina adeo congruat cum naturæ nostræ affectionibus, satis superque evincit, nullam religionem præter catholicam naturæ ipsi æque idoneam et accommodatam esse. Interim protestantismi doctrina dura est et abjecta. Dum enim christianismi integritatem corrumpit, pias omnes affectiones extinguit; vincula omnia, quæ inter mundum hunc visibilem ac invisibilem intercedunt, atrociter præcidit; illum dissolvit nexum, quo utraque

1) Cf. Baro de Starck, op. cit. p. 338, ac Pierre de Joux, op. et loc. cit.

2) *De bapt. cont. Donatist.* lib. IV, cap. 24, num. 31.

Ecclesia sive in terris militans sive in purgatorio patiens, inter sese conjunguntur; ac omnem demum viam intercludit, qua superstites erga propinquos et amicos pios sese ac liberales præbeant.

726. Quod vero spectat ad exceptiones, quæ fieri possent tum ex liturgiis tum ex satisfactionum inutilitate post dimissam culpam, eas partim solvimus in superiori propositione, partim disjicere contendemus, ubi de Sacramento Pœnitentiæ sermo erit.

ARTICULUS III.

De inferno.

727. Inferni nomine designatur status ille, in quo dæmones cæterique omnes, qui ex hac vita lethali peccato obstricti decedunt, æternum puniuntur. Inferni existentiam materialistæ omnes tum antiquiores tum recentiores inficiantur. Ejusdem vero æternitatem præter Origenistas, et eos, quos S. Augustinus generali appellatione *misericordes* vocat, Anabaptistæ et increduli pariter negant. Istis quamplures accesserunt ex Socinianis et Protestantibus, qui nullam aliam pœnam præter expiatricem agnoscunt [1]).

728. Mirabilis hinc dignoscitur in Protestantibus fidei varietas. Ideo enim ipsorum patres ab Ecclesia discesserunt, quod noluerint admittere nisi *solum ac purum infernum;* contra vero ipsorum filii, qui philosophi laudem assequi potius quam christiani inaniter satagunt, cœperunt negare inferni æternitatem, ut in ejus locum sufficiant *infernum temporarium* seu, quod idem est, *purgatorium;* et jam pugnant contra nos *pro solo purgatorio.*

729. Non tamen omnes, qui vel inferni existentiam vel ejus æternitatem impugnant, eadem ratione aut iisdem principiis dimicant. Sunt enim, qui cum incredulis quibusdam et Protestantibus censent, juxta Origenistarum placita, post diuturnam expiationem, tandem aliquando impios ad æterna gaudia admissum iri; sunt, qui cum Socinianis autumant, vel statim ab ipsorum obitu aut saltem post extremi judicii diem impios in nihilum fore redigendos; sunt denique, qui tantummodo rident qualitatem ac naturam pœnarum, quibus dicuntur reprobi puniri [2]).

730. Ut igitur in quæstione tanti momenti ea, qua par est, perspicuitate progrediamur, et illud hic præstandum est, quod in superiori articulo, de purgatorio disserentes, præstitimus;

1) Cf. Patuzzi, Ord. Præd. in erudito opp. *De futuro impiorum statu*, lib. III, cap. 1.

2) Cf. Feller, *Catéch. philos.* tom. III, art. 7, §. 475.

debemus nempe ea, quæ tanquam de fide stricte definita sunt, ab iis secernere, quæ salva fide in disputationem veniunt. Hoc igitur unum de fide est, dari infernum, seu destinata esse supplicia impiis, et hæc fore æterna, seu sine fine. Cætera omnia, quæ spectant sive ad locum sive ad horum suppliciorum vel pœnarum naturam, de fide non sunt. Etenim *nullo Ecclesiæ decreto*, ut scite post Vasquezium observat Petavius [1]), *adhuc obsignatum videtur, neque ulla in synodo sancitum illud est*, scilicet vel ignem esse corporeum, vel suppliciorum locum esse sub terra, ubi cruciantur dæmones et homines damnati. Certe veteres in diversas abiisse sententias circa utrumque punctum præter Petavium [2]), fuse ostendit Calmet [3]). S. Augustinus autem, *De civ. Dei*, lib. XX, cap. XVI scribit: *Qui ignis cujusmodi et in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit* [4]).

731. Et hic profitemur nos adhærere sententiæ in Ecclesia communiter receptæ circa harum pœnarum, quæ positivæ dicuntur, naturam et qualitatem; quæ nempe est de igne materiali et corporeo. Hæc enim doctrina certa est, ita ut in dubium absque temeritate vocari nequeat [5]). Ne tamen, agendo cum incredulis et rationalistis, quæ dogmatica stricte sunt cum aliis, quæ non eumdem certitudinis gradum obtinent, simul permisceamus, hic nobis sufficiet dogma catholicum adstruere. Duo autem præstabimus: *primo* doctrinam catholicam in revelatione contineri; *secundo* hanc doctrinam sanæ rationi nullatenus adversari ostendemus. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Dæmonum et hominum impiorum pœnæ æternæ sunt.

732. Fidei dogma esse pœnarum æternitatem, quibus dæmones ac damnati cruciantur, patet ex anathemate, quod inflixit Concilium œcumenicum V, origeniano errori, ita se habenti: *Temporanea esse dæmonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac dæmones in priorem suum statum restitutum iri* [6]); nec non ex

1) Petav. *De Angel.* lib. III, cap. 5, num. 7; Vasquez, *In I Part. S. Th.* disp. 243, cap. 1. Cf. etiam Estius, *In IV Sent.* dist. 44, §. 12 et 13. Vid. Feller, loc. cit.; nec non P. Kleppé S. J. *Exposition de la doctrine chrét.* Strasbourg, 1716, pag. 704, *Catéch.* de Bossuet, etc.

2) Loc. cit.

3) *Comment.* in cap. 9, S. Marc. tum in cap. 7, 19, Eccl. Qui tamen sibi parum constare videtur.

4) Animadvertit tamen Estius loc. cit. §. 12, in fine, S. Augustinum passim docere, ignem damnatorum vere esse corporeum; dum propterea in loco hic adducto affirmat, neminem mortalium scire, cujusmodi sit ille ignis, magis de qualitatibus et modo urendi spiritus incorporeos, quam de specifica ejus natura, videri id accipiendum.

5) Cf. Patuzzi, *Diss. de sede inferni*, Venet. 1763.

6) Apud Nicephorum, *Histor. eccl.* lib. XVII, cap. 28. Et in Synodo VII, in

Symbolo Athanasiano, quod ita concluditur: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

733. Ex triplici porro Scripturæ locorum classe hæc fidei veritas adstruitur. 1° Ex iis omnibus locis, in quibus disertis verbis damnatorum pœnæ *æternæ* dicuntur. Talia sunt inter cætera ex V. T. illud, Dan. XII, 2: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam et alii in opprobrium, ut videant semper* [1]; et ex N. T. illud Christi Domini Matth. XXV, 41: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* concludit vero (v. 46) circa diversam justorum impiorumque sortem: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Ex quibus patet, non solum dici æternas impiorum pœnas, sed eo sensu vocari æternas, quo æterna vocantur justorum præmia; atqui proprio et stricto sensu, adversariis ultro fatentibus, æterna dicuntur præmia justorum; ergo et proprio ac stricto sensu æterna dicuntur impiorum supplicia, quæ cum illis conferuntur.

734. Altera Scripturarum classis ea omnia testimonia complectitur, in quibus æternitas pœnarum reproborum exprimitur per *negationem finis.* Tale præsertim est, quod legitur Isaiæ LXVI, 24: *Et vermis eorum* (damnatorum) *non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Ad hæc autem Isaïæ verba alludens S. Joan. Baptista, Matth. III, 12, de Salvatore ait: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem* (impios) *comburet igni inextinguibili.* Sed apertius adhuc idipsum prædicat Christus ipse, Marc. IX, 42 et seqq.: *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur!* quod ut altius hominum mentibus infigeret, et secundo et tertio repetit. Jam vero, si nec impiorum vermis unquam morietur, si nunquam extinguetur eorum ignis, qui propterea *inextinguibilis* dicitur, evidens est adversus Socinianos, vere æterna fore impiorum supplicia; nec integrum corporis et animæ exitium *æternitatis* voce, ut ipsi autumant, designari.

qua, actione I, hæc habentur: „Sanctæ venerabilis quintæ Synodi, quæ Constantinopoli congregata est, communi et universali submissi sunt anathemati Origenes et Theodorus Mopsuestiæ.... de eo videlicet.... quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus quatuor Patriarchis." In *Actis Conc.* Harduini, tom. IV, col. 66.

1) Juxta Hebr. et vers. Alex. *in contemptum æternum* seu *confusionem æternam, εἰς αἰσχύνην αἰώνιον.* Sane עוֹלָם æternum vertit Syriacus interpres, Arabs, *ignominiam æternam,* Vatablus et Pagninus in contemptum *æternum,* Marinus in *Lexic.* cum aliis vertit in durationem doloris *æternam.*

735. Tertia demum classis iis omnibus textibus constituitur, in quibus traditur, nullum post hanc vitam dari pœnitentiæ locum aut nullam veniæ obtinendæ spem, sed *immutabilis* plane sicut justorum ita et impiorum status perhibetur. Pervulgata porro est illa Ecclesias. sententia, ubi, agens de futura bonorum et malorum conditione, dicit, cap. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Luculenta pariter sunt Christi verba, Matth XII, 32: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro;* seu, prout legitur Marc. III, 29: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum; sed reus erit æterni delicti.* Idipsum dicatur de iis locis, in quibus reprobi vocantur *vasa iræ et contumeliæ, vasa iræ apta in interitum*; aut in quibus dicitur: *Ira Dei manet super illos; regnum Dei non consequentur;* ac licet misericordiam quærant, Christus sit eis responsurus: *Nescio vos;* aliaque prope innumera, quæ sive veterum sive recentiorum Origenianorum *ἀποκατάστασιν*, seu novam sortem vel restitutionem impiorum ad cœlestes sedes plane subvertunt.

736. His accedit perpetuus et constans totius traditionis et Ecclesiæ Catholicæ sensus. Vix enim Origenianorum commentum de temporariis impiorum pœnis prodiit, dum illico omnes Ecclesiæ Patresque omnes illud exhorruerunt et anathemate perculerunt. Patres enim si consulamus, sive qui ante Origenistas vixerunt, sive qui iisdem suppares fuerunt, reperiemus eos eamdem doctrinam semper professos esse. Ita Clemens Rom., Justinus Mart., Theophilus, Tertullianus, Minucius Felix, Irenæus, Cyprianus, Julius Firmicus, Hippolytus unanimes sunt in *pœnis sempiternis*, *igne inextinguibili*, *tormentis sine modo aut ullo termino*, *æterno igne*, etc. asserendis [1]). Nos unius aut alterius testimonia dabimus, ne longiores simus. Itaque Clemens Rom.: *Immortales*, inquit, *omnes animæ sunt et impiorum; quibus melius foret non in incorruptibilibus esse. Nam pœna sempiterna ab inextinguibili igne punitæ, neque morientes, magno suo malo, nullum finem obtinere possunt* [2]). Justinus Mart.: *Quem* (diabolum) *in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius et hominibus, qui eum sequuntur, in æternum puniendos, Christus ante significavit* [3]). S. Irenæus: *Quibuscumque*, inquit, *dixerit Dominus: Discedi-*

1) Cf. Petav. *De Angel.* lib. III, cap. 8. Cf. etiam apud. Coteler. tom. I, pag. 547.

2) *Ἀθάνατοι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ, καὶ τῶν ἀσεβῶν· αἷς ἄμεινον ἦν μὴ ἀφθάρτους εἶναι· κολαζόμεναι γὰρ ὑπὸ τοῦ ἀσβέστου πυρὸς ἀπεράντῳ τιμωρίᾳ, καὶ μὴ θνήσκουσαι ἐπὶ κακῷ τῷ ἑαυτῶν τέλος λαβεῖν οὐκ ἔχουσι.* Cit. a Damasc. apud Petav. ib.

3) Apolog. I, cap. 28. *Ὃν (τὸν διάβολον) εἰς το πῦρ πεμφθήσεσθαι μετὰ τῆς αὐτοῦ στρατιᾶς καὶ τῶν ἑπομένων ἀνθρώπων, κολασθησομένους τὸν ἀπέραντον αἰῶνα, προεμήνυσεν ὁ Χριστός.*

te a me maledicti in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati; et quibuscumque dixerit: Venite benedicti .... hi semper percipiunt regnum, et proficiunt [1]). Tertullianus: *Enim vero*, ait, *nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timentes*, etc. [2]). Eleganter demum, ut alios prætercam, Minucius Felix ejusmodi tormenta describit: dicens: *Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt; sicut ignes Etnæ montis et Vesuvii montis et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexosa corporum laceratione nutritur* [3]). Ex his igitur habemus, pœnas impiorum *æternas*, *sine fine*, ac *semper* duraturas, et conferri cum æternis justorum præmiis. Quod attinet ad Patres reliquos, eorum loca indicare satis erit, qui vel confutant origenianum commentum, vel ipsum inter hæreses numerant, ut Hieronymus, Augustinus, aliique passim [4]).

737. Quare, hac Ecclesiæ fide freti, strenui Christi martyres tyrannis sæva quæque tormenta minitantibus, nisi idolis litassent, respondebant, se ad tantum facinus numquam adigi posse, ne incurrerent *pœnam perpetuam*, ut legitur in actis S. Julii, vel ne irent *in æternum interitum*, vel ne incurrerent *æternum supplicium*, vel ne mitterentur *in ignem æternum*, ut habetur in actis S. Felicitatis ejusque filiorum; quia diis sacrificantes *tormenta manebunt æterna*, ut in passione S. Maximi, et in actis SS. Domninæ et Theonillæ; quia *mortis æternæ mercedem et inexplicabiles sine termino cruciatus* apostatæ acquirent ut in actis S. Victoris; qui propterea tormenta tyrannorum vocabant *unctiones* et *refrigeria* ad ignem inextinguibilem vitandum, ut in actis SS. MM. Claudii et Asterii; quibus similia occurrunt in actis SS. Patritii, Agapis, Chioniæ, Irenis, SS. Tarachi et Probi, etc. apud Ruinart et Bollandistas.

738. Nec admodum difficile esset ostendere, in idem dogma de æternitate pœnarum universum conspirasse genus humanum. Verum cum eruditi viri diversarum gentium monumenta collegerint, ideo ad ejusmodi auctores, qui hæc fusius pernoscere voluerint, remittimus. De Hebræis scripsit Bartoloccius [5]), de Mahumedanis Marraccius [6]), de græcis poëtis et philosophis

1) *Cont. hæreses*, lib. IV, cap. 28, alias 47, num. 2; vid. etiam lib. V, cap. 27, num. 1.
2) *Apolog.* cap. 45.
3) In *Octav.* cap. 35.
4) Cf. Apud Patuzzi, opp. cit. lib. cit. cap. 15 et seqq.
5) *Biblioth. rabbinic.* in *Diss. de inferno.*
6) In *Refut. Alcorani.* Cf. etiam Hottingerus, tom. I. *Hist. eccl.*

Gutherus [1]), de Romanis Montfaucon [2]). De Chaldæorum, Persarum et Assyriorum sententia perinde ac Ægyptiorum præter Zendavesta testes sunt Tacitus [3]) et Diodorus Siculus [4]). Quod vero spectat ad reliquos populos sive septentrionales sive americanos, plura documenta suppeditat inter cæteros Patuzzi [5]). Adeo ut verum sit, quod recte non ita pridem animadvertit anonymus quidam inter Protestantes, religionem christianam nihil novi hac in parte in mundum intulisse, si excipias medium hactenus ignotum, per quod scelestissimi quique vel in ipsa mortis extrema periodo ab his æternis pœnis se eripere possint, ac cœli compotes ac hæredes fieri [6]).

DIFFICULTATES.

739. I. *Obj.* Frustra congeruntur Scripturarum testimonia ad adstruendam pœnarum æternitatem. Vel enim accipienda sunt de æternitate proprie dicta, et tunc exponi debent de totali destructione impii, quæ pœna utique æterna est, qua in perpetuum impius a gloria excluditur, quod sane aperte innuunt voces, quibus in Scripturis impiorum damnatio significatur, *mortis*, scilicet, *perditionis* et *interitus*, quæ destructionem indicant. Vel accipienda sunt de æternitate impropric dicta, et tunc de diuturniori vel breviori duratione suppliciorum pro diversitate meritorum debent intelligi, prout tot innuunt Scripturarum testimonia, in quibus *æterna* ea dicuntur, quæ nonnisi de longiori tempore usurpantur; quo sensu *in æternum* concessa dicitur Chananitides Hebræis; in *æternum* item firmatum iri solium David, etc.; quo sensu, ut cætera mittam, scripsit S. Judas, Epist. v. 7: *Sicut Sodoma et Gomorrha.... factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*, cum tamen nonnisi ad breve tempus ignis ille perduraverit. Quæ posterior expositio eo magis præferenda videtur, quod et cum priori de destructione saltem post datum tempus consentiat, et simul pœnarum diuturnitatem pro culparum diversitate conjungat. Ergo.

740. *Resp. Neg. antec. Ad prob. Neg.* Tum quia ejusmodi expositio nova est et contraria sensui traditionali omnium Patrum et totius Ecclesiæ, tum quia apertam vim infert adductis Scripturæ textibus, qui loquuntur de pœna *positiva*, quæ significatur per vocabula *ignis*, *tenebræ exteriores*, *stridor dentium*, *vermis*, *sitis*, etc., minime vero de sola negatione aut privatione gloriæ.

1) Apud. Græviam, tom. 12, *Thesaur. antiquit. Rom.* Lugd. Batav. 1699, in *Diss. De jure manium*, pag. 1077.
2) *Antiq. illustrat.* tom. v, Paris 1719, pag. I, chap. VII, descriptio infernalium suppliciorum, etc.
3) *Hist.* lib. v, cap. 5.
4) *Biblioth. historicæ*, lib. II, sect. secunda, edit. Laur. Rhodomani, Hanoviæ 1604, pag. 65 et seqq.
5) Op. cit. lib. III, cap. 18, ubi plura documenta afferuntur.
6) In opusc. *Quelques réflexions sur la maxime chrétienne: Hors de l'Eglise il n'y a point de salut. Par un ministre protestant*, Paris 1827.

741. Neque eam expositionem evincunt voces *mortis*, *perditionis* et *interitus*, quasi per eas insinuetur totalis destructio. Declarant enim eædem Scripturæ, quo sensu hæ voces usurpentur, sensu nempe translato. Etenim a Christo, Joan. XVII, 12, Judas dicitur *Filius perditionis*, ita tamen, ut de eo ibid. affirmet: *Melius erat, si natus non fuisset.* Quare autem vero, nisi ob æterna supplicia, quæ ipsum in altera vita manebant? Sic pariter Apostolus, II Thess. I, 9, de infidelibus ait: *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini.* Si pœnas dabunt, et quidem æternas, profecto in interitu non destruentur; sed ad promerita supererunt supplicia. Sic demum, Apoc. XXI, 8, legitur: *Timidis et incredulis et execratis .... pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; hæc est mors secunda.* En igitur quo sensu futura sit impiorum mors, quænam perditio et interitus! quibus vocibus reprobatio impiorum significatur, tum nempe ad designandam perpetuam Dei amissionem, qui vita animæ est, tum ad exprimendam summam illam ac irreparabilem calamitatem, in quam reprobi incident.

742. Sed neque secundo loco prolata Scripturarum testimonia evincunt, eodem latiori sensu illa, quæ de æternitate pœnarum attulimus, esse intelligenda. Ex substrata enim materia, ut aiunt, quæ æternitatem proprie dictam non patitur, et ex aliis Scripturæ locis aperte constat de diuturniori tantum tempore objecta testimonia esse accipienda. Contrarium vero prorsus constat in casu nostro, uti ex adductis probationibus manifestum fit; in iis enim semper opponitur æternitas pœnarum æternitati gaudiorum; ac præterea conceptis verbis pœnæ illæ dicuntur *sine fine*, *sempiternæ*, ignis futurus declaratur *inextinguibilis*, *vermis non morietur*, nullus ibi erit pœnitentiæ locus, etc. Quæ omnia terminum omnem excludunt.

743. Ad illud, quod objicitur de igne, quo consumptæ sunt Sodoma et Gomorrha, *Dist.* Si spectetur ignis ille in se, *conc.* si spectetur, prout erat figura ignis æterni, *neg.* Scilicet eo sensu æternus dicitur ignis ille, quatenus civitates illas delevit, earumque incolas in perpetuum ex viventium societate eripuit; vel, si magis placet, quatenus ignis ille perpetua sui vestigia in illis absumptis civitatibus reliquit. Quare fuit figura ac imago illius æterni ignis, quo in perpetuum impii apud inferos cruciabuntur. *Critici sacri* ita hunc locum exponunt: *Illud incendium vocatur ignis æternus, vel quia irreparabile est et semper duraturum, cujus vestigia hodie supersunt, mare mortuum, fumans*, etc. *vel 2° metonymice, eo quod typus fuerit ignis æterni, in quem isti a temporali incendio transmissi sunt. Incendium considerat* (S. Judas) *ut pœnam adhuc durantem, et quæ præsignificaret sequentem vindictam ignis æterni in inferno, qui solus dicitur αἰώνιον πῦρ in aliis omni-*

bus locis, *ut Matth. XVIII*, *8*, *et XXV*, *41*; *Apoc. XX*, *10* [1]).

744. Hinc posterior pariter rejicitur adversariorum expositio, quæ, ut ex dictis constat, non solum omni vel levissimo fundamento destituitur, sed aperte atque omnino Scripturis adversatur.

745. I. *Inst.* Atqui Scripturæ 1° sæpe negant divinam ultionem æternam fore; etenim Ps. LXXVI, 8, dicitur: *Numquid in æternum projiciet Deus?* et Ps. CII, 8 et 9: *Miserator et misericors Dominus...non in perpetuum irascetur*, *neque in æternum comminabitur.* 2° Aliquis præterea in Scripturis, reprobis jam pœnis addictis, promittitur exitus; sic Ps. XLVIII, 16: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi*, et alibi passim. 3° Docent Scripturæ, ita rependenda esse impiis supplicia, ut culpas inter et pœnas proportio servetur; ut Apoc. XVIII, 7: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit*, *tantum date illi tormentum et luctum;* et apertius, Marc. XII, 40, de Pharisæis dicit Christus: *Hi accipient prolixius judicium;* quæ falsa essent, ubi æternitas pœnarum proprie dicta semel constitueretur. 4° Profecto, nisi ita res se haberet, inquiunt, falsum esset, quod Apostolus tradit, ad Rom. scribens, magis Christum hominibus redemptione sua profuisse, quam nocuerit Adæ peccatum, cum multo plures damnentur. Ergo.

746. *Resp. Ad* 1^m, *Neg.* Allatæ enim omnes Scripturarum auctoritates loquuntur de hominibus adhuc in præsenti vita degentibus, ut ex ipsarum contextu constat; ut omittam unanimem Patrum et interpretum expositionem. Non enim sine gravi temporis jactura singulæ perpenderentur.

747. *Ad* 2^m, *Neg.* pariter ad propositum nostrum spectare aliam Scripturarum classem, cum de liberatione ab angustiis, quibus David premebatur, in iis sermo sit, ut omnes rectæ exegeseos regulæ postulant.

748. *Ad* 3^m, *Dist.* Docet Scriptura servandam proportionem inter culpam et pœnam quoad acerbitatem, *conc.* quoad diuturnitatem seu durationem, *neg.* Eodem enim sensu accipiendi sunt adducti textus, quo, Sap. VI, 7, dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur*, et, v. 9: *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Duratio siquidem pœnarum ubique, ut vidimus, prædicatur æterna, sine fine, perpetua, etc.

749. *Ad* 4^m, *Dist.* Si Apostolus institueret comparationem inter Christi redemptionem et ruinam per Adam illatam quoad salvandorum aut damnandorum numerum, *trans.* si de intrinseca virtute, efficacia atque utilitate redemptionis Christi relate

1) Cfr. *Synops. Critic. sacr. in N. T.* vol. IV, in hunc loc. Vid. etiam *Crit. sac.* tom. IX, in hunc eumdem locum. Inter quos criticos Grotius ipse, qui non parum Socinianis favet, concludit, quod *sensus sit*, *eas urbes incensas instar exhibere ignis æterni*, *qui impios expectat.*

ad nocumenta, quæ intulit peccatum Adæ, *neg.* Significat igitur heic Apostolus, Christum nos non solum ab Adæ culpa, quam hæreditate contraximus, sed præterea ab innumeris prope actualibus peccatis liberasse, et cum fœnore nobis restituisse quidquid in Adam amisimus. Ast, si effectum redemptionis quoad extensionem spectemus, longe minus late patet Christi redemptio quam Adæ peccati effectus ob plures causas extrinsecas, quas expendimus, cum dissereremus de Christi morte pro omnibus. Licet enim Christus pro omnibus mortem obierit, atque abunde satisfecerit, cum tamen passionis ipsius fructus non applicetur nisi illis, qui crediderint, qui mandata servaverint, qui in ipso manserint, omnesque ab eo præscriptas conditiones adimpleverint, idque non omnes præstent, ideo scriptum legimus: ***Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*** [1]; tum: ***Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit***, aliaque ejusmodi. Ac revera Paulus ipse, quem nobis objiciunt, I Cor. VI, 9 docet, neque fornicarios, neque idolis servientes, neque adulteros, neque fures, neque avaros, neque alios ejusmodi nefarios homines regnum Dei esse possessuros. Cum igitur gratis omnino, imo falso prorsus et contra apertam Scripturarum auctoritatem, supponant adversarii, omnes aliquando homines Christi redemptionis participes futuros, perperam concludunt, damnatorum pœnas finem tandem habituras esse, ut suam statuant *ἀποκατάστασιν*, seu omnium restaurationem.

750. II. *Inst.* 1° Quanquam Deus in Sacris Literis pœnas æternas verbis sat disertis atque perspicuis comminatus fuerit, non tamen sibi ademit facultatem moderandi decretum suum. Quemadmodum humani principes aut legumlatores, etsi pœnas gravissimas ac perpetuas sæpe decernant, non sibi propterea potestatem adimunt veniam reis concedendi, aut pœnarum severitatem temperandi. Poterit ergo Deus supremo hoc suo do-

1) Matth. VII, 21. Quæstio agitari solet inter theologos, utrum major sit electorum an reproborum numerus, præsertim ex Catholicorum cœtu; et alii in alias sententias dilabuntur. Bergier, *Traité de la vraie religion*, et *Dict. de Théol.* ad vocem *Elu*, animadvertit adversus incredulos, qui inde occasionem nacti sunt oppugnandi religionem christianam, tot esse hac in parte doctorum hominum discrepantes sententias, ut integrum de iis volumen confici possit. Ecclesia nihil unquam circa hoc punctum definivit, imo profitetur se electorum numerum ignorare, dum Oratione secr. Dom. I, Quadrag. sic Deum orat: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Propterea nonnisi conjecturis ducuntur, qui pro alterutra dimicant opinione. Nobis satis sit affirmare, eos omnes fore salvandos, qui divinæ gratiæ cooperantur, quæ nulli deest; eos fore damnandos, qui eidem reluctantur, ut propriis indulgeant cupiditatibus. Cæterum cf. Bergier loc. cit. nec non egregium opus, cui tit. *Tesori di confidenza in Dio*, Pinerolo, 1831. præsertim pag. 2; in quo docte expenduntur, quæ perperam ad parvum electorum numerum stabiliendum afferri solent.

minio uti, et damnatis tandem ignoscere, eosque ab æterno supplicio liberare. Ita passim Clericus [1]). Tilotzonus autem, ut integram servet divinam veracitatem, in suis commentationibus subdit: Hoc enim versatur inter promissiones ac minas discrimen observatione dignum, quod promissor jus alteri tribuit adversum seipsum, adeo ut juxta justitiæ regulas et fidelitatis promissis stare teneatur, verique nominis injuriam irroget, si ea exacte non impleat. Non eodem modo se res habet quoad illum, qui comminatur. Jus enim in ipso permanet minus exequendi, vel etiam non exequendi, quod comminatus est, ac citra alicujus injuriam potest non uti jure suo, ac debitum integrum remittere. Neque deest hujus divinæ agendi rationis exemplum in Scripturis. Jussu siquidem Dei citra expressam ullam conditionem Jonas propheta prædixit impiæ civitatis Ninives excidium post dies quadraginta obventurum: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*, quin tamen eversa sit, prout prædictum fuerat. Quidni ergo sperare liceat, Deum quidem denunciare hominibus æterna supplicia, quæ tamen non sit irrogaturus [2])? Concludendum est igitur, non posse ex Scripturis, utut perspicuis, certo colligi pœnarum æternitatem, nosque ignorare, quemnam fortasse modum minis a se factis apponet piissimus Deus, qui licet delinquentes punire debeat, nulla tamen lege eo rigore punire adstringitur, quo minatus est; sed ex arbitrio et libertate sua pœnam, saltem ex parte condonare potest [3]).

751. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Deus potest pœnas æternas relaxare, si decretum de pœnis æternis inferendis esset tantum comminatorium, *trans.* si sit absolutum, *neg.* Jam vero textus a nobis allati in probationibus perpetuo nobis exhibent decretum Dei absolutum inferendi pœnas æternas impiis. Christus enim in extremo judicio dicet his, qui a sinistris ejus erunt: *Ite maledicti in ignem æternum... et ibunt hi in supplicium æternum*; ita alibi passim, ut vidimus, *sine fine* hæ pœnæ dicuntur, etc. Cum igitur ex una parte habeatur sententia definitiva, ex altera perhibeatur executio juxta latam sententiam, jam patet, frustra sibi adblandiri adversarios nostros de fine, quem nunquam habituras ejusmodi pœnas, conceptis verbis Scripturæ ipsæ testantur. Eo igitur sensu tantummodo potest dici comminatorium Dei decretum, quod hæ pœnæ comminatæ sint viventibus, ut ad meliorem frugem redeant; quod si secus faciant, atque in statu peccati lethalis ex hac vita decedant, ex comminatorio decretum fit absolutum, ac incolumi Dei veracitate immutari jam nequit, prout Ecclesia a Deo edo-

1) Præsertim *Bibliothèque choisie*, tom. IX.

2) *Serm.* XXXV. apud Patuzzi, loc. cit. cap. 9 et 10.

3) Ibidem.

cta nullo non tempore Dei verba intellexit. Atque hac ratione tota corruit machina, quam adversarii moliebantur.

752. Ad illud vero exemplum, quod ex Ninive petebatur, responsio in promptu est; omnia enim adjuncta illius vaticinii comminatorii luculenter ostendunt, ipsum non fuisse nisi conditionatum; quod et ipse Jonas intellexerat, qui propterea fugerat in Tharsum, ne tanquam falsus propheta haberetur. Talia fuerunt missio prophetæ ad excidium denunciandum, prodigium patratum in ipsius prophetæ reluctantis persona, ut vim adderet suæ prædictioni, quadraginta dierum spatium interpositum inter denunciationem comminatæ pœnæ ejusque executionem; prout optime pariter intellexerunt Ninivitæ, qui ideo ad pœnitentiam redierunt, et veniam idcirco obtinuerunt. Ex comminatorio autem et conditionato hoc decretum transiisset in absolutum, nisi ab impietate sua Ninivitæ resipuissent; prout revera in absolutum transiit decretum de delendo universo humano genere aquis diluvii post annos 120. Neque enim est Deus quasi homo, ut mentiatur, aut filius hominis, ut mutetur. Hinc ruit inepta Clerici conclusio, quæ ex gratuitis ac falsis præmissis deducitur.

753. III. *Inst.* Saltem negari nequit aliquod fundamentum præfatæ Scripturarum expositioni, ac proinde aliquid spei damnatis præbere, quæ I Cor. XV, 22 et seq. leguntur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur... Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus... Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ex quo textu apertissime hæc habentur, 1° *omnes* vivificandos esse in Christo ad vitam et ad gloriam, sicut omnes per Adam mortui sunt et corpore et anima per peccatum, ideoque et impios; 2° *novissimam* destruendam esse mortem, id est, mortem secundam, nempe impiorum, de qua loquitur Joannes, Apoc. XX, 14; demum 3° *omnia* subjicienda Deo esse, ita ut Deus in *omnibus* omnino regnaturus sit per gratiam et gloriam. 4° Quæ omnia confirmantur tum ex iis, quæ scribit idem Apostolus, Coloss. I, 19: *In ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ex quibus liquet, omnia demum per Christum esse pacificanda, scilicet et homines, qui sunt *in terris*, et dæmones, qui sunt *in cœlis*, qui propterea ab eodem Apostolo vocantur rectores tenebrarum harum, nequitiæ in cœlestibus. 5° His demum novum robur accedit ex iis, quæ dixit S. Petrus, Act. III, 21: *Quem* (Christum) *oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis*

(græce *ἀποκαταστάσεως*), *omnium*, id est, donec omnes tollantur, tum in Angelis tum in hominibus, peccati et pœnæ reliquiæ. 6° Hæc prorsus congruunt cum iis, quæ, Apoc. XX, 5, scribit S. Joannes de resurrectione prima, quæ locum habebit ante judicium, quæque proinde necessario supponit resurrectionem secundam, a morte scilicet secunda, cujus idem Joannes meminit, v. 14, ad quam dæmones et impii damnati erant; adeo ut merito scribere potuerit, ibid. XXI, 5: ***Et dixit**, qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia*, id est, omnia renovo et in pristinum statum restituo. Ergo.

754. ***Resp. Neg.*** *Ad antecendentis* 1m *illationem*, ***Dist.*** Sanctificandos in Christo omnes electos, de quibus solis hic loquitur Apostolus, *conc.* reprobos, de quibus hic ne verbum quidem, ***neg.*** Sensus enim istius textus Apostoli est, Christum post suam a mortuis resurrectionem velut primitias sanctorum suscitandorum semetipsum obtulisse Deo Patri. Etsi vero Christus caput nostrum, Ecclesiam suam Deo obtulerit, et nunc etiam offerat continuo, nondum tamen ipsa a morte et mortalitatis conditione libera est, nondum a dæmonum insidiis tuta, nondum perfecte sancta. Adhuc enim ex aliqua parte, id est, in quædam membra dominatur peccatum, adhuc in ipsa grassatur diabolus, mors et mortis miseriæ sæviunt. Tunc autem, id est, in futura generali resurrectione Christus eam ab omni prorsus hoste liberam, plane sanctam, omnino beatam et penitus gloriosam exhibebit Deo. Quare, *cum evacuaverit omnem principatum*, id est, cum aboleverit Christus omnem potestatem dæmonum, qui nunc fideles lacessunt, cum plene a mysticis membris suis omne peccatum sustulerit, *novissima inimica destruetur mors*, id est, post diabolum victum, post peccatum destructum, mors, quæ una est ex inimicis Christi, annihilabitur per generalem scilicet et gloriosam sanctorum resurrectionem [1]). Tunc demum Christus ut homo cum omnibus suis, id est, Christus caput Ecclesiæ cum omnibus mysticis membris suis subjicietur Deo, Deumque gratus adorabit, laudabit et glorificabit in æternum, *ut sit Deus omnia in omnibus*, quatenus integrum Ecclesiæ triumphantis corpus Deus possidebit, et possidebitur ab eo; et sic Deus a fidelibus possessus erit illis omnia, eorum perfecta beatitudo, omniumque desideriorum finis et complementum.

755. Ex his, quæ ex ipso loci objecti contextu eruimus, patet, *illationes* reliquas, nempe 2m et 3m, plane concidere atque

1) Cf. Bernardinus a Piconio, *Tripl. Expos.* in hunc loc. Pulchre ait S. Joan. Chrysost. *Hom.* XXXIX. *in I Epist. ad Cor.* n. 4: *Πῶς ἔσχατος; μετὰ πάντας, μετὰ τὸν διάβολον, μετὰ τὰ ἄλλα ἄπαντα. Καὶ γὰρ καὶ ἐν ἀρχῇ ἔσχατος εἰσῆλθε· πρότερον γὰρ ἡ συμβουλὴ τοῦ διαβόλου, καὶ ἡ παρακοή, καὶ τότε ὁ θάνατος.* „Quomodo novissima? Post omnes, post diabolum, post alia omnia. Etenim etiam in initio intravit novissima. Prius enim diaboli consilium et inobedientia, et tunc mors."

evanescere, nec diutius ad eas convellendas tempus perperam terendum esse.

756. *Ad* 4m, *Neg.* hic agi de reconciliatione hominum et dæmonum; sed agitur de reconciliatione inter Deum et homines, qui erant a se invicem aversi propter peccatum, quod Christus per mortis suæ sacrificium penitus sustulit; unde, sublata inimicitiarum causa, cœlum et terra pacificata sunt. Quod constat ex verbis immediate sequentibus: ***Et vos, cum essetis aliquando alienati et inimici... nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem***, etc.

757. *Ad* 5m, *Neg.* vel *dist.* Id est vel renovationis cœli et terræ post universalem resurrectionem et extremum judicium, seu mundi finem, *conc.* id est, restitutionis impiorum, quam adversarii autumant, *neg.* Hunc porro esse sensum germanum verborum Petri, non solum declarat ipse contextus, et catholici omnes interpretes tradunt, sed vel ipsi recentiores biblici protestantes admittunt. Alloquitur enim ibidem S. Petrus Judæos, quibus persuadere contendit, J. C. esse Messiam a prophetis promissum, asseritque ipsum oportere in cœlis regnare (non autem in terris, ut perperam sibi persuaserant carnales Judæi), donec cætera impleantur a prophetis prænunciata circa Evangelii propagationem, et Ecclesiæ vicissitudines et triumphum, id est, usque ad mundi finem ac resurrectionem generalem et finale judicium, in quo et justi completam beatitudinem et impii completam damnationem, id est, una cum resumptis corporibus, pro meritorum diversitate assequentur [1].

758. *Ad* 6m, *Dist.* Fit mentio resurrectionis *primæ*, id est, beatitudinis, quam justi consequuntur ante resurrectionem secundam, in qua demum habebunt beatitudinem completam et adæquatam, *conc.* resurrectionis primæ in ordine ***ad mortem secundam*** impiorum, *neg.* Alioquin S. Joannes non dixisset de reprobis: ***Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum***, ibid.; XX, 10; et, commemorata morte secunda, non addidis-

1) Ernestins, *Opusc. theolog.* pag. 477: „Quid sit, *inquit*, *κατάστασις*, de eo dissensere omni tempore interpretes, et in explanando etymologiam potius verbi et lexicorum vulgarium auctoritatem secuti sunt, quam Scripturas ipsas audiverunt: suntque nonnulli ad fanaticas opiniones prolapsi.“ His subscribit Kuinoel, qui præterea addit: „Vox *ἀποκατάστασις* significat emendationem, restitutionem in pristinum statum, mutationem in meliorem conditionem... Hæc autem vocabuli notio parum conveniens est huic loco, cum sermo sit de vaticiniorum eventu. Sed *ἀποκατάστασις* notat etiam perfectionem, absolutionem, consummationem, quæ significatio contextui apprime congruit... Petrus autem per *τοὺς χρόνους τῆς ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν, κ. τ. λ.* per tempus, quo omnia perficientur, absolventur, omnia eventum habebunt, quæ prædixerunt prophetæ, intellexit inaugurati regni Messiani et eventa, quæ eum præcedent, latiorem doctrinæ Christi propagationem, resuscitationem mortuorum, judicium extremum, etc. Cfr. *Act.* I, 6; *Matth.* XVII, 11. Sensus ergo omnino est: Usque ad finem mundi.” *Comment. in lib. Nov. Testam. historicos*, vol. IV, in hunc loc., ubi aliorum plurium recentiorum expositiones referuntur, quæ omnes huc collineant.

set: *Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus*, *missus est in stagnum ignis* (v. 15.).

759. Quod vero additur: *Ecce nova facio omnia*, dictum est quoad eos, *qui vicerint*, seu quoad electos, non autem quoad reprobos, qui mittendi sunt in stagnum ignis [1]).

760. II. *Obj.* Ex antiquioribus Patribus juxta Petavium [2]) *pauci* Origeni assensi sunt, docenti futuram aliquando liberationem diaboli ejusque satellitum a pœnis, quibus premuntur, easque finem habituras esse; *plures* vero ei assensi sunt quantum ad damnatos homines spectat, et alii quidem *plenius*, alii *levius* et quasi cunctanter. Ita præ cæteris ex Græcis, Gregorius Nyssenus passim, nec non Gregorius Nazianzenus; ex Latinis autem S. Hieronymus pluribus in locis, S. Ambrosius, Ambrosiaster, Auctor nempe qui sub ementito S. Ambrosii nomine, Commentarios edidit in Epist. ad Rom. et in Epist. ad Ephes. His addi possunt S. Justinus et S. Irenæus, quorum prior in *Dialogo cum Tryphone*, n. 5, aperte docet animas impiorum puniri, *quamdiu eas esse et puniri Deus voluerit* [3]); alter vero, *Contra hæreses*, lib. II. cap. LXIV, pariter asserit, animas non secus ac res cæteras *perseverare*, *cum eas Deus et esse et subsistere voluerit* [4]). Ergo.

761. *Resp.* 1° *Trans. antec. neg. cons.* Unius enim vel alterius Patris auctoritas infirmare nullo modo potest argumentum, quod ex communi cæterorum Patrum consensu et constanti ac perpetua Ecclesiæ traditione et fide conficitur.

762. *Resp.* 2°, *Dist.* Et iidem Patres si pravi quidquam scriptis suis ex Origenis lectione intexuerunt, eodem Petavio teste [5]), illud identidem emendarunt, *conc.* in illa sententia perstiterunt, *neg.* Profecto vel ipse Origenes, *Hom. VII in Exod.* scribit: *Audi de peccatoribus et iis*, *qui præsens sæculum diligunt*, *quæ sit prophetæ sententia*: *Vermis enim*, *inquit*, *eorum non morietur*, *et ignis eorum non extinguetur. Isti sunt vermes*, *quos generat divitiarum cæca cupiditas*, etc. [6]). Porro, si avarorum cæterorumque peccatorum vermis juxta Origenem non moritur, neque ignis extinguitur, pœna debet esse perpetua.

763. S. Gregorius Nyssenus, cujus tamen opera ab Origenistis interpolata fuisse, Germanus, Nicephorus, Photius aliique contendunt [7]), in Oratione adversus eos, qui castigationem ægre ferunt, hæc scribit: *Misera* (anima) *tum suæ se temeritatis vehementer accusans*, *lugensque ac plorans et ge-*

1) Cfr. Bossuet, *L' Apocalypse avec une explication*, chap. xx. œuvres, tom. II, edit. Liège, 1766.

2) *De Angel.* lib. III, cap. 6 et 7.

3) Ἔστ᾽ ἂν αὐτὰς καὶ εἶναι καὶ κολάζεσθαι ὁ Θεὸς θέλῃ.

4) In edit. autem Maur. lib. II, cap. 34, num. 4.

5) Ibid. cap. 8, §. 10.

6) N. 6. Cf. Huetius, *Origen.* lib. II, quæst. 11, §. 23.

7) Apud Patuzzi, op. cit. lib. III, cap. 17, §. 12 et seqq.

mens in locum quemdam tristem tanquam angulum abjecta permanebit, luctu nunquam finituro ac insolabili in æternum pœnas luens [1]); atque, ***Orat. V. De Beatitudinibus: Quis***, inquit, *extinguet flammam? Quis avertet vermem nunquam morientem* [2])? Quæ quidem aperta sunt adeo, ut nullam dubitationem circa ipsius mentem relinquant.

764. Nec minus ea sunt aperta, quibus S. Gregorius Nazianzenus sua sensa promit, ***Orat. XV***, ubi de damnatis hæc scribit: ***Hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia, istud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant*** [3]). Addit ibid. damnatis ***nullum locum esse pœnitentiæ neque morum correptioni*** [4]).

765. S. Hieronymus passim doctrinam catholicam profitetur de æternitate pœnarum omnium damnatorum indiscriminatim, tum nempe infidelium, ut omnes fatentur, tum fidelium seu Christianorum. Etenim, ***In cap. V, Isaiæ*** expendens illa verba: ***Dilatavit infernus animam suam***, inter cætera ait: ***Qui sæculi deliciis occupati, nec respicientes opera Dei... detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent et humilitate mutari.*** Quod si alicubi videtur finem aliquem Christianorum pœnis indicare, vel dicendum est, ipsum ex aliena sententia hæc protulisse, ut ipsemet testatur se sæpe fecisse [5]), vel locutum de peccatoribus levioribus culpis obstrictis, aut si de iis, qui gravioribus peccatis commaculati erant, de iis disserit, quos suorum delictorum ante mortem pœnituerit [6]).

766. Luculenta pariter sunt, quæ scribit S. Ambrosius de æternitate pœnarum. Etenim catholicam hanc veritatem profitetur, ***Enarr. in Psalm. CXVIII***, ubi ait: ***Scientes igitur in æternum mansura judicia omnia justitiæ Dei, caveamus***

1) *Ἀθλία τότε πολλὰ τῆς ἀβουλίας ἑαυτὴν καταμεμφομένη, οἰμώζουσα δὲ καὶ ὀδυρομένη, καὶ στένουσα, καὶ σκυθρωπῷ τινὶ τόπῳ, οἷον γωνίᾳ προσεῤῥιμμένη διατελέσει, τὸν ἄληκτον ὀδυρμὸν καὶ ἀπαραμύθητον εἰς αἰῶνας ἐκτίνουσα.* pag. 746, tom. II, edit. Paris 1615. Plura alia collegit luculentissima ejusdem S. Patris testimonia Patuzzi, loc. cit.

2) *Τίς κατασβέσει τὴν φλογα; τίς ἀποστρέψει τὸν ἀτελεύτητον σκώληκα;* tom. I, pag. 810.

3) *Τοῖς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων, βασανος· μᾶλλον δὲ πρὸ τῶν ἄλλων, το ἀπεῤῥίφθαι Θεοῦ καί ἡ ἐν τῷ συνειδότι αἰσχυνη, πέρας οὐκ ἔχουσα.* n. 30. p. 230.

4) *Ἡνίκα κολάσεως καιρος, οὐ καθάρσεως.* Ibid. n. 25.

5) Lib. 1, *Contra Ruffinum*, testatur Hieronymus, *se in commentariis, ut se habet lex et consuetudo commentariorum, multa ex aliorum sententia non approbando, sed referendo tantum dixisse.* Quod et repetit in *Præf. Comment. in Jeremiam.* Quare merito Cl. Vallarsius ad Hieronymi verba, quæ leguntur in Comm. in cap. 64, Isaiæ: „Porro, qui volunt supplicia aliquando finiri, et, licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis, *etc.*" adnotat: „Plane igitur injuriosi in Hieronymum sunt, qui eum consentire calumniantur illis, qui terminum habitura malorum hominum tormenta somniant et probare conati sunt. Liquet enim, non suo illum sensu, sed tantum ex commentatoris officio testimonia in eam partem heic recitare."

6) Cf. Patuzzi, op. cit. cap. 11.

ne opera nostra displiceant, *et in æternum incipiamus subire judicium.* Ita loquitur alibi sæpe [1]). Dum igitur loquitur de fine pœnarum, quas incurrunt peccatores, id asserit de iis, qui adhuc in hac vita degunt, nulla vero ratione de addictis jam pœnalibus suppliciis alterius vitæ [2]).

767. Etsi possemus prætermittere Ambrosiastrum, utpote exiguæ auctoritatis scriptorem; attamen et ipsum admittere cum cæteris pœnarum æternitatem, liquet ex iis, quæ leguntur apud eum, in cap. II, Epist. ad Rom. ubi post hanc vitam nullum superesse pœnitentiæ locum disertissime inculcat.

768. S. Justinus in objecto loco disputat de animorum immortalitate, contenditque eos minime eadem immortalitate frui, qua Deus ipse pollet; sed eos habere immortalitatem communicatam et dependentem a Deo; ideoque subdit: *Cruciari animas impiorum*, *quoad eas cruciari et esse vult.* Cum vero Deus velit eas semper *esse*, cum immortales natura ipsas condiderit, hinc pariter vult eas semper *cruciari.* Quod in *Apol. I*, absque ambage declarat, dicens: *Qui autem improbe vivunt*, *nec immutantur*, *eos igne æterno credimus puniri* [3]).

769. Eodem sensu locutus est S. Irenæus, ut patet ex scopo, quem sibi proponit. Cæterum ipsum tenere impiorum pœnas æternas, evidenter ostendunt ea, quæ tum in eodem capite habet, tum in præcedenti, ubi inter alia scribens de iis, quibus dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, absolute subdit: *Isti erunt semper damnati* [4]).

770. *Inst.* Saltem aliquod levamen in iis pœnis potest damnatis provenire ex orationibus viventium; quod 1° nonnulli Patres insinuant [5]), et 2° non pauca missalia, quæ collegit Joan. Lamius, in quibus Missa refertur ad postulandum a Deo, saltem *ut tolerabilia fiant ipsa tormenta.* 3° Hæc autem consuetudo ab ea non differt, quam adhuc servat Ecclesia græca, teste Renaudotio [6]). Ergo.

771. *Resp. Neg. antec. Ad* 1^m Dico, si qui sint Patres, qui hoc asserant, quod tamen non immerito alii negant [7]), non ex peculiari unius vel alterius sensu dijudicandum esse de Ecclesiæ doctrina, sed ex unanimi aut communi ipsorum consensu, præsertim ubi ipsis cæteri adversantur, et, quod caput est, adversatur Ecclesiæ praxis, quæ profecto, teste Augustino, nun-

1) Cf. ibid. cap. 17, §. 16 et seqq.

2) Ibidem.

3) *Κολάζεσθαι δὲ τοὺς ἀδίκους, καὶ μὴ μεταβάλλοντας ἐν αἰωνίῳ πυρὶ πιστεύομεν.* num. 21; alibi sæpe eadem inculcat, imo adstruit adversus ethnicorum irrisionem, in *Apol.* II, num. 9.

4) Cap. 28, num. 2, edit. Massueti, alias cap. 47, Cap. autem 40. cit. edit. num. 1 et seqq. ex professo adstruit, præmia et supplicia æterna pro diversitate meritorum a Deo præparari.

5) Apud Petav. *De Angel.* lib. III, cap. 8, §. 18.

6) *Perpétuité de la foi*, tom. V, lib. VIII, chap. 10.

7) Cf. Patuzzi, op. cit. lib. III, cap. 12, §. 11 et seqq. Cf. etiam Sinsart, Ord. S. Ben. *Défense du dogme catholique sur l' éternite des peines*, etc. Paris 1748.

quam consuevit pro damnatis orare [1]); prout ipse Petavius animadvertit [2]).

772. *Ad* 2m, ***Resp.*** Missalia, quæ levissima quadam jactantia protulit Lamius, uti ostendit Zaccaria, nonnisi pauca sunt; et probabilius nunquam, ne in ipsis quidem particularibus Ecclesiis, ad quas pertinuisse dicuntur, in usum deducta fuerunt; nec nisi post annum 890 conscripta sunt a quibusdam monachis, quum Adrevaldius, Floriacensis monasterii Abbas, in diœcesi Aurelianensi novum fecerat jussum, ut preces pro damnatis ad Deum funderent, *quatenus, etsi perpetuis non merentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctarentur a districto judice pœnis* [3]).

773. *Ad* 3m, ***Resp.*** Ecclesiam græcam recentis ævi nullius auctoritatis esse, siquidem cum in pluribus aliis erraverit, in hoc etiam errare potest. Ipso fatente Lamio [4]), Græci in hac parte a vetustioribus sacrisque Ecclesiæ institutionibus longe abscedunt [5]).

PROPOSITIO II.

Dogma de æternitate pœnarum rectæ rationi minime adversatur.

774. Si dogma de pœnarum æternitate revelatum a Deo est, ut ostendimus, evidens est, ipsum cum recta ratione pugnare non posse, ut sæpe alias animadvertimus. Sed præter hoc generale principium directæ insuper a theologis rationes afferri solent, quæ, sin minus ostendant ex uno rationis lumine æternitatem pœnarum peccatis gravibus debitam esse, evincunt saltem illam nullam involvere repugnantiam. Ut enim increduli demonstrare possent, dogma istud aliquam repugnantiam involvere, deberent ostendere peccato lethali, quod hominem avertit a Deo, ultimo ipsius fine, talem pœnam tum *privativam* tum *positivam* convenire non posse; atqui tantum abest, ut id increduli efficiant, ut nec pauca neque levia momenta contrarium potius evincant.

775. Pœna enim *privativa*, quam *damni* vocant, quæque consistit in perpetua amissione felicitatis, ad quam homo conditus est, sponte sua quodammodo exoritur ex ea vivendi ratione, quam sequutus est reprobus, dum viveret; est insuper et

1) *De civ. Dei*, lib. XXI, cap. 24, num. 1.

2) Loco jam citato.

3) Cf. prolixa nota apposita ad loc. cit. Petavii. Vid. pariter de hoc argumento erudita dissertatio Franc. De Berlendis, Cler. reg. *De oblationibus ab altare*, §. 3, num. 11, pag. 81 et seqq. Venet. 1743.

4) In *Hodæporico*, pag. 313. De hoc autem sublestæ fidei auctore cfr. *Lettere di Atromo Traseomaco calabrese*, Venez. 1741.

5) Cf. ipse Renaudotius, loc. cit. ubi, prolatis diversis Græcorum recentiorum absonis doctrinis circa animarum statum post hujus vitæ interitum, concludit: „Telle est la théologie des Grecs modernes, et il est aisé de prouver que l'ancienne Eglise n'a rien enseigné de semblable," prout reipsa ibid. ostendit.

ipsa una ex iis necessariis et generalibus connexionibus, quæ intercedunt inter causas et effectus [1]). Cum enim potuisset ac debuisset, quamdiu in vivis agebat, per bona opera ad beatam vitam, quæ in summo bono posita est, contendere, per prava opera volens libens, tanto bono in perpetuum nuncium remisit, ac sese in eum statum projecit, in quo amissam semel felicitatem recuperare non potest, non aliter ac si quis se oculis privaret, etiam si æternum viveret, æternum cæcus esset.

776. Atque hinc patet, sponte enasci adversus ejusmodi hominem pœnam positivam necessario æternam, intrinsecam nempe, cujusmodi est horror conceptus ex deformitate subversionis, in ipsum illatæ majori vel minori criminum suorum numero et fœditate, afflictio summa ex bono amisso et desperatio illud nunquam recuperandi, quæ quidem afflictio in immensum augetur ex comparatione cum iis, qui, cum pares olim sibi essent, æternam ac plenam felicitatem adepti sunt; ad hæc acerbus animi stimulus, qui exurgit per se ex patratis sceleribus, quique veluti vermis, ut loquitur Evangelium, non morietur, sed perpetuo delinquentem excruciabit; aliaque ejusmodi, quæ non solum fides docet, sed et recta ratio suadet. Concludendum igitur est, dogma de æternitate pœnarum hac ratione expositum, ad severiorem fidei normam non solum nihil præ se ferre, quod sive cum notione divinorum attributorum sive cum recta ratione pugnet, sed præterea nihil in eo esse, quod cum iisdem attributis et cum recta ratione non apprime congruat.

777. Demum præter has pœnas privativas et positivas intrinsecas, ex illis necessario orituras, aliis extrinsecis, quas *cruciatus* appellamus, torqueri reprobos debere, suadet pariter recta ratio ipsa; quæ docet, sontem iis esse plectendum, quibus dum viveret abusus est, quibusque sibi damnationem meruit. Ut enim arguit S. Thomas: *Sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala; sed illi, qui recte agunt, in fine ab eis intento percipiunt perfectionem et gaudium; e contrario ergo debetur hæc pœna peccantibus, ut ex his, in quibus sibi finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum. Hinc est quod divina Scriptura peccatoribus comminatur non solum exclusionem a gloria, sed etiam afflictionem ex aliis rebus. Dicitur*

1) Hinc Leibnitzius, *Syst. theol.* pag. 338: „Quotiescumque anima, *inquit*, e corpore discedens, in statu est peccati mortalis; adeoque male affecta erga Deum, sponte quadam sua (quemadmodum pondus semel abruptum neque ab externa causa denuo retentum atque exceptum) in exitii baratrum delabitur, atque a Deo abalienata, sibi ipsi damnationem irrogat... usque adeo, ut pii quidam viri sentiunt, tantum esse damnatorum odium erga Deum, ut nolint ad gratiam ejus confugere, ac vel ideo æternam sibi infelicitatem accersant prorogentve, eoque minus mirari debemus justi judicis severitatem, neque ad Origenis clementiam devenire necesse est, *etc.*"

enim, Matth. XXV: Discedite a me maledicti in ignem æternum, et in Psalm. X: Pluet super peccatores laqueos; ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum [1]).

778. Addere demum præstat, Deum absque his pœnis æternis hominum generi non satis consuluisse præsidiis efficacibus, ut ipsum in officio contineret, et ad ardua, cum opus esset, impelleret. Sublata enim pœnarum æternitate, homines ita sunt animo comparati, ut in cupiditatum præsertim æstu cætera quæcumque motiva parvi pendant. Homini enim cupiditatibus vehementibus abrepto, quidquid æternum non est, nihil est, ut quotidiana experientia constat.

DIFFICULTATES.

779. I. *Obj.* Dogma de æternitate pœnarum pugnat cum divina misericordia; pugnat cum divina clementia; pugnat denique cum divina æquitate atque justitia; ergo nullo modo ferri debet.

780. *Resp. Dist.* Dogma istud pugnat cum his attributis prout concipiuntur ab incredulis, seu prout hæc sibi gratuito ipsimet animo fingunt, *conc.* prout illa vere in Deo sunt, et accipi debent, *neg.* Itaque increduli judicant de re sibi prorsus incomperta, ad hoc enim, ut ostenderent pœnas æternas pugnare cum recensitis Dei attributis, deberent ante omnia definire, quid speciatim exigant, quid refugiant hæc Dei attributa; quod cum præstare nullo modo valeant [2]), corruit ex hac una consideratione tota moles, cui superstruunt increduli suas difficultates.

781. I. *Inst.* 1° Ea est omnibus insita ab ipso auctore naturæ Dei notio, ut sit infinite bonus atque beneficus pater, qui 2° nos filios suos ideo ex nihilo condidit, ut efficeremur tandem aliquando compotes sempiternæ illius felicitatis, cujus in corde nostro vehemens ac necessarium desiderium atque appetitum indidit. Si igitur ad hanc nullo unquam tempore *unicus* etiam *homo* non perveniret, finem sibi præstitutum Deus vel *in illo uno* non assequeretur; 3° ac vehemens ille, qui in nobis est, beatitudinis appetitus inanis esset; imo ad hoc tantum illum indidisse Deus censendus esset, ut homines magis magisque torqueret ac miseriores efficeret, quod de divina bonitate nefas est suspicari. Licet vero a possessione finis jure excludantur, plectanturque suppliciis homines, qui a recta via deflectunt, nec rectum servant ordinem, quem Deus ipsis servandum præfinivit; sapientis tamen optimique provisoris est, ut eosdem per istiusmodi pœnas ad tempus inflictas in viam rectam reducat, atque in eum ordinem restituat, quo

1) *Cont. gent.* lib. III, c. 145, num. 4. Feller, *Catéchisme philosophique*, loc. cit. §. 474 et seqq.

2) Cfr. Spedalieri, *Diritti dell' uomo*, lib. IV, cap. 12, §. 16 et seqq. Cfr. etiam

digni reddantur æterna felicitate, prout a summa Dei sapientia expectare necesse est. 4° Cum enim peculiarem curam gerat Deus de rationalibus creaturis, earumque felicitatem tanquam finem sibi præstituerit, eo modo de iis disponere debet, qui magis congruat ipsarum beatitati. Nemo autem ambigere potest, quin ipsarum bono magis congruat, ut defectus, si quos incurrerint, vel per gratiam vel per vindictam reparentur, utque ipsæ in eum statum restituantur, in quo suprema felicitate perfrui possint, quam ut perpetuo puniantur. Ergo pœnarum æternitas cum Dei bonitate, providentia ac sapientia pugnat, etc.

782. ***Resp. ad*** 1m, ***Dist.*** Est infinite bonus, at ea bonitate, quæ consistit in amore ordinis, justi et recti, *conc.* ea bonitate, quam sibi increduli fingunt, *neg.*

783. ***Ad*** 2m, ***Dist.*** Deus nos ex nihilo condidit, ut efficeremur compotes æternæ beatitudinis per eam viam ac per illa media, quæ Deus ipse constituit, *conc.* absolute, seu per viam, quam impii incedere volunt, *neg.* Desiderium porro beatitudinis, quod Deus nobis indidit, nos monet, ut virtutem sectemur, per quam solam ad illud desiderium explendum aliquando pervenitur, cum hujus desiderii complementum pendeat a conditione, quæ a nobis cum divinæ gratiæ ope ponenda est.

784. Sic Deus non assequeretur præstitutum sibi finem, si unicus etiam homo ad beatitudinem non perveniret, ***Dist.*** Finem particularem et proximum, qui consistit in æterna Angelorum et hominum felicitate, sub conditione assequenda, *conc.* finem generalem et ultimum, qui est ipsa gloria Dei, ut suo loco exposuimus, aut finem proximiorem, qui est bonum totius universi, quodque exurgit ex impiorum supplicio, *neg.* Porro Deus voluit Angelos et homines ad beatitudinem pervenire, dummodo illa præstent, quæ ad eam conducunt; alioquin, si se ea indignos reddant per legis transgressionem, sibi tantum id tribuere debent, si eam non consequantur. ***Si vis ad vitam ingredi***, ait Christus, ***serva mandata;*** item: ***Discedite a me operarii iniquitatis.***

785. ***Ad*** 3m, ***Dist.*** Inanis esset beatitudinis appetitus a Deo inditus, si potentia et præsidiis necessariis ad eam assequendam homines essent destituti, *conc.* si his mediis abundent, *neg.* Tunc scilicet inanis esset iste appetitus, si homines aut Angeli etiam faciendo quidquid ab ipsis per Dei gratiam exigitur, ad beatitudinem non pervenirent; minime vero, si eam reipsa assequantur recte iis præsidiis utendo.

786. Neque obstat, quod ingerunt, sapientis provisoris esse, ut per pœnas temporarias delinquentes ad ordinem revocentur, ex quo illi desciverunt; in hoc enim adversarii tanquam certum id sumunt, quod in quæstione est positum, utrum scilicet Deus teneatur creaturas ad illum ordinem revocare necne,

in quo felicitatem amissam recuperent, si ipsæ ex propria pravitate ab ea exciderunt. Teneturne Deus restituere oculos insano illi, qui eos sibi volens eruit [1])?

787. *Ad* 4^m^, ***Resp.*** 1° *Neg. suppositum*, ut constat ex dictis, cum Deus minime sibi proposuerit felicitatem creaturarum ut unicum finem. ***Resp.*** 2° ***Dist.*** Creaturarum felicitatem Deus sibi proposuit ut finem secundarium, subordinatum, et conditionatum, *conc.* ut finem primarium, ultimum et absolutum, *neg.* [2]).

788. II. *Inst.* Saltem nequit hoc dogma consistere cum divina pietate atque clementia. 1° Pietas enim sive misericordia est compassio alienæ calamitatis, et ad eam relevandam impellit. Clementia vero est quædam animi lenitas in pœnis irrogandis, movetque ad eas minuendas aut sublevandas. 2° Tantum porro abest, ut cum his virtutibus componantur æternæ pœnæ, ut potius Deum ipsarum auctorem sævum atque crudelem exhibeant. Etenim crudelem, ut inquit Bayle, ex innata quadam nostris animis pietate existimamus exhorremusque judicem aut principem, qui lento igne punit reum, ut diutius horrendus ille cruciatus perduret. Supremum, quod sontibus per judicum sententiam inferri solet supplicium, plerumque brevissimo absolvitur tempore; nec ulla civilium gentium auctoritas approbat, quod diutino tempore torqueantur, quos nece condemnant; et nemo est, qui non commoveatur, et non excandescat in carnificem, qui non uno tantum ictu, sed altero aut tertio vel quarto caput abscindat. Quanto igitur magis sævitiam præferret et crudelitatem Deus, si infelices damnatos sic plecteret, ut non unius aut alterius diei, sed æterno igne crementur? 3° Si huc accedat, ex communi omnium philosophorum consensu, æquum judicem in inferendis pœnis communem utilitatem sibi tanquam finem præstituere debere, juxta celebre illud effatum, quod Seneca laudat, ***De clementia***, lib. I: ***Nemo prudens punit***, ***quia peccatum est***, ***sed ne peccetur***, demonstratum jam ac certum est, non posse Deum in pœnis æternis infligendis sævitiæ notam effugere, quia non puniret reos ad emendationem ac correctionem, sed punitionem ipsam quæreret propter se, in eaque propter se delectaretur, cum nulli futuri sint in æternitate, qui ex reproborum pœnis utilitatem aliquam percipere possint. Ergo.

789. ***Resp. Neg. antec. Ad*** 1^m^, ***Dist.*** Ita tamen ut Deus illas erga omnes et semper et eadem ratione exercere minime teneatur, *conc.* ut erga omnes semper et eadem ratione teneatur eas exercere, *neg.* Aliud enim est in Deo has proprietates seu dotes inveniri, de quo dubitari nequit, aliud vero est earumdem exercitium et exercitii modus. Siquidem, ut præ-

1) Cf. S. Thom. loc. cit. cap. 71, num. 3. 2) Ibid. cap. 64; et lib. I, cap. 86.

clare observat S. Thomas [1]), ad hoc, ut tum severitas tum clementia virtutes sint, *secundum rectam rationem esse debent;* hinc, cum Deus jam pridem clementiam atque pietatem erga homines vel Angelos viatores exercuerit, juxta consilium sapientiæ suæ rectissimamque rationem, potest impios, nullum virtutum istarum detrimentum faciendo, in iis cruciatibus perpetuo deserere, in quos ipsi se conjecere, eorumque minime lenire dolores, qui sunt effectus necessarii vitæ anteactæ, juxta ea, quæ in probationibus dicta sunt.

790. ***Ad*** **2m**, ***Resp.*** **1° *Neg.*** Ad id porro, quod additur a justitiæ humanæ exemplo petitum, atque ex sola imaginationis nostræ ludificatione auctum, dico illud nimis probare; alioquin, si quid evinceret, sequeretur neque diu, ut Origeniani contendebant, et plerique ex adversariis nostris ultro contendunt, impios posse pœnas dare, sed vix unico temporis momento ipsorum cruciatus absolvi debere. ***Resp.*** **2° *Dist.*** Si hæc Dei cum ipsis agendi ratio delicti mensuram excederet, *conc.* si non excedat, *neg.* De Deo porro hoc sentire nefas est, qui in pœnis inferendis non solum nunquam prætergreditur mensuram seu modum, quem peccatorum gravitas exposcit, sed præterea neque hunc modum ad amussim attingit; quare receptum est illud in scholis effatum, Deum punire *citra condignum.* His addendum, nihil, ut diximus, ab Ecclesia definitum circa harum pœnarum naturam, quæ præter intrinsecas et necessario ex ipsa culpa profluentes, damnatis positive inferuntur. Hinc Bayle plus æquo suæ imaginationi indulgens, hæc ad dogma de æternitate pœnarum impugnandum frustra intorquet.

791. ***Ad*** **3m**, ***Dist.*** Censeretur crudelis judex humanus, cujus finis potissimum est, bonum exterius reipublicæ procurare ac subditos in officio continere, *conc.* Deus, *subd.* Si posset velle punitionem propter seipsam, *trans.* si ex amore justitiæ, in quo solum delectatur, et in quem tendit, *neg.* Optime S. Thomas: ***Est autem concedendum***, inquit, *quod pœnæ inferantur a Deo non propter se* (id est propter ipsas pœnas), *quasi in ipsis Deus delectetur, sed propter aliud, scilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum universi consistit... infligit igitur Deus pro quibusdam peccatis pœnas æternas, ut debitus ordo servetur in rebus, qui ejus sapientiam demonstrat* [2]). Alibi duplicem profert causam,

1) 2a, 2æ, q. 157. art. 2, ad 1m.

2) *Contra gentes*, lib. III, cap. 144. Grotius præterea, *De jure belli et pacis*, cap. 20, ostendit nullum habere locum quoad Deum hoc Platonis effatum, quod a Seneca adeo commendatur. Sic enim loquitur: „Nam homo ita homini alteri ipsa consanguinitate alligatur, ut nocere ei non debeat, nisi alterius boni consequendi causa. In Deo alia res est, ad quam Plato dictam sententiam male extendit. Dei enim actiones niti possunt ipsi summi dominii juri, præsertim ubi meritum speciale accedit, etiamsi finem nullum sibi proponat extra ipsas, ita ut, cum impium punit, non alio fine hoc faciat, quam ut puniat, seu puniendo justitiam demonstret, etiamsi ad neminem exemplum pertineat."

ob quam pœnas æternas in statu æternitatis minime inutiles fore ostendit: *Sunt enim*, ait, *utiles ad duo*: *primo ad hoc, quod in iis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam, unde Gregorius, lib. IV Dialogorum: Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscunt*, etc. [1]). Addo et hanc difficultatem evanescere, si ea accurate perpendantur, quæ in probationibus attulimus.

792. At, inquiunt, ea est pœnarum natura, ut ad resipiscentiam tandem et correctionem reum adducant. Quis porro sibi persuadeat, Deum, adeo misericordem et clementem, nullo pietatis sensu erga miseros permotum iri, nec eorum auditurum gemitus et clamores, ut veniam sceleribus concedat?

793. *Resp.* 1° Perperam supponere adversarios, hujus salutaris resipiscentiæ capaces esse reprobos, qui, utpote in termino constituti, meriti ac demeriti incapaces sunt, gratia præsertim privati, quam ipsis Deus dare non tenetur. 2° Eosdem perperam item supponere, omnes pœnas medicinales esse, et ad correctionem delinquentis infligi, cum sæpe ad instaurandum perturbatæ justitiæ ordinem infligantur.

794. III. *Inst.* Negari demum non potest ejusmodi dogma adversari divinæ justitiæ. Etenim juxta immutabilem justitiæ legem sua debet esse inter culpam et pœnam proportio aut æqualitas, ut scilicet nemo amplius puniatur, quam meritum ejus exposcit; atqui nulla est, nec intelligi potest proportio aut æqualitas inter culpam momentaneam aut temporariam et pœnam sempiternam; ergo injurii Deo sunt, qui hujusmodi pœnas ab illo inferendas existimant, *omnemque destruunt divinæ æquitatis ideam* [2]). Ergo.

795. *Resp. Neg. antec. Ad probat. dist.* Nulla est proportio aut æqualitas, spectato tempore peccati et pœnæ duratione, *conc.* spectato reatu culpæ et pœna inflicta, *neg.* Duplex enim spectari debet proportio aut æqualitas inter culpam et pœnam: altera, quæ exurgit ex persona lædente et persona læsa; et ex hac parte, ut mox dicemus, proportio servatur inter culpam lethalem et pœnam æternam; altera, quæ inter majorem vel minorem delicti gravitatem et inter majorem vel minorem pœnæ acerbitatem consistit, et in hac pariter servatur proportio. Nulla autem requiritur inter durationem peccati et pœnæ inde consequutæ; alioquin furtum, adulterium, homicidium aliaque ejusmodi scelera non deberent nisi uno temporis instan-

1) *Supplem.* quæst. 99, a. 1, ad 4^{m}.

2) Ita auctor operis, cui titulus: *Religion essentielle.*

ti puniri; cum tamen certum ac receptum sit in societate ipsa politica, illa perpetuo quandoque carcere vel exilio, quandoque etiam morte ipsa mulctari, in qua non occisionis tempus spectandum, sed perpetua potius e viventium societate ablegatio, quæ pœnæ divinitus inflictæ æternitatem adumbrat ac repræsentat. Falsum igitur est, quod assumebatur, vel injuriam Deo irrogari, vel destrui omnem divinæ æquitatis ideam ab iis, qui revelatione duce pœnarum æternitatem a Deo infligendarum propugnant.

796. IV. *Inst.* Atqui per hanc doctrinam omnis prorsus divinæ æquitatis notio destruitur: 1° Siquidem præcipua ratio, cur Catholici pœnis æternis delinquentes plecti debere autument, huic innititur principio: *Nunquam posse in damnatis cessare calamitatem, quia nunquam ipsi possunt cessare a malitia.* Quod tamen principium falsum esse multis argumentis patet. Docet enim recta ratio, posse semper creaturas cessare a malitia, quoniam vel destrui a Deo possunt, vel converti quolibet temporis momento; quod si a malitia revera cessare non possunt, hoc ipso cessant, quod cessare non possunt, sicut amentes, qui ideo peccare jam desinunt, quia vitare peccatum nequeunt. Sed dato, quod invecta per culpam subversio semper in damnatis perseveret, frustra inde colligitur et ipsam pœnam perseverare semper debere; 2° debitum quippe pœnæ extingui potest per *satispassionem*, ut vocant, ad quam non requiritur voluntaria acceptatio pœnæ, sed mera ipsius tolerantia, ut evincitur ex pœnis, quæ in delinquentes ab humanis judicibus inferuntur. Quanquam enim reus aut furti aut homicidii a prava voluntate non recedat, imo in ea constanter perseveret, ac pœnam sibi per leges inflictam iniquo animo subeat, non idcirco magis punitur, quam puniri meretur et solet, si, deprehensus in scelere, ejusdem statim pœniteat et illatam pœnam libenter sustineat. 3° Altera ratio, cur Catholici censent æterna pœna jure culpam lethalem puniri, petitur ex offensa vel injuria infinitæ malitiæ, quam peccator Deo irrogat; at neque hæc ratio magis solida est; tum quia non desunt catholici theologi, qui absolute negant injuriam proprie dictam per peccatum Deo irrogari, eamque, si reipsa irrogetur, neque subjective, ut aiunt, neque objective simpliciter esse infinitam seu infinitæ malitiæ; 4° tum præterea quia certum est, malitiam aut minui aut augeri pro majori minorive cognitione ejus, qui offendit; cognitio vero, quam nos de Deo habemus, adeo imperfecta et exigua est, ut pene nulla dici possit, ideoque et malitia peccati; 5° præsertim cum peccata nec Deo invito patrentur, cui propterea nulla fit injuria, juxta receptum a philosophis effatum: *Nullus patitur injustum volens*; 6° facultas vero peccandi non a peccatore, sed a Deo ipso sit, qui illam præbuit et conservat. 7° Adeo hæc hominum mentibus

alte insculpta sunt, ut propterea æternitas pœnarum, quæ prædicatur, vix conferat ad delinquentium numerum minuendum: neque enim honestiores probioresque Catholici sunt, qui ejusmodi æternitatem se credere profitentur, quam cæteri, qui ejusmodi dogma rejiciunt. Ergo.

797. *Resp. Neg. min. Ad* 1m, Etsi illa ratio ex iis sit, quæ a nonnullis theologis afferri solet ad ostendendam justitiæ divinæ æquitatem in reprobis puniendis, ea tamen nec sola nec præcipua est, eamque nos ne attigimus quidem. Sed hoc etiam dato, negamus, falsum esse ejusmodi principium in subjecta materia, dummodo rite intelligatur, neque contrarium evincunt, quæ ab adversariis allata sunt.

798. Quamvis enim in primis fieri possit absolute, ut dicitur, atque spectata Dei omnipotentia, ut ejusmodi reprobi vel converterentur vel destruerentur, videndum tamen superest, an Deus ad alterutrum teneatur, aut saltem velit; primum vero nunquam adversarii ostendent, eo ipso quod de Dei natura et attributis nonnisi imperfectam et inadæquatam cognitionem habeant; alterum vero scire non possunt nisi per manifestationem divinæ voluntatis; jam vero Deus revelatione contrariam suam manifestavit voluntatem. Aut igitur adversarii divinam revelationem admittunt aut rejiciunt; si rejiciunt, in summa versantur ignorantia; si admittunt, de contraria Dei voluntate omnino constat. Ergo nihil evincunt in qualibet hypothesi [1]).

799. Illud vero, quod subdunt, cessare reprobos a malitia hoc ipso quod cessare non possunt, concedi ipsis potest, si agatur de malitia *actuali*; ast falsum est, si sermo sit de malitia præterita, quæ jugiter et virtualiter perseverat. Ludunt igitur in verborum æquivocatione adversarii, dum autumant, juxta nos in perpetuum puniri damnatos, quia reprobi in damnatione detrusi semper actualiter peccant, quod tamen falsum est, quum talis minime sit sensus scholastici illius effati. Ideo autem theologi docent semper peccare damnatos, ac propterea semper puniri, quia virtualiter in ipsis perseverat perversa illa voluntas, quæ in illis, cum adhuc in vivis agerent, jamdiu inerat, per quam, Deo ultimo suo fine posthabito, adhæserunt tanquam ultimo fini creaturis, quæ quidem voluntas salutariter mutari in ipsis non potest, quia in termino constituti sunt, ex defectu gratiæ, quam Deus, ut diximus, conferre ipsis non tenetur, præsertim quod revelatione novimus, nunquam illum hanc ipsis esse daturum. Atque hinc responsio patet ad exemplum adductum amentis [2]).

1) Cfr. de hoc argumento Tertull. lib. *De resurr. carnis*, cap. 35.

2) Cf. Lessius, *De justitia et ira Dei*, ap. 25. num. 164 et seqq., ubi exponit, quo sensu effatum illud theologicum accipi debeat. Inter cætera, num. 165, scribit: „Etiamsi semper peccent (*damnati*), non tamen punientur ob illa peccata, cum sint extra statum merendi et demerendi; sed solum punientur propter ac-

800. *Ad.* 2^{m}, *Dist.* Si debitum ejusmodi naturæ sit, ut possit extingui, *conc.* si sit inextinguibile, *neg.* Porro ex dictis patet, nunquam posse per pœnam extingui debitum, quod reprobi contraxerunt per suam culpam, quæ jugiter perseverat. Cum autem pœna a Deo infligatur ad restituendam in pristinum subversam æqualitatem ordinis, quam culpa invexit, evidens est, ejusmodi æqualitatem seu justitiæ reparationem aliter induci non posse, nisi tamdiu rebellis creatura deprimatur per pœnam, quamdiu adversus Creatorem et ordinem ab eo constitutum insurgit per culpam, et tamdiu puniatur contra suam voluntatem, quamdiu per pravum affectum reluctatur Dei voluntati; cum vero hæc salutaris conversio absque gratia, quæ tamen ei non datur, fieri nequeat, sequitur, pœnam infligendam æternam fore. Atque hinc negatur paritas deducta ex exemplo humanæ justitiæ, cujus officium cum sit, ut politico tantum ordini ac quieti prospiciat, nec potest nec debet totum id removere, quod pravum ac inordinatum est [1]).

801. *Ad* 3^{m}, *Dist.* Rite intellecta, *conc.* perverso sensu, ut adversarii faciunt, *neg.* Negamus præterea ejusmodi rationem, ubi recto sensu accipiatur, solidam non esse. Quod si nonnulli theologi subtiles aliquot quæstiones excitarunt, utrum scilicet ad justitiæ rigorem injuria proprie dicta in Deum per peccatum irrogetur nec ne, aliasque ejusmodi, hæ minime officiunt rei substantiæ [2]); in eo autem omnes consentiunt, gravem offensam Deo per peccatum inferri, et hominem per grave peccatum averti a Deo ultimo fine suo, ac propterea sese reum æternæ damnationis constituere.

802. Verum parum interest, peccatum seu culpam neque subjective neque objective esse simpliciter infinitam. Neque enim ex eo singillatim inferimus æternitatem pœnarum, quod culpa infinitæ malitiæ sit, quod facile damus, sed potius ex eo quod voluntarie homo per culpam averterit se a Deo, ultimoque se fine privaverit, quemque ex se recuperare amplius nequit, nec Deus adjumentum ad ipsum recuperandum dare teneatur; ut si quis se e turri dejiciat, quantum ex se est, in eo statu se constituit a quo nunquam liberare se poterit.

803. *Ad* 4^{m}, *Dist.* Et ex hoc illud solum infertur, malitiam peccati, quæ augeri aut minui potest, non esse simpliciter infinitam, *conc.* non esse quadantenus infinitam, seu ut scholæ loquuntur, *secundum quid*, quæ proinde majorem aut mino-

tum peccati, quem fecerunt in vita, quem vellent se nunquam fecisse, et vehementer de eo dolent, quatenus tantorum malorum ipsis causa extitit, et si possent, omnibus modis cuperent pro eo satisfactionem justam exhibere. Quod autem semper peccent, id provenit ex desperatione, quia sciunt se nunquam liberandos, ac proinde jam supponitur pœna æterna propter solum actum præteritum decreta."

1) Cf. S. Thom. 1^{a}, $2^{æ}$, q. 87, a. 1 et seqq. nec non ibid. q. 72, a. 5.

2) Cfr. Vasquez, *Comment. in* 1^{a}, $2^{æ}$, S. Thom. Disp. 140, n. 19, Sed. vid. Lessius, *De divinis perfect.* lib. XIII. cap. 25 et 26.

rem gradum admittere potest, *neg.* Apposite S. Thomas ait: ***Peccatum..... infinitatem quamdam habet ex tribus: primo ex infinitate divinæ majestatis, in quantum offensa fuerat per contemptum inobedientiæ; quanto enim major est, in quem peccatur, tanto gravior est culpa,*** etc. [1]). Neque obest, quod personam offensam, scilicet Deum, non nisi imperfecta atque inadæquata ratione cognoscamus; satis enim est, ut sciamus ipsum esse finem ultimum, et per peccatum graviter offendi [2]), quod in omni lethali culpa supponitur.

804. *Ad* 5[m], ***Dist.*** Id est, Deo non resistente, seu non impediente, *conc.* positive consentiente, *neg.* Peccata profecto non patrarentur, si Deus ea non permitteret, aut si ea impediret. Verum ex eo quod Deus ea non impediat, minime sequitur, Deum in ea consentire eaque approbare. Ut enim effectus, qui omissionem subsequitur, seu ex ea provenit, sit alicui voluntarius, necesse est ut in omittente aut non impediente debitum aut obligatio sit non omittendi ac impediendi; hanc vero obligationem aut debitum Deo inesse, nunquam evincent adversarii; quin potius fines altissimos Deus habet peccata non impediendi, ut ex iis constat, quæ suo loco disseruimus [3]); ideoque nullum hic locum habet, quod objicitur effatum: ***Nullus patitur injustum volens.***

805. *Ad* 6[m], ***Dist.*** Id est, libertas, quæ in se bona est, et in bonum finem nobis est a Deo concessa, *conc.* quæ in se mala sit, aut data in malum finem, *neg.* Nam præter Dei intentionem homo abutitur dono, quo si divina opitulante gratia bene uteretur, æternam posset sibi felicitatem comparare, prout reipsa ad eamdem felicitatem adipiscendam ei fuit a Deo libertas concessa, ut superius ostendimus.

806. *Ad* 7[m], ***Dist.*** Ex defectu seriæ earumdem pœnarum considerationis, *conc.* ex defectu sui, *neg.* Per se enim, ut patet, efficacissimæ sunt ejusmodi comminationes ad homines in officio continendos, et sunt validissima divinarum legum sanctio; quod si homines ut cupiditatibus suis liberius indulgeant, ab iis mentem et cogitationem divertunt, quid mirum, si exiguus sit ipsarum effectus et fructus? Etsi ignis natura sua ad comburendum et ad calefaciendum comparatus sit, attamen, si vel materia ipsi non admoveatur, aut subtrahatur, profecto neque comburit neque calefacit: ***Desolatione desolata est omnis terra,*** inquit Propheta, ***quia nemo est, qui recogitet corde;*** et ***stultorum infinitus est numerus,*** ut ait Sapiens.

1) Tum p. 3, q. 1, a. 2, ad 2[m], tum in 3, Dist. 20, q. 1, a. 2.

2) Notum est, voces *offendi, offensionis*, in sensu translato accipi, præsertim cum de Deo sermo est, qui certe proprie non potest offendi peccatis nostris, sed eo sensu usurpari has voces, quatenus per legis transgressionem injuria Deo irrogatur, et quidam saltem virtualis Dei contemptus ostenditur, ut passim theologi post S. Thomam admonent.

3) Tract. *De Deo*, loc. cit.

807. Sane qui factum est, ut tot ex Catholicorum castris, in quibus, si secum ipsæ humanæ mentes pugnare nolint, peccatum et pœnarum æternarum comminatio componi non possunt, declinaverint, aut ad incredulitatem aut ad protestantismum sive hæresim, nisi ut liberius viverent, et a se excuterent tot conscientiæ stimulos? Cur tot in præsentiarum rationalismus progressus apud eosdem Protestantes facit? Hæc et non alia vera causa est.

808. Denique et illud addimus, adversariorum non esse judicium ferre utrum pauci, an plures ii sint, qui sempiterno gehennali supplicio exterriti meliores fiant, aut justi serventur, cum uni Deo id notum sit. Quin potius instituendo argumentum, ut vocant, *a minori ad majus*, dicimus, si tot tantaque patrantur scelera, non obstante validissima ejusmodi sanctione, hac sublata quid fieret [1]?

ARTICULUS IV

De statu decedentium absque baptismo.

809. De iis hic agimus, qui priusquam ad rationis usum perveniant, absque salutari lavacro ex hac vita decedunt. Tales sunt omnes infantes, aut qui ex infantiæ statu, licet adulta jam ætate, vel egressi non sunt, vel non egredientur ex defectu aliquo physico; cujusmodi sunt, qui vulgo *cretini* aut *maccones* nuncupantur, perpetuo amentes, etc. De reliquis enim adultis alibi recurrit sermo.

810. Porro de infantibus et de iis, qui infantibus æquiparantur, absque baptismo morientibus sancita hæc sunt a duobus Conciliis œcumenicis, nempe Lugdunensi II et Florentino: ***Credimus... illorum animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*** [2]. Ex quibus discimus, 1° de fide

1) Cfr. etiam quæ de pœnarum æternitate scripsit P. Rozaven, Soc. Jesu, *L' Eglise catholique justifiée ;* Lyon 1822, pag. 68 et seqq., quod opposuit cuidam neoterico Ecclesiæ russicæ scriptori Stourdza, quondam legato imperii apud Vimariam (Weimar) in circulo Saxoniæ. Hic enim auctor veritus non est, omnes verrere sordes Socinianorum et incredulorum ad infirmandum hunc fidei articulum. Attamen se membrum jactat Ecclesiæ dictæ orthodoxæ *(schismaticæ)*. Nec mirum est, cum enim in Ecclesia russica nullum jam subsistat principium unitatis, in iis præsertim quæ ad fidem spectant (siquidem in cæteris supplet gubernium), hinc plures pro libito dant principia lutherana, quandoque etiam sociniana tanquam doctrinam Ecclesiæ russicæ. Nemo tamen hiscit; satis enim illic est ut alienos se ostendant ab Ecclesia Catholica; quæcumque demum quisque doctrinæ principia profiteatur, parum interest. Expendemus suo loco discrimen, quod Philaret, quondam in academia Petropolitana professor, nunc metropolita Moscoviæ, autumat intercedere inter Ecclesiam græcam schismaticam et Ecclesiam latinam in fidei professione. Hunc recte vocaveris novum Ecclesiæ græcæ Cyrillum Lucarim, seu novum fidei Ecclesiæ græcæ proditorem, ut ostendemus.

2) Apud Hard. *Collect. Concil.* tom. VII, col. 695 et seqq., ubi verba recitata habentur ex Conc. Lugd. II, in fidei professione facta ab Imp. Michaële

esse parvulos ejusmodi in infernum post mortem descendere seu *damnationem subire;* 2° pœnis illos et peccatores adultos *disparibus* puniri. Reliqua autem, quæ spectant sive ad hunc inferni locum, sive ad pœnarum disparitatem, seu in quo hæc disparitas ponenda sit, vel ad parvulorum statum post judicii diem, fidem nullo modo attingunt, cum nullum de his Ecclesiæ decretum existat. Patres proinde ac theologi in diversas sententias dilabuntur.

811. Prima sententia respicit pœnam sensus. S. Augustinus enim, quem fere omnes posteriores latini Patres sequuntur, præsertim vero S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*, cap. XXVII, passim docet, hos infantulos ad *ignem æternum* damnatum iri, sic in *Serm. CCXCIV*, n. 3 et seqq., alias XIV. *De verbis Apostoli*, et *Operis imperf.* lib. III, cap. CXIX. Declarat porro S. Doctor in *Enchirid.* cap. XCIII [1]), tum *De peccat. meritis*, lib. I, cap. XVI, n. 21, tum *Contra Julian.* lib. V, n. 44, eosdem *in damnatione omnium levissima* futuros [2]); imo adeo mitem vult esse ejusmodi damnationem, ut anceps hæreat in definiendo an *eis*, *ut nulli essent*, *quam ut ibi essent*, *potius expediret* [3]). Hæret præterea ibidem circa pœnarum *qualitatem* et *quantitatem* eorumdem infantium; siquidem profitetur, *definire se non posse*, *quæ*, *qualis et quanta erit* hæc pœna [4]).

812. Patres græci videntur solam pœnam damni pueris non baptizatis tribuere. Inter eos eminent S. Gregorius Nazianzenus et S. Gregorius Nyssenus. Primus enim in *Orat. in sanctum Baptisma*, dicit, ejusmodi pueros *nec cœlesti gloria nec suppliciis a justo judice afficiendos* [5]); alter vero, *Orat. De*

Palæologo nomine totius Ecclesiæ græcæ: *Πιστεύομεν... ἐκείνων δὲ τὰς ψυχὰς τῶν ἐν θανασίμῳ ἁμαρτήματι, ἢ μετὰ μόνης τῆς προπατορικῆς ἀποχωρησάντων, παραυτίκα εἰς τὸ νωδὴν καταβαίνειν, ποιναῖς ἀνίσοις τιμωρηθησομένας.* Eadem porro verba usurpata inveniuntur in *Decreto Unionis*, Concil. Florent. collat. XXII, ibid. tom. IX, col. 986.

1) Ubi ait: *Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.*

2) Scribit præterea ibidem: „Ego non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit.” Demum concludit: „Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros?”

3) Ibidem.

4) In epistola autem, quam scripsit ad S. Hieronymum, quæ est 131, inter Hieronymianas, edit. Vallars. n. 16, aperte suam hac in parte animi perplexitatem patefacit, dicens: „Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio.” Attamen Card. Norisius in *Vindiciis Augustinianis*, tom. I, pag. 981, edit. Veron. 1729, quod definire S. Augustinus non potuit, diligenter prorsus determinat, affirmans quod ex Augustino pœna *levissima ac mitissima erit ab igne calefaciente cum aliqua molestia pueros, sed non eosdem urstulante... cum pueri hæreditarii tantum criminis rei sint, calore ad molestiam usque ac dolorem incutiendum intenso affligentur.* Nescio tamen quo thermometro usus sit ad hos gradus caloris et intensitatis tam accurate determinandos.

5) Quæ est XL, n. 21: *Τοὺς δὲ μήτε δο-*

infantibus, *qui præmature abripiuntur*, ait: ***Nam immatura mors infantium, neque in doloribus ac mœstitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit*** [1].

813. Nec magis inter se cohærent scholasticorum ac theologorum placita. Etenim Petavius ex citato Concilii Florentini decreto censet, de fide esse parvulos pœnis sensus addici [2]; contra vero Vasquez non solum putat veram esse contrariam sententiam, sed refert nonnullos scholasticos censuisse, definitum esse, pœnam peccati originalis in sola visionis beatificæ privatione consistere, ab Innocentio III, his verbis: ***Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus*** [3]. Scholarum autem principes Petrus Lombardus [4], S. Thomas [5]; S. Bonaventura [6], Scotus [7] et ingens antiquorum acies, qui eos secuti sunt, si unum fortasse excipias Gregorium Ariminensem, cui propterea nomen inditum esse *tortoris infantium* refert Paulus Sarpius [8], communi suffragio infantes non baptizatos a sensus pœna eximunt, ac solam pœnam damni iisdem reservant.

814. Verum et circa hanc ipsam pœnam damni theologi minime inter se consentientes inveniuntur. Aliqui enim cum Bellarmino [9] arbitrantur, ejusmodi infantes tristitia aliqua ex ea privatione affici; alii autem cum S. Thoma id aperte negant [10]; imo eo usque progrediuntur Catharinus [11] et Card. Sfondrati [12], ut omnimodam naturalem felicitatem, quæ tum ad animam in præsentiarum, tum ad corpus post resurrectionem, pertinere possit, iisdem tribuant. Quemadmodum vero Card. Norisius gradus combustionis accurate determinavit, sic isti determinarunt gradus felicitatis et beatitudinis [13]. Bellarminus postremam hanc sententiam fidei adversari autumat [14]; at

ξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι περὶ τοῦ δικαίου κριτοῦ.

1) *Ἡ γὰρ ἄωρος τελευτὴ τῶν νηπίων οὔτε ἐν ἀλγεινοῖς εἶναι τὸν οὕτω τὴν ζωὴν πανσάμενον νοεῖν ὑποτίθεται.* Pag. 770. tom. II. edit. Paris 1615.

2) *De Deo*, lib. IX, cap. 10, §. 10 et seqq. Hic desideranda videtur summi viri sagacitas, dum non animadvertit Concilii Florentini definitionem proprie cadere in vocem *mox*, non autem in qualitatem pœnarum, de qua tunc non disceptabatur.

3) In Cap. *Majores*, §. *Sed adhuc*, *De baptismo et ejus effectibus*. Cfr. idem Vasquezius, *Comment. in* 1m, 2æ, *S. Thomæ*, tom. 1, disp. 134, cap. 3, n. 7.

4) In II *Sent.* dist. 33.

5) In loc. cit. Magistri *Sent.* q. 12, art. 1.

6) In loc. cit. Petri Lombardi, art. 3, q. 1, tom. IV, opp. edit. Rom. 1589.

7) Ibid. quæst. unica, opp. tom. VI, pars secunda, edit. Lugd. 1639.

8) *Storia del Concilio di Trento*, lib. II, ubi agit de 9 art. proposito discussioni circa peccatum originale. Sed ante ipsum jam Dom. Soto, *De nat. et gratia*, loc. 1, cap. 14, scripserat: „Augustinus plus justo videtur torquere parvulos. Unde, qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt, et tortores parvulorum nuncupantur." Edit. Salmant. 1577.

9) *De amiss. grat.* lib. VI, cap. 6.

10) *Quæst. V, de malo*, art. 2.

11) Lib. *De statu puerorum sine baptismo decedentium.*

12) *Nodus prædestinat. dissolutus*, part. 1, §. 1, num. 23; et iterum §. 2, n. 16; nec non Albertus Pighius et Hieronymus Savonarola, apud Bellarm. lib. cit. cap. 1, n. 5; aliique apud Godoy, loco mox cit. §. 3.

13) Cf. cit. auctores et Bellarm. loc. cit. cap. 3, n. 19; et cap. 2, n. 42, et apud De Rubeis, *Diss. de pecc. orig.* cap. 74.

14) Loc. cit. cap. 2, n. 1.

contra Petrus Godoy Ord. Præd. Oxomensis Episcopus: *Sententia*, inquit, *concedens parvulis naturalem beatitudinem nullam censuram contra fidem meretur* [1]); imo et a temeritatis nota illam alienam esse affirmat.

815. Quid igitur dicendum in tanta sententiarum discrepantia? Hæc scilicet: 1° de fide esse parvulos non baptizatos e supernaturali beatitudine in perpetuum excludi, quod mox vindicabimus adversus Protestantes et Socinianos; 2° de fide non esse, eos pati vel non pati pœnam sensus, tum ante tum post resurrectionem; 3° de fide non esse, hos parvulos aliqua affici tristitia ex privatione visionis beatificæ; 4° permiscendam non esse sententiam illorum theologorum, qui beatitudinem aliquam naturalem pueris non baptizatis concedunt, cum errore Pelagianorum; quia, etsi daretur, secus ac Bolgenio videtur, Pelagianos naturalem beatitudinem ejusmodi parvulis concessisse, non autem supernaturalem [2]), attamen immenso adhuc intervallo discrepat hæc theologorum sententia ab errore pelagiano. Etenim Pelagiani, ut ex universo ipsorum systemate constat, hanc beatitudinem infantibus sine baptismo decedentibus, tribuebant *sine morte peccati*, ita ut exclusio ab intuitiva Dei visione non haberet rationem *damnationis* neque *pœnæ* damni, sed esset naturalis illorum puerorum conditio. Contra vero theologi, de quibus loquimur, hanc ipsam naturalem beatitudinem cum *morte peccati* aperte adstruunt; ac propterea exclusionem a gloria supernaturali tanquam *pœnam ac damnationem* habent. Quapropter merito a Pio VI, in Const. dogmatica: *Auctorem fidei*, Synodi Pistoriensis propositio, quæ est XXVI, et quæ ita se habet: ***Doctrina, quæ velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa, pœna damni citra pœnam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso, quod qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium, expertem culpæ et pœnæ, inter regnum Dei, et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani, falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa*** declaratur [3]).

1) In 1m, 2æ, q. 83, *De peccato orig.* tract. 4, disp. 38, §. 8, n. 146. Dignus est qui consulatur Leon. Lessius, *De perfect. divinis* lib. XIII, n. 143.

2) Bolgeni, *Stato dei bambini morti senza battesimo*, part. 2, cap. 2, Macerata 1787. Sed cf. Petavius, lib. 9, *De Deo*, qui est primus *De prædest.* cap. 10 et 11, nec non in lib. *De Pelagian. et Semipelagian. hæresi*, cap. v.

3) Non dubito, quin auctores illi catholici, qui fortasse nimis acerbe hanc opinionem perstrinxerunt, mitius saltem de ea locuti fuissent, si hoc Sedis Apostolicæ oraculum jam prodiisset. Ita Petavius, qui locis cit. præsertim *De Deo*, lib. IV, cap. 10, §. 8, affirmare non dubitat, eos, qui negant pœna ignis infantes cruciari, *calumniandæ Scripturæ ac novæ hæresis occasionem* subministrare; immo vero etiam Berti, qui in dissert. quam inscripsit: *Della dottrina teologica contenuta nella divina commedia di Dante*, de Aligherio con-

816. Ex animadversione autem postremo loco posita, via patet, qua facile inter se concilientur diversæ et ad speciem contrariæ theologorum sententiæ circa statum horum infantium. Sub duplici enim respectu spectari potest ejusmodi status, nempe aut *in se* aut *relative*, ut aiunt; si spectetur *relative* ad supernaturalem beatitudinem, ex qua per peccatum originale infantes exciderunt, habet talis status rationem pœnæ et damnationis, sunt præterea ejusmodi infantes a Deo saltem negative aversi, etc. Si vero spectetur idem status *in se*, sive *absolute*, cum per peccatum, ut suo loco expendimus, de naturalibus nihil amiserint, talis erit ipsorum conditio, qualis fuisset, si Adam neque peccasset, neque elevatus ad supernaturalem statum fuisset, id est, in conditione puræ naturæ [1]). *Sibi* (Deo) *conjunguntur per participationem*, inquit S. Thomas, *naturalium bonorum*; *et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione* [2]).

817. Ex quibus patet, S. Thomam his infantibus tribuere bona naturalia et aliquem naturalem Dei amorem et gaudium, prout animadvertunt Th. de Lemos [3]) et Billuart [4]). Angelicus Doctor [5]) præterea fusius ostendit, hos parvulos nullam subire pœnam sensus, et auctoritati desumptæ ex Matth. XXV, respondet, neque ad infideles, neque ad ejusmodi infantes *judicium* illud *discussionis* bonorum et malorum operum pertinere, in quibus fides non est fundamentum meritorum omnium [6]); item vult voces *supplicii*, *tormenti*, *gehennæ*, *cruciatus æterni*, quibus designant Auctor Hypognostici, Fulgentius et Gregorius M. parvulorum statum, *esse large accipiendas pro pœna*, *ut accipiatur species pro genere*, *sicut*

queritur, quod infantes in primo potius inferorum circulo collocaverit, ad quem inferni flamma non pertingit, quam in secundo, dicens: „Nostra opinione ella è, salva la riverenza al Maestro delle sentenze, all' angelico S. Tommaso, al sottilissimo Scoto, al serafico S. Bonaventura e ai loro dotti seguaci meritevolmente dovuta, che nel *prossimo cerchio, dove stride* inoltre la fiamma, rinchiudere que' pargoletti e que' gentili si debbano ... Rifiuta di vantaggio (Dantes) *la fallace* dottrina d'altri scrittori, che di qualsivoglia dolore gli credettero affatto privi (*talis est sententia S. Thomæ*), quasi laggiù nel limbo, con puerili trastulli divertendosi, giuocar sogliano a pari e caffo, ed una canna, ovvero un bastone aggavignando, andarsene a cavalluccio, siccome de' viventi fanciulli cantò il Venosino: Ludere par impar, equitare in arundine longa." Vid. Dante, Oper. edit. Venet. Zatta, vol. III. Ergo, ne talia dicantur de ejusmodi pueris, debebunt ipsi flammis stridentibus æternum comburi?

1) *Quam homini dignum est competere*, inquit Ambros. Catharinus, *De statu puerorum sine baptismo decedentium*.

2) In II, dist. 33, q. 2, art. 2, ad 5m. Cf. etiam Lessius, *De divin. perfect.* lib. XIII, qui est de justitia et ira Dei, cap. 22, num. 143 et seqq.

3) *Panoplia gratiæ*, tom. I, tract. I, cap. 23, pag. 55, col. 1, Leod. 1676.

4) *In* 1m, 2æ, *S. Thom.* tom. II, diss. 7, art. 6, §. 2.

5) In II, dist. 33, q. 2, art. 1. Cf. De Rubeis, diss. cit. *De peccato origin.* cap. 74; Suarez, *De pecc. orig.* disp. 9, sect. 6.

6) In IV, dist. 47, q. 1, art. 3; ubi ad tert. quæst. scribit: *Infideles condemnabuntur ut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exterminari.* Cf. ib. ad quartam quæstionem.

etiam in Scripturis quælibet pœna figurari consuevit. Addit insuper: *Ideo Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi* 1).

818. In quæstione V, *De malo*, pergit ostendere, quomodo infantes nulla afficiantur tristitia ob amissam beatitudinem supernaturalem, solvitque eas difficultates, quæ obstare videntur. Quarum responsionum summa ad hæc duo præcipua capita revocatur: 1° Pueros illos cognoscere visionis divinæ gloriam beatis concessam, ac se ab illa exclusos esse, et hanc privationem esse pœnam peccati, aliena nempe Adami voluntate contracti, sed illos tamen *non dolere*, tum quia cognoscunt, se ad illam gloriam consequendam per actus liberi arbitrii *nullam* habuisse *proportionem*, tum quia cognoscunt, se talem pœnam incurrisse, quam vitare nullo modo poterant, tum demum quia eorum ratio aut voluntas, cum recta sit, ut ipse loquitur, et nullo obliquata peccato (personali), perturbari non debet de eo, quod in ipsis non fuit, ut vitaretur. 2° Hos pueros cognoscere, ad aliquam beatitudinem sese conditos esse: sed eos minime cognoscere, hanc beatitudinem positam esse *in visione clara Dei*; idcirco ipsos ignorare, tum *se ab illa exclusos*, tum peccatum aliena voluntate contractum, ac pœnam inflictam, positamque in privatione visionis divinæ, adeoque de ejus amissione *non dolere*, sed hoc, quod per naturam habent, sine dolore possidere 2).

819. Nos vero his dimissis, quæ salva fide, omnique temeritatis nota seclusa, quilibet tueri ac sequi potest, hoc unum animadvertimus, non esse scilicet permiscendas opiniones privatorum cum Ecclesiæ doctrina, quæ liberam unicuique potestatem facit, quam maluerit, sententiam sectandi. Pessime proinde se gerunt increduli, dum in religionem ac fidem insurgunt, quod dogmata horribilia et rationi contraria credenda proponat, religioni ipsi privatorum theologorum placita tribuentes, quamvis Ecclesia nunquam ea suo suffragio probaverit 3), imo, ut vidimus, eos damnaverit, qui notam inus-

1) Quæst. v. *De malo*, art. 2, ad 1, Cf. etiam De Rubeis, diss. cit, cap. 75, §. 3. Ex his constat scholasticos, qui emollire studuerunt asperas nonnullorum Patrum locutiones, eos vidisse ac legisse; ideoque non satis æquum de iis judicium tulisse Card. Noris, dum in *Vindiciis August.* pag. 974. edit. Veron. 1729. scripsit: „Qui (*scholastici*) si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impendere, profecto S. Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam alte infixissent."

2) Cf. De Rubeis, loc. cit. cap. 73, §. 6.

3) Cfr. Spedalieri, *Analisi dell'esame critico di Nic. Freret*, cap. 9, art. 9, §. 11 et seqq. item §. 17, ubi in nota (a) scribit: „Il signor Leibnizio disperando di conciliare questa dottrina (dell'affliggente opinione, che assegna la pena del fuoco al peccato originale, di cui si lagnano i Deisti) dice, Diss. *De conform. rat. et fidei*, num. 39, pag.

serunt doctrinæ eorum, qui pœnam sensus in ejusmodi infantibus non admittunt.

820. Interim adversus novatores illos et Socinianos, qui infantes sine baptismo decedentes æternam consequi salutem autumant, sequentem statuimus propositionem, quæ dogmatica est.

PROPOSITIO.

Infantes ex hac vita sine baptismo decedentes, ad æternam salutem pervenire non possunt.

821. De fide est hæc propositio. In Symbolo enim Nicæno-Constantinopolitano quilibet profiteri tenetur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Quid statuerint Concilia œcumenica Lugdunense et Florentinum superius retulimus. His addimus definitionem Concilii Tridentini, quod sess. V, can. IV, hunc errorem proscripsit: *Si quis parvulos recentes*

506: Talis igitur fidei triumphus festivis ignibus similis foret, qui post acceptam cladem accendi solent.' Hnc referenda est doctrina de infantium non baptizatorum damnatione, quam Nicolius veluti peccati originalis consectarium nobis obtrudit. „Potrei citare moltissimi altri eretici, che hanno rigettata questa opinione, come Canzio, Steinhofero, ecc. benchè il loro sistema gli obblighi di ammetterla." Cf. etiam art. 10, ubi tuetur doctrinam S. Thomæ, S. Bonaventuræ et Scoti; atque observat, doctrinam S. Thomæ circa horum infantium conditionem non esse nisi consectarium doctrinæ ejusdem S. Doctoris de possibilitate status puræ naturæ.

Non abs re erit hic aliud subjicere Leibnitzii testimonium, quod Spedalieri nosse non poterat, ex *Systemate theologico,* ab Emery evulgato, pag. 344: „Limbum infantium, *inquit,* seu locum, ubi animæ solam pœnam damni, non vero pœnam sensus patiantur, non ausim improbare, cum in Ecclesia passim defendatur a viris summæ doctrinæ ac pietatis, ac justitiæ divinæ satis consentaneus videatur. Neque enim eos laudare possum, qui, quemadmodum ipsi nil nisi extrema norunt, ita etiam Deum facere arbitrantur."

Hic autem animadverto, etsi verum est, quod scribit Bellarminus, *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. VI, cap. 2: „Misericordiam nostram erga parvulos jam defunctos nihil eis prodesse, et contra nihil eis obesse sententiæ nostræ severitatem, multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus; idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, conciliorum et Patrum sententiam consulere et sequi debemus;" etsi, inquam, hæc verissima sunt, attamen, cum Scripturæ nihil prorsus de hac ejusmodi parvulorum pœna sensibili aperte tradant; cum Ecclesiæ Patres inter se sint discrepantes; cum nemo unquam ex Patribus græcis neque ex latinis ullus, ante S. Augustinum quidpiam de eadem doceant, imo aliqui, ut vidimus, quandam iis naturalem felicitatem tribuant; cum Ecclesia nihil definiverit, imo potius censura Romani Pontifices perstrinxerint eos, qui tanquam pelagianam traducunt illorum theologorum sententiam, qui hos infantes sine pœna sensus fore docuerunt; patet nullum periculum in hac sententia tuenda inesse. Ast solliciti præterea esse debemus, ne sub obtentu rigidioris doctrinæ exponamus doctrinam catholicam incredulorum oppugnationibus, qui eam veluti absurdam ob hanc causam traducunt, quod nunc maxime cavendum est. Hæc porro semper fuit Jansenianorum fraus, ut religionem christianam proderent. Cæterum, si juxta Bellarminum in hac quæstione debemus Scripturas, Patres, ut ipse ait, et concilia consulere et sequi, quare hæc ipse deserit, vel saltem benigne interpretari adnititur, dum amovet ab his infantibus pœnam sensus, nec nisi animi tristitia ipsos affligi autumat? Nec tamen vel unus est ex vetustioribus, qui ejusmodi infantes hac nominatim pœna, quæ in sola tristitia consistat, puniri asserat.

ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam... anathema sit.

822. Perstringit autem hæc postrema definitio non solum Vincentium Victorem, qui autumabat, teste S. Augustino, infantes sine lavacro decedentes pervenire ad æternam salutem, sed præterea Calvinianos, qui docent saltem filios fidelium perventuros ad supernaturalem beatitudinem, eo quod ipsis originalis noxa non imputetur ob eam, quæ Abrahæ facta est ejusque semini, promissionem, quos idcirco affirmant *sanctos* nasci et Ecclesiæ membra. Ferit insuper Zwinglianos, quibuscum error Calvini communis est, nec non Socinianos, qui, pro certo habentes, nullum contrahi peccatum originale, inde concludunt baptisma conferri tantum ut signum externæ fidei professionis, quo Christiani a reliquis populis diversæ professionis secernantur; unde nil mirum, si et ipsi æternæ salutis viam omnibus indiscriminatim infantibus patere asserant, rejiciantque baptismi necessitatem ad salutem consequendam.

823. Jam vero doctrinæ catholicæ veritatem luculenta evincunt Scripturarum ac traditionis testimonia. Pervulgata certe sunt ac decretoria Christi verba, Joan. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Eadem igitur ratione, qua necessaria est carnalis generatio, quæ ex Adam originem trahat, ut quis in hanc vitam nascatur, et contrahat originalem noxam, ita absolutæ necessitatis est regeneratio in Christo, ut quis ab eadem culpa liberetur, et vitam æternam consequatur.

824. Hoc autem sensu accipienda esse allata Christi verba, testis est tota antiquitas ecclesiastica. Ut patet 1° ex sollicitudine totius Ecclesiæ, ne quis infans absque baptismo moreretur, quam nec Pelagiani inficiati sunt: 2° ex vetustissimis synodis in causa Pelagianorum celebratis. Etenim in Diospolitana Synodo Pelagius, ut catholicus haberetur, *anathematizare compulsus est, infantes, etiamsi non baptizarentur, habere vitam æternam. Hac enim negata* (ita arguebat S. Augustinus, *Epist. CLXXVI, ad Paulinum*), *quid nisi mors æterna remanebit?* Sic pariter duæ Synodi Carthaginiensis et Milevitana, anno 416, celebratæ, prout legitur in epistola synodica ad S. Innocentium data, hæc statuerunt: *Quicunque negat, parvulos per baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere posse, anathema sit.* Hoc autem decretum anno 417, confirmavit Innocentius. 3° Patet ex illis omnibus Patribus, quorum testimoniis ostendimus propagationem peccati originalis, quæ hic denuo repetere non vacat.

825. Sic porro S. Augustinus urgebat Vincentium Victorem:

nemo regnaturus est cum Christo, qui non fiat membrum Christi; nemo autem fit membrum Christi, nisi *aut baptismate in Christo*, *aut morte pro Christo* [1]). Jam vero; qui non regnaturus est cum Christo, quid ipsi superest, nisi ut in perpetuum arceatur a Christo seu ab æterna salute? Verum de his iterum, ubi de necessitate baptismi.

DIFFICULTATES.

826. I. *Obj.* a Calvino, Deus, Gen. XVII, 7, Abraham omnium fidelium patrem sic allocutus est: *Statuam pactum meum inter me et te*, *et inter semen tuum post te in generationibus tuis*, *fœdere sempiterno*, *ut sim Deus tuus et seminis tui post te*; Christianorum ergo filii, qui sunt ex promissione, sanctitatem habent ex fœdere sempiterno, in quo sunt inclusi. 2° Quare testatur Apostolus, I Cor. VII, 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem... alioquin filii vestri immundi essent*, *nunc autem sancti sunt*. Sola igitur alterutrius parentis sanctitate id consequuntur sine baptismo. *Quamobrem*, inquit Calvinus, *sicut Judæorum liberi*, *quod ejus fœderis hæredes* (cum Abraham initi) *facti*, *ab impiorum liberis discernerentur*, *semen sanctum vocabantur*, *eadem etiam nunc ratione sancti censentur Christianorum liberi vel altero dumtaxat parente geniti*, *et Apostoli testimonio differunt ab immundo idololatrarum semine* [2]).

827. *Resp. Ad* 1^{m}, *Dist.* Christianorum filii, filii spirituales Abrahæ sunt *regeneratione*, *conc.* carnali nativitate, *neg.* Alioquin quomodo ad ipsum Abraham mystice spectassent gentes, quæ ex ejus semine non erant? Sic Judæorum filii *semen sanctum* etiam ante circumcisionem vocabantur; id tamen ex sola sanctitate *legali*, non autem ex vera sanctitate, quæ eorum animam emundaret, ac idoneam propterea efficeret ad salutem. Hanc autem sanctitatem vel ipsa circumcisione consequebantur, ut nonnulli censent, vel antiquiori apud patres sacramento, quod æque pro fœminis valeret. Quapropter, si Hebræorum filios ante octavum circumcisionis diem ex hac vita decedere contigisset, vel peribant æque ac pueri nostri, qui

1) Lib. I, n. 10.

2) *Instit.* lib. IV, cap. I, §. 6. Cf. Petav. lib. cit. cap. II, §. 7, ubi, commemorata Calvini ac Molinæi hæretica doctrina, sic eos perstringit: „Qua ex generali et absoluta definitione, qualem ambo isti concipiunt, sequitur, Judæos omnes, qui Dominum crucifixerunt, ac Judam ipsum traditorem, et sanctos et salvos omnino fuisse, utpote sanctificatos in utero. Nam ab Abrahamo, Isaaco et Jacobo omnes oriundi sunt viris sanctissimis; quorum proinde filii et ipsi sancti ex utero, et horum deinceps posteri ad illos usque, cum eadem sanctitate nati sunt. Ea porro ubi semel animos occupavit, nunquam amittitur, et adjunctam habet perseverantiam ac certam salutis possessionem," nempe juxta calvinianum principium de inamissibilitate semel adeptæ justificationis; §. 8, ostendit, quam mirifice cum semetipsis pugnent. Cf. etiam Bellarm. *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. 4, cap. 14.

sine baptismo moriuntur, vel si adhuc salutem obtinebant, illud argumento est, circumcisionem *non ad salutis prærogativam* Abrahæ datam, ut inquit Tertullianus, sed ad characterem tantum exteriorem, quo Hebræi a gentibus distinguerentur.

828. *Ad* 2m, *Dist.* Apostolus vocat sanctos filios a fidelibus parentibus procreatos, sanctitate analogica, dispositiva et improprie dicta, *conc.* sanctitate formali, ut aiunt, *neg.* Alioquin, cum *sanctificatum* dicat virum infidelem per mulierem fidelem et vicissim, sanctus habendus esset, et quidem sanctitate proprie dicta, impurissimus Jovis ac Veneris cultor, quod nemo dicet.

829. II. *Obj.* Sociniani. 1° Durum est innocentes infantes æternum damnari, 2° atque ab æterna beatitudine in perpetuum arceri ob culpam non suam; cum per ipsos præsertim non steterit, quominus sibi applicaretur Christi meritum ex defectu baptismi, ad quem pervenire non potuerunt, vel eo quod eos ante diem mors sustulit, priusquam in lucem ederentur, vel ex culpa et infidelitate parentum, quorum aliqui nihil penitus de ipso baptismate noverunt. Ergo.

830. *Resp. Ad* 1m, *Dist.* Si damnationis nomine significaretur pœna sensus, *trans.* si significatur tantum pœna damni, *subdist.*; ita ut per ipsam gravi afficerentur tristitia, iterum *trans.* si vel levi vel nulla, prout cum pluribus aliis, juxta dicta docet S. Thomas, *neg.* Hæc vero omnia transmisimus, cum Ecclesia nihil circa ea decreverit, ac Patres et theologi in diversas sententias abeant. Hinc ejusmodi infantes per hanc damnationem id solum non consequerentur, quod ex sua liberalitate Deus naturali hominis conditioni adjecit.

831. *Ad* 2m, *Dist.* Naturali, *trans.* supernaturali, *neg.* id durum videri. Cum enim elevatio ad ordinem supernaturalem, ut ostendimus ex Ecclesiæ doctrina, sit omnino gratuita, ac naturæ prorsus indebita, infantes, qui peccato nascuntur infecti, privantur atque excluduntur ab illa beatitudine supernaturali, ad quam jus nullum habere possunt nisi per gratiam, ad quam nunquam pervenerunt, ac in ea conditione relinquuntur, in qua conditi fuissent, nisi pro sua largitate Deus naturam elevasset humanam. Hæc autem conditio si nunc pœnæ rationem habet, id ex relatione extrinseca repeti debet, quam ad gratuitam habet naturæ elevationem ejusque lapsum. Quæ quidem pœna si spectetur quoad durationem et quoad bonum seu objectum, quo privat, potest dici infinita: sed in se, quod sæpius monuimus, non est nisi sequela naturalis humanæ conditionis. Neque Sociniani proinde, neque increduli aliquid habent de quo conqueri possint, vel incusare divinam clementiam, vel catholicæ religioni succensere. Atque inde responsio patet ad cætera, quæ in difficultate ab iis proponuntur,

quod scilicet nec per ipsos infantes steterit, quominus baptisma susceperint, vel alio modo sibi applicarentur merita Christi; sufficit enim, ut suum non habeat effectum conditio, sub qua sola voluit Deus, ut ipsi partem haberent ad indebitum beneficium.

832. *Inst.* Impossibile est infantes in perpetuum ab æterna salute exclusos non inde magna saltem affici tristitia. Sic enim recte nonnulli argumentantur apud S. Thomam 1): 1° *Dicit Chrysostomus: in damnatis gravior erit pœna, quod Dei visione carebunt, quam quod igne inferni cremabuntur; sed pueri visione divina carebunt; ergo afflictionem spiritualem ex hoc sentient.* 2° *Carere illo, quod quis vult habere, sine afflictione esse non potest; sed pueri vellent visionem divinam habere; alias voluntas eorum actualiter perversa esset; ergo cum ea careant, videtur, quod afflictionem sentiant.* 3° *Immunitas a culpa dolorem pœnæ non minuit, sed auget Non enim, si aliquis non propria culpa exhæredatur vel mutilatur, propter hoc minus dolet; ergo etiam quamvis pueri non propria culpa tanto bono priventur, ex hoc eorum dolor non tollitur.* 4° *Sicut pueri baptizati se habent ad meritum Christi, ita non baptizati ad meritum Adæ; sed pueri baptizati ex merito Christi consequuntur præmium vitæ æternæ; ergo et non baptizati dolorem sustinent ex hoc, quod per demeritum Adæ æterna vita privantur.* 5° *Homo naturaliter appetit beatitudinem; tempus autem ipsius assequendæ est post hanc vitam; cum ergo illi, qui cum peccato originali decedunt, beatitudinem non consequantur, quia carent visione divina, videtur, quod afflictionem patiantur.* 6° *De ratione pœnæ est, quod sit contraria voluntati; sed omne, quod est contrarium voluntati, pœnam gignit; ergo si patiuntur aliquam pœnam, oportet, quod inde pœnam percipiant.* 7° *In perpetuum separari ab eo, quod quis amat, est maxime afflictivum; sed pueri naturaliter Deum amant; ergo, cum sciant, se ab eo in perpetuum separatos, videtur, quod hoc non possit esse sine afflictione* 2). Ergo.

833. *Resp. trans. antec.* Ad argumenta autem, quæ ex S. Thoma afferuntur, placet iisdem S. Doctoris verbis responsionem subjicere.

834. *Ad* 1m, itaque respondet: *In damnatis pro culpa actuali, qui usum liberi arbitrii habuerunt, fuit aptitudo ad vitam æternam consequendam, non autem in pueris; et ideo non est similis ratio de utrisque.*

835. *Ad* 2m, *Quamvis voluntas sit possibilium et impossibilium, tamen voluntas ordinata et completa non est nisi*

1) *In* II *Sent.* dist. 33, q. 2, art. 2. 2) Quæst. v. *De malo,* art. 3.

eorum, ad quæ quis aliquo modo ordinatus est; et, si hac voluntate deficiant homines, dolent; non autem, si deficiant ab illa, quæ impossibilium est, quæ potius velleitas quam voluntas debet dici. Non enim aliquis illud vult simpliciter; sed vellet, si possibile foret.

836. *Ad* 3m, *Ad habendum proprium patrimonium vel membra corporis sui, quilibet est ordinatus; et ideo non est mirum, si dolet quis de eorum amissione, sive pro culpa sua sive pro aliena eis privetur. Unde patet, quod ratio non procedit ex simili.*

837. *Ad* 4m, *Donum Christi excedit peccatum Adæ, ut ad Rom. V dicitur. Unde non oportet, quod pueri non baptizati tantum habeant de malo, quantum baptizati habent de bono.*

838. *Ad* 5m, *Animæ puerorum, in peccato originali decedentium, cognoscunt quidem beatitudinem in generali, secundum communem rationem, non autem in speciali; ideo de ejus amissione non dolent.*

839. *Ad* 6m, *Pœna non semper respondet actuali voluntati, puta cum aliquis absens infamatur, aut bonis etiam spoliatur, se ignorante; sed oportet, quod pœna semper sit vel contra actualem voluntatem vel saltem contra inclinationem naturalem.*

840. *Ad* 7m, *Pueri in originali peccato decedentes sunt quidem separati a Deo perpetuo, quantum ad amissionem gloriæ, quam ignorant, non tamen quantum ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoscant.*

CAPUT VII.

DE FUTURA CORPORUM RESURRECTIONE.

841. *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum*, optime inquiebat Tertullianus 1). Hæc enim spes semper aluit Christianorum pietatem, addiditque ad fortia quæque ferenda stimulos validissimos.

842. Præter Sadducæos corporum resurrectionem irriserunt ethnici, impugnarunt antiquissimi hæretici 2). Increduli eam impossibilem traducunt. Horum omnium partes tuendas sibi sumpserunt rationalistæ.

843. Duo hic a nobis præstanda sunt. Ac primo hunc gravissimum fidei nostræ articulum propugnare ex Scripturis ac per-

1) *Lib. de resurrect. carnis,* num. I.

2) Tales fuerunt Simon Magus, Cerdo, Marcion, Manes aliique, ut videre est apud S. Epiphan. *Hæres.* 64, edit. Petav. num. 12 et seqq. Eosdem hæreticos resurrectionis impugnatores pariter recenset S. August. lib. *De hæres.* cap. 18 et seqq.; qui præterea ait: *In nulla re tam vehementer contradicitur fidei christianæ quam de resurrectione mortuorum.* Cf. opp. Origen. edit. Maur. tom. I, pag. 859, not. (e).

petua Ecclesiæ traditione debemus; secundo ostendere ipsum nullo modo rectæ rationi adversari.

844. Quæ priusquam aggrediamur, uti nobis moris est, nonnulla, ut germanus totius controversiæ status etiam atque etiam patescat, præmittimus.

845. 1° Resurrectio, quam tuemur, est *universalis*, tam justorum scilicet quam impiorum [1]).

846. 2° In ea nos corporum physica identitate resurgemus, quam ex hac vita decedentes obtinebamus, adeo ut omnes idem physice corpus resumpturi simus, quod per mortem amisimus. Ad hoc autem necesse non est, ut omnes et singulas materiæ particulas seu, ut vocant, moleculas, quibus corpora nostra constant, Deus restituat; sed ad eam identitatem restituendam satis est, ut illas Deus excitet, quæ partem corporum nostrorum constituunt essentialem, per quam unius corpus a corpore alterius distinguitur et secernitur, et cujusque individui proprium efficitur. Hæc enucleatius postea exponemus.

847. 3° Futuram proinde dicimus in universali resurrectione sexuum diversitatem, quam plane tollendam esse nonnulli obscuri hæretici fabulati sunt [2]). Corpora enim restituentur in sua respectiva perfectione, quæ unicuique competit.

848. 4° Diversa tamen erit corporum resurgentium conditio pro diversitate status uniuscujusque. Corpora, enim justorum erunt gloriosa seu iis prædita dotibus, quas recenset Aposto-

1) Eo sensu diximus fore *universalem* resurrectionem, quatenus non solum justi, sed improbi quoque debent resumere corpora sua, tum ut nos opponeremus nonnullis antiquis Hebræis et hæreticis, autumantibus, solos justos esse resurrecturos, secus ac fides docet, tum ut declinaremus discrepantes Catholicorum sententias circa quæstionem de morte ab omnibus subeunda. Etenim non pauci ex antiquis censent, non esse morituros eos, quos dies supremus inter vivos reperiet, etsi existiment omnes fore immutandos juxta græci textus lectionem, I Cor. xv, 51: *Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Quo pariter sensu intelligunt illud ejusdem Apost. I Thess. IV, 15 et seqq.: „Mortui, qui in Christo sunt; resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra." Græce v. 16: *Οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον. Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα.* Ubi Apostolus loquitur in persona eorum, qui tunc vivi reperientur. Quod significatum pariter contendunt in Symbolis Apostolico, Constantinopolitano et Athanasiano illis verbis: *Qui venturus est judicare vivos et mortuos.* Consulatur Estius in IV, dist. 43, §. 7, qui ingenue fatetur, quod hæc *quæstio non parum habet difficultatis, sive Scripturas sive Patrum sententias consulamus.* Expensis vero utriusque sententiæ momentis, longe probabiliorem arbitratur opinionem eorum, qui sentiunt omnes omnino esse morituros. Cf. etiam S. Thom. *Suppl.* q. 78, art. 1.

2) Hic error tribuitur Origeni et nonnullis Armenis. Hunc errorem semper Patres impugnarunt. Cf. inter cæteros Hieron. *Epist.* 108, num. 22 et 23, edit. Vallarsii; August. *De civ. Dei,* lib. XXII, cap. 17; Chrysost. *Hom.* 80, alias 71, *in Matth.*; Euthymius, *Comm. in* IV *Evang.* in *Biblioth. max. Patrum*, edit. Lugd. tom. XIX, cap. 53. Sane Christus, Luc. XI, 31, ait: *Regina austri surget in judicio* cum *viris generationis hujus;* ergo hæc regina retinebit suum sexum muliebrem, surget enim *cum* viris, adeoque non erit vir, ut alia non minus perspicua omittam.

lus, impassibilitate videlicet, claritate, agilitate et subtilitate [1]), non tamen, ut aliqui commenti sunt, impalpabilitate et invisibilitate [2]). Reproborum autem corpora gravia adeo atque deformia erunt, ut istorum respectu resurrectio potius ad ignominiam et novum supplicium conferat quam ad ipsorum bonum.

849. 5° Hæc rata sunt apud omnes Catholicos. Cætera autem, quæ spectant ad ætatem, formam, staturam, ut vocant, partes corporis integrales, aliaque ejusmodi majori vel minori probabilitate a theologis, scholasticis præsertim, statui solent [3]). Quæ cum fidei dogma non attingant, ideo missa facimus; etsi non improbemus, quæ communi præsertim calculo probantur.

850. Cum interim, quibus constringimur, angustiæ non patiantur, ut ea, quæ recensuimus, singillatim vindicemus, hinc, in tuto posito præcipuo ac fundamentali dogmate de corporum resurrectione, cætera veluti totidem corollaria ex vindicatis colligemus. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Datur futura universalis corporum nostrorum resurrectio.

851. De fide est hæc propositio, ut patet ex fidei nostræ symbolis; nam in Symbolo Apostolorum dicitur: *Credo .... carnis resurrectionem;* in Constantinopolitano: *Expecto resurrectionem mortuorum*; in Athanasiano: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis;* similiter Conc. Later. IV, cap. *Firmiter* definivit: *Qui omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant* [4]).

852. Hæc autem fides viguit tum apud antiquos patriarchas tum apud Judæos. Etenim Job, XIX, 25: *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum*; *et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo* [5]). Sic

1) Ait enim Apost. I Cor. XV. 42 et seqq.: „Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale." Has dotes manifestavit Christus in suo corpore e morte excitato; ipse autem est causa exemplaris resurrectionis justorum. Cfr. S. Thom. *Suppl.* q. 82 et seqq.; cfr. etiam Estius, *in* IV *Sent.* dist. 44, §. 15.

2) Id quidem censuit Eutychius, Constantinopolitanus Antistes, qui sub Tiberio Constantino Imperatore, anno 582, docuit, corpus humanum post resurrectionis gloriam fore impalpabile et invisibile. Agente tamen S. Gregorio M. qui tunc temporis Constantinopoli legatione fungebatur apud Tiberium, Eutychius ab hoc errore rediit, atque, ut notum est, morti proximus, multis præsentibus, pellem suam manu tenens, aiebat: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus.*

3) Cf. de his Suarez, *in 3 partem*, q. 53, disp. 44, sect. 1 et seqq.

4) In *Act. Conc.* edit. Harduini, tom. VIII, col. 15 et 16.

5) Nihil intentatum reliquerunt neo-

Daniel, XII, 2: *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in oppro-*

terici quidam interpretes, præsertim inter Protestantes, ut nobis eriperent celeberrimum hunc Jobi textum, per quem adstruitur recepta apud veteres resurrectionis fides. Adnituntur isti totum hunc locum exponere de spe, quam alebat Job de restitutione sua in pristinum felicem statum. Ita Henke in *Narratione critica de interpretatione loci Job* xix, 25-27. *Antiqua Ecclesia*, Helmstad 1783; Doederlein in *Actuario H. Grotii, Annotat. seu scholiis in libros poëticos V. T.* ad hunc loc. et Joan. Hallenberg in *Disquisitione, qualis sit dogmatis de resurrectione corporum mortuorum origo, et num in libro Jobi ejusdem mentio facta sit?* Stocholmiæ 1798, repetita in *Sylloge commentat. theologic.* edita a Joan. Pott, vol. iv, pag. 325 et seqq.

Jam vero ejusmodi auctores aërem verberare ac frustra illud contendere, constat 1° ex eo quod ejusmodi expositionem excludat simplex verborum sensus, quibus Job significat, se spem alere, mortis suæ somnum non æternum fore, sed ab ipso Deo se aliquando expergefactum iri, et futurum esse, ut Deus mortuo sibi advigilare non desinat, seque, olim in vitam revocatum, ut amicum amice recepturus sit. Ita enim se habet hebraica veritas: וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם׃ וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ־זֹאת וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ׃ אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי וְעֵינַי רָאוּ וְלֹא־זָר כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי׃ Quæ sic literaliter vertuntur: *Ego novi vindicem meum viventem, et postea* (seu *postremum*) *super pulverem staturum* (vel *adstabit*), *et postquam cutem meam corroserint* aut *consumpserint* (scilicet corrodentes seu consumentes vermes) *hanc* (hanc ossium meorum compagem, corpus meum); *tamen e carne mea* (id est, corpore meo redintegrato) *videbo Deum. Quem ego videbo mihi* (scilicet propitium, in bonum meum), *et oculi mei viderunt* (nempe *videbunt* præt. pro futuro), *et non alius* (seu alius mei loco). *Defecerunt renes mei in sinu meo* (præ vehementi Deum videndi desiderio). Ex quibus patet versionem vulgatam optime exprimere sensum Jobi, quamvis majorem adhuc vim præ se ferat hebraicus textus. Testatur enim Job spem suam, ut observat Pareau apud Rosenmüller in hunc loc., et quidem duplicem; alteram de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem, ut opinabatur quidem, proximam, exercenda, alteram de favore Dei, sibi una cum meliori vita restituendo. „ Itaque, *ait cit. auctor*, imagine usus, qua nulla gravior excogitari potest, nulla in summa brevitate locupletior, nulla denique, quæ spem animo Jobi comprehensam magis et conspectui totam simul subjiciat, Deum immortalem, ipsique per omnes hominum ætates sequuturas superstitem collocat veluti juxta suas reliquias, sive ad sepulcrum, quo illæ condendæ essent. Ibi igitur fingit stare Deum, qui non tantum stricto gladio mortuum se custodiat, quo defendat ab aliorum contemptu ac vituperio . . . sed vero qui simul etiam pulveri suo advigilet perpetuo, ex eo novum iterum hominem formaturus. Enim vero hoc quoque noverat Jobus, se jamjam depositurum esse corpus hoc, tabe vermibusque consumptum, atque obsoletæ vestis instar, exuturum suam carnem, totamque adeo mortalitatem suam nunquam denuo induendam. Cumque ex sepulcro redivivus egrederetur, tum Deum sibi etiamnum adstantem visurus esset, qui ipsum mox benigne ad se reciperet, nec de pristina in ipsum inimicitia quidquam servasset.”

2° Ex contextu patet, eximium quid et singulare esse, quod hic Job profitetur, ut evincit solemnitas illius proœmii, quo præfatur, optans, *ut sermones hi sui scriberentur et sculperentur in libro, et stilo ferreo in omnium ætatum memoriam in rupe inciderentur.* Restitutio autem fortunæ et sanitatis tanti profecto momenti non erat, ut tam solemni ratione memoriam ejus ad posteros transmittere optaret.

3° Quod plurimum momenti addit illud est, Jobum tam longe a spe fortunæ sanitatisque restituendæ abfuisse, ut potius mortem a se vehementer exoptatam certissime expectaverit, et nihil prorsus habuerit, quod in hanc vitam speraret. Id quod pluribus clarisque sermonum suorum locis evincit J. A. Voigtlænder in *Isagoge ad interpretationem Jobi*, cap. 19, 23-27. Dresdæ 1809; quam secuta est *interpretatio* ipsa hujus loci, ib. 1810. Cf. Job. iii, 20-26; vi, 8-12; vii, 13-16; ix, 21; xiii, 15; xvii, 13 et seqq.; xxi, 25; xxx, 23. Jam vero quum hoc de vindice oraculum spem certissimam et inconcussam fiduciam præ se ferat, inde sic arguimus: quando Job ærumnarum finem et requiem in his terris non expectavit, et nihilominus spem omnimo-

brium, ut videant semper. Sed luculentissime hæc fides exprimitur a septem illis fratribus, qui fortiter sub Antiocho martyrium passi sunt, dicentes: ***Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.... potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos*** (II Machab. VII, 9-14.) Hinc Martha juxta avitam fidem dicebat Christo: ***Scio, quia resurget*** (frater meus) ***in resurrectione in novissimo die*** (Joan. XI, 24).

853. Quum vero Sadducæi ab ea, non secus ac a fide de animorum immortalitate recessissent, Christus, Matth. XXII, 31, ipsis utrumque dogma confirmavit illis verbis: ***De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob?*** Infert autem Luc. XX, 38: ***Non est Deus mortuorum sed viventium, omnes enim vivunt ei.*** Hinc Apostolus, I Cor. XV, 16, collegit resurrectionem generalem ex resurrectione Christi, scribens: ***Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.... ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.*** Hoc item argumento utitur ad excitandos fideles, et ad ipsos consolandos de amicorum familiariumque amissione, I Thess. IV, 13, in textu græco, 14: ***Si enim,*** inquit, ***credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit; ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo;... mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.*** Demum, ut cætera omittam, II Tim. II, 18, vocat fidei subversores et a veritate excisos *dicentes resurrectionem jam esse factam.* Nihil proinde in Scriptura magis exploratum est dogmate resurrectionis, quod Christus et Apostoli proposuerunt tanquam fundamentum, ut ita dicam, totius religionis, quam prædicabant.

854. Hac igitur fide quum enutrita Ecclesia fuisset, nunquam destitit eam proponere et inculcare filiis suis, ut æquanimes ipsos faceret ad omnium virtutum genera excolenda, et ad vitam ipsam spernendam, sævientibus præsertim tyrannorum persecutionibus; ut ex symbolis superius recitatis constat atque ex martyrum actis [1]). Vix quisquam hæreticus eam fidem negavit, aut labefactare quoquomodo aggressus est, cum Ec-

dæ liberationis vindicis seu judicis sui ope fovit indubiam; eum oportet de venturo judicio, corporum resurrectione ultima et rerum omnium instauratione cogitasse.

Hæc libuit fere ad verbum ex Rosenmüllero decerpere, qui adversariis suspectus esse non potest. Prolixius præterea hæc deduximus, eo quod agatur de re maximi momenti, cujusmodi est fides antiquissima, tum de animorum immortalitate, tum de futura corporum resurrectione. Cf. præterea de hoc textu Joan. Pineda, S. J. qui non tantum totum hunc locum illustrat, verum etiam germanum ejus sensum apprime vindicat.

1) Cf. Ruinartius, *Acta Martyrum sincera.* Vid. præsertim pag. 70, 150, 494, edit. Amstelodam. 1713.

clesia ipsum illico repulit e sinu suo [1]). Strenui semper insurrexerunt hujus pretiosi dogmatis propugnatores, qui illud sive ab hæreticorum sive ab ethnicorum impugnationibus vindicarunt; inter quos eminent Origenes [2]) et Tertullianus [3]). Hanc fidem Christiani passim in suorum epitaphiis seu inscriptionibus sepulcralibus antiquissimis exprimere ac declarare consueverunt [4]).

855. Quoad subsequentia sæcula persequi velle omnia documenta, quæ perpetuam hanc fidei nostræ professionem evincunt, supervacaneum omnino esset, cum notissima et obvia illa omnibus sint [5]).

DIFFICULTATES.

856. I. *Obj.* 1° Dubitari nequit, quin hæc *opinio* de resurrectione corporum e notionibus mancis et imperfectis hominum

1) Cf. S. Epiphan. loc. cit.

2) *Contra Celsum*, lib. v, num. 14 et seqq.

3) Lib. cit. *De resurrect. carnis*, in quo ostendit, hominis dignitatem carnis resurrectionem exigere; Deum eam operari posse; ipsiusque justitiam et in promissis, quæ fecit, fidelitatem, eamdem exposcere. Quæ argumenta singillatim evolvit ac fuse persequitur.

4) Cf. Gener, opp. cit. tom. iv, pag. 2, lib. iii, cap. 1, §. 1, *Monumenta antiquit.* classis 4.

5) Cf. Nat. Alex. *Histor. eccles.* diss. 25, in sæc. i, art. 2. Perperam Beausobre, *Hist. des Manichéens*, tom. ii, liv. viii, chap. 5, n. 3 et seqq. contendit, unanimem minime fuisse Patrum sententiam de futura corporum resurrectione. Quod ut evincat, profert Origenem negantem resurrectionem *carnis*, etsi admittat resurrectionem corporis; profert Gregorium Nyssenum, qui excludit a Christi corpore glorioso *figuram*, *formam*, *extensionem*, aliasque partes *internas* et *externas* humani corporis, ac demum affirmat, *nihil corporale* nunc reperiri in Christo Jesu (in *Antirrhet.* cap. 57); demum profert Synesium, qui protestatus est, se de resurrectione minime credere aut sentire, ut vulgus solet. Verum ad Origenem quod spectat, etsi, prout ostendit Huetius in *Origenian.* lib. ii, quæst. 9, cap. 2, interdum circa hunc articulum minus caute scripserit, attamen, fatente Wetstenio, *Cont. Celsum*, lib. v, veram sententiam tuetur cum Ecclesia Christi eamque pluribus argumentis adstruit: „Nos autem credentes, *ait*, non vivificari quod satum est, nisi moriatur prius . . . retinemus tum Ecclesiæ Christi sententiam, tum promissionis Dei amplitudinem.” *Τηροῦμεν καὶ τὸ βούλημα τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ μέγεθος τῆς ἐπαγγελίας τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.* Item, *Dialog. de recta in Deum fide*, sect. 5, ubi, cum Marinus Bardesianista interrogasset: „Statuat Adamantius quodnam corpus resurgat, idne, quo circumdati sumus, et in quo vincti sumus, an aliud spiritale?” Resp. Origenes: *Hoc ipsum, quo amicti sumus, dico excitari. Τοῦτο τὸ σῶμα φημι ἀνίστασθαι, ὃ περικείμεθα.* Quæ omne dubium submovent. Cf. opp. Orig. edit. Maur. tom. i, pag. 859. S. Greg. Nyssen. loc. cit. ex *Antirrhetico adv. Apollinarem*, quem omnium primus vulgavit Zaccagnius ex bibliotheca Vaticana, prout ostendit eruditus hic editor, non loquitur de proprietatibus humani corporis *specificis*, sed de iis, quæ *accidentales* vocantur, ex. gr. corruptibilitate, mutabilitate, etc. quibus gloriosum Christi corpus carere censet Nyssenus. Cf. *Collectanea monumentorum veterum Ecclesiæ græcæ ac latinæ*, Romæ 1698, pag. 270, not. 2; nec non præf. §. 20 et seqq. ubi S. Doctorem egregie defendit. Quod demum ad Synesium spectat, cf. Petavius, in edit. opp. ipsius. Paris. 1633, tum in not. pag. 84, tum de vita scriptisque Synesii pag. 4. Hæc enim protulerat Synesius cum adhuc paganus esset, cum vero nemo ad baptismum admitteretur, quin professus esset articulum de mortuorum resurrectione, hinc a Theophilo aliisve sapientibus viris edoctus, veritati victas dedisse manus dicendus est, antequam christianus et multo magis Episcopus fieret; quod aperte testatur Photius in *Bibliotheca*, num. 26, nec non Evagrius, *Hist. eccles.* lib. i, cap. 15, ut alia prætercam.

incultiorum originem traxerit; quippe qui, justa supremi Numinis idea destituti, vitam post mortem futuram e sola vitæ terrestris naturæ fingere solerent. Quo factum est, ut apud complures gentes barbaras, itemque in Zoroastrica disciplina, e cujus fonte Judæi ipsi hausisse videntur, eadem illa deprehendatur. *Deinde* 2° resurrectio corporum in libris N. T. tradita, quæ inde ab ipsa apostolica ætate (Act. XVII, 32; I Cor. XV, 12; II Tim. II, 17) haud a paucis improbata fuit, tam arcte conjuncta cernitur cum opinionibus de Messia mythicis, et cum narratione de Jesu in vitam restituto (I Cor. XV, 12 et seqq.), ut non alia ratione ac mythi isti, judicari et explicari possit. Hinc 3° vel Jesum, ubi doctrinam de resurrectione proposuisse perhibetur, popularium opinionibus indulsisse, vel potius discipulos ipsi tanquam Messiæ, cujus provinciam (Cfr. Joan. XVIII, 36) e vulgaribus Judæorum commentis et quibusdam ejusdem effatis allegoricis atque obscurioribus perperam judicarent, ejusmodi sententiam subjecisse censemus. 4° Neque dubitamus, quin doctrina de resurrectione corporum tanquam imagine reviviscendi post mortem (I Cor. XV, 36) proposita, eademque ad sententiam universalem ei substratam de novo aliquo vitæ stadio eoque perfectiore post mortem homini ineundo revocata, in simpliciore illa N. T. de immortalitate institutione acquiescat, qua docemur animum post mortem statim novam in alio rerum ordine initurum esse vitam, eamdemque veram et actuosam. Ita Wegscheider, aliique rationalistæ cum ipso [1]).

857. ***Resp. Ad*** 1m, ***Neg.*** gratuitam assertionem adversariorum, quæ vel ex ipsa rei natura destruitur. In primis enim ipsi conjecturis ex solo systemate rationalistico depromptis nituntur; nec ullum proferunt argumentum vel levissimum, quo illas fulciant. Insuper, quo populus rudior et incultior est, eo etiam minus idoneus est ad excogitandam corporum resurrectionem, quæ, ipsis adversariis fatentibus, longe excedit mentis nostræ captum. Hinc, si qui fuerunt populi, qui admiserint ejusmodi dogma, ipsum profecto ut alia non pauca ex antiqua traditione acceperunt. Vidimus enim Job firmissimam hujus ad vitam reditus spem in sinu suo retinuisse. Attamen Moshemius contendit, nulli horum populorum innotuisse orthodoxam seu genuinam fidem futuræ hujus resurrectionis, qualem Christus et Apostoli tradiderunt [2]). Absurdum denique est et ab omni ve-

1) §. 195. Et cum eo Morus, *Prælect. in Epist.* II, 762; Doederlein, *Inst. theol. christ.* 299; De Welle, *Bibl. dogm.* 298; Ammon, *Summa theol. christ.* 303; Flügge, Beck, etc.

2) *Diss. in hist. eccl.* tom. II, edit. Antonaviæ 1743, quam inscripsit: *Dissert. qua docetur, Servatorem nostrum J. C. resurrectionem mortuorum corporum, qualem Christiani credunt, de tenebris in lucem revocasse et demonstrasse*, pag. 583. Quod spectat ad ea quæ scribit de Judæis, certum est, ea esse hyperbolice imo falso dicta, ut liquet ex colloquio Marthæ cum Christo, et ex II Machab. libro, aliisque documentis. Quod ad reliquos populos spectat, viri quidam eruditi censent Persis, Ægyptiis, Indis, Arabibus hanc futuram corporum instaurationem innotuisse. Moshemius conten-

ritate alienum, Judæos ex Zoroastrica doctrina hanc fidem resurrectionis hausisse. Etenim præterquam quod longe ante Zoroastrum, Job eam apertissime profitetur, nunquam Sadducæi ejusmodi exceptionem, quod sciamus, adversus Pharisæorum doctrinam objecerunt, et, quod caput est, Christus Dominus, redarguens hos ipsos Sadducæos, non dixit illis: ***Erratis, nescientes doctrinam Zoroastricam***, sed: ***Erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei*** (Matth. XXII, 29).

858. *Ad* 2[m], *Dist.* Apostolica ætate improbata hæc doctrina est ab Epicureis aut ab obscuris quibusdam hæreticis, *conc.* ab aliis, *neg.* Mirum sane est, posse revocari in dubium dogma aliquod testatissimum, eo quod nonnulli insani ethnici aut hæretici, qui nec admittebant animorum immortalitatem, ipsum improbaverint; quos propterea Christus ipse in Sadducæis confutat, et Apostolus vocat fidei subversores. Hoc semel admisso principio, Dei existentiam, animorum immortalitatem, veram Christi carnem aliaque ejusmodi deberemus rejicere, cum nunquam defuerint, qui illa improbaverint; tunc omnia flagitia, quæ illi commendarunt, tanquam honesta prædicare possemus. Quare

dit, eas gentes non habuisse resurrectionis nisi quamdam veluti umbram. Verum quidquid de hoc sit, illud profecto mirum, rationalistas, qui neque in Jobi luculentissimo testimonio deprehendunt doctrinæ de futura resurrectione vestigium, dum præterea neque admittunt eam fuisse a Christo traditam, postea omni ambage seposita affirmant e Zoroastri commentis sententiam de mortuorum resurrectione prodiisse; sic Flügge, *Gesch. des Glaubens an Unsterblichkeit* etc. seu *Historia de immortalitatis fide*, I, 286 et seqq. Berthold, *Christologia Judæorum*, pag. 176, 4.

Gesenius vero, *Commentar über den Js.* nempe *Commentarius in Isaïam*, I, 805, ad Is. XXVI, 19, scribit: „Ut ænigma circa sortem perpetuam sæpe infaustam piorum virorum, qui vita jam functi sunt, solverent, ipsosque gaudii participes redderent ex Messiano regno, doctrina Zendavestica de mortuorum resurrectione cum spe et ideis de Messiæ regno conciliabatur, quum ejusmodi ideæ jam ad res sensum transilientes extendi, et vulgarem naturæ cursum prætergredi cœperunt. Quapropter Judæorum dogmatica, ab exilii epocha non omnes mortuos, pios videlicet ac impios resurgere docet (quæ Parsismi utique est doctrina), sed pios dumtaxat, et post regnum Messianum sequi tandem secundam humani generis resurrectionem.” Verum ista sunt somniantium figmenta; Daniel enim XII, 2, luculenter omnium indiscriminatim hominum tum piorum tum impiorum resurrectionem denunciat. Lib. II Machab. solum negatur Antiocho resurrectio *ad vitam*; id est, gloriosa; Martha loquitur in genere de resurrectione universali; Christus, alloquens Judæos, de utrorumque resurrectione disserit. Paulus eamdem prædicat, quamvis rationalistæ eum dicant Pharisæorum doctrinis abreptum. Hinc merito Tertull. loc. cit. cap. 39, scribebat: „Ergo servabat *(Paulus)* resurrectionem quoque, qualem prophetæ annuntiarant... Itaque talem prædicabat, qualem et Pharisæi susceperant, et Dominus ipse defenderat, et Sadducæi, ne talem quoque crederent, in totum esse noluerant.” Sed quod magis mireris in rationalistis, est summa fiducia, qua asseverant Judæos, id est, sacros scriptores ex *Parsismo*, seu doctrina Persarum, suam hausisse de futura justorum resurrectione opinionem, ac decretis suis accommodasse. Attamen incertum adhuc est, an Persæ hanc doctrinam admiserint. Joan. Clericus, *Indicia philolog. Th. Stanleii*, de hoc dubitat; Moshemius loc. cit. et Jac. Boullier, *Traité de l'âme des bêtes*, tom. II, chap. 19, pag. 420, not. edit. sec. id negant. Sane Theopompus, ex quo Diogenes Laërtius, Eudemus Rhodius, Plutarchus ac postea Æneas Gazæus referunt doctrinam Zoroastri, nec sibi constant, ambigue loquitur. Cf. Diog. *Procem. ad vit. philos.* segm. 9, edit. Menagii; Plutarchus, *De Iside*, etc., tom. II, opp. pag. 370, edit. Francof. 1620, fol. Gaz. in Theophrasto, pag. 77, edit. Barthii.

rationalistas non pudet causam communem cum ipsis Epicureis et *fidei subversoribus* agere? Utique dogma resurrectionis generalis arcte connexum est cum Christi resurrectione, quod Apostolus declaravit; at quis sobrius inter mythos referat resurrectionem Christi, quæ factum est testatissimum, ut suo loco ostendimus [1])? *Si Christus non resurrexit*, merito clamabat idem Apostolus, *vana est fides vestra*, tota religio christiana non est nisi fraus turpissima. En quo devenerint rationalistæ!

859. *Ad* 3m, *Neg.* Tota enim hæc, qua late patet, argumentatio, non est nisi blasphemiarum congeries, a quibus aures christianæ abhorrere debent. Ergo Jesus (nunquam enim ipsum *Dominum* aut *Christum* vocant ejusmodi homines; sed per summum contemptum eum nominant; ac si ageretur de vili aliquo mancipio) decepit nos, indulgendo falsis popularibus commentis in re tam gravi? Ergo Apostoli ad unum omnes decepti sunt in assequendo sensu doctrinæ Christi? doctrinæ, inquam, non jam, ut adversarii mentiendo effutiunt, *allegoricis* aut *obscurioribus effatis*, velut obiter enunciatæ, sed sæpius inculcatæ, repetitæ, apertissime toties traditæ, ex. gr. Joan. V, 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, et alibi passim [2]). Quæri etiam posset, quibus adminiculis rationalistæ demum melius Christi doctrinam assecuti fuerint, et cognoverint deceptos, omnes fuisse Christi discipulos et universum christianum orbem, donec ipsi facem attulerint ad tenebras has dissipandas? Superbi homunciones, qui, ne propriis deliramentis nuncium remittant, traducunt universa Biblia velut paganorum mythologiam seu, ut ipsi loquuntur, *mythographiam.* Satius esset, illa aperte rejicere, ac se incredulos aperte et absque ambage profiteri. Ridiculum porro est, quod ex Joan. XVIII, 36, adducitur ad ostendendum Apostolos Messiæ provinciam e vulgaribus Judæorum commentis eruisse; Christus enim ibid. alloquitur Pilatum, ethnicum hominem, qui fortasse nunquam quidpiam audierat de Messia.

860. *Ad* 4m, Esto quod rationalistæ *non dubitent*, quin doctrina de resurrectione corporum non sit nisi quædam imago proposita reviviscendi post mortem. Videndum superest, an ipsi, qui Christo et Apostolis fidem detrahunt, non decipiantur in hac sua persuasione. Etiam insani *non dubitant* se esse reges aut principes, quandoque vitreos, etc. Nemo tamen sanæ mentis est, quem, si non rideat de ejusmodi ipsorum persuasione, eorum tamen non misereat. Porro, ne nos acquiescamus huic persuasioni, obstat doctrina Christi et Apostolorum, doc-

1) Tract. *De vera religione*, part. 1, n. 250 et seqq.

2) Cf. Joan. VI, 39-44, 55; XI, 23 et seqq; Matth. XXII, 29 et seqq; Marc. XII, 19 et seqq; Luc. XX, 28 et seqq. etc.

trina et fides totius Ecclesiæ, traditio et fides omnium sæculorum, quibus qui non acquiescit, Apostolo teste, *superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones ... ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ . . . conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt* [1]).

861. II. *Obj.* Scriptura non in uno loco contrariam doctrinam adstruere videtur. 1° Etenim, Psalm. LXXVII, 39, Deus percussisse dicitur Israëlitis, eo quod *recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens,* nempe ad corpus suum; item Psalm. CXIII, 17: *Non mortui laudabunt te Domine;* et clarius, Eccl. III, 19, dicitur: *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio;* jumenta porro non resurgent. 2° Saltem non omnibus communem Scripturæ exhibent futuram corporum resurrectionem, ut patet ex Psalm. I, 5, ubi legitur: *Non resurgent impii in judicio*; et Dan. XII, 2, non *omnes*, sed *multi* dicuntur evigilare *de his, qui dormiunt in terræ pulvere.* 3° Quæ quidem cohærent cum Apostoli verbis, qui, I Cor. XV, 50, ait: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et Christo teste, Matth. XXII, 30, electi *erunt sicut Angeli Dei in cœlo;* quod si datur resurrectio corporis, mutabitur istud prius in spiritum juxta illud, I Cor. XV, 44: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ergo.

862. *Resp. Neg. antec. Ad* 1m, *Dist.* Pepercit Deus populo suo, spectata ipsius infirmitate ac vitæ brevitate, *conc.* alio sensu, *neg.* Talem vero esse sensum horum verborum, ex contextu patet; nec proinde illa pertinent ad præsens argumentum.

863. Idem dicas de altero textu, quo Psaltes Deum orat, ut justos diu in hac vita conservet, ut per ipsos illius nomen ritu publico celebretur; quod nonnisi in præsenti vita effici potest.

864. Ecclesiastes vero, si tamen ex sensu suo hic loquitur et non potius ex impiorum persona, docet æquam esse hominis et jumentorum conditionem quoad vitæ hujus ærumnas et denique interitum [2]).

865. *Ad* 2m, *Neg.* Neque id evincunt quæ allata sunt; siquidem sensus Psalm. I, ad summum ostendit, impios ad gloriam minime resurrecturos, ut ex subsequentibus verbis colligitur: *Neque peccatores in concilio justorum, quoniam novit Dominus vitam justorum, et iter impiorum peribit;* nec non ex hebraica veritate, in qua objecta verba ita se habent: *Non sur-*

1) I Tim. VI, 4 et 5. Apprime in ejusmodi homines quadrant verba Tertull. loc. cit. *De resurrect. carnis,* cap. 63: „Tu potius illi *(corpori)* exorare debueras resurrectionem; per te, si forte deliquit. Sed nihil mirum, si odisti, cujus auctorem quoque respuisti; quam et in Christo aut negare aut mutare consuesti."

2) Cf. Calmet in hunc loc.

gent seu *non stabunt impii in judicio* [1]); id est, nec audebunt caput et frontem attollere.

866. Vocem *multi* apud Danielem usurpari ad universam multitudinem significandam, superius ostendimus.

867. *Ad* 3^m^, *Dist. Caro et sanguis*, id est, opera carnalia, seu homines secundum carnem, flagitiosam ducentes vitam, regnum Dei non possidebunt, nec incorruptionem seu impassibilitatem electis propriam, *conc.* ipsa carnis substantia, *neg.* Quod ipse contextus ostendit [2]); alioquin nec ipsa Christi caro ullam haberet in cœlo partem, ut Tertullianus recte jam arguebat [3]), quod nec adversarii contendunt.

868. Sic electi in resurrectione erunt *Sicut Angeli in cœlo* quoad modum seu rationem vivendi, *conc.* quoad modum seu rationem subsistendi, *neg.* [4]). Hinc apposite Tertullianus ait: *Non dixit* (Christus)*: Erunt Angeli, ne homines negaret; sed tanquam Angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit* [5]).

869. Eodem sensu Apostolus ait, resurrecturum corpus *spiritale*, quoad dotes nempe aliquas simile futurum spiritui, utpote immortalitate, incorruptibilitate, agilitate, etc. donandum: *Hoc autem*, inquit S. Irenæus, *non secundum jacturam carnis, sed secundum communionem spiritus fit* [6]).

PROPOSITIO II.

Dogma de futura corporum resurrectione rectæ rationi non adversatur.

870. Ad ostendendam possibilitatem corporum resurrectionis diversi diversas inierunt vias. Nec defuere, qui a recto tramite catholicæ doctrinæ hac de causa deflexerint, confugientes ad introducendam quamdam *παλιγγενεσίαν* (*palingenesiam*) seu *renascentiam*, *ortum secundum*, *instaurationem*, vi cujus homines quasi papiliones ex nympha, chrysallide seu brucho tandem prodire debeant ex germine quodam præformato etiam post obitum animæ inseparabiliter inhærente, quæ est hypothesis Bonneti [7]). Alii conati sunt eam exponere juxta

1) Hebr. enim habet לֹא־יָקֻמוּ, *Non stabunt, non subsistent*, etc. Cf. Lorinus S. J. in hunc locum.

2) Cf. Bern. a Piconio in hunc loc.

3) Loc. cit. cap. 51, vehementer porro sic loquitur: „Securæ estote, caro et sanguis; usurpastis et cœlum et regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent et in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt."

4) Recol. superius dicta, num. 19 et seqq.

5) Lib. cit. cap. 62.

6) *Contra hæres.* lib. v, cap. 8, num. 1. Vid. S. August. *De civ. Dei*, lib. xx, cap. 21.

7) *Ricerche filosofiche su le prove del cristianesimo.* Traduz. dal francese, Venez. 1771. Ut melius auctoris systema dignoscatur, juverit ipsius verba in medium afferre, quibus ipsum exponit. Cum præmisisset, se pro certo habere hominem in resurrectione non resumpturum esse corpus *crassum*, quocum mortalis vixit, autumat „che l'uomo

theoriam replicationis corporum, quæ ita exponitur: Conservatio est continua creatio, ita ut per singula existentiæ nostræ tempuscula Deus quodammodo in nobis renovet illam creationem existentiæ, quam in ortu ipso dedit. Cum aliquem reduplicat, nihil aliud præstat, nisi ut homo illam creationem, quam haberet successive, habeat simultanee, quandocumque ipsi Deo placuerit. Itaque, concludunt, in resurrectione Deus non redintegrabit nisi existentiam, quam quisque habebat, antequam e mortalibus abiret; per mortem enim postea absumptum corpus putrescit, vel devoratur, consumitur, etc. [1]).

sia stato preformato in modo, che la morte non distrugga punto il suo essere, e che l'anima mai non cessi di essere unita ad un corpo organizzato" (cap. 1, pag. 26); ejusmodi autem corpus „non è al presente che un germe preformato, per uno stato futuro non soggetto a perire, come perisce il corpo terrestre" (ib. pag. 32). Hoc autem germen „è un corpo spirituale, che deve succeder al corpo animale, e la risurrezione non sarà, che lo sviluppamento più o men rapido del corpo spirituale, sin da principio collocato nel corpo animale, come la pianta nel suo acino" (pag. 224). Quod deinde analogia confirmat, dicens: „Se le più certe ed esatte osservazioni concorrono a stabilire, che questa volontà adorabile *(Dio)* ha preformato gli esseri organizzati, se per mezzo de' nostri occhi scopriamo noi stessi una preformazione in molte specie; non è egli probabile, che l'uomo sia stato preformato in modo, che la morte non distruggesse punto il suo essere, e l'anima non mai cessasse di essere unita ad un corpo organizzato" (pag. 25, 26)? Verum cfr. quæ adversus hoc systema scripsit Cl. Muzzarelli; *Il buon uso della logica*, opusc. XXII, edit. quinta Florentiæ 1822, tom. VII, ubi ostendit, ejusmodi systemate destrui ideam et veritatem mortis, nullam jam dari veram resurrectionem, subverti fidem, etc. Satis nobis erit animadvertere, 1° systema istud de subtiliori organo animæ inhærente valde arridere rationalistis, non ad resurrectionem futuram adstruendam, siquidem eam negant, sed ad ideam sibi efformandam animæ subsistentis post hujus crassioris corporis depositionem. „Animum, *inquit Wegscheider*, §. 194, cum sensu et sui ipsius conscientia, ideoque novo qualicumque organo tanquam corpore eodemque subtiliore instructum, siquidem mentis finitæ sine spatii limitibus et corporali natura vix cogitari possunt, post mortem corporis terreni fore superstitem." Sic etiam J. Caspar Lavater, *Aussichten in die Ewigkeit*, etc. seu *Prospectus in æternitatem*, epist. VII; Doederlein. *Inst. theol. christ. dogm.* edit. 1, pag. 125, qui scribit: „Corpore humano subtilius idemque nobis invisibile contineri animi nostri involucrum seu organum, cujus usum animus et in hac vita terrestri faciat, et statim post mortem libertate majori sit facturus." Similiter Kaiser, *Monogr. theol. christ. dogm.* pag. 176; J. P. Fr. Richter, *Abhandlung über den Magnetismus*, im *Museum*, seu *Tractatus de magnetismo, in musæo*. U. J. seqq. Elirhart, *Ueber die christl.* etc. *De christ. resurrectionis doctrina*, Ulmæ 1823, aliique passim. Adeo verum est, nihil tam absonum in philosophia aut theologia reperiri, quod ejusmodi homines non arripiant. Animadvertimus 2° hypothesin Bonneti, ut ex ejus verbis liquet, fundari in doctrina de universali quadam corporum organisatorum palingenesi seu reproductione germinis præformati. Jam vero a recentiori physica dispunctum jam est ejusmodi systema, quod accuratioribus observationibus et experimentis repugnat; nec admittitur nisi *epigenesis*, seu *adgeneratio*, *productio* simplex, qua absque aliquo germine præexistente novum corpus *organisatum* vere formatur ac producitur. Cfr. *Manuale di fisiologia di Michele Medici*, Bologna 1833, part 2, cap. 44 et seqq.

1) Præterquam quod ejusmodi explicatio valde implexa est ac intellectu difficilis, laborat et ipsa iisdem fere difficultatibus, quibus systema palingenesis implicatur. Destruere enim videtur ideam veræ resurrectionis, qualem fides docet, quæ consistit in restitutione seu *redintegratione* ejusdem numero corporis physici, quod per mortem amittitur. Hinc in Symbolo Ecclesiæ Aquilejen. occurrit illud additamentum: *Credo hujus carnis resurrectionem:* quod defendit, ut vidimus, S. Greg. M. adversus Eutychium. Cfr. etiam Suarez loc. cit., ubi ostendit, *subjectum* resur-

871. Verum his prætermissis, non solum possibilem, sed præterea rationi ipsi consentaneam esse futuram corporum nostrorum resurrectionem evincimus.

872 Possibile enim illud dicitur, et est, quod nullam in sui notione involvit notarum, ut inquiunt, repugnantiam. Jam vero quæ repugnantia fingi aut concipi potest in eo, quod Deus, qui corpus nostrum condidit seu efformavit, cum antea non esset, eique animam conjunxit, ut viveret, idipsum postea restituat, cum resolutum est? Rursum: quænam repugnantia involvitur in eo, quod Deus, qui omnipotenti virtute sua, effecit efficitque continuo, ut ex tenui initio corpus integrum evolvatur per generationem, illud ipsum suæ omnipotentiæ vi restituat, cum, adnotante Tertulliano [1]), corpora nostra nobis pereant, non Deo, qui minimas quasque eorumdem particulas, etsi in auram resolutas, cæterisque corporibus commixtas certissime cognoscit, iterumque suis locis aptare potest?

873. Demum illud possibile est, quod factum esse constat. Porro certum est, ut suo loco ostendimus [2]), Christum e mortuis resurrexisse; certum præterea est, Christum ipsum Lazarum quatriduanum e tumulo excitasse. Idem porro est, ad rei substantiam quod spectat, sive putre cadaver excitare, cujusmodi fuit illud Lazari, sive jam dissolutum penitus ad vitam revocare; ergo, si non repugnat resurrectio mortui jam fœtentis, nec implicat seu repugnat resurrectio mortui in cinerem redacti; nulla enim intrinseca differentia est [3]).

874. Esse autem ejusmodi ressurrectionem rationi ipsi consentaneam, non pauca tum analogica tum moralia argumenta suadent. Analogica quidem, quia, ut observavit jamdiu Tertullianus, quidquid in hac rerum universitate cernitur, imaginem et speciem quamdam præ se fert resurrectionis: *Omnia*, ait ipse, *in statum redeunt, quum abscesserint; omnia incipiunt, quum desierint; ideo finiuntur, ut fiant; nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum; operibus eam præscripsit Deus antequam literis; viribus prædicavit antequam vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiæ discipulus naturæ; quo statim admittas, quum audieris, quod ubique jam videris; nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium novisti restitutorem* [4]). Quod et ante

rectionis aliud non esse nisi corpus, quod per mortem deponitur, cujus *terminus* est ejusdem corporis excitatio.

1) Op. cit. cap. 68 et seqq. et cap. 56, optime ait: *Idoneus Deus reficere quod fecit . . . Quomodo vita confertur a Deo, ita et refertur.*

2) Tractatus *De vera religione*, part. 1, num. 250 et seqq.

3) Cf. Tertullian. loc. cit. cap. 38.

4) Ibid. cap. 12.

ipsum Seneca pariter animadverterat, dicens: *Æquo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium, videbis nihil in hoc mundo extingui, sed vicibus descendere ac surgere. Æstas abit*, etc.[1]).

875. Argumenta autem moralia vix ejusdem veritatem non demonstrant. Etenim, ut verbis S. Ambrosii utar: *cum omnis vitæ nostræ ratio in corpori animæque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio præstanda sit*[2])? Nempe, nisi detur corporum resurrectio, non reciperent homines præmia vel pœnas eorum operum, quorum auctores fuerunt per conjunctionem animæ cum corpore; quod absonum omnino esset. Licet enim omnium meritorum radix ac sedes in anima sit, anima tamen in præsenti conditione corpore utitur ad suas operationes exerendas, quod ejus individua et intima comes est.

876. Præterea ex unione animæ et corporis exurgit suppositum humanum seu persona, *nostrum ego*, ut dicunt, quod vult, agit, operatur, meretur vel demeretur; sublato autem hoc essentiali utriusque nexu, perit suppositum, quod *homo* dicitur; nam anima per se sumpta nec homo nec persona est. Cum igitur homo seu humanum suppositum, aut deliciis affluxerit et voluptatibus, aut cruciatibus, molestiis, omnique calamitatum genere laboraverit, pronum est colligere, hunc ipsum hominem seu humanum suppositum præmiis aut pœnis affectum iri; quod nonnisi per resurrectionem obtineri potest.

877. Insitus pariter animis nostris quidam sensus est, quo dum a morte seu dissolutione refugimus, appetimus ejusdem dissolutionis reparationem; propterea mœstitia ingenti afficeremur, si, spectata perpetua naturæ totius reparatione, vel aliquantulum suspicari possemus solum casum seu jacturam corporis nostri fore irreparabilem; ac, dum vescimur, nil aliud nos efficere nisi pabulum vermibus in tumulo præparare. Nec dubito, quin ipsi increduli summa animi voluptate amplecterentur ejusmodi doctrinam, in quam incredibili quodam impetu perinde atque in felicitatem in genere a natura ipsa inclinamur, nisi conscientiæ voce retraherentur, qua non possunt sibi polliceri nisi resurrectionem ad mortem ac ignominiam æternam.

1) Epist. 36, num. 11, edit. Taurin. opp. tom. III.

2) Lib. *De fide resurrect.* num. 52 et seqq. ubi argumenta ipsa a Tertulliano adducta ad fidem resurrectionis adstruendam, profert et latius deducit: „Tribus tamen, *inquit*, evidentius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehenduntur, ratione, universitatis exemplo, testimonio rei gestæ, quia plurimi surrexerunt. Ratio evidens est, quia cum omnis vita, *etc.*" Quæ deinde singillatim late prosequitur. Cf. etiam Tertull. lib. cit. cap. 15 et 16.

878. Sive igitur spectetur homo physicus sive moralis, non modo possibilis futura corporum resurrectio deprehenditur, sed plane rationi consentanea, ut omnia argumenta suadent.

879. Hæc autem majus robur acquirunt, si spectetur homo *christianus*. Quandoquidem homo christianus factus est membrum Christi, capitis proinde sui vices ipsum subire oportet, si fidelis suæ professioni sit; ejusdem Christi carne et sanguine alitur, quare et ejusdem capitis gloriæ et immortalis vitæ participem fore sibi polliceri debet. Redemptorem suum ac reparatorem totius et integræ naturæ suæ, seu proprii individui novit in Christo, qui non solum animam sed et corpus redemit, quod mortale effectum non est nisi per Adæ culpam. Si igitur Christus reparavit, quod cecidit in Adam, jam inde constat etiam corpus fore per ipsum excitandum. Alioquin magis nobis nocuisset Adæ culpa, quam profuerit redemptio Christi, quod plane repugnat Apostoli doctrinæ Rom. V. Hinc super fidelium christianorum tumulum hæc communis deberet esse inscriptio: ***Visi sunt oculis insipientium mori;*** quemadmodum, dum adhuc in vivis agunt inter tot, quibus premuntur, angustias, communis hæc deberet tessera esse: ***Reposita est hæc spes mea in sinu meo.***

DIFFICULTATES.

880. I. *Obj.* Tantum abest, ut resurrectio corporum cum sanæ rationis principiis bene conciliari queat, ut plurimis gravissimisque impediatur difficultatibus. 1° Non enim intelligitur, quomodo particulæ hujus corporis, in tot alia et ipsa humana corpora dispersæ et mutatæ, colligi possint et restitui. 2° Quid hoc ipsum corpus restitutum faciat ad mercedem factorum, in vita futura expectandam, quippe quum corpus illud nec perperam nec recte agere potuerit. 3° Deo sanctissimo benignissimoque non convenit, quod homini, qui sine corpore vitam veram degere nequeat, post multa demum annorum millia hoc corpus reddere fingitur. 4° Doctrina ecclesiastica, quæ novam quamdam conjunctionem animæ hac vita defunctæ cum corpore mortuo ineundam tantopere urget, non solum omnipotentiam ac sapientiam divinam parum curare videtur, sed variis etiam superstitionibus atque ineptissimis quæstionibus opportunitatem præbuit, quibus, admissa puriore sententia (rationalistica), eaque in Libris Sacris tradita, facile supersederi potest [1]). Ergo.

881. ***Resp. Neg.*** *antec.* Siquidem sanæ rationis principiis corporum resurrectionem plane congruere et cum iisdem bene conciliari ostendimus; si quæ sunt difficultates, quæ urgeant ejusmodi dogma, non ideo minus certum ac verum censendum

1) Ita Wegscheider, §. 195.

est. Non solum enim nullum religionis dogma suis difficultatibus caret, sed omnes præterea naturales disciplinæ, ex. gr. medicina, physica, astronomia, etc. suas habent. Dei ipsius existentia, animorum immortalitas, etc. quæ a rationalistis admittuntur, nonne suis difficultatibus implicantur? numquid propterea rejiciendæ sunt? Verum ejusmodi difficultates tales minime sunt, ut iis deterreri debeamus. Hinc

882. *Ad* 1m, *Dist.* Non intelligitur, seposito divinæ omnipotentiæ interventu, *conc.* hoc admisso, prout admittendum esse contendimus, *neg.* Nec enim naturali ratione corporum resurrectionem effectum iri quispiam affirmat, sed divinæ omnipotentiæ virtute, cui perinde est res quæ non existebant ex nihilo condere, ac materiæ dispersæ particulas aut moleculas, ad compaginandum corpus rursum coagmentare. *Mutatio* autem in his moleculis, si quæ contigit, tota accidentalis est, ut monuimus, non autem essentialis, qualem physiologia, seu potius, ut vocant, zoobiologia docet [1]), ac philosophia universim.

883. *Ad* 2m, *Dicimus,* corpus restitutum ad mercedem factorum, in vita futura expectandam, plurimum efficere, cum ex corporis restitutione, juxta dicta, exurgat nostrum suppositum, *nostrum ego.* Etsi autem corpus per se sumptum nec perperam nec recte agere possit, cum anima tamen arctissime et hypostatice consociatum patitur aut voluptate afficitur, eidem præterea animæ inservit, ut ipsa ideas sensiles sibi cudat, et una cum ipso mereatur aut demereatur, ideo congruum est, ut una cum eadem anima corpus pariter pœnam aut præmium factorum consequatur.

884. *Ad* 3m, *Negamus,* animam sine corpore absolute veram vitam degere non posse. Hoc non est nisi adversariorum figmentum, qui propterea excogitarunt animam, post corporis terreni mortem, novo, nescio quo, organo eodemque subtiliore instructum iri, eo quod mentes finitæ sine spatii limitibus et corporali natura vix aut ne vix quidem concipi possint [2]). Hoc enim non minus cum recta fide, quam cum sana metaphysica pugnat. Angeli siquidem sunt mentes finitæ et cum conscientia sui, attamen cujuscumque materiæ expertes eos

1) Cf. Ducrotay de Blainville, *Cours de physiologie générale et comparée,* tom. 1, 3me leçon, pag. 65 et seqq. Paris 1833; ubi inter cætera scribit: „Ainsi, de même que les organes d'un être vivant résultent de certains agroupements de molécules, au milieu d'une trame générale, de même aussi les molécules, qui composent l'univers ou la matière, s'agroupent de diverses façons, et forment, par ces différents modes d'agroupements, ce qu'on nomme des corps, lesquels, par cela même qu'ils ne sont que des parties d'une seule masse générale, réagissent continuellement les uns sur les autres, *etc.*" Ejusmodi autem moleculæ in perpetuo transitu, ut ita loquar, esse concipiuntur, juxta diversas modificationes, quas subeunt. Sed de his mox iterum dicemus.

2) Recol. superius recensita de hoc organo, in expositione systematis Bonneti.

esse ostendimus [1]). Ejusmodi homines pro libertate, quam sibi arrogant, negant quæ testatissima sunt, et obtrudunt quod sibi placet, nec argumenta ulla proferunt, ad hypotheses suas seu potius absurditates communiendas. Etsi igitur animæ separatæ substantiæ sint incompletæ, attamen Dei virtute cum conscientia sui vere subsistunt, vivunt et operantur, juxta catholicæ doctrinæ principia de earum statu post mortem corporis, quem pro meritis obtinebunt aut in æterna beatitudine, aut in inferno, aut, ad tempus saltem, in purgatorio.

885. *Ad* 4m, *Neg.* In primis autem observo non solum *doctrinam ecclesiasticam*, sed *divinam revelationem*, Apostolos, Christum ipsum tantopere urgere conjunctionem animæ, post temporalem hanc a corpore separationem, cum eodem corpore jam mortuo ineundam. Asserere autem, Apostolos, imo et Christum Dominum parum curare divinam omnipotentiam atque sapientiam, doctrinamque præbere, quæ ex se ineptissimas quæstiones, imo et superstitiones foveat, blasphemia est et insania non ferenda. Digna hæc sunt istorum hominum, qui se jactant tradere doctrinam puriorem ea, quam Apostoli et Christus tradiderunt, hominum dico, qui fortasse nec animorum immortalitatem, nec in Deum ipsum credunt. Adeo sane enervant argumenta illa, quibus hæ veritates probantur, ut omnem fere vim suam amittant! Si Biblia, ut ipsi autumant, docent puriorem, quam vocant, sententiam, quidni indicant saltem, ubi hæc sententia tradatur? Agnoscat demum protestantismus, quos fructus peperit fundamentale illud principium de totali rationis independentia a quavis auctoritate. Scripturæ enim auctoritas privato sensu expositæ *nulla* est, cum semper eludi possit, ut rationalismus ostendit [2]).

886. II. *Obj.* 1° Ejusdem materiæ atomi ad plura corpora spectare possunt. Cannibales anthropophagi, qui toto vitæ tem-

1) Cf. supra num. 19 et seqq.

2) Vere nunc risum movet quod Moshemius, diss. cit. §. 27, scripsit: „Quod ipsæ Sacræ Literæ testantur, nullum clarius, certius et ad immobilem fidem gignendam efficacius est (*redintegrationis nostræ firmamentum et pignus*), quam ipsius magistri nostri, tot vulneribus et ærumnis confecti, triumphus de morte et reditus de sepulchro." Optime sane, nisi protestantismus robur omne præcidisset ejusmodi pignori et firmamento, dum suum constituit destructivum principium independentiæ rationis, seu spiritus privati a legitima auctoritate, in Sacrarum Literarum expositione. Hoc enim principio semel constituto, nihil tam *clarum* tam *certum* ac *efficax est* in Sacris Literis, quod perversa hominum ingenia non subruant. Necesse autem non est longius hujus rei exemplum et confirmationem accersere, quum id rationalistæ abunde ostendant, qui, etsi Scripturas sequi se profiteantur, attamen tum Christi ipsius tum corporum nostrorum futuram resurrectionem non solum negant, sed utrumque articulum inter mythos incultioris ævi omnino ablegant. Idem dicatur de eo, quod ait Beausobre, loc. cit. §. 5: „Ce n'est pas une erreur tolérable que celle de nier la résurrection. S. Paul s'est trop expliqué sur cet article." Verum horum scriptorum ætate nondum omnes fructus suos protulerat protestantismus, neque tunc omnes prævideri poterant.

pore humanis carnibus nutriuntur, in propriam substantiam convertunt carnes, quæ ad alios, homines spectarunt. 2° Præterea quis nesciat omnes omnino homines totidem anthropophagos esse? Vix enim terræ cadavera mandata sunt, ut illico resolvantur in sua principia; his nutriuntur vegetabilia, quibus aluntur animantia; nosque, dum vegetabilibus et animantibus vescimur, in nostram rursum convertimus substantiam ea ipsa principia primigenia, quæ substantiam constituerunt illorum hominum, qui superioribus sæculis vixerunt, et ita deinceps quoad futuras generationes; adeo ut perpetua sit ejusdem substantiæ commeatio seu fluxus, quæ ex uno in aliud corpus transit. Cum igitur eadem substantia ad tot corpora pertinuerit, in resurrectione futura cuinam restituetur? 3° Ex animadversionibus super œconomia animali institutis, certo constat, corpus humanum perpetuas vices subire; amittit enim accipitque jugiter corpus nostrum magnam molecularum partem substantiæ seu materiæ, qua constituitur, ita ut singulis septenniis penitus renovetur. Hinc, accurate loquendo, corpus hujus diei idem omnino dici nequit ac corpus diei hesterni. Tot igitur ejusmodi corporum, quot idem homo habuit integra vitæ periodo, quodnam præcise resumet in resurrectione? Quacunque igitur ex parte dogma istud spectetur, sanæ rationi et scientiæ repugnare deprehenditur [1]).

887. ***Resp.*** His difficultatibus, quas adeo magni faciunt increduli, priusquam occurramus, juverit nonnulla præmittere ad vera a falsis, aut saltem exaggeratis, secernenda, juxta probatam physiologorum doctrinam.

888. Ac 1° quidem animadvertendum est, stultam esse hypothesin anthropophagorum, qui non alantur toto vitæ tempore nisi solis carnibus humanis, quod nescio an unquam factum sit, aut etiam fieri possit.

889. 2° Certum est, herbas ac plantas, ut etiam demus quod adversarii autumant, præter nutritionem, quam ex defunctorum corporum principiis adsciscunt, alia multa in proprium alimentum seu succum convertere, imo illorum partem minimam esse, quam ex cadaveribus attrahunt, quod propterea pariter dici debet de animantibus ac de hominibus, qui tum terræ fructibus tum animantibus vescuntur.

890. 3° Principia materiæ primigenia, etsi diversam modificationem subeant, aut *combinationem* chimicam, in se prorsus incorruptibilia, imo et indestructibilia, sunt [2]). Data propterea

1) Ita passim increduli qui nullam hac in parte difficultatem protulerunt, quam veteres ethnici et hæretici non proposuerint, ut constat ex Origene, loc. cit. *Contra Celsum*; ex Athenagora, *De resurr. mort.* cap. 4, in *Biblioth. Patrum*, edit. Venet. tom. II; ex Tertulliano, lib. toties cit.; ex S. Epiphanio, *Hær.* XLIV, n. 10 et seqq. quasque ipse merito vocat *objectiunculas*, ἐπαπορητικας; ex S. Augustino, in *Enchir.* cap. 84 et seqq.

2) Ejusmodi principia primigenia, quæ

quacumque immeatione, seu transitu de una in alteram substantiam, ipsa in se omnino eadem permanent, ac propterea semper Deus illi potest restituere, ad quem aliquo vitæ tempore pertinuerunt [1]).

891. 4° Etsi verum est corpora viventium jugiter consumi ac renovari, attamen, ut verbis utar Cl. Laur. Martini, in quæstione inter physiologos positum est, utrum omne corpus plane renovetur, an quædam tantummodo elementa. Nonnulli, illud omnino renovari, contendunt; alii censent, primigenia stamina ex textu cellulari componi, in cujus cellulas demittantur varia sanguinis principia, ea stamina non deteri, consumi dumtaxat materias, quibus ille imbuitur. Posterior sententia, ut idem prosequitur, veritati magis consentanea videtur. Profecto non facile mente adsequi licet, quomodo organica fibra destrui posset, quin simul vitam amitteret [2]). Posteriori huic sententiæ

et *simplicia* ab aliis vocantur, *indestructibilia* dicimus *per se*, non autem *respectu Dei*, qui ea ex nihilo condidit, secus ac nonnulli recentiores philosophi, seu verius increduli autumant.

1) Apposite inquit S. August. *Enchir.* cap. 88: „Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium etiam hominum cibum cedat carnemque mutetur, illi animæ humanæ, puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit." Cap. seq. illud præclare addit: „Ipsa itaque terrena materies, quæ, discedente anima, fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea, quæ dilabuntur et in alias atque alias aliarum rerum species formasque vestuntur, quamvis ad corpus redeant, unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire necesse sit." Cf. etiam Tatianus, *Orat. cont. Græc.* cap. 6, *Biblioth. Patrum,* edit. Venet. tom. I.

2) *Elementa physiologiæ,* lib. III, pag. 79, edit. 3, Taurini 1835. Hanc eamdem opinionem tenuit Hunter. Neque ab his admodum abludit cit. Blainville, qui, cum tom. I, pag. 119, constituerit distinctionem, quam ipse vocat fundamentalem, inter *elementa constituentia* et inter eorum *productum,* seu inter ea, quæ partem constituunt ipsius animantis, ejusdemque efficiunt textum *(tissu)*, atque inter id omne, quod invenitur in superficie tam externa quam interna animantis, ita prosequitur : „Un changement de tissu ne peut avoir lieu que *rarement* et dans des limites très restreintes, tandis que rien n'est plus ordinaire que de trouver de pareils dépòts à la surface de l'animal et dans les mailles qui forment sa matière constituante; or ces dépòts ne présentent qu'une simple production émanée des fluides de l'organe, production qui, par son degré de solidité et par sa présence dans les petites aréoles de ce dernier, lui donne un air de transformation, qui a pu faire illusion; mais il est facile de retrouver le tissu normal dans cette sorte de mélange,du moins tant que la production nouvelle n'a pas donné lieu à son atrophie, et ne l'a pas détruit." Quod sæpius repetit, vocans textum cellularem *basim œconomiæ animalis*. Sed clarissime, tom. III, pag. 6: „Vous ne verrez jamais dans un produit la moindre trace de réticulation, de spongiosité, en un mot, de cette disposition qui indique la présence du tissu cellulaire ou générateur, et par conséquent l'organisation; car l'organisation consiste essentiellement dans cet état réticulaire, celluleux, qui est la condition des mouvements d'absorption et d'exhalation dont se compose, avant tout, la vie." Attamen alii contrarium censent, inter quos Mich. Medici, op. cit. par. I, *Fisiologia generale*, sez. prima, cap. 6, in quo diversas leges statuit reproductionis, inter quas secunda ita ponitur : „Per la forza riproduttiva, sotto certe condizioni i tessuti vengono rigenerati, ove sieno recisi, e porzione di essi venga portata via, o da altro modo distrutta . . . La terza *(legge)* è, che questa straordinaria vegetazione o riproduzione dei tessuti, è in ragione inversa della così detta perfezione , ossia complicazione organica dei varii corpi vivi, *ecc.*" Quas leges deinde evolvit et confirmat.

majus robur accedit ex doctrina apud eosdem physiologos recepta, mortem naturalem, quæ nempe ex senio tantum provenit, pendere ex texturæ cellularis, quam processu temporis acquisivit, consolidatione, qua proinde inhabilis fit ad incitamentum [1]).

892. Ex qua theoria jugis illa explicatur alimentorum permeatio, quæ fit per *compositionem* et *decompositionem*, vel, si magis placet, per partium *assimilationem* ac *dissimilationem*, quibus œconomiæ animalis, quæ *nutritio* dicitur, systema continetur. Alimentorum pars, quæ per nutritionem consumitur, minima est; cæteræ autem per *egestionem* ac *perspirationem sanctorianam* amittuntur. Per vim autem *vitalem* texturæ cellulares juxta diversam, qua donantur, structuram, varia principia attrahunt, ac prout varius est incitamenti gradus vicibus subest [2]).

893. 5° Cum, non obstante hujusmodi jugi materiei molecularum vicissitudine ac permeatione, seu, ut vocant, *reproductione*, idem semper in nobis corpus perseveret ac sit, ut ex sensu intimo edocemur (ecquis enim, nisi amens sit, dicet, corpus, quod hic et nunc possidet, idem non esse ac corpus, quod habuit ante viginti ac triginta annos?), patet ad identitatem corporis constituendam minime requiri identitatem omnium et singularum materiæ seu substantiæ molecularum; sed, si admittitur sententia illorum physiologorum, qui adstruunt reproductionem seu renovationem corporis, seu potius molecularum quibus illud constat, non esse nisi partialem, satis est ut essentiales nonnullæ partes, staminum scilicet primigeniorum seu texturæ cellularis, conserventur, ut identitas corporis exurgat; si vero juxta aliorum physiologorum sententiam totalis admittitur renovatio, jam patet, nec ullius requiri moleculæ identitatem ad hoc, ut idem corpus dici debeat. Corpus enim idem dicitur, non obstante jugi molecularum vicissitudine, si ab eadem informetur anima, et si præterea alia adsint, quæ determinare difficile est, nec ad theologum pertinet; sed certe identitas magis ex forma etiam materiali, structura, organismo, etc. quam ex materia est repetenda, et quidem quamdiu vivimus, ut ex dictis patet; eadem porro ratio valet quoad resurrectionem [3]).

1) Cf. Martini, op. cit. pag. 78.

2) Ibid. tum in fusiori opere: *Lezioni di fisiologia*, tom. VIII, lez. 71, Torino 1830.

3) Advertendum tamen est, hoc intercedere discrimen inter jugem reproductionem et resurrectionem, quod illa nonnisi successive fiat in diversis corporis seu materiæ moleculis, quæ sensim et sine sensu per partes reproducuntur, aliis permanentibus, quæ eamdem semper basim, ut ita dicam, constituunt, ac proinde integra particularum renovatio non habetur, nisi post datam periodum plus minusve longiorem. Et en, quomodo, mutatis omnibus moleculis ac penitus renovatis, idem tamen semper corpus perseveret! In resurrectione vero corporis restitutio erit instantanea, nisi propterea eædem moleculæ resumantur, quæ saltem partem corporis essentialem constituebant, dum quispiam mortuus est, non haberetur corporis identitas, sed aliud seu diversum omnino esset; quod asserere a fidei principiis abhorret. Quare vel ipse Mich. Medici, qui extendit reproductionem ad ipsos textus cellulares, loquens

Igitur resurrectio possibilis est, seu anima proprium corpus recipere potest, licet paucissimas recipiat ex moleculis, quæ ante mortem ejus corpus constituebant.

894. 6° Probabile est, corpora post resurrectionem minori indigere materiæ quantitate, quam corpora mortalia ac passibilia.

895. Quibus præmissis, jam sponte ruunt difficultates incredulorum. Etenim *ad* 1m, ***Resp.*** Data etiam absurda hypothesi, illos anthropophagos recepturos illas tantum moleculas, quæ requiruntur et sufficiunt ad proprium corpus constituendum, cæteras vero cum vel non fecerint suas, aut maxima ex parte amiserint, restituentur illis, ad quos spectabant.

896. ***Ad*** 2m, Eadem esto responsio.

897. ***Ad*** 3m, Dico, satis esse, ut illas particulas resumat, quibus coalescebat essentialiter illud corpus, quod per mortem dimisit, quia, etsi moleculæ mutatæ ac renovatæ successive fuerint singulis vel trienniis aut septenniis [1]), idem corpus semper extitit, quoniam identitas corporis est independens ab identitate molecularum, æque ac, si quis in ædificio aliquo singularibus sublatis lateribus alios per vices in illorum locum sufficiat, idem semper ædificium censetur et est.

898. III. ***Obj.*** Saltem sub eo respectu futura corporum resurrectio tanquam impossibilis traduci debet, quod orbis terrarum hic noster impar omnino sit ad omnia quæ resurgent corpora continenda [2]).

loc. cit. de vi reproductiva, quam vult intrinsece eamdem esse ac eam, quæ præsidet primitivæ corporum organisatorum compositioni post generationis actum, quæque a Buffon *vis vegetativa*, a Wolfio, *vis essentialis*, a Blumenbachio *nisus formativus* nuncupatur, concludit: „L'unica differenza è che per quest'ultima il corpo organico riceve la forma e la composizione primordiali, mentre la forza riproduttiva operando nella vita gia cominciata e precedente, la conserva, e per così dire, la ripete."

1) Dixi: singulis *trienniis* aut *septenniis*, quia nihil certi circa hanc renovationis periodum statui potest; varia enim est. Fatentur enim accuratiores physiologi, diversam esse reproductionem pro diversa ætate; maxima est in infantia et pueritia, media in adolescentia ac præsertim in virilitate, minima in senectute et senio; imo diversa ratione perficitur, juxta diversas *constitutiones physicas*, ut vocant, individuales uniuscujusque, et juxta diversum vitæ genus, etc. Cfr. auctores citati, nec non Richerand, *Nuovi elementi di fisiologia*, trad. dal franc. tom. i, cap. 6, §. 110 et seqq. Firenze 1815. Nos unius M. Medici verba proferemus, qui op. cit. tom. ii, cap. 82, circa finem, hæc habet: „Ma se la nutrizione va riparando le materie continuamente perdute, ne conseguita, che dopo certo spazio di tempo il corpo si rinnovi. E chi pensa cotesto rinnovellamento accadere ogni tre anni al più tardi; altri ogni sette. Per me tante sono e così variabili le funzioni preparatorie della nutrizione, che reputo impossibile lo assegnare lo spazio necessario al mutamento del corpo." Non obstante jugi isto ac perpetuo molecularum fluxu per modificationes physicas aut chemicas, quas subit corpus nostrum, intimi tamen sensus testimonio constat, hominem sibi conscium esse de sua individuali identitate, ac nemo dicet se corpus possidere post triginta, sexaginta, etc. annos, diversum ab eo, quod obtinebat vel in infantia vel in adolescentia. Moleculæ præterea *mutantur*, sed non *destruuntur*. Cf. Joan. Butler, *L'analogie de la religion naturelle et révélée*, trad. de l'anglais, première partie., chap. i, *d'une vie future*, pag. 21 et seqq. Paris 1821.

2) Ita Joulain, architectus olim regius, in dissertatione, quæ inserta est in diario, cui titulus: *Journal encyclopédique*, sept. 1770, pag. 267.

899. ***Resp. Neg.*** Hoc enim commentum jamdiu explosum est a Cl. Feller, qui fallacem ostendit ita dictam *demonstrationem*, qua incredulus homo nitebatur evincere, orbem hunc nostrum talem non habere amplitudinem, quæ possit capere omnes homines præteritarum generationum; imo, inita supputatione, luculenter patefecit, centum milliaria italica quadrata sufficere ad ingentem multitudinem continendam omnium hominum, qui intra sex mille annorum periodum sibi invicem successerint juxta præsentem mundi incolarum frequentiam [1]. Adeo stolidos se ostendunt increduli dum catholicam fidem aggrediuntur!

CAPUT VIII.

DE JUDICIO EXTREMO.

900. Vidimus superius Calvinum impugnantem veritatem judicii *particularis*, ut adstrueret *solum* judicium universale, quod et *extremum* a nobis dicitur. Debemus heic ostendere veritatem judicii universalis seu extremi adversus recentiores Protestantes, præsertim vero adversus rationalistas, qui nunc tuentur *solum* judicium particulare, ut excludant universale.

901. Præmittimus autem, 1° incertum esse tempus et locum hujus judicii, quum neutrum nobis revelare Deus voluerit [2].

902. 2° In hoc judicio publico ac solemni omnium prorsus ac singulorum hominum, qui a mundi exordio usque ad ejus exitum extiterunt aut extituri sunt, actiones esse discutiendas.

903. 3° Modum hujus discussionis ac manifestationis esse prorsus diversum ab eo, quem passim nobis animo, seu potius imaginatione fingimus, ut ex iis, quæ dicturi sumus juxta Patrum doctrinam et probata theologorum principia, manifestum fiet. Sed, ut ad dogma ipsum jam accedamus, sit

PROPOSITIO.

Post corporum nostrorum resurrectionem instituetur a Christo universale omnium hominum judicium.

904. Hæc propositio de fide est, ut ex omnibus fidei nostræ symbolis constat. In Symbolo enim Apostolico credere profitemur, quod *Christus venturus est judicare vivos et mortuos;* et in Symbolo Athanasiano additur: *Ad cujus adventum omnes*

1) *Catéch. philos.* loc. cit. §. 3, num. 469. Cf. etiam de hoc argumento: *Il regno di Dio, ossia l'universale risurrezione dei trapassati, libri tre dell' Ab. D. Gius. Angeli*, in 4°, Roma 1833.

2) Cf. Estius in *IV Sent.* dist. 48, §. 4, ubi de loco disserens, in quem Christus venturus sit, ad judicium universale instituendum, scribit: „Sed, quis sit iste locus, certo traditum non habemus, cum nec adeo multum referat id a nobis sciri. Multorum tamen est opinio nequaquam improbabilis, in valle Josaphat universale illud judicium futurum;" quod deinde variis argumentis confirmat, quæ ibidem recoli possunt.

homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.

905. Hunc porro fidei nostræ articulum aperte tradidit Christus ipse, Matth. XXV, 31, dicens: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes,* etc. Apostoli ut plurimum ab hujus futuri judicii denunciatione auspicabantur Evangelii prædicationem. Ita Petrus, Act. X, 42, et Paulus, ibid. XVII, 31, et rursum XXIV, 25, atque in Epistolis passim, præsertim vero II Cor. V, 10, ubi ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Item Apoc. XX, 12: *Et vidi,* inquit Joannes, *mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

906. Hisce positis, si quis in medium proferre vellet auctoritates ac testimonia Patrum, sive græcorum sive latinorum, ad hanc veritatem magis magisque corroborandam, quam semper Ecclesia professa est, is supervacaneam prorsus operam navaret. Certatim enim ipsi magnum istud spectaculum extollunt ac celebrant, ex quo tanta in Deum gloria proveniet, justis laus, reprobis ignominia accedet. Hinc divinæ providentiæ ordo et quasi tela evolvetur atque expandetur. Hinc impiorum occultæ machinationes et artes, justorum autem afflictiones et ærumnæ in apertam prodibunt lucem. Hinc denique intimi cordis recessus in omnium oculos incurrent. Spectaculum profecto, quo nullum Deo dignius excogitari potest [1]).

DIFFICULTATES.

907. I. *Obj.* In hac doctrina, quæ a literis dictorum e Scriptura Sacra ad singulas res probandas adhibitorum haud multum abhorret, nonnulla quidem insunt, quæ rudiorum animos metu salutari perstringere et Numen tanquam judicem forensem oculis quasi objicere queant; nihilominus iisdem fere et gravioribus etiam laborat difficultatibus, quam quibus doctrina illa de resurrectione. Namque *primum* formula illa, cujus origo ab Judæorum seriorum commentis ac mythicis purioris doctrinæ involucris ducitur, huic ipsi ab iisdem scriptoribus sacris propositæ plane repugnat, quippe quum nulla adsit causa, cur eum, cui sors jam statim post mortem sua contigerit, denuo judicatum iri statuendum sit. *Deinde* persuasio, quam scriptores sacri magistro divino tribuunt, quamque ipsi præ se ferunt, de reditu Messiæ visibili proxime expectando, nonnullis illius effatis (Joan. III, 18; Luc. XVI, 22 et seqq.; Joan. XVIII, 36 et

1) Cf. Lessius, loc. cit.

alibi) plane repugnat, neque eventu comprobata est. Ipse Jesus tempus magnæ illius rerum conversionis se ignorare professus est, teste Marco XIII, 32. Recte inde concluditur, omnem istam persuasionem de ejusmodi reditu Messiæ, scilicet Filii Dei ad judicium instituendum, ex oratione certa prophetica et tropica, ad imagines de Messia Judæis usitatissimas composita, qua Jesus rem christianam aliquando victricem et adversariorum pœnas futuras forte adumbravit, a discipulis sensu quidem proprio *perperam intellecta* prodiisse, nec nisi ratione quadam symbolica jam a nobis ad vulgi usum posse transferri, ita quidem, ut omnis hæc narrandi forma ad eam sententiam universalem ei substratam revocetur, qua quemlibet hominem doctrina Christi imbutum ad vera hujus præcepta accommodate judicium olim subiturum ac sortem vitæ futuræ nacturum esse statuimus. ***Postremo*** negari nequit, judicii Messiani proprie intellecti expectationem, a primis inde Ecclesiæ christianæ temporibus, variis superstitionibus fanaticis ansam præbuisse, unde plurimum detrimenti cepit vera virtus atque religio. Quibus argumentis bene perpensis, subsistere licet in simpliciore Scripturæ Sacræ sententia, quæ optime convenit cum rationis idea Numinis sanctissimi, statim a morte aliam sortem hominibus probis, aliam improbis justissimo rerum ordine per gradus tribuentis [1]). Ergo.

908. ***Resp. Neg.*** *antec.* In primis doctrina de judicio extremo ac universali non solum non abhorret, ut adversarii loquuntur, a Scripturæ dictis, sed aperte omnino iisdem Scripturis traditur et inculcatur. Difficultates vero, quibus premitur, nullius plane momenti sunt ac facile disjiciuntur, prout eas disjecimus, quæ adversus resurrectionem proferebantur. Cum rationalistæ aliquot phrases congesserint, ex. gr. ***pro rudioris ævi ingenio, mythicam narrationem*** aut ***poëticam, Jesum sese accommodasse vulgi ingenio, Apostolos magistro sententiam tribuisse ab ipsis perperam intellectam***, aliasque ejusmodi, quas ad nauseam obtrudunt; cum quædam indicaverint Scripturarum loca, quæ ut plurimum ad rem præsentem non faciunt, aut nonnullas aliorum rationalistarum sententias attulerint, putant se difficultates insolubiles proposuisse, ob quas a recepta omnium sæculorum fide discedendum omnino sit. Facile tamen rationalismus veluti levis nebula dissipabitur, priusquam vel minimus catholicæ fidei articulus permoveatur. Verum, ut ad singula, quæ objecta sunt, propius accedamus.

909. ***Ad*** 1m, ***Neg. primo*** doctrinam de extremo judicio, quam adversarii vocant *formulam*, a Judæorum posterioris ævi commentis ac mythicis purioris doctrinæ involucris originem trahere; quum eam trahat, ut vidimus, ex Christo ipso, qui non uno in loco, immo vero constanter, eam prædicat, atque ab

1) Wegscheider, §. 199.

ipsis Apostolis, qui eam a Christo acceperunt. Nos documenta attulimus; rationalistis vero satis fuit propriam assertionem obtrudere. Negamus *secundo* doctrinam hanc pugnare cum doctrina proposita ab iisdem scriptoribus sacris. Hanc enim pugnam nemo unquam vidit, imo nec suspicatus est. Quæ enim pugna fingi in eo potest, quod homines singillatim statim post obitum judicentur, prout homines privata sunt individua, ut illico consequantur promeritam sententiam præmii aut pœnæ, et quidem inadæquatam, ut expositum est, ac demum omnes simul publice ac solemniter tanquam publicæ societatis membra, atque ut completam et adæquatam remunerationem consequantur? Falso præterea supponunt adversarii, hominis solius causa ejusmodi judicium institutum iri, non autem etiam, imo præcipue, ad Dei gloriam juxta ea, quæ in probationibus dicta sunt [1].

910. *Ad* 2m, *Neg.* sacros scriptores tribuisse Christo persuasionem de proximo sui ac visibili reditu, aut iis ipsis ejusmodi persuasionem inhæsisse. Christus nunquam voluit discipulis suis tempus certum reditus sui patefacere; ideoque non poterant ejusmodi persuasionem aut Christo tribuere aut ipsi animo concipere. Si quem vero curiositas tangat recolendi loca ab adversario indicata ad ostendendam pugnam, quam ipse fingit inter hanc, quam vocat, Apostolorum persuasionem et Christi effata, mirabitur incredibilem hominis rationalistæ audaciam; cum ne unus quidem sit, qui ad præsens argumentum spectet.

911. Quod si Marci XIII, 32, Christus ait: ***De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius***, in ordine, ut aiunt, ad manifestationem id protulit, quemadmodum Patres omnes adversus Arianos, qui hoc ipsum objecerant, exposuerunt. Neque enim Filium, qui in sinu Patris a tota æternitate est, hic dies latere potuit. Sed hæc difficultas provenit ex systemate ariano, sociniano et rationalistico.

912. Sublato vero fundamento, concidunt sua sponte superstructæ difficultates seu conclusiones, quas indidem deducit adversarius, tum scilicet ejusmodi persuasionem profluxisse ex perperam intellecta Christi doctrina; ita ut post XIX sæcula, quod non intellexerunt Apostoli a Christo ipso edocti et a Spi-

1) Hanc ipsam difficultatem jam præoccupaverat S. Thom. in *Suppl.* q. 88, a. 1, 3 diff. Respondet autem ad 3m: „Universale judicium magis directe respicit universalitatem hominum quam singulos judicandorum; quamvis ergo cuilibet homini ante judicium erit certa notitia de sui damnatione vel præmio; non tamen omnibus omnium damnatio vel præmium innotescet. Unde judicium necessarium erit." Cf. *Catechism. Roman.* part. 1, cap. 8, num. 4 et seqq. in quinque rationes profert, quibus ostendatur privato judicio generale subjiciendum esse. Prima est, ut augmentum præmii aut pœnæ percipiant mortui ex male aut recte factis; altera, ut pii laudem, impii ignominiam consequantur; tertia, ut corpora vel præmium vel pœnam cum animo ex æquo participent; quarta, ut divinæ providentiæ ratio omnibus constet; quinta demum, ut boni perseverarent et mali resipiscerent.

ritu Sancto, tandem aliquando rationalistæ intellexerint; tum revocandam esse doctrinam de judicio extremo ad speciem victricis gentis christianæ et pœnarum, quas Christi adversarii essent laturi. Hæc enim non sunt nisi somnia, quæ nemini sanæ mentis Wegscheider cum suis asseclis persuadebit.

913. *Ad* 3^m, Cum ignorem de quibusnam superstitionibus loquatur adversarius, quibus expectatio judicii Messiani ansam præbuerit, satius erit expectare donec adversarius eas enumeret. Forsan alludit ad sanguinem, quem Christi martyres effuderunt, aut ad illos, qui monasticum institutum amplexi sunt; quia pro his hominibus quidquid virtutis christianæ est et heroicæ fortitudinis, superstitionem sapit [1]). Nescio pariter quodnam detrimenti capiat vera virtus atque religio ex judicii expectatione; nisi indicare velit, neminem tunc fore, qui stipendiis adduci velit ad disseminandam impietatem sub bibliorum velamine, in quo certe magnum foret detrimentum.

914. Postremam denique consecutionem negamus, nempe, probe perspectis argumentis allatis, cuipiam licere subsistere in simpliciore, ut ipse vocat, Scripturæ Sacræ sententia. Argumenta enim producta nullius plane roboris sunt, ita ut nec argumentorum nomen mereantur, cum non sint nisi vel putida mendacia, vel gratuita asserta. Ejusmodi autem argumenta neminem profecto amovebunt a doctrina illa, quam non solum Scripturæ, sed universa antiquitas tradiderunt, et quæ constans semper ac firma fuit omnium Christianorum fides atque professio.

915. II. *Obj.* Dubitari nequit, quin hic articulus formulis et allegoriis judaicis de adventu Messiæ, mortuos resuscitaturi atque sub judicium vocaturi, tum modo ac rationi humani judicii sit accommodatus. Hinc est quod commemorantur nubes, quibus Messias vehitur (Matth. XXIV, 30; XXVI, 64, coll.; Dan. VII, 18); Archangelus cum tuba (I Thess. IV, 16), et omne satellitium Angelorum (Matth. XXV, 31; II Thess. I, 7); convocatio omnium hominum (Matth. XIII, 41; XXIV, 31), et defunctorum et adhuc viventium, qui quidem æque mutabuntur ac dudum mortui (I Cor. XV, 15; I Thess. IV, 16, 17, coll.; Philipp. III, 21); tribunal judicis (Rom. XIV, 10), libri censurarum aperti et inspecti (Apoc. XX, 12 et seqq.), singulorum examen atque sententia pronunciata (Matth. XXV, 31 et seqq.), qua pii cœlestis regni gaudiis, epulis cœlestibus (Matth. VIII, 11; Luc. XXII, 18, 30), digni ac fruituri declarabuntur (Matth. XXV, 38), impii autem cum diabolis flammarum infernarum suppliciis æternis

1) Huc spectat sapientissima S. Gregorii Magni animadversio: „Justorum simplicitas deridetur; quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur; et quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat." *Moral.* lib. x, in cap. 22, Job.

tradentur (Matth. XXV, 41; Marc. IX, 48; II Thess. I, 9 et seqq.). Ac posteaquam judicium illud, quod statim post Hierosolymorum excidium (Matth. XXIV, 29; Marc. XIII, 24 et seqq.; Luc. XXI, 5 et seqq. 27), instituendum, prope instare diserte monent [1]), peractum sit, mundum hunc igne interiturum, aliumque oriturum esse, novam Hierosolymam in novam terram e cœlo demissum iri, aliaque ejusmodi perhibent. Haud obscure tamen significatur, ævo jam apostolico doctrinam illam mythis fuisse involutam, II Petro I, 16 [2]). Intelligi demum nequit, quomodo tanta hominum multitudo possit simul judicari; quomodo possit unusquisque facta propria in mentem revocare [3]). Ergo.

916. ***Resp.*** ***Neg.*** *antec.* Id est imaginibus sensibilibus et captui nostro accommodatis judicii articulus proponitur, ut in aliis passim fit, *conc.* allegoriis judaicis, ita ut articulus ipse totus fictitius sit, atque inter mythos amandandus, *neg.* Duo enim permiscent adversarii, quæ apprime secerni debent, existentia scilicet alicujus veritatis cum modo seu forma, qua eadem veritas exhibetur atque proponitur. Porro existentia alicujus veritatis est omnino independens a forma, qua proponitur; cum interdum fieri possit, ut nonnisi imaginibus symbolicis enunciari seu offerri queat, cujusmodi sunt veritates abstractæ, et quæ superant captum nostrum. Hinc Dei ipsius operationes, sive exercitium suorum attributorum, Scripturæ exhibent sub formulis tropicis, eidem tribuunt affectus, quos vocant anthropopaticos, pœnitentiæ ex. gr., iræ, vindictæ, etc. cum tamen nil tale in Deo sit. Numquid propterea ejusmodi veritates rejicere debemus tanquam totidem mythos, sub illis imaginibus adumbratos? Idem propterea contigit circa judicii extremi articulum. Nuda veritas est, Christum olim venturum esse ad judicium instituendum actionum nostrarum, ac retributurum pro uniuscujusque meritis. Cætera autem possunt esse imagines, quibus objiciatur veluti sub oculos nostros ratio, ordo et effectus ipsius judicii, ad altius in mentibus nostris ejusmodi veritatem figendam.

917. Dixi *possunt*, neque enim ulla reperitur repugnantia, aut aliquod inconveniens, si dicamus, reipsa Christum nube circumdatum venturum esse, prout eadem nubes cum in cœlum ascendentem suscepit, Act. I, 9; præmittendum fore Archange-

1) Nempe Matth. xvi, 28; xxiv, 30; Joan. xxi, 23; i Joan. ii, 18; Rom. viii, 19 et seqq.; i Cor. xv, 51 et seqq.; ii Cor. v, 4 et seqq.; Phil. iii, 20; i Thess. i, 10; iv, 15-17; i Tim. vi, 14; Tit. ii, 13; Heb. x, 25-37; i Pet. iv, 7; ii Petr. iii, 10-12; i Joan. ii, 18. Apoc. xxii, 7, 12, 20. Ubi animadvertendum tamen est plerosque ex his textibus non esse ad rem, aliorum autem diversum omnino esse sensum ab eo, quem adversarius eisdem tribuit, ut cuilibet eos vel leviter percurrenti constare poterit.

2) Wegscheider, §. 196.

3) Sic alii increduli passim. Cf. Feller, loc. cit.

lum cum tuba, in corpore adscititio, ut suo loco exposuimus; Angelos Christum comitaturos [1]).

918. Convocandos autem homines esse a quatuor ventis, seu mundi plagis, ut Christus inquit, nemo inficias ibit, nisi qui velit fidem Christo detrectare, aut qui putet homines esse totidem entia spiritualia; si enim homines propriis corporibus donabuntur, quod superiori propositione ostendimus, debebunt profecto moveri de loco in locum, ut coram judice Christo se sistant. Quod additur de immutatione tam vivorum quam defunctorum, nihil dicitur in locis adductis, sed Philipp. III, 21, tantum generatim dicitur de Christo, quod *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, nec ullam mentionem facit sive vivorum vive mortuorum. Quod si electorum corpus per resurrectionem dotes gloriosi corporis acquiret, de corpore reproborum contrarium omnino asserit Apostolus, dicens, I Cor. XV, 51: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ex quibus verbis non solum mendacii et falsitatis arguitur adversarius, sed discimus præterea longe probabilius esse, omnes plane homines morituros esse, etsi aliqui ad breve tempus. Quia si omnes resurgemus, ergo omnes moriemur [2]).

919. Quæ dicuntur de tribunali, de libris censurarum et examine, jamdiu præoccupata fuerunt ab Ecclesiæ Patribus, qui monuerunt hæc nonnisi figurato sensu esse accipienda. Etenim *judicat Christus*, inquit S. Ambrosius, *cognitione cordium, non interrogatione factorum* [3]). Manifestante se Deo, nullum amplius velum operiet actiones et facta hominum. Quod non obscure declarat Apostolus ipse, scribens, Rom. II, 15: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum. Nihil enim est opertum*, ait Christus, *quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur* (Matth. X, 26). Quibus docemur omnium et singulorum conscientias divina illustratione patefactum iri, ut quilibet cognoscat distincte tum bona ac mala propria, quæ cogitatione, verbis aut opere patraverit, tum bona omnia ac mala, quæ cæteri gesserint [4]); et quidem intra brevissimum temporis intervallum omnia absolventur.

1) Cf. Lessius, loc. cit., nec non Estius, loc. pariter cit.

2) Recol. superius dicta.

3) *In Luc.* lib. x, cap. 22, num. 49. Cf. *Enarr. in Psalm.* I, num. 52. Sic etiam S. August. *De civ. Dei,* lib. xx, cap. 14: „Quædam igitur, *inquit*, vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernuntur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina, libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur, quidquid ea faciente recolitur."

4) Cf. Lessius, *De perfect. divin.* lib. XIII, cap. 22, n. 137 et seqq.

920. Quod si Christus visibilis apparebit, visibili pariter Angelorum agmine stipatus, longe probabilius sensibili voce sententiam proferet, quod Patres et interpretes passim docent. Neque in hoc habent adversarii, quod reprehendant, cum ipsa rerum analogia id exposcat. Neque est quod rationalistæ rideant, dum vident æternam beatitudinem propóni sub imagine convivii. Quis enim nescit, Deum homines alloquentem infirmitati nostræ consuluisse, dum, quæ omnem mentis nostræ aciem excedunt, per symbola proposuit? Hinc modo domui, modo regno, modo convivio aliisve lætioribus imaginibus cœlestem beatitudinem Christus comparavit [1]). Interdum vero ea in Scripturis occurrunt, quæ sensibiles ejusmodi imagines corrigunt, ac puriorem exhibent ejusdem æternæ felicitatis notionem [2]). Quare hæc dissimulant rationalistæ, ut contemptum in Sacra Biblia disseminent?

921. Falsum omnino est, quod obtrudunt de extremo judicio, *immediate* post Hierosolymorum eversionem subsecuturo; neque id evincunt loca Scripturarum, quæ adducuntur. Tum quia incertum adhuc est, utrum Christus in citatis locis loquatur de sola Hierosolymorum eversione, an etiam de extremo judicio ac mundi fine [3]); tum quia, hoc etiam admisso, nunquam Christus dixit, illico post ejusmodi excidium subsecuturum esse aut judicium aut mundi finem. Sermo enim ipsius tria simul complexus est, urbis devastationem, secundum ipsius adventum in terras visibilem, ac demum judicium et mundi finem [4]). De prima affirmavit: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant* [5]). De reliquis nullum tempus determinavit. Sane juxta adversarios, Christus aperte professus est, se ignorare judicii diem; quomodo igitur potuisset in istorum hypothesi hunc ipsum diem tam accurate determinare, ut dixerit intra eamdem generationem et immediate post urbis devastationem institutum iri judicium, et mundi exitum statim subsecuturum? Vetus adagium est: *Mendacem oportet esse memorem.*

1) Cf. Bellarminus, *De æterna felicitate Sanctorum libri* v, ubi pie ac docte totum hoc argumentum prosequitur. Et Bened. Plazza, S. J. *Dissert. de paradiso*, part. I, cap. I et seqq. Panormi 1762.

2) Cf. I Cor. XIII, 12; II Cor. v, 6, 7; Joan. XVI, 22 et alibi passim. Vid. auctores citati.

3) Cf. Phil. Lallemant, S. J. *Riflessioni morali, ecc. sul Nuovo Testam. trad. dal franc.* Roma 1791, tom. I, ad cap. 24, v. 29, S. Matthæi, ubi contendit hoc caput nullo modo referendum esse ad judicium finale, perinde ac loca parallela S. Marci et S. Lucæ, sed tantum ad proximum urbis excidium.

4) Cf. Maldon. in hunc locum.

5) Ut magis pateat ejusmodi hominum de Christo et Apostolis sentiendi ratio, apponemus verba Böhme, qui in opere: *De spe Messiana Apostolorum*, pag. 101, Halæ 1826, scribit: „Censemus istam expectationem (*reditus prope instantis*) a Jesu, nisi quod hic excidium urbis Judæorum templique PRAEDIVINAVERIT, illi quidem adventui Messiæ annumeratum, non excitam fuisse in Apostolorum animis, quippe quos e gentis suæ superstitione ea tenuerit, sed totam aliquatenus, quoniam evelli nequiret, et quantum posset fieri, emendatam et ad bona, quibus ipse Jesus utebatur, consilia adjuvanda atque percipienda adhibitam.„

922 Cæterum præstat hæc confirmare auctoritate interpretis adversariis nostris minime suspecti, Kuinoel scilicet, qui in suo *Commentario in libros N. T. historicos*, ad cap. XXIV Matthæi, recensitis non paucis Protestantium exegetarum expositionibus, quæ in eumdem sensum collineant, ita concludit: *Quo vero præconceptæ eorum* (discipulorum) *opinioni occurreret, cum eversione templi reipublicæque Judæorum conjunctum fore initium regni Messiani terreni ... ita respondebat, ut appareret, finem mundi serius secuturum esse; et, ut hic mundi interitus ab interitu civitatis Judæorum satis perspicue discerneretur, profitebatur, se ad excidium Hierosolymorum, ad pœnas de Judæis sumendas, suorumque a Judæorum persecutionibus liberationem* (ἀπολύτρωσιν, Luc. XXI, 28), *ita rediturum esse, ut ipse non conspiceretur, majestatem tamen suam ita se manifestaturum esse, ut ipsum pene oculis videre possent (adventum Filii hominis fore fulguris instar,* Matth. XXIV, 27, *sicuti non dici possit, fulgur hic vel ibi esse, ita neque de Messia, eum hic vel ibi esse, vid. Matth. XXIV, 23-27); sed ad finem mundi, et inaugurationem regni Messiani solemnem, non tamen talis, qualem expectarent, se rediturum esse (ibid. XXV, 31 et seqq.) ita, ut conspiceretur et innotesceret ipsius majestas omnibus.* Quæ deinde singillatim enarrat.

923. Cum igitur partim falsa ac calumniosa, partim dubia ac incerta sint, quæ adversarii rationalistæ obtrudunt ad elevandam judicii extremi fidem, atque ad arguendum falsitatis Apostolos et Christum ipsum, sponte fluit et impiam et falsam esse conclusionem de mythis, quibus aiunt obvolutam doctrinam istam ab ipso ævo apostolico, seu potius ab ipso Christo. Quæ autem de mundi conflagratione ac nova Hierusalem e cœlo demittenda allata sunt, cum ad præsens argumentum non spectent, missa facimus.

924. Hæc autem latius produximus, ut specimen quilibet habeat impietatis istiusmodi hominum, ac simul eorum levitatis, qui magistri ac pastores animarum apud Protestantes audiunt.

925. Ad id vero, quod postremo loco objectum est ab incredulis aliis, nempe philosophis nuncupatis, quomodo scilicet possit judicari simul tanta hominum multitudo, et quomodo patrata opera omnia in mentem revocari queant, responsio patet ex iis, quæ nuper diximus de ratione, qua judicium istud Dei virtute perficitur, nec necesse est crambem hic etiam repetere.

926. Et hæc de Deo Creatore, prout nobis proposuimus, dicenda erant, ad complectendam tum Angelorum tum mundi hujus adspectabilis, tum demum hominis ipsius creationem, cujus diversa fata, ab ejus origine auspicantes, prosecuti sumus

usque ad interitum ac sortem, quæ ipsum in æternum manet pro diverso cujuslibet statu ac merito.

927. *Quare*, ut verbis S. Augustini tractatum absolvamus, *ipsum donum Dei cum Patre et Filio æque incommutabile colere et tenere nos convenit; unius substantiæ Trinitatem, unum Deum, a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus; a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus; principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur; unum Deum, quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam ad unitatem formamur, et pacem qua unitati adhæremus; Deum, qui dixit: Fiat, et Verbum, per quod factum est omne, quod substantialiter et naturaliter factum est, et Donum benignitatis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est; unum Deum, quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruentes beate vivimus, unum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula* [1]).

1) *De vera religione*, num. 115, tom. I, opp.

F I N I S.

INDEX.

Pag.

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.


MITTELBERGER
Sacerdos